BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV
E
4
NAPOLI

XXIV-E-4-

Digitized by Google

THEOLOGIA NATURALIS
METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA.

PARS PRIOR

INTEGRUM SYSTEMA COMPLECTENS,

QUA


EXSISTENTIA ET ATTRIBUTA DEI A POSTERIORI DEMONSTRANTUR.

AUCTORE

CHRISTIANO WOLFIO,

POTENTISSIMI SUECORUM REGIS, HASSIÆ LANDGRAVII CONSILIARIO REGIMINIS, MATHEMATUM AC PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PRIMARIO IN ACADEMIA MARBURGENSI, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ, SOCIETATUMQUE REGIARUM BRITANNICÆ ATQUE BORUSSICÆ MEMBRO.

EDITIO NOVISSIMA EMENDATIOR.



VERONÆ, MDCCXXXVIII.

TYPIS DIONYSII RAMANZINI BIBLIOPOLÆ APUD S. THOMAM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO D.D.

HIERONYMO
PISANO
VERONÆ PRÆFECTO.

ALtius adſurgit, nec, quos nubeſque, polique
Vertex objiciunt, cohibetur finibus ampla,
Firma, nitens, fruſtra quam dente inimica vetuſtas
Impetat, aut Lethes adſpergant flumina, moles,
Wolfius inviſo quam ſæclis omnibus ante
Nos, ſæclis poſt hæc, quotquot labentur ad Orbis

Digitized by Google

Excidium, mirando attollere par fuit auſu.
Ille leves nugas æternaque bella peroſus,
Queis Schola dum flagrat, veluti cum nebula Solem
Denſa tegit, nimio ſic pulvere circumfuſa,
Intentos quæ per ſe oculos perſtringere multo
Lumine nuda valet, veri rectique decora
Occulitur ſpecies, nec jam, niſi diſſipet aura
Lenior obductum velamen, cernitur uſquam;
Ille, inquam, primis damna hæc miſeratus ab annis,
Indoluitque vicem Sophiæ, vitiumque Sophorum,
Certari ſolitum de lana ſæpe caprina,
Sæpius ignotum, quæ rixæ cauſſa, vagari
Dicta, una ut ne illis ſententia, certaque ſubſit,
Dicere ſic cuivis nigra, quæ modo dixerit alba,
Ut lubet, acceptis verbis, impune licere,
Cuncta patere dolis, & ubique occurrere tricas,
Ingenium, ſi detineant, hebetare valentes,
Egregium quamvis, horaſque bonas male perdi.
Hæccine adhuc? inquit, nec, qui meliora probantes
Implerunt longis orbem clamoribus, umquam
Fortius enixi, terraque marique fugarunt?
Dein tacitus, rerum quidquid mortalibus Auctor
Illo, quo cunctas illuſtrat lumine mentes,
Paullatim tenebris cognoſcere poſſe fugatis
Munificus dedit, ingenti reputare labore
Inſtituit, primum aſſidua ſcrutarier orſus
Ambages latebraſque indagine quaslibet, unde
Spes foret educi quidquam utile poſſe ratumque.
Ceu quondam, Baldi ſuper alta cacumina ſiſtens
Vena-

Digitized by Google

Venator poſtquam late proſpexit, & atris
Silvis, aut vidit ſummis diſcurrere damas
Rupibus, extemplo ſilvas rupeſque citato
Invadit curſu, ſequiturque per avia prædam:
Illa e conſpectu ſi forte evanuit, ac ſe
Callida ſub denſas frondes conjecit, & hæret,
Aut caveis ſe ſe cæcis, ſpecubuſque recepit;
Ipſe canum turba ſeptus loca cuncta peragrat
Anxius, atque ſinus omnes explorat & antra,
Quin &, ſi quid hiant rupes, introſpicit: ante
Nulla quies, jaculis quam ſternat multa ferarum
Corpora, quæ lætus referat, durique laboris
Immemor. Haud aliter, chartis cum plurima noſſet
Præclaros mandaſſe Sophos digniſſima cedro,
Sparſa licet, disjecta, aliiſque implexa, lituris
Quæ ſenſim ac ceris felicior oblinit ætas;
Hos adit, & ſollers nocturnis Wolfius horis
Cunctorum verſat libros, verſatque diurnis.
Et quamquam celeri tam multa volumina greſſu
Percurrunt oculi, ſic mentis viribus uſque
Acriter intentis avidus penetralia luſtrat
Omnia; ut incertis nequidquam miſceat error,
Aut dolus, & vanis ſolida & comperta: lupinis
Diſgregat æra, nihil meditatis uſibus aptum
Providus inde opifex non excipit atque reponit.
Sic vero excuſſis Scriptoribus, atque redactis
Innumeris doctrinæ opibus, quæcumque feracis
Ipſe ſibi ingenii peperit virtute, repertis
Adjicit: hunc alto theſaurum pectore condit.

Inde

Digitized by Google

Inde ſinu fœto depromens ſingula, ſummo
Exagitat ſtudio, nectit, diſcriminat, aptis
Quæque locis ſiſtit, dubium nihil, implicitumve
Litibus, abſterſa niſi ſi caligine, veris
Admixtum videas: vulgari denique ritu
Nullam operis tanti partem molitur & ornat:
Sed quem cultores ſervare Matheſeos eſt mos,
Undique congeſtas hoc digerit ordine gazas.
Sic tirocinio facili ad faſtigia certus
Fit gradus, objiciunt rudibus dum prima ſeorſum,
Nec niſi perſpectis primis, ad proxima nexu
Conſpicuo conjuncta datur tranſire, nec ultra
Hac greſſus alia porro contendere lege.
Hæc methodus placet una, alienam Wolfius arcet.
Hac artem, regitur qua mens humana revolvens
Nota ſibi, gratoque labore latentia quærens,
Perficit, hac cunctis retegit communia rebus
Intimaque, hac rerum nexus ſeriemque, & in unum
Congeriem, hac animi naturam, munia, vires
Explicat, his ipſum ſolio reſidens metuendo
Numen adit gradibus, qua qua ſe parte revelat
Mentibus, hoc clauſæ dum plorant carcere, ſacra
Nec Chriſti illuxit fulgor de lampade, fixo
Diſpicit obtutu, nec lædit niſus ocellos.
Inde redux ima hac alia haud ratione probatis
Lancibus expendit, quæcunque amplectitur orbis
Corpora, quæcunque hac fieri per corpora poſſunt,
Et quorſum fieri jubeat Deus, ordine verſat.
Tum quæ hominis vitam ſapientis dirigat, & quæ
Confor-

Conformes æquo componat regula mores,
Quæque domos, quæ rite urbes & regna gubernet.
Poſt hæc impavidus diuturna ſilentia demum
Proſilit, &, quiſquis, clamat, Sophus eſſe peroptas,
Accedas, & noſtra legas veſtigia. lectum
Agmen adeſt, plenum dumis iter ac labyrinthos,
Andabataſque intus miſcentes prælia diris
Devovet: ingeminant: o Dii, meliora! novumque
Diſcendi genus ardentes, cito qua ſit eundum,
Dux novus edicat, praeatque, ardentius orant.
Ille pedem referens, felicia quæ loca, nutu
Monſtrat, & egregio repetit ſtipante maniplo.
Ut ventum eſt, hilari circumſpicit omnia vultu
Læta cohors, ductor præit, interiora penetrant.
Jamque viæ ad limen deducit Wolfius amplæ:
Pandit. obex greſſus ibi nulla moratur, amœnum
Nullus iter flexus torquet, bivium triviumve
Nullum, ubi ſubſiſtat trepidetque viator. ibi æſtus
Rixarum nullus mentes animoſque fatigat.
Ambiguæ voces procul hinc, infenſaque vero
Commenta, huc aditus technis fallacibus omnis
Præcluſus. ratio movet, experientia dextram
Tendit fida comes, titubantes ſuſtinet, urgetque.
O dignum ſumma, conclamant, laude parentem
Tanti operis! totum volat inclyta fama per orbem.
Excitus hac quiſquis dulci Sophiæ ardet amore,
Fortunata nimis loca deperit: ora Magiſtri
Cernere avet tanti, & voces audire docentis.
At nos in vetitum haud niti juvat, atque negata
Poſce-

Digitized by Google

Poſcere, ſed, chartis quæ tradidit hactenus, & quæ
Tradere numquam hærente ſtylo manus impigra pergit,
Sat fuerit tenuiſſe ſtatim, & quo pluribus uti
Sit fas, actutum ſecundo ſubdere prelo.
Cœpimus, inſtitimuſque operi vehementer, & uſque
Inſtamus. prodit jam nunc, HIERONYME, Gentis
PISANÆ proles digniſſima, Teque clientis
More adit, & ſe ſe fidens ſecuraque ſiſtit
Pars ea, quæ reliquas hoc anteit, ipſa Tonantis
Atria quod reſerans, oculis quidquid vetus error
Terrigenum prope ſubduxit, dat cernere rurſus.
Eſſe Deum invicta oſtendit ratione, nec ullo
Concludi ſpatiove loci vel temporis, omni
Conſtantem virtute, nec ullam aliunde petiſſe,
Indere quin potius rebus, quas rebus ineſſe
Cumque decet, quæ ſint tanta virtute profecta,
Quæ porro labente queant proficiſcier ævo.
Hæc, inquam, ſcite retegit, ſpectandaque profert,
Quantum ferre poteſt natura mentis acumen.
Ergo, Deo carum caput, & noſtræ decus urbis,
Mente animoque Deum ſemper Divinaque volvens,
Hoc, PISANE, TIBI dignum TE munus habeto.
Haud, equidem fateor, ſic Numinis illa paratur
Notitia, ætherii quæ ſanguine conſtitit Agni,
Quam ſola attulerunt divina oracula terris.
Haud hinc æterna fecundum Prole Parentem
Novimus, haud æternus Amor Natoque Patrique
Par ſe ſe hac tantum admota face prodit, opaca
Haud nube & denſis tenebris liber eximit, alto
Conſi-

Conſilio quæ geſta Dei, miſeratus in arcta
Cum genus humanum detruſum vincla, Puellæ
Integra exuvias mortales ſumſit ab alvo,
Haſque dein ſævis tradens tortoribus, atra
Morte luit commune ſcelus, vinctoſque reſolvit,
Tum ſacra conſtituit, ceu rivos fonte perenni
Deductos, almo ſitientia corda liquore
Gens avida æternæ ut poſſet perfundere vitæ.
Haud hæc, haud alia e ſolis accepta ſupernis
Eloquiis, tua queis alitur mens ac recreatur,
Conſpicienda TIBI codex meditandaque præbet.
TU tamen, his animum qui prudens paſcis & ungis,
TE quibus a prima pavit fovitque juventa
Formatura parem ſobolem pia cura Parentum;
Ut leviore gradu petat hæc excelſa, Sophorum
Qui ſpatium fauſto percurrerit omine, noſti.
Tam certa primos igitur lætabere curſus
Arte regi: oblatum nec dedignabere munus:
Digna ſuis Auctor referet ſic præmia curis.
Haud facile hic nimium tumidos, HIERONYME, rivos
Claudere. nunc dici tempus quo ſanguine cretus,
Quam multa virtute decus TIBI ſanguinis auctum.
Nunc canere inceſſit flagrans ſtimulatque cupido
PISANOS HEROAS: age: expedit omnia Clio.
Geſta, fidem, titulos, ſacros quibus Infula crines
Ornarit, quos Purpureo decorarit amictu
Roma, vel impoſito Veneti Diademate Patres,
Quos pacis, quos belli artes, ſervataque duris
Temporibus Patria extulerit, monumenta loquuntur.

Talia dum recolit, ſtudium quis ſingula fandi
Corde premat? Sed enim illepidum producere carmen
Longius, ut vatum merear convicia, qui TE
Ac tua tam rauco referam præconia cantu,
Non pudor, æternumque vigens in pectore cultus,
Non tua, non patitur PISANÆ *gloria Gentis.*
Teque tuoſque igitur memori ſic mente revolvam,
Ut veſtras audire tamen, quam dicere laudes,
Tanta ſatis quando celebrantur nomina, malim.
Ipſa ea, queis longo in bello Nicolaus & Hircus,
Et Ligurum domitor crebro certamine, Victor
Claruit; illuſtres pergant extollere vates.
Vos quoque, quos ſacris redimitos tempora vittis
Noſtrorum felix Verona ætate parentum
Sollicitos ad pura Gregem deducere vidit
Paſcua & ad vitæ fontes, ſcabiemque cavere;
Atque arcere lupos, tutari & condere leges;
Vos, par eximium, recinant, quos æquus amavit
Delius, & merita præcinxit fronde capillos.
Non alius, PISANE, *tuis virtutibus eſto*
Præco umquam: Aoniæ reliquos vetuere Sorores.
Sat mihi, quod Pietas, quæ cetera lumine vincit,
PISANIS *quæ Præſulibus, felicia noſtris*
Patribus adduxit memorandaque tempora, quamque
Sedulus in primis adſervas & colis heres; (*rem.*
Ad TE *aditum mihi pandit, ut hæc* TIBI *munera fer-*
Digna ſuis Auctor referet ſic præmia curis.

REVE-

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

FRIDERICO CAROLO,

EX S. R. I. COMITIBUS DE SCHOENBORN, PUCHHEIM, WOLFSTHAL &c.
EPISCOPO BAMBERGENSI ET WIRCEBURGENSI,
FRANCIÆ ORIENTALIS DUCI, &c. &c. &c.

NEmo Scientias earumque cultores ac promotores melius protegit, quam qui multiplicem illarum in Divinis atque humanis fructum expertus de pretio ex ſe ſtatuit. Quovis enim Argo oculatior in pervidendis utilitatibus, quæ vel ſummum inventorum acumen facile effugiunt. Raro ac prorſus ſingulari exemplo hoc ipſum doces, REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, qui in virtutem eminentem, qua Prin-

Digitized by Google

ceps & Præſul vere magnus nonniſi ad Summa contendis, non ſolius Germaniæ, ſed Europæ univerſæ oculos convertiſti. Eam admirantur omnes; meritis condecorare encomiis valet nemo. Ego me admiratorem profiteor ſummum, & philoſophus facta REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ attenta mente rimor, ut boni Principis ac Præſulis vigilantis in ea naſcatur idea facem prælatura ad videndum ea, quæ Principem ac Præſulem reddunt magnum. Quocunque enim mentis aciem intendo, nil niſi quod auguſtum deprehendo. Bonum & magnum Te probas Principem, cum omnem curam ac ſollicitudinem ad felicitatem ſubditorum firmandam & augendam convertas &, quæ animo præclare concepiſti prudentia ſumma, ſumtu maximo perficias. Obſtant plerumque magnis moliminibus ſumtus faciendi, ut perficiantur. Verum enimvero propria REVERENDISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ Munificentia non ſinit Magnificentiæ poni limites. Sint modo magna & excelſa, quæ ſumtus exigunt, eos in publicam utilitatem & ſplendorem profundi non videtur arduum atque difficile. Loquatur pro me melior forma, in quam a primis Regiminis initiis Ducatum, qui imperio Tuo ſubeſt, ſive ſtatus civilis, ſive militaris, ſive literarius ſpectetur, feliciſſime redigiſti! Loquatur Academia, in Metropoli florens, a Te inſtaurata, ornata & aucta, & in ea Dotis inſignis acceſſio Munificentia Tua facta atque Ordo JCtorum a Te primum introductus, Te Fundatorem munificentiſſimum veneraturus in omne ævum!

Loqua-

Loquatur Domus diſciplinaris maximo ſumtu, nec ſine maximo ſubditorum emolumento reſuſcitata, ut habeant homines, quibus otia vitia dare ſolent, quod agant! Loquatur Aquæductus in Metropoli excitatus, opus ſumtuoſum atque ſtupendum! Loquatur Palatium Ducale, quod ſuperbas Romanorum ſtructuras non æmulatur, ſed ſuperare videtur, regium Urbis ornamentum! Loquatur denique, ut alia taceam, Mauſolæum magnificum, quod Tui & Agnatorum Tibi Præſulum memoriam ſempiternam poſteritati commendabit! Quem Te Principem, eundem & Præſulem præbes, ubivis magnum & ad Summa contendentem. Cum enim in Te virtutes ceteræ omnes ſingulare quid ſpirent; Pietas inprimis in Deum REVERENDISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ quaſi propria exiſtimari debet, qua nihil Tibi pretioſius, nihil antiquius. Eandem cum Magnificentia, quæ Tibi ſumma eſt, amico vinculo copulaſti, ut ſingulari in Te ſplendore fulgeat. Loquatur denuo pro me exemplum, quo gregem fidei Tuæ commiſſum inſtruis quotidie, ut Te præeuntem ſequatur! Loquatur vigilantia, quæ Præſulem maxime decet virtus, tanta in Te, ut ſortem fere humanam ſuperare exiſtimetur! Loquantur tot Ædes Deo ſacratæ non modo in Principatibus Tuis, ſed conterminis etiam locis, in quibus ubivis ſingularia munificentiæ Tuæ conſpiciuntur monumenta, quæ Pietatem Tuam ſeris nepotibus commendabunt! Quem Te Principem & Præſulem, eundem & Literatorum Mecænatem ac Scientiarum & artium bonarumque

literarum Protectorem præſtas, ubivis magnum & munificentiſſimum. Te dudum hoc nomine venerantur, quotquot ad Scientias & artes perficiendas & amplificandas atque bonas literas colendas animum appellunt, ut, quæ toto orbe celebrantur, de iis dicere ſupervacaneum exiſtimem. Quamobrem cum in publicum a me proferatur opus, quod totius Theologiæ naturalis Syſtema methodo demonſtrativa adornatum, naturalem Dei cognitionem ad ſummum claritatis, evidentiæ ac certitudinis gradum evehens, ad ſinceram in Deum pietatem plurimum profuturum complectitur; non mihi e longinquo petenda eſt ratio, cur Reverendiſſimo ac Celſiſſimo nomine Tuo eidem ſplendorem conciliare ipſumque Poſteritati, cui ſemper ſancta erit memoria Tua, commendare voluerim. Quodſi enim ſeris etiam nepotibus conſtabit, REVERENDISSIMAM CELSITUDINEM TUAM opus, quod humillime offero, gratioſo vultu adſpexiſſe: Gratia Tua, qua auctorem complexus es, omnem ei addet auctoritatem. Servet Te Deus, PRINCEPS REVERENDISSIME AC CELSISSIME, ut Te Protectore & Mecænate Scientiæ, artes ac bonæ literæ omnes indies majora capiant incrementa! Ita vovet!

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ.

Humillimus Cultor
CHRISTIANUS WOLFIUS.

PRÆ-

PRÆFATIO.

ARduum aggredimur opus, dum omnem de Deo doctrinam, quæ naruræ lumine cognoſcitur, methodo accurata rradere coſtituimus. Neque enim adeo facile eſt exaſciatas de Deo dare demonſtrationes: ut non miremur, alios hunc laborem prorſus intactum reliquiſſe, alios magno conatu nihil egiſſe. Noſtro tamen ævo non una de cauſa apprime neceſſarium Syſtema Theologiæ naturalis, in quo doctrina de Deo concatenara ratiociniorum ſerie ad certitudinem evehitur, ne de veritatibus ranti momenti quis dubitare poſſit, niſi ſua culpa. Conſtabit enim Syſtema noſtrum legentibus, non vulgari opus eſſe

Onto-

PRÆFATIO.

Ontologiæ, Coſmologiæ generalis atque Pſychologiæ notitia, ut vis demonſtrationum percipiatur, qua aſſenſus extorquetur. Quamobrem ſi quis deſideret demonſtrationes de Deo ad captum vulgi ignavi compoſitas, quæ tamen nomen tam auguſtum tueantur, propterea quod ſibi & aliis perſuadere conatur veritatem omnem eſſe captu facilem; is a ſe exigi ſciat, quod impoſſibile: neque enim exiſtimandum eſt ardua nullo negotio perfici. Rideretur ſane, nec immerito, qui veritatum ſublimium in Aſtronomia convinci vellet Geometriæ & Trigonometriæ prorſus ignarus. Neque minus rerum intelligentibus ſe deridendum propinat, qui, cum adhuc peregrinus & hoſpes ſit in omni Ontologia, Coſmologia & Pſychologia, lucem in Theologia naturali quærit, cum in luce meridiana caligare debeat, qui ex tenebris in eam ſubito prorumpit. Nemo igitur judicem competentem de Syſtemate noſtro ſeſe exiſtimet, qui nondum perſpectis methodi legibus in opere logico fuſiſſime traditis, & nullo in Ontologia, Coſmologia generali atque Pſychologia ſtudio collocato, judicium deproperat, nec ægre ferat, ſi judicium adeo deproperatum tanquam temerarium a rerum intelligentibus contemnatur. Si quis vero inoffenſo pede in Syſtemate noſtro cum fructu perlegendo progredi voluerit; ne ad id accedat, antequam principia ontologica, coſmologica & pſychologica familiaria experiatur, res ipſa poſtulat. Quodſi ergo bene præparatus omnem attentionem ac patientiam attulerit ad lectionem; eum ad diſtinctam & certam Dei cognitionem perventurum confidimus: nihil enim tradimus, niſi diſtincte explicatum & ſufficienter demonſtratum. Si cui nimis moleſtum videatur tanto apparatu inſtructum ad Theologiæ naturalis tractationem accedere; is ſuum non eſſe agnoſcat, quod philoſophorum eſt, & quod ſuum eſt agat, philoſophis relinquens, quod ipſorum eſt, nec importune ſeſe alienis negotiis immiſceat. Non invidet ipſi philoſophus, quod in ea cognitione aequieſcat ejus animus, quam ſubobſcuram & dubitationibus obnoxiam in ſe experitur, ſuis videns oculis, non alienis: permittat vero, ut & ipſe pro ſuo ingenii modulo quærat veritatem, in qua acquieſcere poſſit. Si quis denique Matæologus non condonanda audacia eo temeritatis proceſſerit, ut per demonſtrationes rigidas mutato genere veritatem in erro-

in errorem noxium converti ſomniet; is per nos in regno tenebrarum inter cæcos luſcus regnet. Hanc mihi rationem eſſe intelligat, cur inſulſis commentis in toto hoc opere nihil reponi conſultum viſum fuerit; ſed veritatem, quam profiteor, in apricum producere unice ſtuduerim. Etſi autem a meis laudandis procul abſim, in honorem tamen Dei, cujus cauſa agitur, profiteri cogor, Theologiam naturalem hactenus ea luce caruiſſe, qua in præſente opere eandem perfudimus. Attributorum divinorum notiones dedimus diſtinctas, ut intelligantur & eorum ab iis, quæ in anima noſtra quidpiam affinitatis habent, differentia clariſſime perſpiciatur. Nodos intricatos & ſolutu difficillimos non ſecui, ſed ſolvi, ut nihil amplius ſuperſit, quod perplexum videri poſſit. Qui philoſophus audio & veri nominis philoſophiam hactenus non ſatis agnitam profiteor, terminis cognitionis hiſtoricæ ac philoſophicæ non, quod vulgo fieri ſolet, confuſis, ſed ſollicite diſcretis, rationes eorum, quæ Deo tribuuntur, intrinſecas dedi, cum ſine iis non fruantur luce, qua eget intellectus, ſuperior cognoſcendi facultas, ad videndum, quæ rebus inſunt. Vanus autem eſt metus, quaſi periculoſo admodum auſu omniſcientia affectetur; qui enim omniſcientiæ notionem in hoc opere evolutam animo diſtincte comprehendit, quantum inter eam & cognitionem philoſophicam interſit diſcrimen abunde perſpiciet. In Demonſtrationibus denique omnem conſervo evidentiam, non admiſſis principiis niſi in Ontologia, Coſmologia & Pſychologia ſufficienter ſtabilitis, aut in anterioribus jam demonſtratis, & legitime ratiociniorum concatenatione ex aſſumtis deducto, quod demonſtrandum erat. Quantum cognitio ex hoc opere hauſta ad omnem praxin moralem afferat adjumentum, reipſa nobis ducibus in philoſophia practica experietur, qui eam ſibi comparaverit. Exhibemus igitur in hoc volumine, quod ſub titulo partis primæ Theologiæ naturalis in publicum prodit, integrum ſcientiæ nobiliſſimæ Syſtema, in quo ſingula fuſius exponuntur, quam huc uſque factum ab aliis, & nonnulla traduntur, quæ aliorum attentionem hactenus effugerant. Stabilita exiſtentia entis a ſe, ex ejus attributis oſtendimus, nec mundum hunc materialem, nec elementa rerum materialium, nec animas noſtras

eſſe

eſſe a ſe; ſed admittendum ens a ſe ab iis diverſum, cui ea inſunt attributa, per quæ ratio ſufficiens contingentis exiſtentiæ ceterorum omnium dari poteſt. Hoc ipſum ens a ſe Deum appellamus & quænam ipſi tribuenda ſint, ut ceterorum omnium dependentia ab eodem clariſſime perſpiciatur, evidentiſſimis demonſtrationibus evincimus. Quoniam vero notiones diſtinctæ rerum ab iis haud raro non agnoſcuntur, qui in confuſis acquieſcere ſolent, noſtrum eſſe duximus, ut ubivis conſenſum cum Scriptura Sacra demonſtraremus: neque enim ſolum hoc pacto avertuntur querelæ injuſtæ, quaſi terminorum receptorum & in Scriptura Sacra vel obviorum, vel ejus menti conformiter explicatorum ſignificatus immutetur: verum etiam uſus Theologiæ naturalis, quem habere debet, haud poſtremus ſtabilitur, ut ſcilicet ad revelatam manuducat, & revelatæ defendendæ inſerviat. Et ita exemplis luculentis docemus, quantum adjumenti præſtet noſtra philoſophandi ratio ad demonſtrativam Scripturæ Sacræ interpretationem & ſenſum verborum Scripturæ profundum eruendum: id quod uſui fore Scripturæ Sacræ interpretibus & commentatoribus nemo ſanus in dubium vocare auſit. Ceterum ſi cui ſufficiens fuerit acumen, is ex attenta operis hujus perluſtratione abunde convincetur, Theologiam naturalem non admittere demonſtrationes veri nominis, niſi admiſſis eſſentiis rerum neceſſariis, admiſſo nexu rerum omnium in hoc univerſo, admiſſa ſumma hujus univerſi, quæ in mundum aliquem cadere poteſt, perfectione, & theoriam noſtram elementorum, quam in Coſmologia ſtabilivimus, una cum Pſychologiæ rationalis parodoxis inexpectatam multis Theologiæ naturalis capitibus lucem affundere, quæ abſque hiſce ſubſidiis ab omni obſcuritate non liberabuntur. Sumat methodi gnarus, ſi volupe fuerit, eſſentias rerum eſſe arbitrarias, non dari rerum omnium in hoc univerſo nexum, & mundum eo, qui exiſtit, meliorem eſſe poſſibilem; quod impoſſibile ſit Deo vindicari attributa, quæ ipſi tribuuntur, Scriptura Sacra conſentiente, reipſa experietur. Neque vero hæc principia recenter in Philoſophiam & Theologiam introducuntur, ac unquam ſuſpecta fuere Theologis. Quis enim eſt, qui neſciat, ante *Carteſium* eſſentiarum neceſſitatem unanimiter defenſam fuiſſe a Philoſophis & Theologis, *D. Thoma* non

Digitized by Google

ma non alia de cauſa aſſeverante, Deum rem nullam quoad determinationes eſſentiales aliter facere potuiſſe, quam fecit? Nonne plures ſunt e Societate JESU, quos inter *(a) Sebaſtianum Iſquierdum*, *Antonium Perez* atque *Maurum* laudavimus, qui cum *Auguſtino* mundum hunc eſſe optimum defenderunt? Quod enim ſumma mundi hujus adſpectabilis perfectio cum libertate Dei in decernendo ac creando ſumma conſiſtat, & viri perſpicaciſſimi perviderunt, & a nobis evidentiſſime demonſtratum. Nonne denique Theologi orthodoxi omnes unanimi ore confitentur, Deum eſſe ſapientiſſimum atque unum, & decreta Socinianorum temporaria rejiciunt? Ex noſtris autem demonſtrationibus patet, ſine rerum omnium nexu ſapientiam Dei ſummam concipi minime poſſe, & decretis temporariis eundem repugnare, cum æterno autem decreto optime conſiſtere, nec præſcientiam & dependentiam mundi ab uno Deo, absque nexu iſto demonſtrari poſſe. Enimvero in noſtro Syſtemate exiſtentiam Dei & ejus attributa demonſtravimus a poſteriori, quatenus ſupponimus mundum hunc & animas noſtras exiſtere, atque ex iis, quæ de mundo in genere ſpectato cognoſcuntur, exiſtentiam Dei & quæ ipſi inſunt, colligimus juxta monitum Apoſtoli *(b)*, quod Divinitas Numinis ex mundi opificio perſpiciatur. Quamobrem cum hodie plurimis probetur modus *Carteſii* exiſtentiam Dei a priori demonſtrandi ex entis perfectiſſimi notione, non tamen ſatis accurate procedatur; parte altera Theologiæ naturalis oſtendemus, quomodo ſit procedendum, ne in demonſtrando quidpiam deſiderari poſſit. Et quoniam vulgo de atheiſmo non ſatis accurata eſt tractatio; ejus quoque notionem in ea evolvemus, fundamenta evertemus & errores agnatos cum ipſo ſæpius confundi ſolitos refellemus. Addemus alia ſelectiora quædam capita, de quibus jam apertius dici nihil attinet. Quemadmodum vero Theologia naturalis eſt ſcopus, ad quem tendunt diſciplinæ Metaphyſicæ anteriores omnes peculiaribus voluminibus a nobis explicatæ; ita ipſius uſus per omnem philoſophiam practicam latiſſime ſeſe diffundit. Neque enim exiſtimandum eſt, doctrinam de Deo ideo addiſci, ut animo tenea-

(a) *not.* §. 406 (b) Rom. I. 20

Digitized by Google

teneatur, vel ſubtiliter de eodem diſputetur; ſed tota quanta ad praxin tendit, ut Deum tanquam Deum in omnibus actionibus noſtris veneremur & ipſi ſerviendo, quemadmodum decet, reddamur felices. Optime igitur ſibi conſulet, qui in diſtincta Dei cognitione, quam offert Syſtema noſtrum, indies magis magisque proficere ſtudebit, ut in philoſophia practica percipiat fructus, quorum particeps non fiet niſi dogmatum Theologiæ naturalis convictus. Atque ita tandem futurum ſpero, ut religionis naturalis inſufficientia & revelatæ excellentia atque neceſſitas rectius agnoſcatur: id quod maxime vovemus! Dabam Marburgi Cattorum die ultima Martii A. O. R. 1736.

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIÆ NATURALIS
PROLEGOMENA.

§. 1.

THeologia naturalis eſt ſcientia eorum, quæ per Deum poſſibilia ſunt, hoc eſt, eorum, quæ ipſi inſunt, & per ea, quæ ipſi inſunt, fieri poſſe intelliguntur.

Theologiæ naturalis definitio.

Definitionem hanc Theologiæ naturalis jam dedimus in Diſcurſu præliminari Logicæ præmiſſo (§. 57), ibidemque jam reddidimus rationem, cur eandem ita definire voluerimus. Vulgo definitur per ſcientiam de Deo rebuſque divinis ex principiis rationis acquiſitam. Nec habet hæc definitio, quod ſit a noſtra diverſum. Res enim divinæ illæ ſunt, quæ ideo poſſibiles concipiuntur, quod detur Deus ipſique talia inſint attributa. Et quamvis a nobis non addatur, ſcientiam iſtam ope principiorum rationis aut, ut alii loqui amant, ſolo naturæ lumine eſſe acquirendam, recto nimirum uſu facultatum animæ, quæ per naturam ipſi inſunt; id tamen per ſe intelligitur. Theologiam enim naturalem tractamus tanquam partem philoſophiæ. Omni autem philoſophiæ hoc proprium eſt, quod ſolo naturæ lumine, hoc eſt, recto uſu facultatum animæ, quæ ipſi per naturam inſunt, acquiratur ad eam ſpectans poſſibilium cognitio. Quod igitur de omni philoſophia intelligitur, id ut in definitione partis ejuſdem exprimatur opus non eſt. In Diſcurſu autem præliminari jam oſtendimus Theologiam naturalem eſſe philoſophiæ partem. In vulgus porro notum eſt Theologiam naturalem ita dici in oppoſitione ad revelatam, quæ de Deo rebuſque divinis agit, quatenus per revelationem divinam nobis innoteſcunt. Pars illa philoſophiæ, quæ de Deo agit, in ſcholis gentilium, unde vocabulum petitum, ſimpliciter Theologia dicebatur, cum revelatione divina, quæ nobis eſt, deſtituerentur. Enimvero poſtquam vocabulum in ſcholas Chriſtianorum receptum ad denotandam cognitionem Dei rerumque divinarum ex illis libris, quos divinitus auctoribus ſuis inſpiratos fide firma tenemus, hauriendam; neceſſe omnino erat, ut ea diſtingueretur a cognitione Dei rerumque divinarum naturæ lumine acquirenda. Unde vocabulum Theologiæ generalem accepit ſignificatum, quod nempe ſit ſcientia de Deo, & dividi cœpit in naturalem & ſupernaturalem ſeu revelatam, quarum illa tradit quæ de Deo ex lumine rationis ſeu naturæ cognoſci poſſunt, hæc vero ea, quæ lumine revelationis de eodem nobis innoteſcunt. Et Theologiæ quidem revelatæ per eminentiam tributum eſt hoc nomen, ita ut ſolitarie poſitum non accipiatur niſi de revelata, ac Theologi nomen remanſerit ſolum iis, qui in Theologia revelata aliis præſtantiores habentur; eodem vero non decorentur philoſophi, qui naturali Dei cognitione excellunt, utut olim teſte *Lactantio* de ira Dei c. 11 & *Auguſtino* de civitate Dei lib. 18. c. 14 Theologi dicti fuerint non modo philoſophi ob Theologiam naturalem, verum ipſimet Poetæ ob fabuloſam, quam profitebantur, Theologiam. Gentiles nimirum *Theologiam* diſtinguebant in *fabuloſam*, *naturalem* & *civilem*. Illa Poetarum, ea Philoſophorum, hæc Principum civitatis erat. Illa notante *Varrone* ad theatrum, ea ad mundum, hæc ad urbem maxime accommodata erat. Illa complectebatur Poetarum de Diis commenta, quæ *Mythologiæ* nomine hodie inſigniuntur; ea Deum exhibebat tanquam cauſam primam rerum contingentium, quæ in mundo hoc aſpectabili obſervantur; hæc ex naturali & fabuloſa compoſita a civibus & Sacerdotibus in urbibus colebatur. Et civilem quidem Theologiam a Politicis facilius coercendæ multitudinis cauſa inventam eſſe, haud obſcure docet *Ariſtoteles* Metaph. lib. 12. c. 8, ubi Theologiam fabuloſam ſeu mythicam & civilem tanquam ſpuriam reicit & ſolam naturalem probat. Per impietatem vero Theologiam naturalem cum civili confundunt athei, dum Theologiam omnem pro figmento Politicorum habent. Ceterum cum civilis gentilium Theologia ſpuria eſſet, nec veri Dei cognitionem traderet; Gentiles ab Apoſtolo athei dicuntur Epheſ. II, 12.

§. 2.

Cur in Theologia naturali requirantur demonſtrationes.

Quæ in theologia naturali traduntur, demonſtranda ſunt. Theologia naturalis ſcientia eſſe debet (§. 1). Quamobrem cum ſcientia ſit habitus demonſtrandi, quod affirmamus, vel negamus (§. 594 *Log.*); quæ in theologia naturali traduntur, utique demonſtranda ſunt.

Hæc ita conſequuntur, ſi ſumamus theologiam naturalem ſcientiam eſſe debere, quemadmodum vulgo ſumitur: num recte ſumatur ex propoſitione ſequente patet, an vero ſumi poſſit, ex ipſa tractatione conſtabit. Nobis enim propoſitum eſt, quæ de Deo recte docentur, teſte Scriptura Sacra, ex principiis rationis demonſtrare, quatenus teſte Apoſtolo Rom. 1. 20, Dei attributa per contemplationem hujus univerſi nobis innoteſcunt.

§. 3.

Cur Theologia naturalis ſcientia eſſe debeat.

Qui Theologiæ naturali ſtudet, certam de Deo acquirit cognitionem. Qui enim theologiæ naturali ſtudet, is quæ de Deo cognoſci poſſunt demonſtrare diſcit (§. 2). Quamobrem cum propoſitio aliqua nobis certa ſit, quam ſive directe, ſive indirecte demonſtrare valemus (§. 568 *Log.*); qui theologiæ naturali ſtudet, certam de Deo cognitionem acquirit.

Patet igitur ratio, cur in definitione theologiæ naturalis ſumatur, eam ſcientiam eſſe debere. Certam enim de Deo cognitionem intendimus: quamobrem cum ſine demonſtratione non perveniatur ad cognitionem certam eorum, quæ ſub ſenſus minime cadunt; quæ de Deo docentur, demonſtranda utique ſunt, conſequenter recte ſumitur theologiam naturalem eſſe ſcientiam (§. 594 *Log.*). Quodſi objicias vulgum demonſtrationes non capere, imo eruditorum plurimos hac in parte non altius ſapere vulgo, conſequenter præſtare ut alia, quam demonſtrativa methodo tractetur theologia naturalis; haud difficilis eſt reſponſio. Theologia enim naturalis non vulgi gratia, ſed eruditorum cauſa traditur. Et, ſi qui inter eruditos aut eos, qui literis operam navant, hebetioris ſunt ingenii, quam ut demonſtrationes capere poſſint; nec ipſi eam ad ſe pertinere exiſtiment. Neceſſe autem eſt ut conſulatur ceteris, qui certum ab incerto diſtinguere valent; ne incertitudine ad atheiſmum ducantur. Ceteris ſatiſfacit cognitio minus exaſciata, qui ſibi certi videntur, cum non ſunt.

§. 4.

In Theologia naturali quænam demonſtranda.

In Theologia naturali demonſtranda exiſtentia Dei: demonſtrandum quoque eſt, quænam ipſi conveniant & quænam per ea fieri poſſe intelligantur. Etenim Theologia naturalis agit de Deo, quem non videmus (§. 1). Quamobrem cum in ea affirmetur, Deum exiſtere, cum alias nulla eſſet Theologia naturalis, niſi exiſteret Deus; exiſtentia Dei demonſtranda eſt (§. 2). *Quod erat unum.*

Cum Deus ſit ens (§. 134 *Ontol.*), neceſſe eſt ipſi conveniant determinationes quædam eſſentiales (§. 142. & 143 *Ontol.*) & attributa (§. 146 *Ontol.*). Quamobrem cum in Theologia naturali doceri debeant ea, quæ Deo conveniunt, & quænam per ea, quæ ipſi inſunt, fieri poſſint (§. 1); in eadem utique demonſtrandum eſt, quænam ipſi conveniant & quænam per ea, quæ ipſi inſunt, fieri poſſe intelligantur. *Quod erat alterum.*

Atque adeo patet, definitione noſtra Theologiæ naturalis comprehendi ea, quæ in eadem doceri debent, ut adeo verendum non ſit, ne eidem inſiſtendo condamus Theologiam naturalem, in qua deſiderantur, quæ apprime in eadem tradenda. Etenim vi ejuſdem agendum erit de exiſtentia & attributis divinis atque de dependentia rerum finitarum contingenter exiſtentium ab eodem, conſequenter de creatione & conſervatione hujus univerſi. Ea vero ſunt, de quibus in Theologia naturali agitur. Equidem communiter in eadem quoque de cultu Dei traduntur, quæ beneficio rationis de eodem cognoſcuntur. Quoniam

tamen

tamen de eodem agemus, quando in Jure naturæ officia hominis erga Deum demonſtraturi ſumus; argumentum hoc in eadem non attingemus.

§. 5.

Cur definitio Dei nominalis in Theologia naturali ſumenda.

In Theologia naturali ſupponenda eſt aliqua definitio Dei nominalis. In ea enim demonſtranda eſt exiſtentia Dei (§. 4). Enimvero ſi demonſtrare volueris, Deum exiſtere, neceſſe eſt ut ſupponas, quidnam hoc vocabulo indigitari velis. Demonſtrans nimirum exiſtentiam Dei oſtendis, exiſtere iſtiuſmodi ens, quale Deum vocas. Ubi vero ſumis, quidnam per vocabulum Dei intelligi velis, etſi per ea, quæ ſumis, non appareat, ens iſtiuſmodi eſſe poſſibile, definitionem nominalem condis (§. 191 *Log.*). Quamobrem exiſtentiam Dei demonſtraturus, conſequenter in Theologia naturali, definitionem quandam Dei nominalem ſupponere debes.

Definitiones nominales Dei plures formari poſſunt, adeoque in arbitrio noſtro poſitum eſt, quamnam eligere velimus. Non tamen perinde eſt, quamnam eligamus, cum pro diverſitate definitionis nominalis diverſa prodeat exiſtentiæ divinæ demonſtratio: demonſtrandum enim ens iſtiuſmodi exiſtere, quale Deum vocas. Definitio itaque nominalis ea ſeligenda, qualem requirit demonſtratio, quam dare decrevisti. Qui in Geometria ſublimiori verſati methodi leges ipſo uſu perſpexere; nihil hic affirmari norunt, quod quid inſoliti habeat. Dabimus autem poſthac ipſimet oculatam fidem.

§. 6.

Unde attributa divina deducenda.

Ex definitione nominali, qua utimur ad demonſtrandam exiſtentiam Dei, deducenda quoque ſunt ipſius attributa. Ponamus aliquem in demonſtranda exiſtentia Dei hac uti definitione, quod ſit ens, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ contingentis hujus univerſi, ſeu, quod eodem redit, qui eſt cauſa efficiens ſufficiens mundi hujus aſpectabilis, aut, ſi mavis, quod creavit cælum & terram. Ubi demonſtraveris Deum exiſtere; non aliud demonſtraſti, quam exiſtere aliquod ens, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ contingentis hujus univerſi, ſeu quod cælum & terram creaverit. Quamobrem cum de Deo, quem exiſtere eviciſti, non aliud conſtet, quam quod de eo ſumſiſti, & quod inſtar determinationum eſſentialium conſideras (§. 142. 143 *Ontol.*); eidem quoque tribuere nequis, niſi quod vi hujus definitionis, veluti in noſtro caſu ideo, quod rationem ſufficientem exiſtentiæ contingentis univerſi in ſe continet, ſeu quod cælum & terram creavit, eidem convenire intelligitur, conſequenter cujus ratio ſufficiens in definitione iſta continetur (§. 56 *Ontol.*). Ex definitione itaque nominali, quæ in gratiam demonſtrandæ exiſtentiæ divinæ ſumitur, deducenda quoque ſunt ipſius attributa ſeu cetera, quæ eidem conveniunt.

Qui elementa Geometriæ primis labris deguſtarunt, abunde perſpiciunt, fieri debere quod hic præcipitur, ubi certam de Deo cognitionem naturalem habere volueris. Etenim ſi quadratum definis, quod ſit figura quadrilatera, æquilatera, rectangula; quæcunque eidem convenire demonſtras, ea ideo ipſi convenire oſtendis, quod habeat quatuor latera, quod latera ſint æqualia, quod anguli ſint recti. Ita ſi in Conicis parabolam definis per curvam, in qua rectangulum ſub latere recto & abſciſſa æquale eſt quadrato ſemiordinatæ; quæ parabolæ convenire demonſtras, ea ipſi ideo tribuenda eſſe oſtendis, quod rectangulum iſtud quadrato ſemiordinatæ æquale ſit. Imo per rerum naturam aliter id fieri nequit. Pone

Digitized by Google

enim te Dei exiſtentiam demonſtraſſe ſuppoſita hac definitione nomioali, quod ſit mundi hujus aſpectabilis, ſeu cæli terræque creator, attributa vero derivate ex eo, quod ſit ens abſolute perfectiſſimum. Non ante conſtabit, attributa, quæ Deo tribuis, eidem convenire, qnam ubi oſtenderis, ens iſtud, quod cælum creavit atque terram creavit, eſſe abſolute perfectiſſimum. Quando vero perfectionem ſummam ex definitione nomiuali, quam io demonſtranda exiſtentia Dei ſupponebas, deduaiſti; quæ inde porro concluduntur, ea non minus ex eadem definitione fluunt. Tribuuntur enim Deo, quia ſumma ipſi convenit perfectio. Perfectio ſumma ipſi tribuitur, quia eſt cæli terræque creator. Quæ igitnr eidem tribuuntur ob perfectionem ſummam, ea ipſi tribuuntur ideo, qnod cæli terræqne conditor ſit. Quamdiu igitur non eviceris ſummam perfectionem convenire creatori hujus univerſi; tamdiu nec patet Deo convenire ea attributa, quæ vi perfectionis ſummæ eidem vindicas, nec ex adverſo patet exiſtere aliquod ens, cui iſta attributa tribuenda veniunt. Apparet adeo quam ſit neceſſe, nt cum definitione nominali Dei, quam demonſtrandæ exiſtentiæ ipſius ſnbſternis, connectantnr attributa ipſius, imo ea omnia, quæ de Deo demonſtrare intendis. Hinc vero ſimul intelligitur, quanta imperfectione laborent ſyſtemata Theologiæ naturalis, in quibus iſte attributorum divinorum cum definitione nominali, quæ in demonſtratione exiſtentiæ ipſius ſnpponitur, nexus deſideratur, & cur impoſſibile ſit ut ſatisfaciant iis, qui certum ab incerto diſcernere demonſtrationis uſu didicere.

§. 7.

Qualis eſſe debeat definitio Dei nominalis.

Definitionem nominalem, quæ exiſtentiæ divinæ demonſtrandæ ſubſternitur, non plura ingredi debent, quam quæ deducendis inde attributis ejuſdem conveniunt. Ex definitione enim nominali, qua uteris ad demonſtrandam exiſtentiam Dei, deducenda ſunt ejus attributa (§. 6). Quamobrem cum non alio fine condatur, quam ut inde attributa divina deducas (§. 562 *Log.*); nec plura eam ingredi debent, quam quæ his inde deducendis ſufficiunt.

Non eſt, quod excipias, ubi demonſtranda exiſtentia Dei, demonſtrandum eſſe exiſtentiam illius entis, quod Dei nomine indigitant omnes. Etenim nbi demonſtraſti exiſtere iſtiuſmodi ens, cui ea inſunt, quæ in definitione nominali de Deo ſumuntnr, & poſtea oſtendis eidem enti ob ea, quæ in definitione iſta eidem tribuuntur, convenire alia quoque attributa; hoc ipſo evidens eſt exiſtere aliquod ens, cni conveniunt omnia iſta attributa, quæ ex definitione nominali deduximus, conſequenter exiſtere Deum, qualem Scripturæ Sacræ teſtimonio convicti credimus Chriſtiani. Definitionem adeo Dei nominalem in ſyſtemate Theologiæ naturalis aſſumtam nemo reprehendere poteſt, niſi oſtendere poſſit ea, quæ de Deo in eadem ſnmuntur, non ſufficere attributis, quæ eidem tribui ſolent, inde dedncendis: quod ubi acciderit, in leges methodi impegiſſe dicendus eſt auctor, nullo autem pacto alienjus impietatis ideo accuſari poteſt. Si quis vero poſtulet, nt definitioni Dei nominali plura ingerantur, quam quæ attributis divinis inde colligendis ſufficiunt, is præcipit quæ methodo demonſtrativæ adverſantur & certæ cognitioni contraria ſnnt. Audiendus igitur non eſt. Quænam vero ad hoc ſufficiant, ut attributa divina ex definitione nominali deducere poſſis; ipſo opere experimur, ubi Theologiam naturalem methodo demonſtrativa adornamus, & ceteri perſpiciunt, ubi animum advertunt ad modnm, quo Deo attributa convenientia vindicantur. Ceterum quod præſens propoſitio urget, ſingulare non eſt, ſed ad communes methodi demonſtrativæ regulas referendum (§. 73n. 836 *Log.*).

§. 8.

Qualia principia in Theologia naturali ſint aſſumenda.

In Theologia naturali non aſſumenda ſunt principia demonſtrandi, niſi quæ vel experientia, vel demonſtratione nituntur, aut in numerum definitionum nominalium referuntur. In Theologia enim naturali nil affirmandum, nil negandum, niſi quod demonſtrari poſſit (§. 4), ut nimirum certa ſit Dei cognitio (§. 568 *Log.*), conſequenter agnoſcamus vera eſſe, quæ de Deo docentur (§. 564 *Log.*). Enimvero in numerum principiorum demonſtrandi non aſſumuntur niſi definitiones nominales, experientiæ indubitatæ, axiomata &

propo-

propoſitiones jam demonſtratæ *§. 562 Log.)*. Ergo nec in Theologia naturali præter definitiones nominales aſſumi poſſunt principia alia, niſi quæ vel experientia indubitata, vel demonſtratione nituntur.

Hæc & alia, quæ ad methodum ſpectant, non alio fine in Prolegomenis præmittuntur, quam ut caveamus, ne judicium præcipitando reprehendant methodi ignari, quod laudare debebant: imo ne zelo ignorantiæ ſocio damnent & in impietatem vertant, quod cognitionem Dei extra omnem dubitationis aleam ponit. Talia enim fieri poſſe utinam ne doceret experientia! Ceterum probe notandum eſt non ſufficere, ut aſſumantur quæ vera ſunt; ſed nos certos quoque eſſe debere, quod ſint vera. Certitudo autem illa vel a poſteriori eſt, vel a priori. Quamobrem non alia admittimus principia, niſi quæ vel experientia indubitata, vel demonſtratione nituntur, ubi a definitionibus nominalibus diſceſſeris, quas eſſe arbitrarias nemo non novit. E. gr. verum eſt, dari ordinantem, ubi datur ordo, ſi principium hoc intelligatur de ordine contingente, non autem de neceſſario. Nolim tamen hoc aſſumi abſque demonſtratione, ne exceptionibus obnoxia ſint, quæ præcaveri poterant, ubi cum eo nobis negotium fuerit, qui vel negat eſſe Deum, vel dubitat num ſit Deus, & ut ſatisfiat illis, qui nonniſi evidentia ad aſſenſum compelluntur. Similiter verum eſt dari ordinem in hoc univerſo & ordinem in univerſo eſſe contingentem. Nolim tamen hæc ſine probatione ſumi; ſed demonſtrandum utrumque eſt, ex eadem, quam modo dixi, cauſa. Quamobrem non probo, ſi quis argumentatus:

Ubi datur ordo, ibi datur ordinans.
Atqui in univerſo datur ordo.
Ergo datur ordinans, hoc eſt, Deus.

ſibi videtur exiſtentiam Dei demonſtraſſe. Deficit argumentatio non modo in eo, quod aſſumantur, quæ nec ſatis determinate enuntiantur, nec probantur, cum tamen per ſe evidentia non ſint; verum etiam quod per ſaltum ab ordinante in univerſo concludatur ad Deum eo ſenſu, quo ipſi conveniunt attributa in Scriptura Sacra eidem tributa. Supponitur enim hic definitio nominalis, nos vocabulo Dei indigitare auctorem ordinis in univerſo. Enimvero probandum eſt, auctori ordinis in univerſo convenire illa attributa, quæ Deo in Scriptura Sacra tribuuntur. Sed quam ſit difficile, ut hiſce ſingulis ſatisfacias, alibi jam oſtendimus, quando nimirum methodum demonſtrandi exiſtentiam Dei ex ordine naturæ in Horis Subſecivis A. 1730. trim. autumn. n. III. p. 640 & ſeqq. contemplaremur.

§. 9.

In Theologia revelata ſeu ſupernaturali non opus eſt, ut, quæ de Deo docentur, ex definitione aliqua nominali deducantur. Theologia enim revelata nititur hoc principio: Quicquid Scriptura Sacra de Deo affirmat, illud ipſi convenit, adeoque omnis certitudo reſolvitur in auctoritatem Dei dicentis, qui nec ipſe falli potuit, nec fallere poteſt alios (§. 615 *Log*). Quamobrem ibidem ſufficit oſtendere, quod talia attributa enti illi, quod Deum vocat, tribuit Scriptura Sacra, & explicandus eſt ſignificatus vocabulorum, quibus illa indigitantur, atque demonſtrandum, ſignificatum iiſdem tribui ex mente loquentis (§. 969 *Log.*): quo facto cum certi ſimus, enti huic, quod Dei nomine inſignitur in Scriptura Sacra, convenire talia attributa, & intelligamus, qualia iſta attributa ſint, non opus eſt ut demonſtretur, attributa iſta ſimul eidem enti tribui poſſe, conſequenter ut omnia ex aliquo aſſumto, adeoque ex definitione aliqua nominali, deducantur.

Differentia Theologiæ naturalis & revelatæ quoad methodum.

Hæc differentia, quæ inter Theologiam naturalem & revelatam intercedit, probe notanda, ne, quod in Theologia revelata ſuccedere certi ſumus, idem quoque in naturali fieri poſſe exiſtimemus. Alia longe eſt ratio eorum, quæ credimus; alia vero, quæ ſcimus. In philoſophia certi non ſumus, enti alicui prædicata quædam ſimul convenire, niſi quæ iiſdem indigitantur vel in eodem ſingula obſervamus, vel ex eo, quod de eodem aſſumimus, conſequenter ex aliqua definitione nominali, omnia ſimul deducamus. Jam cum Deus inviſibilis

per

per eſſentiam ſuam in ſenſum non incurrat, nec attributa ejus obſervari poſſunt. Deducenda igitur ſunt ex primo quodam aſſumto, per quod vocabuli *Deus* ſignificatum explicamus, hoc eſt, ex definitione nominali: quo facto demum conſtat, omnia illa prædicata, quæ Deo tribuimus, eidem enti convenire poſſe. Quamvis autem negari minime queat, certam de Deo cognitionem ex Theologia revelata hauriri poſſe, etiamſi vocabulo Dei denotari ens tibi prorſus ignotum ſumas, ubi ad eam accedis, nec in eadem, quæ Deo tribuuntur, inter ſe connectantur, ut perſpiciamus, quæ eidem tribuuntur, omnia eidem enti convenire poſſe; nil tamen obſtat, quominus, quæ de Deo in Scriptura Sacra docentur, etiam inter ſe & cum prima quadam notione, quæ definitionis nominalis loco eſt, connectantur, quemadmodum jam alias docuimus (*§. 979 Log.*). Imo connexio attributorum divinorum inter ſe & cum prima quadam notione ipſa præeunte & facem præferente Scriptura Sacra fieri poterat, quatenus ſcilicet ex eadem Scripturam per Scripturam explicando eruuntur rationes, cur Deus ſibi tribuat hæc prædicata, quales erui poſſe pro comperto habemus: cum enim per eas pateat, quomodo per unum eorum, quæ Deo inſunt, intelligatur cur inſit alterum, quæ Deo in Scriptura Sacra tribuuntur, a gnaro methodi haud difficulter deinde ſingula eo ordine diſponuntur, quo unum eorum, quæ in Deo ſunt, noſtro concipiendi modo a ſe invicem dependent. Neque inutile eſt eorum, quæ Deo tribuit Scriptura Sacra, nexum ex ipſa Scriptura Sacra deducere. Ita enim patet revelationis & rationis conſenſus, quo & auctoritas Scripturæ Sacræ haud leve accipit pondus penes eos, qui eam in dubium vocant, & veritas Theologiæ naturalis haud parum firmatur penes ceteros.

§. 101

Cur in Theologia naturali exiſtentia Dei non ſit pluribus argumentis probanda.

In Theologia naturali nec opus eſt, nec fieri commode poteſt, ut exiſtentiam Dei pluribus argumentis evincas; ſed unum ſufficit. In Theologia enim naturali ex definitione nominali, qua utimur ad demonſtrandam exiſtentiam Dei, deducenda quoque ſunt ipſius attributa (§. 6). Quamobrem cum diverſi modi demonſtrandi exiſtentiam Dei diverſas ſupponant definitiones nominales; ſi exiſtentiam Dei pluribus argumentis demonſtrare volueris, ejus quoque attributa ex pluribus definitionibus nominalibus deducenda erunt, aut demonſtrandum, ens illud, quod per plures definitiones nominales indigitatur, eſſe unum idemque, quatenus ex eo, quod in una definitione ſumitur, deducitur quod ſumitur in altera. Quamobrem aut plures condendæ erunt Theologiæ naturales, in quibus idem traditur diverſo modo, aut una reduci debet ad alteram, ita ut partem quandam nanciſcantur communem, ne labor inutilis in eodem bis, ter, quaterve addiſcendo multiplicetur. Pluribus adeo argumentis in Theologia naturali exiſtentia Dei commode demonſtrari nequit. *Quod erat unum.*

Quodſi unico argumento demonſtraveris exiſtentiam Dei & ex eadem definitione nominali, qua uteris in demonſtranda exiſtentia, cetera quoque deduxeris, quæ eidem conveniunt (§. 6); utique certus es, Deum exiſtere & ipſi convenire ea omnia, quæ ex definitione nominali aſſumta deduxiſti (*§. 568 Log.*), conſequenter agnoſcis verum eſſe, quod exiſtat Deus & quod talia ipſi prædicata conveniant (*§. 564 Log.*). Quamobrem cum Theologiam naturalem alio fine non addiſcamus, quam ut agnoſcamus verum eſſe, quod exiſtat Deus & quod talia de ipſo ſint affirmanda; argumentum unum ad demonſtrandam exiſtentiam Dei ſufficit. *Quod erat ſecundum.*

Pone denique exiſtentiam Dei pluribus argumentis demonſtrari, & demonſtrationes omnes eſſe legitimas; ſingulis argumentis certus evadis exi-

ſtere

ſtere Deum & talia de ipſo prædicanda eſſe (§. 568 *Log.*), conſequenter dum ſecundo, tertio, quarto uteris argumento, id verum eſſe agnoſcis, quod verum eſſe jam noſti (§. 564 *Log.*). Quamobrem cum non opus ſit, ut doceatis verum eſſe, quod verum eſſe jam agnoſcis: nec firmior ſit aſſenſus, qui pluribus demonſtrationibus nititur, quam qui ab una pendet, quia aſſenſus per demonſtrationem extortus integer eſt, nihil ancipitis amplius admittens, ſeu omnem oppoſiti formidinem excludens, quemadmodum ex modo demonſtratis *n.* 2. intelligitur; pluribus argumentis demonſtrandi exiſtentiam Dei in Theologia naturali opus non eſt. *Quod erat tertium.*

Qui plus præſidii in pluribus argumentis, quam in uno poſitum eſſe exiſtimant, probabilia cum demonſtrativis confundunt. Rationes enim probabiles plures ſimul fortius ſubinde ſtimulare poſſunt aſſenſum, quam una; demonſtrationes autem plures non magis convincunt, quam una. Rationes imbecilles non majus acquirunt robur, ubi conjunguntur, ita ut tandem vi demonſtrationis non cedant, quemadmodum ſibi perſuadent, qui multitudine argumentorum delectantur vim demonſtrationum nunquam in ſe ipſis experti. Præſtat uno argumento uti, quod vi aſſenſum extorquere valet, quam multa imbecilla congerere, quæ per ſe ad convincendum invalida ſunt.

§. 11.

Theologia naturalis principia ex Ontologia, Coſmologia & Pſychologia petit. Etenim in Theologia naturali demonſtranda ſunt, quæ de Deo docentur (§. 2). Quoniam itaque methodo demonſtrativa tradenda, ex Ontologia Coſmologia & Pſychologia principia petere debet (§. 96 *Diſc. prælim.*). *Principia Theologiæ naturalis.*

Cur in Theologia naturali ex Ontologia, Coſmologia & Pſychologia principia peti debeant demonſtrandi, in Diſcurſu præliminari, quem Logicæ præmiſimus, jam docuimus: alibi adeo jam dicta denuo repetere nolumus, præſertim cum eorum, quæ in hiſce Prolegomenis monemus, fidem oculatam daturi ſimus in ipſa tractatione. Citationes abunde loquentur, quot & quænam principia ex ſingulis iſtis diſciplinis ſumenda ſint. Nec alia de cauſa Theologiam naturalem poſt Ontologiam, Coſmologiam & Pſychologiam tractamus, quam quod illarum auxilio in Theologia naturali indigeamus. Propoſitionis vero præſentis uſus hic eſt, ut Ontologiæ, Coſmologiæ ac Pſychologiæ ſtudeamus, antequam ad Theologiam naturalem accedamus: niſi enim principia, quibus in demonſtrando utimur, familiaria experiamur, vim demonſtrationis, qua aſſenſus extorquendus, non percipimus, imo multa ne quidem ſatis intelligimus.

§. 12.

Per Theologiam naturalem optime refutantur athei & erroris ſui redarguuntur. Negant enim athei dari Deum, qualem nimirum Chriſtiani veneramur: ſit enim quod vocabulo Dei primam rerum cauſam indigitent, quam aliis prorſus attributis, quam divinis indutam comminiſcuntur. Enimvero in Theologia naturali demonſtratur exiſtentia Dei, demonſtrantur quoque quæ ipſi conveniunt attributa (§. 4). Quamobrem cum propoſitionem veram demonſtrando contraria refutetur (§. 1035 *Log.*); per theologiam naturalem, ſi nimirum methodo demonſtrativa traditur, athei optime refutantur. *Theologiæ naturalis uſus in refutãdis atheis.*

Idem etiam hoc modo oſtenditur. Atheus negat dari Deum, negat Deo convenire attributa, quæ auctoritate Scripturæ Sacræ permoti Deo tribuimus. In Theologia naturali demonſtramus Deum exiſtere, demonſtramus attributa, quæ ei conveniunt (§. 4), & patebit ex ipſa tractatione ea non eſſe alia, quam quæ Scriptura Sacra Deo tribuit. Quamobrem ex ea diſcimus,

mus, quomodo atheus convincendus exiſtentiæ & attributorum divinorum (§.998 *Log.*), conſequenter quomodo efficiamus, ut ipſi certum ſit, Deum exiſtere & ea ipſi convenire attributa, quæ ipſi tribuuntur(§.982 *Log.*), adeoque falſum eſſe agnoſcat Deum non exiſtere, nec ipſi convenire attributa, quæ eidem tribuuntur(§.564 *Log.*). Erroris igitur ſui per Theologiam naturalem, ſi demonſtrativa tractetur methodo, redarguitur atheus(§.623 *Log.*).

Uſum hunc Theologiæ naturalis nemo non agnoſcit. Abſonum vero eſt, ſi qui contendunt, Theologiam naturalem hunc uſum amittere, ubi demonſtrativa tractetur methodo, cum nonniſi ex accidente eidem conveniat, quando diverſa ab hac methodo tractatur, ut ſcilicet probationes ſufficienter non evolvantur, nec quæ de Deo traduntur inter ſe connectantur. Quando vero quis probationi non prorſus evidenti cedit, ejus parum firmus eſt aſſenſus: fieri enim poteſt ut objectionibus in dubitationem adducatur, qui extra omnem dubitationis aleam ſe jam poſitum eſſe ſibi videbatur.

§. 13.

Notiones eorũ, quæ de Deo in Theologia naturali docẽtur, quales ſint.

In Theologia naturali tradendæ ſunt notiones diſtinctæ eorum, quæ de Deo docentur. Etenim in Theologia naturali demonſtrandum eſt, quod Deo convenit, & quod per ea, quæ ipſi inſunt, fieri poſſe intelligitur. Ponamus itaque demonſtrandum eſſe, quod Deus ſit ſapientiſſimus, ſeu quod ipſi conveniat ſapientia perfectiſſima. Quoniam Deo tribuis ſapientiam perfectiſſimam, quia ipſi ea ineſſe demonſtrare vales, quæ ad ſapientiam perfectiſſimam requiruntur (§. 349 *Log.*); neceſſe eſt ut ſingulas, quæ notionem ſapientiæ perfectiſſimæ ingrediuntur, notas recenſeas (§.79 *Log.*). Sapientiam igitur perfectiſſimam notione diſtincta explicare teneris (§. 88 *Log.*). Et idem eodem modo patet de attributo, imo in genere de prædicato quocunque alio.

Nimirum in iis, quæ experientiæ fide admittuntur, ſubjecto tribuere poſſumus, quod notione diſtincta explicare minime valemus. Ita iridi tribuimus colores, quibus eam ſuperbire obſervamus, etſi nullius eorum notionem diſtinctam habeamus. Saccharo tribuimus dulcedinem, utut, quid ſit dulcedo, diſtincte alteri explicare minime valeamus. Enimvero ſi demonſtrandum eſſet, iridi hos, quibus ſuperbit, non alios colores tribuendos eſſe & ſaccharo dulcedinem convenire; nemo non, qui quid ſit demonſtratio novit, ultro largitur, demonſtrationem ante dari non poſſe, quam in caſu priore notiones diſtinctas colorum, in poſteriori dulcedinis habueris. Quamobrem cum in Theologia naturali vi demonſtrationis Deo vindicentur, quæ ipſi conveniunt; quin eorum quoque notiones diſtinctas habere debeamus, niſi inanem in demonſtrando operam conſumere velimus, vel exemplorum inductione admittere tenetur, qui rationes perſpicere nequit. Et in ſequentibus palam fiet, nihil a nobis affirmari, quod non diſtincta notione explicetur, ut & intelligi, & cum altero communicari poſſit.

§. 14.

Quo ſenſu accipienda vocabula in Theologia naturali.

In Theologia naturali vocabula, quibus ſignificantur ea, quæ Deo tribuuntur, ſumenda ſunt in ſignificatu recepto. Etenim in omni philoſophia a recepto ſignificatu verborum recedendum non eſt (§.142 *Diſc. prælim.*), nec termini philoſophici ſemel recepti ſunt immutandi (§. 147 *Diſc. prælim.*). Quamobrem cum Theologia naturalis philoſophiæ pars ſit (§. 57 *Diſc. prælim.*); vocabula, quibus ſignificantur ea, quæ Deo tribuuntur, ſive communia fuerint, ſive in numero terminorum philoſophicorum repetiantur, in ſignificatu recepto ſumenda.

Cur

Cur hoc in ſpecie de Theologia naturali urgeamus, quod jam generaliter de omni philoſophia evicimus, rationes ſpeciales ſubſunt. Pauciſſimi enim ſunt, qui diverſimode enunciata eadem eſſe poſſe intelligunt & nullo non tempore mataeologorum proprium fuit verba philoſophorum in alienum eumque perverſum ſenſum vertere, ut errores noxios per fallaces conſequentias inde inferre atque ipſis imputare poſſint. Philoſophi igitur eſt, ut caveat ne ſignificatus vocabulorum immutatione argumentum ab invidia ducendi anſam ſuppeditet conſequentiariis.

§. 15.

In Theologia naturali ſignificatus vocabulorum, quibus attributa divina & operationes in Scriptura Sacra indigitantur, is retineri debet, quem in hac habent. Etenim Theologia naturalis inſervire debet convincendis atheis, dari iſtiuſmodi ens, quale Scriptura Sacra Dei nomine inſignit (§. 12). In eadem vero exiſtentia & attributa divina una cum operationibus ejuſdem demonſtranda ſunt (§. 4). Quamobrem ut palam ſit, non alia de Deo demonſtrari in Theologia naturali, quam quae Scriptura Sacra de eodem docet; neceſſe eſt vocabulis, quibus attributa divina & operationes ejuſdem indigitantur, non alium tribui ſignificatum, quam qui in Scriptura Sacra ipſis tribuitur. Retinendus adeo eſt is, quem in Scriptura habent.

Cur ſignificatus, quem habent in Sacra Scriptura retinendus.

Idem etiam ſic oſtenditur. Quando inter nos de Deo ſermo incidit, non aliud ens intelligitur, quam quod Scriptura Sacra hoc nomine inſignit. Quamobrem quando quaeritur, num Deus etiam lumine rationis agnoſci poſſit, & ut affirmativa evincatur, Theologia naturalis conditur (§. 1. 4); in ea demonſtrandum eſt, exiſtere iſtiuſmodi ens, quale Deum appellat Scriptura Sacra, conſequenter cui iſta conveniant attributa, iſtae operationes, quae Deo in Scriptura Sacra tribuuntur. Ne igitur in verbis ſit diſſenſus & hoc non obſtante conſenſus in re demum prolixis ambagibus ſit evincendus; neceſſe omnino eſt, ut vocabulis, quibus attributa divina & cetera Deo in Scriptura Sacra tributa inſigniuntur, non alius tribuatur ſignificatus, quam quem in Scriptura Sacra habent.

Ut conſenſus Theologiae naturalis cum Scriptura Sacra manifeſtior evadat, nos in ipſa tractatione vocabulis ſingulis vindicabimus ſignificatum, quem ipſis tribuit Scriptura Sacra & ejus identitatem cum noſtro, ſi non ſtatim appareat, demonſtrabimus. Sunt enim plures, qui cum verbis Scripturae notiones parum diſtinctas, nec ſatis determinatas jungunt, quibus hoc pacto conſulere noſtrum eſſe judicamus.

§. 16.

Quoniam verba, quibus in Scriptura Sacra indigitantur attributa divina, non definiuntur, in ſignificatu communi quin ſumantur dubitandum non eſt (§. 971 *Log.*). Quamobrem *ſi in Theologia naturali ſignificatus vocabulorum, quibus attributa divina una cum operationibus ejus indigitantur, retinetur, quem in ea habent; vocabula eadem ſumuntur in ſignificatu recepto.*

Qualis ſit ſignificatus vocabulorū iſtorum in Sacra Scriptura.

Atque ita patet, non praecipi quae ſibi mutuo repugnant, dum in Theologia vocabulorum, quibus, quae Deo conveniunt, ſignificantur, & ſignificatum receptum, & in Scriptura Sacra obvium urgemus.

§. 17.

Theologia naturalis explet ſciendi deſiderium.

Theologia naturalis exſatiat animum ſciendi cupidum. Etenim contingentia in mundo non habent rationem ſufficientem actualitatis ſuæ in ſerie ſucceſſivorum, ſed in ente alio extra ſeriem iſtam conſtituto, eoque neceſſario (§.90 *Coſmol.*). Quamobrem cum in Theologia naturali demonſtretur, ens iſtud eſſe Deum, & per ea, quæ Deo inſunt, reddatur ratio ultima illius actualitatis; animi vero ſciendi cupidi deſiderium tum expleatur, ubi rationem ſufficientem fuerit aſſecutus, ut non ſuperſit amplius, quod quæras: per Theologiam naturalem animus ſciendi cupidus exſatiatur.

Ex ipſa tractatione veritas propoſitionis præſentis multo magis patebit. Videbimus enim attributa divina eſſe rationes ultimas omnium eorum, quæ ſunt. Quamobrem cum intellectui non ante fuerit ſatisfactum, quam ubi ultimas rationes fuerit aſſecutus; abſque Theologia naturali ut ſciendi deſiderium expleatur fieri minime poteſt. Atque hinc in philoſophia practica aliquando oſtenſuri ſumus, quod Theologia naturalis plurimum conferat ad perfectionem intellectus humani.

§. 18.

Ejus utilitas in divinitate Sacræ Scripturæ evincenda.

Theologia naturalis inſervit divinitati Sacræ Scripturæ evincendæ. Etenim in Theologia naturali demonſtratur, Deum exiſtere; demonſtratur quoque, hæc ipſi convenire attributa & has per ea concipi operationes divinas (§.4). Quamobrem cum in Theologia naturali vocabulis, quibus attributa & operationes divinæ indigitantur, eundem tribuamus ſignificatum, quem in Scriptura Sacra habent (§.15); ex ea abſque ulla difficultate intelligitur, in Theologia naturali eadem demonſtrari de Deo, quæ de eodem docet Scriptura Sacra, conſequenter homo ſolis naturæ viribus adjutus agnoſcit vera eſſe, quæ de Deo tradit Scriptura Sacra (§. 544 *Log.*). Quamobrem cum in ipſa Theologia naturali demonſtretur conſenſum hunc Theologiæ naturalis cum Scriptura Sacra eſſe aliquod requiſitum divinæ revelationis; per eundem probabilis fit Scripturæ Sacræ divinitas (§. 578 *Log.*). Præterea ubi de voluntate divina agimus in Theologia naturali, præter hoc requiſitum divinæ revelationis traduntur adhuc alia abſque iis, quæ in Theologia naturali docentur, nec intelligenda, quantum ſufficit, nec rite applicanda. Quoniam itaque divinitas Scripturæ Sacræ evincitur, dum probatur ei convenire requiſita divinæ revelationis; Theologia naturalis eidem evincendæ inſervit.

Vel hoc nomine Theologia naturalis negligenda non eſt a Chriſtianis, etſi omnia, quæ in eadem demonſtrantur, leviori opera ex Scriptura Sacra addiſcantur. Etenim non modo aliis, qui Scripturæ Sacræ divinitatem vel impugnant, vel in dubium vocant, eandem probare tenemur, verum etiam ubi nobiſmetipſis ſubinde ſcrupuli injiciuntur eos animo eximere debemus. Huic autem ſcopo Theologia naturalis inſervit, quatenus divinitatis Scripturæ Sacræ evincendæ modum & principia tradit.

§. 19.

Manuductio ad Theologiam revelatam.

Quoniam *Theologia naturalis* divinitati Scripturæ Sacræ evincendæ inſervit (§.18), in Scriptura Sacra vero traduntur, quæ ad Theologiam revelatam ſpectant; *ad Theologiam revelatam nos manuducit.*

Ad evincendam divinitatem Scripturæ Sacræ non ſufficit ſolus conſenſus Theologiæ naturalis cum eadem; quemadmodum ex iis intelligitur, quæ ad veritatem propoſitionis præcedentis

Digitized by Google

dentis adſtruendam in medium adduximus. Quemobrem nec conſenſus iſte ſolus animadverſus nos ad Theologiam revelatam manuducit, &, ubi quoſdam manuducit, id nonniſi ex accidente eſt. Inde enim eſt, quod qui Naturaliſtæ vocantur, ita ſtudeant Theologiæ naturali, ut revelatam prorſus contemnant, aut ſaltem inſuper habeant. Notandum vero communiter in Theologia naturali non doceri criteria revelationis divinæ, ut adeo præter ejus cum Scriptura Sacra conſenſum, qui ſua ſeſe ſponte tradit, non doceantur alia. Hunc igitur defectum nos ſupplevimus, ne Theologiam naturalem uſu quodam, quem habere poterat, eoque admodum præclaro, privaremus. Ceterum hinc Theologiæ naturalis addiſcendæ neceſſitatem perſpiciunt, qui revelatæ operam navant.

§. 20.

Theologia naturalis Naturaliſtis confutandis inſervit. Naturaliſtæ enim ſunt, qui Theologia naturali contenti revelatam vel rejiciunt, vel ſaltem cognitu minus neceſſariam judicant. Enimvero inter criteria revelationis divinæ in Theologia naturali referemus, quod objectum ipſius cognitu neceſſarium & attributis divinis conforme eſſe debeat. Quamobrem eadem ſuppeditat principia, quibus ad Scripturam Sacram applicatis, evincitur Theologiæ revelatæ neceſſitas atque veritas. Naturaliſtis itaque confutandis inſervit.

Quomodo Naturaliſtis confutandis inſerviat.

Non eſt quod objicias, proſtare exempla in contrarium, quæ apertiſſime loquantur, dari Naturaliſtas magno numero, ubi Theologia naturalis maxime excolitur, ita ut non deſint qui hinc ſibi aliique perſuadere conantur, Theologiam naturalem in præjudicium revelatæ excoli. Enimvero id non vitio diſciplinæ, ſed auctorum fieri ſolet, qui in Theologia naturali negligunt principia, quibus revelatæ neceſſitas evincitur. Quamobrem nos defectum hunc ſuppleturi non modo criteria revelationis divinæ, ſed alia quoque inſeruimus principia, quibus ad Theologiæ revelatæ neceſſitatem comprobandam habemus opus, & unde in philoſophia practica principia propiora deducuntur, quibus in ea ſtabilienda opus habemus. Accedit quod ad Naturaliſtas, quos Theologiæ naturalis ſtudium a revelata alienare videtur, in viam reducendos conducat, ſi in hac tradenda quoad methodum obſerventur, quæ de eadem monuimus, cum uſum Logicæ in interpretanda Scriptura Sacra exponeremus (§. 979 & ſeqq. *Log.*), & applicato criterio de veritatum revelatarum cum attributis divinis conſenſu ratio convenientiæ ex Theologiæ naturalis principiis reddatur, utut ex iiſdem demonſtrari minime poſſint.

§. 21.

Theologia naturalis principia tradit Juri naturali. In Jure enim naturali traditur diſcrimen actionum bonarum atque malarum (§.68 *Diſc. Prælim.*). In actionum bonarum numero etiam ſunt officia erga Deum, quæ ſine principiis Theologiæ naturalis cognoſci minime poſſe vel exinde intelligitur, quod ratio eorum deſumenda ſit ex iis, quæ Deo conveniunt. Præterea in Jure naturali evincendum eſt, Deum nos obligare ad actiones eas committendas vel omittendas, quæ ſunt juris naturalis: id quod abſque principiis Theologiæ naturalis fieri minime poſſe intelligitur. Apparet itaque Theologiam naturalem principia tradere Juri naturali.

Uſus Theologiæ naturalis in Jure naturali.

Quando Jus naturale tradituri ſumus, ſatis ſuperque patebit, quoties ad Theologiam naturalem nobis ſit recurrendum. Inprimis autem tenendum eſt, quod in philoſophia morali oſtenſuri ſumus, officia erga Deum in omnes omnino actiones liberas influere, quas eſſe bonas in Jure naturali demonſtraturi ſumus, & omnem omnino virtutem ad gradum ſubliniorem evehere atque ſtudium virtutis in univerſum mirifice facilitare. Quamobrem uſus Theologiæ naturalis, quem hic commendamus, maximi fieri debet & illorum præſertim attentionem meretur, qui formandis aliorum moribus præſunt. Uſus omnis non rectius intelligitur, quam ubi eundem ipſo opere experimur. Quæ igitur de uſu Theologiæ naturalis inculcantur omnium optime comprehenduntur, ubi eundem conſequi ſtudemus. Quem

præſens promittit propoſitio, cum in philoſophia practica ſperari jubemus, quam cum principiis Theologiæ naturalis connectemus. Patebit autem eum eſſe multo ampliorem, quam ea dictis ſperari poterat. Noſtrum enim non eſt aſſerere, quæ quod ſint veritati conſentanea, intelligi nondum poteſt.

§. 22.

Unde Theologia naturalis juvetur.

Scriptura Sacra Theologiæ naturali adjumento eſt. Etenim in Scriptura Sacra ea quoque de Deo docentur, quæ ex principiis rationis de eodem demonſtrari poſſunt: id quod nemo negat, qui in lectione Scripturæ Sacræ fuerit verſatus. Suppeditat igitur Theologiæ naturali propoſitiones, quæ in ea demonſtrari debent, conſequenter philoſophus eas non demum invenire, ſed tantummodo demonſtrare tenetur. Enimvero qui & in veritatibus inveniendis, & in jam inventis demonſtrandis verſati fuere, ultro confitentur facilius eſſe veritates jam inventas demonſtrare, quam nondum inventas reperire, imo demonſtrari poſſe inventas, quas reperire non poteramus, etiamſi arte inveniendi polleamus, propterea quod de iis cogitandi anſa non ſuppeditabatur. Apparet itaque Scripturam Sacram Theologiæ naturali adjumento eſſe.

Non deſunt Theologi (quos inter *Ruandum Andalam* nominaſſe ſufficiat in Compendio Theologiæ naturalis, quod in Syntagmate Theologico-Phyſico-Metaphyſico legitur, §. 14. Proleg. p. 6) contendentes, perfectiones, decreta & opera, quæ in Scriptura Sacra Deo tribuuntur, ſepoſita Theologia naturali, nec recte intelligi, nec explicari poſſe. Quemadmodum vero non probamus illorum ſententiam, qui Scripturæ Sacræ interpretem philoſophiam faciunt; ita quoque a veritate alienum exiſtimamus, doctrinam de Deo, quatenus Scriptura cum Theologia naturali communia tradit, ſine hac intelligi in illa minime poſſe. Etenim ſi notiones cum verbis Scripturæ jungendas ex Theologia naturali petere deberemus, metuendum omnino erat, ne in Scripturam inveheremus ſenſum a mente ejus alienum. Præſtat notiones verbis Scripturæ jungendas independenter a Theologia eruere, ut conſtet quinam ſit verborum Scripturæ ſenſus & quænam de Deo doceat Scriptura: ita enim ex notionum identitate rectius deinde judicabitur de conſenſu, quo ad ſtabiliendam divinitatem Scripturæ Sacræ opus habemus. Quando vero propoſitiones in ſenſu Scripturæ ad Theologiam naturalem transferuntur, ac in ea ex ceteris tanquam ex principiis demonſtrantur, nemo arguere poteſt nos in eam invehere, quæ ab eadem aliena ſunt.

§. 23.

An detur Theologia naturalis.

Datur Theologia naturalis. Ex ſequente enim tractatione eluceſcet, dari Deum, & ejus non minus exiſtentiam & attributa demonſtrari poſſe, tum & ea, quæ per eadem fieri poſſe intelliguntur. Quamobrem cum in Theologia naturali hæc demonſtrari debeant (*§. 4.*), quin ejus poſſibilitas in dubium vocari minime poſſit palam eſt (§. 170 *Ontol.*).

Negat *Socinus* in Prælectionibus theologicis c. 2 dari Theologiam naturalem, quod integri dentur populi, qui nullum penitus ſenſum aut ſuſpicionem divinitatis alicujus habent, nec præſtantiſſimi quidam philoſophi huc pervenire potuerint, ut Deum hæc inferiora curare ſuſpicarentur. Enimvero a multorum ignorantia non recte colligitur cognitionis impoſſibilitas (§. 171 *Ontol.*). Qui negant exiſtentiam Dei & attributa ejus ex principiis rationis demonſtrari poſſe, non rectius erroris ſui convincuntur, quam ubi demonſtrationes ipſas exhibemus. Quamobrem contra eos, qui cum *Socino* ſentiunt, adſtructuri dari Theologiam naturalem, ad tractationem provocamus. Judicent enim, num alia doceantur in philoſophia, quæ firmiori nituntur fundamento.

FINIS PROLEGOMENORUM.

THEO-

THEOLOGIÆ NATURALIS

PARS I.

QUA EXISTENTIA

ET ATTRIBUTA DIVINA A POSTERIORI DEMONSTRANTUR.

CAPUT I.

De Exiſtentia Dei & Attributis inde pendentibus.

§. 24.

E*Xiſtit ens neceſſarium*. Anima humana exiſtit (§. 21 *Pſychol. empir.*) ſeu nos exiſtimus (§. 14 *Pſychol. empir.*). Quoniam nihil eſt ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70 *Ontol.*); ratio ſufficiens detur neceſſe eſt, cur anima noſtra exiſtat, ſeu cur nos exiſtamus. Hæc adeo ratio aut in nobiſmetipſis continetur, aut in ente quodam alio a nobis diverſo (§. 53 *Ontol.*). Quod ſi ponas nos rationem exiſtentiæ habere in ente, quod denuo rationem exiſtentiæ ſuæ in alio habet; non pervenietur ad rationem ſufficientem, niſi tandem in ente aliquo ſubſiſtas, quod exiſtentiæ ſuæ rationem ſufficientem in ſeipſo habet. Aut igitur noſmetipſi ſumus ens neceſſarium, aut datur ens neceſſarium aliud a nobis diverſum (§. 309 *Ontol.*), conſequenter ens neceſſarium exiſtit. *Entis neceſſarii exiſtentia.*

Hactenus non evicimus niſi exiſtentiam animæ noſtræ contra Materialiſtas (§. 21 *Pſychol. empir.* & §. 47 *Pſychol. rat.*), quorum hypotheſin de materialitate animæ evertimus (§. 50 *Pſychol. rat.*). Quoniam tamen iidem non negant nos exiſtere, quatenus nobis noſtri conſcii

ſumus

Digitized by Google

ſumus, conſequenter exiſtentiam animæ tanquam entis ſui ipſius conſciæ admittere tenentur; exiſtentiam quoque entis neceſſarii vi illationis præſentis admittere tenentur. Et quoniam Idealiſtæ nonniſi animarum realem exiſtentiam concedunt, corporum vero negant (§. 36 *Pſychol. rat.*), qui autem Dualiſmum profitemur, exiſtentiam animæ immaterialis admittimus (§. 39 *Pſychol. rat.*); exiſtentiam entis neceſſarii ex animæ noſtræ exiſtentia illatam & Idealiſtæ admittere tenentur, & Dualiſtæ admittere tenemur. Præſentis adeo propoſitionis demonſtratio ab omni hypotheſi philoſophorum independens: id quod neceſſario requiritur, ſiquidem univerſalis eſſe debet, ut, non obſtantibus ſententiarum divortiis, aſſenſum cujuslibet extorqueat. Neque etiam per ſaltum procedit demonſtratio, inferendo quod ex aſſumto inferri minime poteſt, quemadmodum faciunt illi, qui ex eo, quod ante certum quendam annorum numerum in utero materno geniti fuerint, colligunt animam tum cœpiſſe, conſequenter non ſemper extitiſſe: quo admiſſo, evidens foret ens neceſſarium diverſum eſſe debere ab anima noſtra, cum nos idem adhuc in dubio relinquamus. Etenim certum eſt, animam a parentibus cum corpore generari non poſſe (§. 700 *Pſychol. rat.*), etſi Materialiſtæ idem aſſerere teneantur in gratiam hypotheſeos ſuæ (§. 702 *Pſychol. rat.*), & ſaltem maxime probabile eam præexiſtere ante formationem fœtus in utero (§. 704 *Pſychol. rat.*). Quamobrem ex eo, quod non habeamus memoriam alicujus ſtatus ante nativitatem, multo minus ante generationem corporis in utero, inferre haud quaquam datur, nos ante formationem corporis in utero materno minime extitiſſe. Caute igitur ac provide incedimus, ne in demonſtrationes, quas validas eſſe volumus, tacite irrepant errores vel controverſiæ difficillime definiendæ, exceptionibus locum præbituræ, ſi attenta mente perveſtigentur probationes. Eadem cautione etiam utemur in ſequentibus.

§. 25.

An ens aliud ſupponat.

Ens neceſſarium non indiget vi entis alterius ad exiſtendum. Ens enim neceſſarium rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ſe habet (§. 309 *Ontol.*), adeoque in ente nullo alio a ſe diverſo. Exiſtit igitur, etiamſi ens aliud ab ipſo diverſum nullum exiſtere ponatur (§. 118 *Ontol.*), conſequenter vi entis alterius ad exiſtendum non indiget.

Idem etiam ſic oſtenditur. Ponamus ens neceſſarium indigere vi entis alterius ad exiſtendum. Per ea igitur, quæ ipſi inſunt, nondum intelligitur, cur exiſtere potius debeat, quam non exiſtere: ut enim intelligatur, requiritur etiam vis entis alterius ab ipſo diverſi. Quoniam adeo ratio ſufficiens exiſtentiæ in ipſius eſſentia non continetur (§. 56 *Ontol.*), non erit ens neceſſarium (§. 309 *Ontol.*): quod cum hypotheſin evertat, abſurdum eſt.

§. 26.

Cujus vi exiſtat.

Quoniam *ens neceſſarium* non indiget vi alterius ad exiſtendum (§. 25), *vi propria exiſtit, ſeu ſibimetipſi ſufficit ad exiſtendum.*

Quomodo quid vi propria exiſtat, diſtincte explicare minime valemus. Quomodo quid exiſtat vi alterius, abunde intelligitur: quotidie enim experimur cauſarum efficientium in effectus influxum, quo ad actualitatem perducitur, quod antea non erat. Atque hinc magis negante, quam aiente ſenſu ens quodpiam a nobis dicitur vi propria exiſtere, ita ut idem ſonet ac non exiſtere vi alterius. Nimirum quando intelligimus, quid ſit exiſtere vi alterius, ea removemus ab ente, quod propria vi exiſtere ponitur.

§. 27.

Ens a ſe & ab alio quodnam dicatur.

Ens illud, quod vi propria exiſtit, ſeu quod non indiget vi entis alterius ut exiſtat, dicitur *Ens a ſe*: quod vero indiget vi alterius ut exiſtat, *Ens ab alio* appellatur.

Nimirum hic quoque notandum eſt, Ens a ſe a nobis dici negante magis, quam aiente ſenſu, ut a ſe eſſe ponatur, quod non eſſe ab alio intelligitur.

§. 28.

Digitized by Google

§. 28.

Aſeitas quid ſit.

Aſeitas eſt independentia exiſtentiæ ab ente alio.

Terminus hic cum ſit in Theologia naturali receptus, eum ut expliparemus conſultum duximus.

§. 29.

Entis a ſe exiſtentia.

Datur ens a ſe. Ens enim a ſe non indiget vi entis alterius, ut exiſtat (*§.* 27), adeoque per ea, quæ ipſi inſunt, intelligi poteſt, cur potius exiſtat, quam non exiſtat, conſequenter rationem exiſtentiæ ſuæ ſufficientem in ſeipſo habet (*§.* 56 *Ontol.*). Quamobrem cum ſit ens neceſſarium (*§.* 309 *Ontol.*), ens vero neceſſarium exiſtat, ſeu detur (*§.* 24); ens a ſe datur.

Hanc propoſitionem ideo addimus, quod Deum definituri paulo poſt in definitione nominali loco generis poſituri ſimus ens a ſe. Antequam vero id fiat, evincendum nobis eſt, ens a ſe non eſſe animam noſtram, nec eſſe mundum hunc materialem, ſi ejus exiſtentiam realem admittas, quemadmodum admittimus, qui Dualiſmum profitemur, admittunt etiam qui Materialiſmo addicti ſunt. Etenim quam primum conſtabit, ens a ſe eſſe ab anima & mundo materiali diverſum, ipſa neceſſitas poſtulabit, ut ipſum peculiari quodam nomine inſigniamus. Diverſitatem igitur adſtructuri inquirere tenemur in attributa entis a ſe, ex aſeitate deducenda, ut appareat, num eadem animabus noſtris, num corporibus, adeoque mundo huic materiali repugnent. Animadverſa enim repugnantia inter attributa entis a ſe & animam atque corpora, palam erit, illud ab his eſſe diverſum.

§. 30.

Independentia entis a ſe.

Ens a ſe independens eſt. Ens enim a ſe non indiget vi entis alterius, ut exiſtat (§. 27), adeoque exiſtere poteſt, etiamſi præter ipſum ens aliud non exiſtat. Quamobrem cum eſſentia non minus (§. 300 *Ontol.*), quam attributa & modorum poſſibilitates proximæ immutabilia ſint (§. 313 *Ontol.*), ut adeo ens ſine determinatione aliqua eſſentiali vel quodam attributo exiſtere nequeat; nihil datur in ente a ſe, quod rationem ſui habeat in ente alio. Ens igitur a ſe independens eſt (§. 851 *Ontol.*).

Terminus independentiæ philoſophicus eſt, neque in Scriptura Sacra occurrit. Inſunt tamen ea, quæ ex independentia fluunt, & cum eadem neceſſario connexa ſunt, ita ut his poſitis ponatur quoque independentia tum in eſſendo, tum in exiſtendo, tum in operando, quemadmodum loquuntur ſcholæ: id quod ſuis locis annotaturi ſumus.

§. 31.

Unden ā ſit exiſtentia ipſius.

Ens a ſe rationem exiſtentiæ in eſſentia ſua habet. Etenim ens a ſe independens eſt ab omni ente alio (§. 30), conſequenter & exiſtentiæ ſuæ rationem in alio non habet (*§.* 851 *Ontol.*). Habet igitur eandem in ſe (§. 70 *Ontol.*). Quamobrem cum in eſſentia contineatur ratio ſufficiens, cur quid eidem vel actu inſit, vel ineſſe poſſit (§. 168 *Ontol.*); ratio exiſtentiæ entis a ſe in eſſentia ipſius contineri debet.

Hinc & ens a ſe hoc ipſo diſtinguitur ab entibus ceteris, quæ ſunt ab alio, quod exiſtentia ipſius fluat ex eſſentia ejuſdem, cum in entibus ceteris idem non obtineat. Quare & *ens a ſe* definiri poterat per illud, quod rationem exiſtentiæ ſuæ ſufficientem in eſſentia ſua habet: unde patet ejus cum ente neceſſario identitas (§. 309 *Ontol.*). Quodſi verbis magis communibus idem efferre libuerit; dicendum erit: ens a ſe eſſe illud, ex cujus eſſentia neceſſario fluit exiſtentia, ut ſcilicet concipi non poſſit niſi exiſtens, quam primum animo obverſantur determinationes ipſius eſſentiales. Singularis hic character eſt entis a ſe, qui probe notandus & qui conducit tum ad ens a ſe agnoſcendum, tum ad cavendum, ne pro

talibus

Digitized by Google

talibus nobis obtrudantur, quæ non ſunt. Sane ubi entis ortus nos latet, & in eum inquirentes inanem operam ſumimus, facile delabimur ad præcipitandum judicium, ipſum non cœpiſſe, & hinc ipſi tribuimus neceſſitatem in exiſtendo, quaſi vero exiſtentiæ ratio ſufficiens allegari poſſit neceſſitas. Exiſtentia in genere conſiderata neceſſaria non eſt, adeoque neceſſe eſt detur ratio ſufficiens, cur in ente aliquo potius neceſſaria ſit, quam contingens. Ratio continetur in eſſentia (§. 158 *Ontol.*), adeoque per determinationes eſſentiales entis intelligitur, cur exiſtentia potius neceſſaria ſit, quam contingens, conſequenter hæ ipſæ determinationes eſſentiales ſunt ratio exiſtentiæ neceſſariæ. Nempe per determinationes quatales intelligitur, cur enti competat exiſtentia: ex eo vero, quod determinationes iſtæ eſſentiales ſunt, fluit exiſtentiæ neceſſitas tanquam ex fonte neceſſariorum (§. 303 *Ontol.*). Ut idem evidentius pateat, non piget ex propoſitione præſente ulterius deducere, quæ ad hunc ſcopum conducunt. Utile enim eſt ut in argumento tam arduo nihil prætermittatur, quod eidem lucem aliquam affundere poſſit.

§. 32.

Qualis ſit exiſtentia entis a ſe.

Quoniam ens neceſſario exiſtit & ejus exiſtentia abſolute neceſſaria eſt, ſi hujus ratio ſufficiens in eſſentia ipſius continetur (§. 308 *Ontol.*); *ens a ſe neceſſario exiſtit & ejus exiſtentia abſolute neceſſaria eſt*.

Apparet adeo nexus neceſſarius inter aſeitatem & exiſtentiam neceſſariam, quem eum eſſe, ut uno poſito ponatur etiam alterum, propoſitio ſequens cum corollario præſente probat.

§. 33.

Entis neceſſarii attributum aſeitas.

Ens neceſſarium eſt ens a ſe. Ens enim neceſſarium non indiget vi entis alterius ad exiſtendum (§. 25). Sed ens quod non indiget vi alterius, ut exiſtat, eſt ens a ſe (§. 27). Ergo ens omne neceſſarium eſt ens a ſe.

Idem etiam ſic oſtenditur. Exiſtentia entis a ſe eſt abſolute neceſſaria (§. 32), & rationem exiſtentiæ ſuæ in eſſentia ſua habet (§. 31). Quamobrem cum ens neceſſarium ſit, cujus exiſtentia abſolute neceſſaria, ſeu quod rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in eſſentia ſua habet (§. 309 *Ontol.*); ens neceſſarium eſt ens a ſe.

§. 34.

Cur ens a ſe exiſtat.

Ens a ſe exiſtit ideo, quia poſſibile. Etenim ens a ſe habet rationem ſufficientem exiſtentiæ in eſſentia ſua (§. 31), conſequenter per eſſentiam ipſius intelligitur, cur exiſtat (§. 56 *Ontol.*), atque adeo ideo exiſtit, quia hanc habet eſſentiam. Enimvero per eſſentiam ens poſſibile eſt (§. 153 *Ontol.*), ita ut eſſentia poſſibilitate ejus intrinſeca abſolvatur (*not.* §. *cit.*). Ens igitur a ſe exiſtit, quia poſſibile.

Nimirum ens a ſe poſſibile, quia determinationes eſſentiales, quæ eidem tribuuntur, contradictionem nullam involvunt (§. 85 *Ontol.*): exiſtit autem, quia has determinationes habet eſſentiales. Quamobrem cum determinationes ejus eſſentiales ſibi mutuo non repugnent, quia ſunt hæ ipſæ determinationes, per quas ut non exiſtens concipi nequit: ideo concipitur exiſtere, quia poſſibile. Atque hoc eſt privilegium entis a ſe, quod ideo exiſtat, quia poſſibile, quæ enim ſunt ab alio, ideo nondum exiſtunt, quod ſint poſſibilia. Et inde eſt, quod ex poſſibilitate in genere non concludatur exiſtentia, nec exiſtentia in genere aut in ſe ſpectata poſſibilitate determinetur (§. 171. 172 *Ontol.*). Nam in ente a ſe ſingulari quadam ratione fit, cur per id exiſtat, per quod poſſibile, ſcilicet quia per has ipſas determinationes, quarum combinatione oritur poſſibilitas intrinſeca, determinatur exiſtentia.

§. 35.

Exiſtentia entis a ſe cur

Ens a ſe nullum exiſtendi initium habet. Etenim ens a ſe neceſſario exiſtit & ejus exiſtentia abſolute neceſſaria (§. 32). Quamobrem ſimpliciter impoſſi-

impoſſibile, ut non exiſtat (§. 279 *Ontol.*). Ponamus igitur eſſe aliquod exiſtendi initium: neceſſe erit, ut antea non extiterit, conſequenter impoſſibile non eſt, ut non exiſtat: quod cum repugnet demonſtratis, abſurdum eſt, adeoque ens a ſe nullum exiſtendi initium habet. *Cur careat initio.*

De exiſtentia entis a ſe eodem modo ratiocinamur, quo de poſſibilitate, propterea quod ideo exiſtit, quia poſſibile (§. 34). Quemadmodum enim poſſibile neceſſario tale eſt, ac ideo quæri nequit, quando poſſibile quid eſſe cœperit; ita quoque exiſtentia entis a ſe neceſſaria eſt, nec quæri poteſt, quando cœperit.

§. 36.

Ens a ſe nullum exiſtendi finem habet. Ponamus enim ipſum habere exiſtendi finem. Non igitur ſimpliciter impoſſibile eſt, ut ens a ſe non exiſtat, conſequenter exiſtentia ejus neceſſaria non eſt (§. 279 *Ontol.*): quod cum ſit abſurdum (§. 32); ens a ſe nullum exiſtendi finem habere poteſt. *Cur fine careat.*

§. 37.

Ens a ſe nec ortum eſt, nec interire poteſt. Etenim ens a ſe exiſtendi initium non habet (§. 35). Sed quod oritur exiſtere incipit, cum antea non exiſteret (§. 541 *Ontol.*), adeoque exiſtendi initium habet. Ens igitur a ſe ortum non eſt. *Quod erat primum.* *Impoſſibilitas ortus & interitus entis a ſe.*

Similiter ens a ſe nullum exiſtendi habet finem (§. 36). Sed quod interit, exiſtere deſinit, cum antea exiſteret (§. 541 *Ontol.*), adeoque exiſtendi finem habet. Ens igitur a ſe interire nequit. *Quod erat ſecundum.*

Hinc apparet, ens a ſe non dici quaſi ortum a ſe, non ab alio. Etenim ortus a ſe implicat contradictionem. Nimirum ſi quod ens a ſe oriretur, in eodem contineri deberet ratio ſufficiens hujus ortus, qua poſita poneretur & ipſe (§. 118 *Ontol.*). Enimvero ens oritur, dum exiſtere incipit, cum antea non exiſteret (§. 541 *Ontol.*). Quamobrem ſi quod ens a ſe oritur, antea non exiſtebat, conſequenter nec ratio quædam ſufficiens poni poteſt, per quam & ortus ponatur. Oriri adeo debet abſque ratione ſufficiente, conſequenter ortus a ſe contradictionem involvit (§. 31 *Ontol.*).

§. 38.

Ens a ſe annihilari nequit. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, ens a ſe annihilari. Exiſtere igitur deſinit, cum antea exiſteret, ita ut nihil ejus amplius actu ſuperſit (§. 540 *Ontol.*), conſequenter interit (§. 541 *Ontol.*). Enimvero ens a ſe interire nequit (§. 37). Ergo nec annihilari poteſt. *Impoſſibilitas annihilationis entis a ſe.*

Exiſtentia neceſſaria, unde pendet interitus impoſſibilitas (§. 37), ex eſſentia ejus entis, quod a ſe eſt, fluit (§. 31). Unde annihilatio eſſentiæ ejuſdem non minus repugnat, quam ortus quicunque.

§. 39.

Exiſtentia nec initium, nec finem habens dicitur ***Æternitas***: unde ***Æternum*** appellatur, quod nec initium, nec finem habet exiſtendi, ſeu ſi nullum aſſignari poteſt tempus, quo exiſtere cœpit & quando exiſtere deſinet. *Æternitas quid ſit.*

Scholaſtici æternitatem definiunt per durationem interminabilem, indiviſibilem & independentem. *Interminabilitas* eſt excluſio termini a quo & termini ad quem, ſeu negatio initii ac finis; conſequenter duratio interminabilis ea eſt, quæ nullum habet initium, nullum habet finem. Atque hactenus Scholaſticorum definitio noſtræ conſona. Si duratio diſtincte explicetur, ſine relatione ad exiſtentiam ſucceſſivorum intelligi nequit. Dicimus enim durationem exiſtentiam ſimultaneam cum pluribus ſucceſſivis (§. 578 *Ontol.*). Quamobrem

obrem aut ſupponenda ſunt entia alia, ab eo, de cujus duratione loquimur, diverſa, quæ continua ſerie ſibi invicem ſuccedant, dum illud exiſtit, aut ſeries quædam mutationum concipienda in ente, quod ſingulis iſtis coexiſtere concipitur, dum durationem ejus cogitamus. Ens a ſe exiſtere poteſt, etiamſi extra ipſum ens aliud ab eo diverſum non exiſtat (§. 27), adeoque duratio non poteſt concipi per relationem ad entia ſucceſſiva extra ipſum coexiſtentia. Utrum ipſi conveniat ſeries quædam mutationum, nec ne; definiri nondum poteſt, conſequenter nec licet durationem concipere per relationem ad mutationes intrinſecas ſibi mutuo ſuccedentes. Quamobrem conſultius erat in definitione æternitatis abſtinere a vocabulo durationis, præſertim cum nulla urgeat neceſſitas, ut eodem utamur. Æternitatem eſſe indiviſibilem ex eo, quod ſit interminabilis, demonſtrari poteſt. Definitionem adeo non recte ingreditur indiviſibilitas (§. 836 *Log.*). Æternitatem eſſe independentem demonſtrare tenemur, cum per ſe evidens non ſit, exiſtentiam initio ac fine carentem eſſe independentem ab alio, imo non deſunt, qui dependentem æternitatem admittunt, ſeu defendunt enti cuidam exiſtentiam interminabilem competere poſſe, utut in exiſtendo dependeat ab alio. Cavendum itaque erat confuſionis evitandæ gratia, ne definitionem nominalem æternitatis præter neceſſitatem controverſiis implicaremus. Ceterum quando dicimus, nullum aſſignari poſſe tempus, quo quod æternum eſt, cœpit vel exiſtere definet; id non ita intelligendum eſt, quod ob ignorantiam noſtram id fieri minime poſſit, ſed quod ipſa rei natura hoc non patiatur: ſit ita, quod per inconſtantiam loquendi ſignificatus ſubinde mutetur, a qua philoſophia noſtra abhorret.

§. 40.

Æternitatem num metiri liceat.

Nullum dari poteſt tempus, quo æternitatem metiri licet. Sit enim tempus quantumlibet magnum, quod dicamus T, æternitatis menſura. Quoniam magnitudinem metimur, ſi iterata menſuræ applicatione determinatur menſurati ad menſuram ratio (§. 438 *Ontol.*); tempus T ad æternitatem applicari debet, quoties fieri poteſt, ubi eandem metiri volueris. Enimvero cum in æternitate nullum ſit initium (*§. 39*), reperiri minime poteſt, ubi applicationis menſuræ initium fieri debeat. Et quia nec finis in eadem datur (*§. cit.*), nec concipi poteſt numerus, quo indigitetur, quoties tempus T ſit ſumendum, ut æternitati fiat æquale, vel eam ſuperet aliqua ſui parte. Nullum igitur dari poteſt tempus T, quo æternitatem metiri licet.

Vulgo homines æternitatem inſtar temporis infiniti imaginantur: ſed æternitatem Dei eſſe quid diverſum, patebit inferius. Atque tum conſtabit, eandem eſſe tempori prorſus heterogeneam, nec cum eodem comparabilem.

§. 41.

Immenſum quid ſit.

Immenſum dicitur, quod menſuram omnem reſpuit, ſeu quod in ſe tale eſt, ut metiri ipſum non detur. Unde & intelligitur *Immenſitas* quid ſit, abſtractum nempe, quo immenſum dicimus.

Inconſtantia loquendi immenſum quoque appellatur, cujus ingens eſt magnitudo, ſed quæ a nobis menſurari non poteſt, veluti cum diſtantiam fixarum immenſam dicere ſolemus.

§. 42.

Immenſitas æternitatis.

Æternitas immenſa eſt. Etenim in ſe talis eſt, ut eam metiri minime liceat (§. 40). Eſt igitur immenſa (§. 41).

Unde qui æternitatem tempus infinitum imaginantur, immenſum tempus eandem appellant: quod non improbandum, ubi tibi negotium fuerit cum vulgo, non cum philoſopho. Vulgus enim, cui confuſæ tantummodo ſunt notiones, ægre concipit, quæ ab imaginibus ſeparantur. Ac ſubinde utile eſt, ut æternitatis immenſitatem temporis idea intelligibilem aut, ſi mavis, imaginabilem eidem efficias: quod quomodo fieri poſſit, in ſequente propoſitione oſtendere libet.

§. 43.

§. 43.

Si tempus quoddam ſtupendæ magnitudinis, hoc eſt, tantum, quantum dari poſſe non cogitaveras, diſtincte percipere cognoveris, idque pro menſura æternitatis accipi non poſſe cogites; immenſitas æternitatis efficitur quodammodo intelligibilis, ſeu imaginabilis. Quoniam ideam temporis non habemus, niſi quatenus ſucceſſiva in continua ſerie nobis repræſentamus (§. 572 *Ontol.*); tempus quoddam ſtupendæ magnitudinis nobis repræſentaturi cogitemus, omne ſpatium, quod ſphæra illa comprehendit, cujus diameter eſt dupla fixarum a centro terræ diſtantia, arena adimpleri & ſingulis millenariis aut, ſi magis arriſerit, millenariis mille elapſis unum arenæ granulum amoveri, donec tandem nullum relinquatur. Cum diſtantia fixarum tanta ſit, docente *Hugenio* in Coſmotheoro lib. 2. p. m. 116, ut pene ſeptingenta annorum millia inſumturus ſit globus tormenti bellici continua velocitate, qua exploditur, incedens, priuſquam ad proximas ſtellarum inerrantium perveniat: globus autem tormentarius, quemadmodum experimentis definitum a *Merſenno* in Balliſticis Phœnomenis prop. 39. p. 139, & ejus fide ſumitur ab *Hugenio* loc. cit. p. 106, intervallo unius minuti ſecundi ſeu pulſibus arteriarum ſingulis centum circiter hexapedas ſeu 600 pedes Pariſienſes conficiat; quanta ſit ſpatii arena repleti vaſtitas, quantus arenæ qua repletur numerus, quantus annorum, quo arenæ granula ſingula auferuntur, ut nullum amplius ſuperſit, haud obſcure intelligitur. Quodſi ergo cogites, ſtupendum hunc millenariorum numerum, qui omni arenæ granulatim amovendæ ſufficit, ne menſuræ quidem loco adhiberi poſſe, ubi de magnitudine æternitatis incidit quæſtio (§. 40); æternitatis immenſitas quodammodo imaginabilis evadet. Habes hic tempus ſtupendæ magnitudinis, &, ubi volueris, idem diſtincte percipere datur. Etenim ex datis inveniri poteſt diſtantia fixarum proximarum a terra in hexapedis vel etiam pedibus ope regulæ trium (§. 310 *Arithm.*), modo notes in reductione annorum 700000, tot adjiciendos dies intercalares, quot prodeunt, ubi 700000 per 4 diviſeris, cum annus unuſquiſque quartus ſit intercalaris: quamvis in præſente negotio tanta ſcrupuloſitate opus non ſit, ubi ſpatium arena replendum pro arbitrio aſſumere licet. Data ſphæræ ſemidiametro inveniri poteſt ejus ſoliditas (§. 556 *Geom.*) & quantum ſpatium occupet arena in vaſe cylindrico contenta, reperiri itidem licet (§. 541 *Geom.*): unde numerando arenæ granula, quæ in ſpatio digitali continentur, numerus arenularum in iſto vaſe, ac inde porro in vaſtiſſima iſta ſphæra definitur (§. 302 *Arithm.*). Quodſi ergo eum, qui prodit, numerum porro vel per mille, vel millies mille, prout libuerit, multiplices; ſtupendus ille annorum numerus prodibit, qui ſpatio tam vaſto evacuando impendendus ex hypotheſi. Atque jam multo magis intelliges, quid ſibi velit æternitatis immenſitas, cum ne tanti quidem numeri repli-

Quomodo immenſitas æternitatis imaginabilis efficiatur.

Digitized by Google

catione exhauriri poſſit (§. 40). Patet igitur immenſitatem æternitatis imaginabilem effici, ut de ea cogitantes in ſtuporem veluti rapiantur, ubi tempus ſtupendæ magnitudinis diſtincte percipere coneris, idque pro menſura æternitatis accipi non poſſe cogites.

Calculum apponere noluimus, quem Geometriæ elementaris gnari facile addent, ſi e re ipſis videatur. Qui vero ſunt in Matheſi hoſpites, a calculorum tricis abhorrent, adeoque ſi is apponeretur, ipſos non juvat. Notamus potius, uſui hic eſſe Arenarium *Archimedis*, in quo ſummo ingenii acumine arenæ granula determinat, quæ ſphæra Terræ concentrica & ad fixas proximas uſque extenſa capit, & tantum numerum intelligibili modo effari docet. Cum enim non deeſſent alii, qui vel grana arenæ innumerabilia in Tellure pronuntiarent, vel ſaltem tantum reperiri poſſe numerum deſperarent, qui numerum granulorum arenæ excederet; ipſe contrarium demonſtraturus oſtendit, recto characteriſticæ artis uſu intelligibili modo effari nos poſſe numerum, qui major ſit numero arenæ totam ſpheram mundanam ad fixas uſque protenſam adimplentis.

§. 44.

Entis primi & ultimi definitio.

Ens primum dicitur, ante quod non extitit aliud. ***Ens ultimum*** vero appellatur, poſt quod non exiſtet aliud.

Vocabula *primum & ultimum* ſumuntur hic in ſignificatu recepto: ecquis enim eſt qui neſciat, in omni multitudine illud dici primum, ante quod aliud obvium nobis non eſt; ultimum autem, poſt quod non deprehenditur aliud, ad iſtam ſcilicet multitudinem pertinens, reſpectu cujus quid primum dicitur vel ultimum?

§. 45.

Quodnā ens ſit primum & ultimum.

Ens a ſe eſt ens primum & ultimum. Ens enim a ſe nullum exiſtendi initium habet (§. 35). Impoſſibile itaque eſt, ut ante ipſum extiterit ens quoddam aliud. Ens præterea a ſe rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in eſſentia ſua habet (§. 31), cumque ſit ens neceſſarium (§. 33), vi entis alterius ad exiſtendum non indiget, adeoque ne noſtro quidem concipiendi modo ſpectari poteſt aliquod ens tanquam ante ipſum exiſtens. Erit igitur ens primum (§. 44). *Quod erat unum.*

Similiter ens a ſe nullum exiſtendi finem habet (§. 36). Impoſſibile igitur eſt, ut poſt ipſum, hoc eſt, ubi exiſtere deſiit, ens aliquod exiſtat. Eſt igitur ens ultimum (§. 44). *Quod erat alterum.*

Ex demonſtratione liquet, primitatem entis a ſe excludere prioritatem & temporis, & ordinis omnis entis alterius; ultimationem vero poſterioritatem tantum temporis, non ordinis, ut adeo *primitas* denotet præexiſtentiam independentem, *ultimatio* vero dicat negationem ſucceſſionis dependentis, qualis ſpectatur in hominibus, quorum poſteri ab ipſis in exiſtendo dependentes iisdem ſuccedunt.

§. 46.

Ortus & interitus cur eſſentiæ entis a ſe repugnet.

Ortus & interitus eſſentiæ entis a ſe repugnat. Ens enim a ſe exiſtentiæ ſuæ rationem ſufficientem in eſſentia ſua habet (§. 31), adeoque eſſentia ipſius poſita ponitur etiam exiſtentia ejuſdem (§. 118 *Ontol.*), conſequenter eadem ſalva non exiſtentia poni nequit (§. 28 *Ontol.*). Non exiſtentia igitur eſſentiæ entis a ſe repugnat (§. 310 *Log.*). Enimvero eum illud oriatur, quod exiſtere incipit, cum antea non exiſteret, ex adverſo autem intereat, quod exiſtere definit, cum antea exiſteret (§. 541 *Ontol.*); ortus & interitus non exiſtentiam involvit. Uterque igitur eſſentiæ entis a ſe repugnat.

Mox

Mox apparebit, cur non ſufficiat noſſe, quod ens a ſe nec oriri, nec interire queat (§. 37), ſed quod præciſe conſtare debeat, eſſentiam entis a ſe non ferre, ut oriatur & intereat. Ita nimirum facilius agnoſcemus, quale ſit eos a ſe, ut ipſum a ceteris diſtinguamus, nec per errorem aſeitatem tribuamus enti, quod eſt ab alio, nec a ſe eſſe poteſt. Nemo igitur accuſet nimiam ſubtilitatem in iis, in quibus nunquam nimium ſubtiles eſſe poſſumus evidentiam conſervaturi, quam tanti argumenti dignitas poſtulat, & quam conſervari non poſſe certum eſt, niſi exceptiones præviſæ præcludantur.

§. 47.

Aſeitas cur repugnet compoſitioni.

Ens a ſe non eſt ens compoſitum. Etenim ens a ſe per eſſentiam ſuam oriri ac interire nequit (§. 46). Enimvero ens omne compoſitum oriri ac interire poteſt (§. 542 *Ontol.*). Ens igitur a ſe compoſitum eſſe nequit.

Cum ortus & interitus eſſentiæ entis a ſe repugnet (§. 46), per eſſentiam vero entis compoſiti ponatur (§. 542 *Ontol.*); aſeitas & compoſitio ſibi mutuo repugnant.

§. 48.

Extenſio aſeitati repugnans.

Ens a ſe extenſum eſſe nequit, & quod eſt extenſum a ſe eſſe nequit. Ens enim a ſe non eſt compoſitum (§. 47), adeoque partes a ſe invicem diſtinctas non habet (§. 531 *Ontol.*), conſequenter cum extenſum omne habeat partes, quarum unaquæque extra alteram exiſtit (§. 549 *Ontol.*), ens a ſe extenſum eſſe nequit. *Quod erat unum.*

Ex adverſo quod extenſum eſt, habet partes, quarum una extra alteram exiſtit (§. 549 *Ontol.*), adeoque ens compoſitum eſt (§. 531 *Ontol.*). Quare cum ens a ſe compoſitum eſſe non poſſit (§. 47); nec quod extenſum eſt a ſe eſſe poteſt. *Quod erat alterum.*

Atomi materiales cum ſint extenſæ; a ſe eſſe nequeunt.

§. 49.

Simplicitas entis a ſe.

Ens a ſe eſt ens ſimplex. Ens enim a ſe compoſitum eſſe nequit (§. 47), adeoque nullas prorſus habet partes (§. 531 *Ontol.*). Eſt igitur ens ſimplex (§. 673 *Ontol.*).

Simplicitas enti a ſe eſſentialis eſt, quemadmodum facile apparet. Deducitur enim ex eo, quod compoſitum eſſe non poſſit (§. *præſ.*), compoſitio autem negatur de eo, propterea quod ortus & interitus eidem repugnat (§. 47). Quamobrem cum uterque eidem per eſſentiam repugnet (§. 46); compoſitionis per eſſentiam expers eſt, adeoque ſimplicitas eidem eſſentialis.

§. 50.

Cur mundus non ſit ens a ſe.

Mundus adſpectabilis non eſt ens a ſe. Mundus enim hic adſpectabilis eſt ens compoſitum (§. 62 *Coſmol.*); ſed ens a ſe compoſitum eſſe nequit (§. 47). Mundus igitur hic adſpectabilis non eſt ens a ſe.

Supponimus hic cum Dualiſtis & Materialiſtis mundum adſpectabilem extra ideam mentis exiſtere. Nimirum ſi mundus adſpectabilis revera extra mentem noſtram exiſtit, non eſt ens a ſe. Aſeitas enim enti compoſito per eſſentiam ipſius repugnet, quemadmodum modo obſervavimus (*not.* §. 47); per eſſentiam quoque mundo huic adſpectabili repugnare debet. Probe vero notandum eſt, mundo adſpectabili repugnare aſeitatem, quatenus eſt compoſitum, ne plus ſumatur in concluſione, quam eidem ineſt. Etenim cum conſtet corpora, ex quibus tanquam partibus componitur mundus (§. 119 *Coſmol.*), eſſe ſubſtantiarum ſimplicium aggregata (§. 176 *Coſmol.*); eo ipſo nondum patet, aſeitatem repugnare his ipſis ſubſtantiis ſimplicibus, adeoque corporum elementis (§. 182 *Coſmol.*).

§. 51.

§. 51.

Cur ſit ab alio.

Mundus adſpectabilis eſt ab alio. Mundus adſpectabilis non eſt ens a ſe (§. 50), adeoque vi propria non exiſtit (§. 27). Quoniam itaque vi alterius indiget, ut exiſtat; ab alio ſit neceſſe eſt (§. 27).

Eſſe ab alio non idem eſt ac productum eſſe ab alio (§. 27 *Theol. nat.* & §. 690 *Ontol.*). Quamvis itaque oſtenderimus mundum hunc adſpectabilem, quem realiter exiſtere ſupponimus, eſſe ab alio; hoc ipſo tamen nondum evictum eſt, quod ab alio productus ſit. Etenim ſi elementa rerum materialium ſint a ſe, mundus rationem compoſitionis ſufficientem in ipſis habens erit quidem ab alio, nimirum ab his ipſis elementis, ſine quibus exiſtere non poteſt, nec tamen dici poterit, quod ſit ab elementis productus.

§. 52.

Cur elementa non ſint entia a ſe.

Elementa rerum materialium non ſunt entia a ſe. Quoniam enim corpora omnia ſunt elemenrorum aggregata (§. 176 *Coſmoi.*); corpora quoque, ex quibus tanquam partibus componitur mundus (§. 119 *Coſmol.*), conſequenter mundus ipſe exiſtere nequit, niſi exiſtant elementa. Et quia ſi alius mundus æque poſſibilis ac is, qui exiſtit (§. 101 *Coſmol.*), exiſtere deberet, elementa alia exiſtere deberent (§. 570 *Coſmol.*); hiſce exiſtentibus elementis mundus alius quam hic exiſtere nequit. Quamobrem cum mundus hic adſpectabilis non ſit ens a ſe (§. 50), conſequenter nec ens neceſſarium (§. 33); nec elementa rerum materialium enria neceſſaria, conſequenter nec entia a ſe ſunt.

Idem etiam per indirectum oſtenditur. Ponamus elementa rerum materialium eſſe entia a ſe. Eorum igitur exiſtentia erit abſolute neceſſaria (§. 32). Quamobrem cum alia exiſtere deberent elementa, ſi alius exiſteret mundus (§. 570 *Coſmol.*), nec hæc elementa alio modo coexiſtere poſſint (§. 571 *Coſmol.*), adeoque poſitis hiſce elementis hic quoque ponatur mundus; hic etiam mundus neceſſario exiſtit & ejus exiſtentia abſolute neceſſaria eſt. Eſt igitur ens neceſſarium (§. 309 *Ontol.*), adeoque ens a ſe (§. 33): quod eſt abſurdum (§. 50).

Qui ſumit mundum, quatenus eſt ens compoſitum, non eſſe ens a ſe, elementa tamen a ſe eſſe poſſe; vi imaginationis a ſe invicem ſeparat non ſeparanda. Etenim in corporibus nihil datur ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*), materia vero & vis motrix tantummodo phænomena ſubſtantiata ſunt (§. 300 *Coſmol.*), quæ tanquam diverſæ ſubſtantiæ apparent (§. 301 *Coſmol.*). Dum corpora percipimus, anima ſibi confuſe repræſentat ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas (§. 98 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum elementa rerum ſingula vi quadam prædita ſint (§. 196 *Coſmol.*), unde ſtatus eorum internus continuo mutatur (§. 197 *Coſmol.*), atque adeo elementa abſque hiſce ſtatuum mutationibus exiſtere minime poſſint; impoſſibile quoque eſt, ut elementa exiſtere concipiantur abſque mundo hoc adſpectabili, ſed is ponitur poſitis elementis, nec tolli poteſt niſi ſublatis elementis. Quodſi ergo mundo adſpectabili exiſtentia abſolute neceſſaria tribui nequit, nec elementis tribui poteſt, cum diverſam ab hiſce exiſtentiam minime habeat, ſed elementorum exiſtentia ſit exiſtentia ipſius mundi. A veritate procul abiunt, qui elementa rerum conſiderant tanquam materiam ad varias formas ſuſcipiendum aptam, ſine quibus exiſtere poſſit, de natura rerum judicantes ex notione operum artis, quorum materia exiſtit, antequam eidem certam figuram inducat artifex. Ut igitur impedimenta ſuperemus, quæ imaginatio facere poterat, probe perpendenda ſunt, quæ de ortu corporum ex elementis capite integro (§. 215 & ſeqq. *Coſmol.*) tradidimus in Coſmologia. Si qui fuerint, qui theoriam elementorum, quam ibidem ſtabilimus, rejiciunt; illis quoque nullum circa

exiſten-

exiſtentiam eorundem dubium ſuboriri poteſt, conſequenter præſens propoſitio eos minime tangit. Quoniam vero iidem elementorum locn vel aſſumere debent atomos materiales, vel materiam uniformem, quæ diverſas figuras recipere poteſt; igitur in eorum gratiam oſtendere libet, nec atomos materiales, nec materiam uniformem concipi poſſe inſtar entium a ſe.

§. 53.

Cm atomi materiales non ſint entia a ſe.

***Atomi materiales non ſunt entia a ſe*.** Atomus enim materialis eſt particula in ſe diviſibilis, ſed cui dividendo nullæ in rerum natura cauſæ exiſtunt (§. 186 *Coſmol.*), unde conſequitur figuræ immutabilitas, cum ſine diviſione mutatio figuræ concipi non poſſit, & vi continuitatis abſoluta denſitas. Determinationes adeo intrinſecæ ſunt continuitas, partium actualium excluſio, figura ac moles immutabilis, indiviſibilitas ex defectu dividentis, abſoluta denſitas. Sed quicquid horum cogites, ſive etiam omnes iſtas determinationes ſimul perpendas, non tamen intelliges, cur atomi materiales exiſtere debeant. Quamobrem cum determinationum iſtarum aliæ in numero eſſentialium, aliæ in attributorum numero ſint (§. 143. 146 *Ontol.*); in eſſentia atomorum materialium ratio exiſtentiæ non continetur (§. 56 *Ontol.*). Non igitur ſunt entia a ſe (§. 31).

Non minus neceſſarium eſt, ut ens a ſe rationem exiſtentiæ in eſsentia ſua habeat, conſequenter per determinationes conſtantes, quæ ipſi inſunt, intelligatur, quod exiſtere debeat (§. 56 *Ontol.*), quam triangulum tres habere angulos (*not.* §. 31). Quamobrem atomorum materialium aſeitatem admitti minime poſse palam eſt. Neque ſufficit atomorum neceſsariam exiſtentiam ſumi: eam enim ſumi poſse probandum eſt. Enimvero ne poſſibilitatem quidem atomorum materialium oſtenderunt Atomiſtæ, tantum abeſt, ut de eorum exiſtentia neceſsaria evincenda cogitaverint. Quemadmodum vero neceſſitas in exiſtendo ſumi nequit, ita nec neceſſitas figuræ ac molis ſumi poteſt, ſed probanda: probari autem eam non poſse, vel exinde intelligitur, quod, ſi in atomis materialibus ſubſiſtamus, nondum perveniatur ad rationem ſufficientem compoſitionis (§. 686 *Ontol.*). Poteramus igitur aſeitatem removere ab atomis materialibus vel hoc nomine, quod ne poſſibiles quidem ſint, cum impoſſibile exiſtere non poſse certum ſit (§. 132 *Ontol.*). Sed placuit inſervire hypotheſi.

§. 54

Cur materia uniformis, ſeu indiviſa non poſſit eſſe ens a ſe.

***Materia indiviſa ſeu uniformis non poteſt eſſe ens a ſe*.** Etenim in materia indiviſa ſeu uniformi ob continuitatem non diſtinguuntur niſi partes poſſibiles & præterea eidem tribuitur diviſibilitas. Sed neque per uniformitatem, neque per partium actualium excluſionem, neque per continuitatem, neque per diviſibilitatem intelligi poteſt, cur iſtiuſmodi extenſum neceſſario exiſtere debeat. Unde eodem, quo in propoſitione præcedente, modo patet, materiam indiviſam ſeu uniformem non poſſe eſſe ens a ſe.

Repetenda hic ſunt; quæ ad propoſitinnem præcedentem modo annotavimus, etenim quæ ibidem de exiſtentia neceſsaria atomorum materialium dicta ſunt, ea quoque ad materiam uniformem indiviſam applicari poſsunt ac debent. Ceterum cum ſpatium imaginarium ab hac materia non differat, niſi in eo, quod illud indiviſibile, hæc diviſibilis ſit; eodem etiam modo patet, ſpatium imaginarium non poſse eſse ens a ſe, conſequenter plurimum falli, qui ſpatium vel pro ipſo Deo, vel pro attributo quodam divino, veluti pro immenſitate ejus habent.

§. 55.

§. 55.

Quale ens ſit mundus.

Mundus adſpectabilis non eſt ens neceſſarium, ſed contingens. Mundus enim adſpectabilis non eſt ens a ſe (§. 50). Quamobrem cum ens neceſſarium ſit ens a ſe (§. 33); mundus hic adſpectabilis ens neceſſarium eſſe nequit. *Quod erat unum.*

Porro cum mundus hic adſpectabilis ſit ens ab alio (§. 51), vi alterius indiget, ut exiſtat (§. 27), conſequenter per ea, quæ ipſi inſunt, non intelligitur, cur potius exiſtat, quam non exiſtat, atque ideo rationem exiſtentiæ ſuæ in ſe non continet (§. 56 *Ontol.*). Eſt igitur contingens (§. 310 *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Poteramus quoque idem cum dependentia ab alio adhuc aliter ex contingentia eventuum in mundo demonſtrare; ſed ne in argumento arduo nimis multa præſupponamus, hac potius via incedere libuit. Addemus tamen deinceps (§. 58) demonſtrationem inde petitam in eorum gratiam, qui in Coſmologicis ſatis ſunt verſati.

§. 56.

Elementa qualia ſint entia.

Elementa rerum materialium ſunt entia ab alio atque contingentia. Neque enim entia a ſe ſunt (§. 52). Unde eodem, quo ſuperius (§. 51), modo patet, quod ſint ab alio. *Quod erat primum.*

Et cum ex iis, quæ in propoſitione præcedente demonſtrata ſunt, pateat, ex eo, quod quid ſit ab alio, deduci quod ſit ens contingens; elementa quoque in numerum entium contingentium referenda veniunt. *Quod erat ſecundum.*

Tota nimirum demonſtratio propoſitionis ſuperioris (§. 51) & præcedentis applicari poteſt ad præſentem.

§. 57.

An poſſibile ſit mundum non exiſtere.

Non impoſſibile eſt, mundum hunc adſpectabilem & elementa ejus non exiſtere. Mundus enim adſpectabilis ens contingens eſt (55), adeoque neceſſarium non eſt (§. 311 *Ontol.*), conſequenter ejus exiſtentia abſolute neceſſaria non eſt (§. 309 *Ontol.*). Non igitur impoſſibile eſt, mundum hunc adſpectabilem non exiſtere (§. 279 *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Elementa rerum materialium ſunt entia contingentia (§. 56). Unde eodem, quo ante, modo patet, non eſſe impoſſibile, ut elementa iſta non exiſtant. *Quod erat alterum.*

Poſterius etiam ſic oſtenditur. Ponamus impoſſibile eſſe, ut elementa rerum materialium non exiſtant. Quoniam in elementis continentur rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur (§. 191 *Coſmol.*); poſitis hiſce elementis ponitur etiam hic mundus (§ 118 *Ontol.*). Quodſi ergo impoſſibile fuerit, ut elementa rerum materialium non exiſtant; impoſſibile etiam erit, ut mundus hic adſpectabilis non exiſtat: quod cum ſit abſurdum *vi num.* 1, impoſſibile quoque non eſt, ut elementa rerum materialium non exiſtant.

Equidem non ignoro, eos, qui creationem cum *Spinoſa* per neceſſariam emanationem ex eſſentia divina explicant, admittere, ens aliquod poſſe eſſe ab alio & hoc tamen non obſtante neceſſario exiſtere. Sed non moramur eos, qui non ex notionibus ſufficienter reſolutis

ratioci-

ratiocinantur ſumentes in gratiam hypotheſium, quod commodum viſum fuerit, aut tacite ſupponentes, quod probare non poſſunt. Inferius autem oſtendemus, notionem iſtam creationis eſſe deceptricem, a veritate procul remotam.

§. 58.

Mundus cum elementis ſuis non poteſt eſſe ens a ſe, ſed ens ab alio eſt. Contingentia enim in mundo non habent rationem ſufficientem actualitatis ſuæ in ſerie ſucceſſivorum, ſed in ente extra ſeriem ipſam conſtituto, eoque neceſſario (§. 90 *Coſmol.*). Quamobrem mundus hic exiſtere non poteſt, niſi exiſtat ens aliud neceſſarium ab ipſo diverſum. Indiget adeo vi alterius ad exiſtendum, conſequenter non eſt ens a ſe (§. 27). Et quia rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur, in elementis continentur (§. 191 *Coſmol.*), conſequenter rationes ultimæ ſucceſſionis in mundo adſpectabili continentur in mutatione ſtatus elementorum interni (§. 197 *Coſmol.*), hæc vero ſufficiens non eſt (§. 90 *Coſmol.*); igitur nec elementa exiſtere poſſunt niſi exiſtente ente neceſſario ab ipſis diverſo. Indigent igitur & ipſa vi alterius ad exiſtendum, adeoque entia a ſe non ſunt (§. 27). *Cur mundus cum ſuis elementis non ſit ens a ſe.*

Quoniam adeo mundus cum ſuis elementis exiſtere nequit, niſi exiſtat ens neceſſarium, adeoque vi alterius indiget ad exiſtendum *per demonſtrata*; neceſſe eſt eum cum elementis ſuis eſſe ens ab alio.

Hanc propoſitionem non alio fine addimus, quam ut utamur ad exiſtentiam entis a ſe evincendam contingentia, quæ ineſt huic rerum ſeriei, & vi cujus aſeitas removetur a toto hoc univerſo. Inprimis etiam utile eſt ad veritatem propoſitionis præſentia facilius percipiendam, ne difficultatem faceſſat imaginatio, probe perpendi, in corporibus nihil dari ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*), nec dum contingentia in mundo adſpectabili percipimus, aliud quid ab anima repræſentari quam ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas (§. 98 *Pſychol. rat.*).

§. 59.

Anima non eſt ens a ſe. Anima enim per eſſentiam & naturam ſuam ſibi repræſentat hoc univerſum (§. 66. 67 *Pſychol. rat.*) & univerſi hujus ideam continuo quoad omnes ſtatus (§. 190 *Pſychol. rat.*), etiam in ſomno producit (§. 191 *Pſychol. rat.*). Quemadmodum vero alii mundi poſſibiles ſunt, in quibus ad actum deducerentur poſſibilia, quæ in præſente actum non conſequuntur (§. 101 *Coſmol.*); hæ animæ ideo exiſtunt, quia hic exiſtit mundus, & huic mundo coexiſtunt, quia hanc habet eſſentiam atque naturam. Quamobrem cum impoſſibile non ſit mundum hunc adſpectabilem non exiſtere (§. 57); nec impoſſibile erit has animas non exiſtere. Non igitur exiſtunt neceſſario (§. 279 *Ontol.*), conſequenter neceſſariæ non ſunt (§. 309 *Ontol.*). Quamobrem nec entia a ſe eſſe poſſunt (§. 33). *Cur anima non ſit ens a ſe.*

Demonſtratio propoſitionis præſentis adhuc ſubſiſtit, etiamſi cum Idealiſtis ſumas, mundum tantummodo idealiter exiſtere in animabus. Etenim cum alii quoque poſſibiles ſint mundi, ratio dari debet, cur hæ potius exiſtant animæ, quam aliæ mundum quendam alium ſibi repræſentantes, quam in ipſis animabus reperire minime licet. Demonſtratio propoſitionis præſentis multo evidentior eſt in hypotheſi harmoniæ præſtabilitæ, etſi ab eadem minime pendeat. Etenim in hac hypotheſi anima per naturam & eſſentiam ſuam non potuit uniri niſi huic corpori, cum in ſyſtemate influxus phyſici & cauſarum occaſionalium

indifferens ſit ad unionem cum quolibet corpore (§. 719 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum corpus humanum ſit pars hujus mundi adſpectabilis, utpote ad eundem eodem modo pertinens, quo cetera corpora ad ipſum ſpectant (§. 61 *Coſmol.*); quod animæ hæ contingenter exiſtere debeant, quia mundus contingenter exiſtit, evidentiſſimum eſt, utpote non extituræ niſi exiſteret mundus.

§. 60.

Aſeitas cum ſimplicitate non reciprocatur.

Non omne ens ſimplex eſt ens a ſe. Etenim animæ humanæ ſunt entia ſimplicia (§. 48 *Pſychol. rat.*) & in horum numero etiam ſunt elementa rerum materialium (§. 182 *Coſmol.*). Enimvero nec animæ humanæ (§. 59), nec elementa rerum materialium ſunt entia a ſe (§. 52). Non omne igitur ens ſimplex a ſe eſt.

Aſeitas igitur ex ſimplicitate minime fluit. Quoniam vero ens omne compoſitum non poteſt eſſe a ſe (§. 47), conſequenter vi alterius indiget ad exiſtendum (§. 27), adeoque ab alio eſt (§. *cit.*); non ſine ratione quæri poterat, cur non æquo quod compoſitum non eſt, hoc eſt, ens ſimplex (§. 685 *Ontol.*), ſit ens a ſe. Etenim aſeitas non fluit ex eo, quod quid partibus careat, adeoque oppoſitam compoſito eſſentiam habeat, ſed ut talis ſit eſſentia, quam ſine exiſtentia concipi repugnat, ita ut poſitis determinationibus eſſentialibus ponatur & ipſa exiſtentia (§. 31).

§. 61.

Cur anima ſit ens ab alio.

Anima eſt ens ab alio idemque contingens. Etenim non eſt ens a ſe (§. 59); adeoque vi propria non exiſtit (§. 27), conſequenter vi alterius exiſtere debet, ſeu ea ad exiſtendum opus habet (§. 53 *Ontol.*). Eſt igitur ab alio (§. 27). *Quod erat unum.*

Quoniam anima ab alio eſt *per demonſtrata*; vi alterius indiget ut exiſtat (§. 27), conſequenter non eſt ens neceſſarium (§. 26), adeoque contingens (§. 311 *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Demonſtratio propoſitionis prorſus eadem, qua ſuperius evicimus contingentem & ab alio ente dependentem exiſtentiam mundi & elementorum (§. 55. 56).

§. 62.

Cur ens a ſe ſit diverſū a mundo, elementis & anima.

Ens a ſe diverſum eſt a mundo, elementis & animabus noſtris. Etenim ens a ſe continet in eſſentia ſua rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ (§. 31). Mundus, elementa & animæ humanæ cum non ſint entia a ſe (§ 50. 52. 59); nec rationem exiſtentiæ ſuæ in eſſentia ſua continent. Quamobrem eſſentia entis a ſe diverſa eſt ab eſſentia mundi, elementorum & animarum (§. 183 *Ontol.*): nimirum id, unde pendet neceſſitas in exiſtendo, eſſentiis illorum entium commune non eſt cum eſſentia entis a ſe. Ens igitur a ſe diverſum eſſe debet a mundo, elementis & animabus noſtris.

Propoſitio præſens non modo inſinuat ens a ſe eſſe aliud, quam mundum, elementa & animas humanas: id enim idem foret ac aſſerere, quod hæc non ſint entia a ſe; verum id urget, quod alterius prorſus generis ſit, quam mundus, elementa & animæ humanæ, atque adeo eſſentiam habere debeat prorſus ſingularem. Diverſitas illa ex ſequentibus eluceſcet. Cum enim mundus, elementa & animæ noſtræ ſint entia finita; ens a ſe infinitum & perfectiſſimum eſſe deprehendimus.

§. 63.

Ratio ſufficiens exiſtentiæ entis

Ens ab alio non continet rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ niſi in ente a ſe. Si neges: contineat ens ab alio rationem ſufficientem exiſtentiæ in ente, quod itidem eſt ab alio. Quoniam ens ab alio indiget vi alterius, ut exiſtat (§. 27),

(*§.* 27), veluti vi entis A; nondum intelligis, cur ens primum ab alio exiſtat, niſi ubi conſtet, cur exiſtat A & ita porro in infinitum. Quamobrem fieri non poteſt, ut perveniatur ad rationem ſufficientem, quamdiu in ente ab alio ſubſiſtis (*§.* 56 *Ontol.*). Enimvero cum ens a ſe non indigeat vi alterius, ut exiſtat (§. 27), adeoque ens omne vel ſit a ſe, vel ab alio (§. 53 *Ontol*), ratio vero ſufficiens exiſtentiæ entis ab alio non contineatur in ente aliquo, quod itidem ab alio eſt *per demonſtrata*; neceſſe eſt ut contineatur in ente a ſe (*§.* 70 *Ontol.*).

ab alio in quo quærenda.

Propoſitionem hanc generalem præmittimus, ut inde per modum corollarii deduci poſſit, quæ ſequitur.

§. 64.

Quoniam mundus hic adſpectabilis (§. 51), elementa rerum materialium (*§.* 56) & animæ humanæ ſunt entia ab alio (*§.* 61), entia vero ab alio rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ non agnoſcant niſi in ente a ſe (§. 63); *mundus hic adſpectabilis, elementa rerum materialium & animæ humanæ rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ non habent niſi in ente a ſe.*

Ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi, elementorũ & animarum ubi quærenda.

Propoſitio hæc magni momenti. Eſt enim fundamentum omnis cognitionis Dei a poſteriori, quemadmodum ex ſubſequentibus intelligetur.

§. 65.

Enti a ſe talia tribuenda ſunt prædicata, qualia ad hoc requiruntur, ut intelligatur, cur hic potius mundus adſpectabilis cum elementis ſuis quam alius, & hæ potius animæ quam aliæ exiſtant. Etenim ens a ſe continet rationem ſufficientem, cur hic potius mundus adſpectabilis cum elementis ſuis quam alius, & hæ potius animæ quam aliæ exiſtant (§. 64). Per ea igitur, quæ enti a ſe inſunt, intelligatur neceſſe eſt, cur hic mundus cum ſuis elementis & animæ humanæ hæ potius exiſtant, quam mundus alius aliæque animæ humanæ; imo ſimpliciter cur hic mundus cum elementis ſuis & animabus humanis exiſtat potius, quam non exiſtat (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem enti a ſe tribuenda ſunt ea prædicata, ſine quibus non intelligitur, cur hic mundus adſpectabilis cum ſuis elementis hiſque animabus exiſtat potius quam alius cum animabus aliis.

Qualia prædicata enti a ſe tribuenda.

Patet adeo modus perveniendi ad cognitionem attributorum divinorum.

§. 66.

Si exiſtentiæ mundi adſpectabilis & animarum humanarum ratio in ente uno, quod a ſe eſt, reperiri poteſt, plura admitti non poſſunt. Neque enim novimus præter mundum adſpectabilem, quem, ſi ab imaginatione diſceſſeris, ab elementis ejus ſeparare minime licet, quemadmodum jam ſupra oſtendimus (*not.* §. 58), & animas humanas hunc ſibi mundum per eſſentiam & naturam ſuam ſibi repræſentantes (§. 66. 67 *Pſychol. rat.*), & horum exiſtentiæ rationem ſufficientem quærimus in ente aliquo, quod a ſe eſt (*§.* 64). Quamobrem ſi per ea, quæ enti uni a ſe inſunt, cur hic mundus adſpectabilis cum animabus humanis exiſtat intelligitur: ens hoc unum

Quot entia a ſe admittenda.

ſufficit ut exiſtant (§. 56 *Ontol.*), conſequenter quia exiſtentiam iſtiuſmodi entis propterea admittimus, quod eo admiſſo intelligamus, cur hic mundus cum animabus humanis exiſtat (§. 65); præter ipſum aliud gratis admitteretur, adeoque admitti nequit.

Non inculcat propoſitio, niſi quod communibus notionibus conforme. Quotieſcunque enim effectus alicujus cauſam efficientem quærimus, in una acquieſcimus, non modo quando manifeſta eſt, verum etiam ubi latet, quamprimum agnoſcimus eam effectui producendo ſufficientem. Expreſſe tamen hoc inculcandum erat in arduo, quod tractamus, argumento, ut omnibus exceptiunculis, quibus locus eſſe poterat, occurreremus. Quodſi regeras præter entia, quæ ſunt ab alio, & a nobis cognoſcuntur, forſan dari adhuc plura, nobis ignota, quæ rationem exiſtentiæ ſuæ non agnoſcunt in ente eodem, in quo ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi adſpectabilis & animarum noſtrarum continetur; hæc quidem objectio nos minime feriret, quibus ſufficit dependentiam mundi hujus adſpectabilis & animæ noſtræ ab uno ente, quod a ſe eſt, certo cognoviſſe: inferius tamen evincetur, ſi alia adhuc entia præter mundum hunc adſpectabilem & animas noſtras exiſtant, eadem omnia, quot & qualiacunque tandem ſint, rationem exiſtentiæ ſuæ ſufficientem in ente unico habere poſſe. Neque reprehendendum eſt, quod primo tantummodo evincimus, non niſi unum eſſe ens a ſe, a quo mundus hic adſpectabilis & animæ humanæ dependent, & poſtea adſtruitur ens a ſe nonniſi unicum eſſe: etſi enim prioris probatio ſuperflua videatur, non tamen talis deprehendetur, cum prius evincendum ſit, antequam poſterius probari poſſit. Nec in his deſtituimur exemplo veterum Geometrarum, quos demonſtrandi artifices merito veneramur. Sane *Euclides* ante demonſtravit, ſi trianguli latus unum continuetur, angulum externum eſſe majorem quolibet interno oppoſito, quam probaret eum eſſe æqualem duobus oppoſitis ſimul ſumtis, quia poſterius demonſtrari non poterat, niſi ante certo conſtaret prius. Non igitur peccamus in regulas bonæ methodi, quod ante probemus tantummodo ens unum a ſe ſufficere exiſtentiæ contingenti hujus mundi & animarum noſtrarum, quam demonſtretur non dari niſi ens unicum a ſe: imo quod in demonſtrando priore per gradus incedamus.

§. 67.

Dei definitio nominalis.

Per *Deum* intelligimus ens a ſe, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animatum noſtrarum.

Hæc eſt illa definitio nominalis, quam in gratiam demonſtrationum in Theologia naturali ſumimus (§. 5). Equidem evinci poterat, ſi mundus hic adſpectabilis revera exiſtat, non tantummodo idealiter, quemadmodum Idealiſtis videtur, animarum humanarum exiſtentiæ rationem ſufficientem in eodem ente contineri, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi, conſequenter animarum in definitione mentio fieri non debebat (§. 900 *Log.*). Enimvero cum hic aliquid dandum ſit iis, qui methodi leges non habent perſpectas, animarum quoque mentionem expreſſam facere libuit, ne quis argueret, definitionem tantummodo ſatisfacere Dualiſtis & Materialiſtis, non vero ſimul Idealiſtis, cum tamen exiſtentiam Dei independenter ab omnibus hypotheſibus evincere velimus, ita ut ſatisfaciat omnibus, quaſcunque tandem hypotheſes amplectantur, quibus ſectæ principales nituntur. Quamobrem animarum expreſſa fieri debebat mentio, ut definitionem nominalem etiam admitterent Idealiſtæ, qui mundo nonniſi idealem in animabus exiſtentiam tribuunt.

§. 68.

Qualem definitionem Dei Scriptura Sacra ſupponat.

Definitio nominalis Dei, quod ſit ens a ſe, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis, eſt Scripturæ Sacræ conformis, ſeu eadem eſt, quam Scriptura Sacra ſupponit. Etenim nemo ignorat, Scripturam Sacram his inchoari verbis Gen. I. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Nemo ignorat, libros a Moſe conſcriptos eſſe lingua Hebraica. Conſtat vero Hebræis non fuiſſe vocabulum, quo mundum tanquam nomine ſuo inſignirent. Quamobrem mundum appellaturi, cælum dixere & terram.

terram. Verba igitur Scripturæ initialia ita vertuntur: In principio creavit Deus mundum, hunc ſcilicet adſpectabilem, quia de hoc, non alio mundo loqui Moſen manifeſtum eſt. Affirmat vero Deum creaſſe mundum, conſequenter mundus non exiſtit neceſſario, neque adeo in ſe continet exiſtentiæ ſuæ rationem (§. 309 *Ontol.*); ſed in Deo. Ait porro Moſes, Deum creaſſe mundum in principio, hoc eſt, quando nondum erat ens ab alio, nihil ſcilicet præter Deum. Cum adeo Deus exiſteret, antequam quicquam inciperet, quod ab alio erat; neceſſe eſt Deum eſſe ens a ſe (§. 27). Ex contextu itaque patet, in Scriptura Sacra ſupponi, Deum eſſe ens a ſe, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis, conſequenter eandem ſupponi definitionem Dei nominalem, quam nos præmiſimus (§. 67).

Probe hic notandum, nos tantummodo affirmare, quod Scriptura Sacra eandem definitionem nominalem Dei ſupponat, quam nos in gratiam demonſtrationum ſupponimus; nequaquam vero contendere, quod in verbis Scripturæ initialibus præter iſtam definitionem nihil contineatur. Etenim Scriptura Sacra enuntiat modum, quo mundus hic adſpectabilis actualitatem conſecutus, nempe quod id factum fuerit per creationem, quemadmodum & in ſequentibus demonſtrabimus. Jam vero vocabulo *Deus* tanquam ſubjecto convenire debet aliqua notio, vi cujus ipſi creatio tanquam prædicatum tribui poteſt. In definitione itaque Dei creationis expreſſa mentio fieri nequit, niſi propoſitionem identicam efficere volueris. Sume enim, ſi ita viſum fuerit, per Deum hic intelligi ens a ſe, quod mundum hunc adſpectabilem creavit; verba *Moſis* hunc habebunt ſenſum: Ens iſtud, quod mundum hunc adſpectabilem creavit, mundum hunc adſpectabilem creavit. Aſt hoc incommodum vitatur, ubi definitionem nominalem ſubſtituis, quam ſupponi evicimns. Propoſitro enim, quæ prima eſt in omni Scriptura Sacra, hunc habebit ſenſum: Ens iſtud a ſe, in quo ratio ſufficiens exiſtentiæ hujus mundi adſpectabilis continetur, eundem creavit. Atque in hoc ſignificatu eandem demonſtrabimus inferius: ubi conſtabit per ea, quæ definitioni nominali inſunt, modum, quo mundus hic adſpectabilis actualitatem conſecutus, determinari. Abſurdæ igitur ſunt illorum vociferationes, qui indeſinenter clamant, definitionem nominalem, quam dedimus, eſſe impiam, propterea quod non expreſſam faciat mentionem creationis in eo ſenſu, quo vocabulum ſumit Scriptura Sacra. Poteramus eas contemnere, niſi multiplici utilitate & exterorum notitiæ, & poſterorum memoriæ commendarentur.

§. 69.

Exiſtentia Dei evicta.

Datur Deus. Datur enim ens a ſe (§. 29) & in eo ratio ſufficiens continetur, cur mundus hic adſpectabilis cum elementis ſuis & animabus humanis exiſtat (§. 64). Quamobrem cum vocabulo Dei conſentiente Scriptura Sacra (§. 68) indigitetur ens a ſe, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum humanarum (§. 67); Deus datur.

Atque ita evicimus exiſtentiam Dei in ſignificatu vocabuli, qui eſt Scripturæ Sacræ conformis, conſequenter hujus ipſius Dei, de quo loquitur Scriptura Sacra. Patebit vero ex ſeqnentibus, cetera attributa, quæ Deo tribuit Scriptura Sacra, ex definitione, quam in demonſtratione exiſtentiæ ipſius ſupponimus, non violato rigore demonſtrationis deduci. Et ne appareat in ſingulis rationis cum Scriptura Sacra conſenſus, ubivis oſtendemus attributa, quæ Deo competere vi definitionis noſtræ evincemus, non alio ſenſu eidem tribui in Scriptura Sacra. Ceterum attributa alia ex genere, quod in definitione poſuimus, alia vero ex differentia ſpecifica deducuntur. Genus eſt aſeitas (§. 67). Quamobrem vi generis ipſi vindicanda ſunt attributa ex aſeitate fluentia, & in anterioribus inde deducta.

§. 70.

§. 70.

Quomodo Deus exiſtat.

Deus vi propria exiſtit, independenter ab omni alio ente, ac ſibimetipſi ſufficit ad exiſtendum. Deus enim eſt ens a ſe (§. 67). Vi igitur propria exiſtit (§. 27) & quidem independenter ab omni alio (§. 30), ac ſibimetipſi ad exiſtendum ſufficit (§. 33. 26).

§. 71.

Qualis ſit exiſtentia ipſius.

Exiſtentia Dei eſt abſolute neceſſaria. Deus enim eſt ens a ſe (§. 67). Quamobrem cum ens a ſe neceſſario exiſtat, & ejus exiſtentia abſolute neceſſaria ſit (§. 32); Deus neceſſario exiſtit, & ejus exiſtentia abſolute neceſſatia.

Impoſſibile adeo eſt Deum non exiſtere, ut adeo non ſit abſurdius, quam negare exiſtentiam ejus, qui non poteſt non exiſtere.

§. 72.

Undenā ſit neceſſitas exiſtentiæ Dei.

Deus per eſſentiam ſuam exiſtit. Deus enim ens a ſe eſt (§. 67). Enimvero ens a ſe rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in eſſentia ſua habet (§. 31). Quamobrem & Deus in eadem exiſtentiæ ſuæ rationem ſufficientem habet, conſequenter poſita eſſentia divina ponitur etiam ſimul exiſtentia ipſius (§. 118 *Ontol.*). Exiſtit igitur per eſſentiam ſuam.

Hinc apparet cur exiſtentia Dei ſit abſolute neceſſaria. Fluit enim ex eſſentia divina *per prop. præſ.* Quæ vero ex eſſentia fluunt, ſunt abſolute neceſſatia (§. 315 *Ontol.*). Atque adeo neceſſitas exiſtentiæ per eſſentiam infertur.

§. 73.

Criteriū eſſentiæ divinæ.

Quamobrem ***ſi quis Deum ita concipit, ut per ea, quæ ipſi tribuit tanquam determinationes eſſentiales, eum non exiſtere non repugnet; is eſſentiam veri Dei non agnovit.***

Criterio hoc diſcernuntur falſi Dii a vero Deo. Gentiles itaque, qui admiſere Deos genitos, adeoque contingenter exiſtentes, hinc erroris ſui redarguuntur.

§. 74.

Æternitas Dei.

Deus eſt æternus. Eſt enim ens a ſe (§. 67). Quare cum ens a ſe nullum exiſtendi initium (§. 35), nullum finem habeat (§. 36); Deus initio ac fine exiſtendi caret. Jam vero æternum eſt, quod nec initium, nec finem exiſtendi habet (§. 39). Deus igitur eſt æternus.

Qualis ſit hæc æternitas, inferius demum intelligetur. Hic ſufficit negante ſenſu defendi, nullum aſſignari poſſe tempus, quo exiſtere cœpit & quo exiſtere deſinet.

§. 75.

Sempiternitas Dei.

Quoniam ***Deus*** æternus eſt (§. 74), adeoque exiſtendi initio ac fine caret (§. 39); ***nullum fingi poteſt tempus, quo non extitit, aut exiſtit, aut extiturus eſt***, conſequenter ***ſemper extitit, exiſtit & extiturus eſt***, ac ideo ***ſempiternus eſt***. Etenim ***ſempiternum*** dicitur, quod omni tempore conceptibili exiſtit.

Vulgo æternitas & ſempiternitas ſynonyma habentur, nec id improbandum, cum ſempiternum non ſit, quod non ſit æternum. Nil tamen obſtat, quo minus ſempiternitatem æternitati contradiſtinguamus, ſempiternitati vindicantes vi corollarii præſentis ſignificatum, quem vi originis habet. Atque hoc ſenſu ſempiternitas fluit ex æternitate.

§. 76.

§. 76.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad æternitatem Dei.

Deus juxta Scripturam Sacram eſt & in eadem dicitur æternus eodem ſenſu, quo eundem æternum eſſe oſtendimus. Deus extitiſſe dicitur *Pſalm.* XC. 3. antequam rerra formaretur. Terra formata fuit in principio *Gen.* I. quando ſcilicet quid exiſtere incipiebat, quod antea non extiterat. Deus igitur exritir, antequam quidpiam exiſtere inciperet, quod antea non extiterat, adeoque exiſtendi inirium nullum habet. Porro *Pſalm.* CII. 29 de Deo dicitur, quod anni ejus non defecturi ſint, ubi de interitu cælorum a Deo factorum ſermo eſt. Affirmatur itaque, exiſtentiam Dei nullum habituram eſſe finem. Enimvero æternum nobis dicitur, quod nullum exiſtendi principium, nullum quoque finem habet (§. 39). Deus itaque juxta Scripturam eo ſenſu æternus eſt, quo eundem æternum eſſe evicimus (§. 74). *Quod erat unum.*

Deus tam in teſtamento veteri, veluti *Gen.* XXI. 33 & *Jeſ.* XL. 28, quam in novo, veluti *Rom.* XVI. 26 appellatur *Deus æternus.* In Scriptura Sacra (quod collatione dictorum, in quibus vocabulum æterni vel æternitatis occurrit, patet) æternitas opponitur durationi terminabili, quæ definito annorum numero conſtat. Ita vita beatorum poſt hanc vitam a reſurrectione mortuorum dicitur æterna in oppoſitione ad hanc vitam, quam certo annorum numero definiri conſtat *Matth.* XXV. 26. Omnis duratio terminabilis duplicem habet terminum; ſcilicet terminum a quo, unde incipit, & terminum ad quem, in quo definit. Quamobrem ſi exiſtentiæ continuatio opponitur durationi terminatæ, vel id fieri ſolet reſpectu termini a quo, veluti cum Deus dicitur fuiſſe ab æterno *Hab.* I 12, vel reſpectu termini ad quem, veluti cum vita ventura æterna appellatur *Matth. loc. cit.* & Deus eſſe dicitur in æternum *Pſalm.* XC. 2 vel reſpectu termini utriuſque, veluti quando Deus æternus appellatur, qui ideo eſſe dicitur ab æterno in æternum *Pſalm. loc. cit.* Et cum ſoli Deo æternitas reſpectu termini utriuſque competat, ideo olim dicebatur κατ' ἐξοχὴν æternus *Bar.* II. 20. 22. 35 & olim agnoſcebatur ſolus, qui ſit æternus 1. *Maccab.* I. 25. Deus igitur æternus vocatur in Scriptura Sacra, quia nullum habet exiſtendi initium, nullum exiſtendi finem, adeoque æternus dicitur eodem ſenſu, quo eundem æternum eſſe oſtendimus (§. 74).

Nemo miretur, quod primum evincamus Deo in Scriptura Sacra tribui æternitatem, quam ipſi competere demonſtravimus, & deinde demum probare eum quoque æternum dici eodem ſenſu, quo nos probavimus, eum eſſe æternum. Cum enim definitiones nominales arbitrariæ ſint, nobis quidem vocabulo æternitatis ſignificatum tribuere licet, quemcunque voluerimus; non tamen inde ſequitur, eundem ſignificatum eidem vocabulo competere in Scripturæ Sacra. Quamobrem probandum eſt, Scripturam Sacram vocabulum æternitatis non alio ſumere ſenſu, quam quo a nobis accipitur. Quoniam vero Scripturæ Sacræ conſentaneum eſt, quod ſecundum eandem Deo tribui poſſe conſtat, etiamſi vocabulum, quo id indigitatur in ipſa minime occurrit; ideo requiritur ut conſenſus in re ſigillatim evincatur, antequam conſenſus in verbis monſtretur. Ceterum hinc ſimul diſcitur, quod probaturus Deum eſſe æternum, non tantummodo allegare debeat dicta Scripturæ Sacræ, in

quibus

quibus æternus appellatur; verum etiam evincere teneatur, quid æternitatis nomine indigitetur in Scriptura Sacra. Etenim ſi in nuda allegatione dictorum, in quibus æternus vocatur, acquieveris; tantummodo noſti Deum in Scriptura Sacra vocari æternum & ipſi quidpiam tribui, quod æternitatis nomine inſignit; ſed quod ſit æternus & quidnam Deo tribuendum, ut æternus dici poſſit, nondum tibi exploratum eſt.

§. 77.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad ſempiternitatem.

Deus ſecundum Scripturam Sacram eſt ſempiternus. Apoc. I. 48. Deus vocatur *is, qui eſt, & qui erat* (vel, vertente *Caſtellione*, fuit) *& qui venturus eſt*. Exiſtentia igitur Dei refertur ad tempus præſens per verbum temporis præſentis *eſt*; ad tempus præteritum per verbum temporis præteriti *erat* vel *fuit*; per verbum temporis futuri *venturus* eſt denique ad tempus futurum. Pone adeo tempus quodcunque præſens & dicendum ex mente *Joannis*, quod hoc tempore ſit. Pone tempus quodcunque præteritum, & affirmandum erit, quod illo tempore Deus extiterit. Pone denique tempus quodcunque futurum, & ajendum, Deum tempore iſto extiturum. Conſtat vero præter tempus præſens, præteritum atque futurum non poſſe fingi tempus aliud (§. 584 *Ontol.*). Secundum Scripturam adeo Deus omni tempore conceptibili exiſtit, ſeu nullum fingi poteſt tempus, quo non exiſtat, conſequenter ſempiternus eſt (§. 75),

Vocabulum ſempiternitatis in Scriptura Sacra nuſpiam legitur: ſufficit autem rem termino denotatam in eadem contineri. Neque reprehendendum eſt, quod termino aliquo diſcernamus attributum aliquod divinum ab alio, quod in Scriptura Sacra peculiari nomine non inſignitur, propterea quod communis loquendi modus in ea, qua ſcribebatur, lingua nomen peculiare non ferebat: etenim in ipſa Theologia revelata occurrunt termini ἄγραφοι, quibus tribuitur ſignificatus Scripturæ Sacræ conformis quoad rem denotatam; occurrunt termini alii in Scriptura Sacra quidem obvii, ſed quibus tamen tribuitur amplior ſignificatus, quam quem in Sacra Scriptura habent, etſi quoad rem eidem conformis. Neque vero inutile eſt peculiari nomine indigitari hoc Dei attributum, quod omni tempore conceptibili exiſtat. Quando enim de officiis hominis erga Deum acturi ſumus in philoſophia practica, oſtenſuri ſumus, quantum in ea inſluat ſempiternitatis cogitatio. Jam vero terminorum is uſus eſt, ut rerum facile meminerimus. Juvanda igitur cogitatio eorum, quæ in praxin utiliter influunt, quovis modo poſſibili. Omnem præterea theoriam & praxin officiorum erga Deum, ex principiis Theologiæ naturalis demonſtraturi ſumus. Quamobrem cum ad contrahendas, & diſtinctius concipiendas demonſtrationes faciant termini; hoc ipſo patet, cur ſempiternitatem, etſi ex æternitate fluentem adeoque cum eadem neceſſario connexam, ab ea diſtinguamus,

§. 78.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad exiſtentiam eſſentialē.

Juxta Scripturam Sacram exiſtentia Deo eſſentialis eſt, quemadmodum ante evicimus. Etenim Moſi mittendo ad Iſraelitas & percontanti de nomine Dei mittentis, ut haberet quod reſponderet Iſraelitis quæſituris, quodnam ſit nomen mittentis, reſpondit Deus *Exod.* III. 14 *Sic dices filiis Iſrael:* QUI EST *miſit me ad vos*, vel, quemadmodum *Caſtellio* textui Hebraico magis conformiter vertit, ERO *mittit me ad vos*. Cum præter eum, qui Moſen ad Iſraelitas mittebat, non ſit Deus alius *Jeſ.* XLIV. 6; non eſt ipſi nomen, quo ab aliis Diis tanquam ſui ſimilibus diſtinguatur. Diſtinguitur tamen ab ente quocunque alio per determinationes ipſi eſſentiales & alteri enti cuicunque incommunicabiles. Quamobrem nominis loco eſſe poterat

deter-

determinatio eſſentialis, quæ enti alii convenire nequit. Jam cum Deus dicit, ſe vocari *Ero*, quod exiſtere nunquam ſit deſiturus, adeoque quocunque tempore conceptibili de eo dici poſſit, quod exiturus ſit, neceſſe eſt, exiſtentiam inter determinationes eſſentiales referri. Patet itaque juxta Scripturam Sacram exiſtentiam eſſe Deo eſſentialem, ut non poſſit concipi poſſibilis, quin ſimul concipiatur ut exiſtens, quemadmodum antea demonſtravimus (§. 72. 73).

Idem prorſus eodem modo probatur ex nomioe Dei proprio *Jehovah*, quod in veteri Teſtamento ipſi tribuitur. Deſcendit enim a הוה, quod eſt eſſe, ut adeo nomen אהיה *Ero*, de quo ante diximus, idem explicet.

§. 79.

Impoſſibilitas ortus & interitus Dei.

Deus nec ortus eſt, nec interire poteſt. Eſt enim Deus ens a ſe (§. 67). Enimvero ens a ſe nec ortum eſt, nec interire poteſt (§. 37). Ergo Deus nec ortus eſt, nec interire poteſt.

Idem etiam eodem modo oſtendi poterat, quo ſupra impoſſibilitatem ortus & interitus de ente a ſe evicimus.

§. 80.

Impoſſibilitas annihilationis Dei.

Deus annihilari nequit. Etenim Deus eſt ens a ſe (§. 67). Quamobrem cum ens a ſe annihilari non poſſit (§. 38); nec Deus annihilari poteſt.

Idem de Deo probari poterat ex exiſtendi oeceſſitate, perinde ac propoſitio præcedens. Pone enim Deum poſſe annihilari. Exiſtere igitur deſinet, ut oihil ejus amplius actu ſuperſit (§. 540 *Ontol.*). Non igitur impoſſibile eſt, ut non exiſtat, conſequenter exiſtentia ejus neceſſaria non eſt (§. 279 *Ontol.*): id quod abſurdum (§. 71). Idem abſurdum ſequitur, ſi ponamus Deum fuiſſe ortum, cum quod oritur exiſtere incipiat, quando antea oon exiſtebat (§. 541 *Ontol.*), & quod interit exiſtere deſinat, quando antea exiſtebat (§. *cit.*).

§. 81.

Ortus & interitus cur divinæ eſſentiæ repugnet.

Ortus & interitus eſſentiæ divinæ repugnat. Repugnat enim uterque eſſentiæ entis a ſe (§. 46). Quamobrem cum Deus ſit ens a ſe (§. 67); eſſentiæ divinæ tam ortus, quam interitus repugnare debet.

Pone nimirum ens aliquod ortum eſſe ab alio, eoquidem ſenſu, quo nos vocabulum ortus accipimus (§. 541 *Ontol.*) & quo communiter accipi ſolet: impoſſibile eſt, ut ens iſtud ſit Deus, cum eſſentiam eam habere nequeat, quæ Deo competit (§. 73). Pone ens aliquod interire poſſe, aut interiiſſe: impoſſibile eodem modo deprehenditur, quod fuerit aut ſit Deus.

§. 82.

Falſorũ Deorum character.

Qui adeo *Dii dicuntur orti ab aliis, ſeu ex iiſdem nati, aut numero hominum exemti in Deorum numerum translati; veri non ſunt, ſed falſi Dii* (§. 81).

Hinc patet, Deos gentilium, Græcorum & Romanorum, qui partim ea aliis Diis oati, partim ex hominibus nati in Deorum numerum translati perhibentur, oon fuiſſe Deos veros, ſed falſos. Unde porro liquet, apud Græcos atque Romanos non fuiſſe vera Theologiæ naturalis prioeipia, ut adeo Paulus Epheſios ſine Deo in mundo fuiſſe dicat, ſeu atheos appellet Eph. II. 12. Qui enim falſos fingit Deos, qui per eſſentiam, quam ipſis tribuit, Dii eſſe non poſſunt, oec præter eos Deum alium admittit, is utique exiſtentiam veri Dei negat, atque adeo atheus eſt.

§. 83.

Simplicitas & immate-

Deus eſt ens ſimplex, & corporeus eſſe nequit. Etenim Deus eſt ens a ſe (§. 67). Ens vero a ſe ſimplex eſt (§. 49). Ergo & Deus ens ſimplex eſt.

rialitas Dei.

Porro ens a ſe compoſitum eſſe nequit (§. 47), adeoque nec Deus compoſitus eſſe poteſt. Quamobrem cum corpus omne ſit ens compoſitum (§. 119 *Coſmol.*); Deus quoque corporeus eſſe nequit.

Supra jam oſtendimus (*not.* §. 49) ſimplicitatem eſſe enti a ſe eſſentialem, & idem adeo expers eſſe compoſitionis per eſſentiam. Unde intelligitur eſſe Deo eſſentialem ſimplicitatem & eſſentiæ ipſius repugnare, ut habeat corpus.

§. 84.

Falſorũ Deorum charaſter.

Quoniam fieri non poteſt, ut Deus ſit corporeus, *qui Diis corpora humana tribuunt, ſeu Deos admittunt corporibus humanis præditos; falſos Deos fingunt*.

Unde denuo patet Deos, quos coluere Græci atque Romani, non fuiſſe veros Deos: conſtat enim, quod ipſis tribuerint corpora humana, qua etiam de cauſa non abſurdum ipſis videbatur, Deum ex Diis atque Deabus eodem modo naſci, quo homines ex hominibus naſcuntur, & ex hominibus natos Deificari ſeu Deos ex iis fieri. Dubium, quod Scriptura Sacra movere videtur, dum Deo tribuit organa & artus corporis humani, mox ex inſtituto ſolvemus.

§. 85.

Extenſio cur Deo repugnet.

Deus non eſt extenſus. Pone enim, ſi fieri poteſt, Deum eſſe extenſum. Quoniam extenſum omne habet partes, quarum unaquæque extra alteram exiſtit (§. 549 *Ontol.*); Deus ex partibus conſtat a ſe invicem diſtinctis. Quare cum ſimplex partibus careat (§. 673 *Ontol.*); Deus ſimplex eſſe nequit: quod cum ſit abſurdum (§. 83), Deus extenſus non eſt.

Deum ſcilicet materialem faciunt, qui eidem extenſionem tribuunt (§. 141 *Coſmol.*). Unde & Materialiſtæ negant Deum ſine extenſione concipi poſſe, utpore qui tantummodo entia materialia exiſtere admittunt (§. 133 *Pſychol. rat.*). Equidem non deſunt, qui ſimplicitatem Dei rident, propterea quod Deum in punctum mathematicum converti nugantur: enimvero hi ſunt, qui notionem entis ſimplicis non habent, a nobis in Ontologia prolixe explicatam, imaginaturi quod nonniſi rationis acumine perveſtigari poteſt.

§. 86.

Cur Spatium non ſit Deus.

Quoniam ſpatium in abſtracto, ſeu ſecundum communem notionem, a nonnullis philoſophis adoptatam (§. 611 *Ontol.*), ſine extenſione concipi nequit (§. 594 *Ontol.*), Deus autem extenſus eſſe nequit (§. 85); *impoſſibile* quoque *eſt ſpatium eſſe Deum*, vel *aliquod attributum divinum*.

Henricus Morus in Enchiridio Metaphyſico part. I. c. 5. ſ. 165 & ſeqq. Tom. I. operum philoſophicorum, ſpatium ipſam ſubſtantiam divinam eſſe contendit, & *Joſephus Raphſon* in Conamine mathematico-metaphyſico de Spatio reali ſeu ente infinito, eiuſdem veſtigiis inſiſtens, ſpatium facit attributum divinum, ipſam ſcilicet immenſitatem. Supponit autem uterque notionem ſpatii imaginariam, de qua diximus alibi (§. 599. 611 *Ontol.*). Quoniam corollarium ad refellendum hunc errorem appoſuimus; ideo quoque ſupponenda erat ſpatii notio imaginaria, quamvis per notionem realem multo clarius pateat, ſpatium non poſſe eſſe Deum. Cum enim ſpatium ſit ordo ſimultaneorum, quatenus coexiſtunt (§. 589. 590 *Ontol.*), quod adeo non datur, niſi quatenus ſimultanea exiſtunt (§. 600 *Ontol.*), nemo non videt, quam foret abſonum affirmare, quod Deus ſit ſpatium, vel quod ſpatium ſit aliquod attributum divinum. Abſit autem, ut ex notione ſpatii reali conſequentias moleſtas nectas adverſus eos, qui notione ſpatii imaginarii deluſi ſibi perſuaſere, ſpatium eſſe aliquod Dei attributum, vel ipſam divinam ſubſtantiam!

§. 87.

Inſenſibilis & imagina-

Inſenſibile dicitur, quod ſenſu percipi nequit. *Imaginabile* vero vocatur, quod vi imaginationis repræſentari poteſt.

Hinc

Hinc quoque in ſpecie intelligitur, quid ſit *invìſibile*, ſcilicet quod viſu percipi nequit, hoc eſt, quod videri minime poteſt. Et eodem modo idem intelligitur de ſenſibus ceteris.

bilis definitio.

§. 88.

Cur Deus ſit inſenſibilis, nec imaginabilis.

Deus inſenſibilis, nec imaginabilis eſt. Cum enim ſenſationes animæ ſint repræſentationes compoſiti (§. 83 *Pſychol. rat.*), quod ſimplex eſt ſenſu percipi nequit, adeo ut ne compoſita quidem omnia ſenſu percipi poſſint (§. 99. 100 *Pſychol. rat.*). Eſt vero Deus ens ſimplex, nec corporeus (§. 83), adeoque nec compoſitus eſſe poteſt (§. 119 *Coſmol.*). Deus igitur ſenſu percipi nequit, conſequenter inſenſibilis eſt (§. 87). *Quod erat unum.*

Porro phantaſmata, hoc eſt, ideæ vi imaginationis productæ (§. 93 *Pſychol. empir.*), ſunt itidem repræſentationes compoſiti (§. 178 *Pſychol. rat.*). Quamobrem ut ante patet, Deum vi imaginationis repræſentari non poſſe. Imaginabilis itaque non eſt (§. 87). *Quod erat alterum.*

Poſterius etiam hoc modo oſtenditur. Vi imaginationis producuntur perceptiones rerum ſenſibilium abſentium (§. 92 *Pſychol. empir.*), vel quales nobis erant, cum res ſenſu perciperemus (§. 91 *Pſychol. empir.*), vel quatenus ex iis, quæ ſenſu antea percepimus, dividendo ac componendo quædam finguntur (§. 144. 145 *Pſychol. empir.*), & quod ita fingitur, ei objectum ſimile ars producere valet (§. 148 *Pſychol. empir.*), ut adeo ſenſu quoque percipi poſſit (§. 84 *Pſychol. rat.*), conſequenter ſenſibile efficiatur (§. 87). Quicquid igitur inſenſibile eſt, idem nec imaginabile eſſe poteſt (§. 87). Quamobrem cum Deus inſenſibilis ſit *per demonſtrata*; nec idem imaginabilis eſſe poteſt.

Quos Dei ſimplicitas male intellecta offendit, hi ipſi ſunt, qui Deum imaginari cupiunt. Et qui ſenſibus adeo intenti ſunt, ut animum ab iis avocare nondum didicerint, vel neſcii pro nihilo habent, quod nullo modo imaginabile eſt, conſequenter ſenſibilibus prorſus diſſimile. Inde profecto eſt quod quidam Deum faciant extentum & immenſitatem divinam per eam extenſionem imaginentur, quam ſpatio imaginario tribuimus.

§. 89.

Inviſibilitas Dei.

Quoniam Deus inſenſibilis eſt (§. 88), viſibile vero ſenſibile (§. 87); *Deus* quoque eſt *inviſibilis*, conſequenter *videri nequit* (§. *cit.*).

Fluit inviſibilitas ea ſimplicitate & hinc pendente immaterialitate divina, quemadmodum ea demonſtratione propoſitionis præcedentis intelligi poteſt. Poterat inviſibilitas inde in ſpecie demonſtrari, cum natura viſionis ſimplicitati repugnet. Sed de hac repugnantia rectius paulo poſt dicemus.

§. 90.

Cur Deus nec pingi nec ſculpi poſſit.

Dei imago aliqua nec pingi, nec ſculpi poteſt. Imago omnis repræſentatio entis compoſiti eſt (§. 85 *Pſychol. rat.*), & quod quidem pingitur, in ſuperficie ſeu tabula (§. 88 *Pſychol. rat.*), quod vero ſculpitur, in ſolido repræſentatur (§. 89 *Pſychol. rat.*). Enimvero Deus ens ſimplex eſt (§. 83), adeoque compoſitus eſſe nequit (§. 685 *Ontol.*). Quamobrem nulla poſſibilis ejus imago, neque adeo pingi, nec ſculpi poteſt.

Propoſitionis præſentis veritas tota pendet a ſimplicitate Dei, ut adeo de omni ente ſimplici negari debeat, quod hic de Deo negatur. Et idem tenendum eſt de propoſitione præ-

cedente (§. 88). Conſtat animam eſſe ens ſimplex (§. 48 *Pſychol. rat.*). Quamobrem ejus ſimplicitas in cauſa eſt, cur nec ipſa pingi, nec ſculpi poſſit, ſeu quod nulla ipſius effingi poſſit imago, neque pictura, neque ſculptura, & cur eam nec videre aut alio ſenſu percipere, nec imaginari liceat.

§. 91.

Poſſibilitas figurarum hieroglyphicarũ de Deo

Deus per figuras hieroglyphicas repræſentari poteſt. Etenim nil obſtat, quo minus ea, quæ Deo inſunt, propter aliquam ſimilitudinem generalem per res materiales tanquam per ſigna indigitentur & ex iis figura quædam componatur, quæ pingi & ſculpi poteſt. Quamobrem cum res, quibus iſtiuſmodi ſignificatus imponitur, ſignificatum hieroglyphicum habeant (§. 151 *Pſychol. empir.*), & figuræ, quas inde compoſita phantaſmata ſignificatum hieroglyphicum habentia repræſentant, hieroglyphicæ ſint (§. 157 *Pſychol. empir.*); quin Deus per figuras hieroglyphicas repræſentari poſſit dubitandum non eſt.

Comenius in Orbe picto cum Deum pingere non poſſet, figuram hieroglyphicam pinxit. Pingit enim triangulum cum circulo inſcripto, radiis undiquaque in orbem diffuſis & circumcirca nubes ſibi invicem imminentes: circulus vero medium figuræ occupat. Circulus deſignat æternitatem, triangulum circumſcriptum Trinitatem in unitate, nubes totum ſpatium mundanum; radii undiquaque in orbem diffuſi vero denotant dependentiam rerum omnium a Deo & quod circulus cum triangulo circumſcripto medium occupat locum & nubes aliquo intervallo ab eodem removentur, hoc ipſo indigitatur Deum eſſe ens primum idque prorſus independens ab univerſo hoc mundo adſpectabili ſeu rebus omnibus extra ipſum exiſtentibus. Beneficio igitur hujus figuræ Deus repræſentatur tanquam ens æternum atque trinum ab omni alio ente independens, ſed a cujus virtute reliqua omnia in eſſendo & exiſtendo dependent, conſequenter ſi a Trinitate diſceſſeris, quæ nonniſi lumine revelationis innoteſcit, hac ipſa figura hieroglyphica ſatis apposite repræſentatur definitio illa nominalis Dei, quam ſupra dedimus (§. 67). Probe vero notanda eſt differentia, quæ inter imagines Dei, quarum impoſſibilitatem adſtruximus (§. 90), & figuras hieroglyphicas, quarum poſſibilitatem hic docemus, intercedit, ne figuras hieroglyphicas de Deo pro imaginibus Dei habeamus. Qui pingit & ſculpit figuram Dei hieroglyphicam juvandæ memoriæ & recordationis gratia; is non pingit vel ſculpit imaginem Dei, ſeu ſibi facit effigiem Dei. E. gr. inferius demonſtrabimus, Deo competere omnium quovis momento præſentium in toto univerſo notitiam, ſeu, quod perinde eſt, Deum ſibi eſſe conſcium omnium eorum, quæ quovis momento in toto hoc univerſo contingunt. Oſtendemus etiam hoc Dei attributum in Scriptura Sacra *oculi* vocabulo denotari. Quamobrem ſi eadem magiſtra Dei hoc attributum ſeu Deum ipſum mediante hoc attributo tibi repræſentes per oculum in centro univerſi poſitum & undiquaque per vaſta mundi ſpatia radiantem, quemadmodum in templo quodam me vidiſſe memini, & hanc figuram pingi cures, ut pictura in conclavi oculis tuis oppoſita in memoriam tibi revocet, Deum quoque ſibi conſcium eſſe ejus, quod nunc in quovis conclavis angulo agis; nullum Dei pingi ac ſculpi neſcii imaginem feciſſe dici potes divinitate in idolum tranſmutata. Facile apparet, idem dicendum eſſe de quovis ente ſimplici alio, veluti de anima noſtra, quæ hic de Deo dicta ſunt. Etenim fluunt ex immaterialitate Dei, adeoque applicari poſſunt ad ens omne, quod materiale non eſt, ſive ſubſtantia fuerit, ſive accidens. Eadem de cauſa figuræ hieroglyphicæ virtutum & vitiorum, quamvis vulgo dicantur imagines, in numerum tamen imaginum rerum referri non poſſunt; ita ut ſint imagines repræſentationum virtutum ac vitiorum, non vero ipſarum virtutum ipſorumque vitiorum.

§. 92.

Primitas & ultimatio Dei.

Deus eſt ens primum & ultimum, hoc eſt, *omnibus entibus præexiſtit independenter, nec quicquam ipſi ſuccedit dependenter ab eo*. Etenim Deus ens a ſe eſt (§. 67). Sed ens a ſe eſt ens omnium primum ac ultimum (§. 45), quod

ita

ita ceteris omnibus præexiſtit, ut ipſum in exiſtendo non dependeat ab alio, & cui nullum ſuccedere poteſt eidem ſimile, quod in exiſtendo ab ipſo dependeat (*not. §. cit.*). Deus igitur eſt ens primum & ultimum & entibus ceteris omnibus ita præexiſtit, ut in exiſtendo non dependeat ab alio, nec ei ullum ens ipſi ſimile ſuccedere poteſt, quod in exiſtendo ab ipſo dependeat.

Attributum hoc divinum probe notandum eſt, ne confuſis notionibus, quæ nobis tale quid non cogitantibus inſinuant, intenti ad Deum transferamus, quod homini proprium. Etenim primus homo non alium habuit, qui ipſum præceſſit, dependenter tamen ab ente alio extitit, atque adeo ejus præexiſtentia dependens fuit, ut hinc Deus non eodem ſenſu ſit primus in ſerie omnium entium, quo primus homo is fuit in ſerie omnium hominum ſeu generis humani. Ceteri homines omnes, qui primum ſequuntur, dependenter ab eo præexiſtunt aliis. Quilibet itaque eorum ſuccedit aliis, ſed dependenter non modo ab eo, cui proxime ſuccedit; verum a ceteris omnibus qui præextiterunt. Unde patet exiſtentiam hominis involvere præexiſtentiam & ſucceſſionem dependentem, quatenus in generis humani ſerie alios ſequitur, alios præcedit. Exiſtentia divina in eo ab humana prorſus diverſa eſt, utpote nullum reſpiciens terminum, quemadmodum exiſtentia dependens reſpicit.

§. 93.

Incorruptibilitas Dei.

Deus eſt incorruptibilis. Deus enim ens ſimplex eſt (§. 83), adeoque partibus caret (§. 673 *Ontol.*), conſequenter fieri nequit ut diſſolutione in partes exiſtere deſinat, adeoque intereat (§. 541 *Ontol.*). Quamobrem cum incorruptibile ſit, quod diſſolutione in partes interire nequit (§. 666 *Pſychol. rat.*); Deus incorruptibilis eſt.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus eſt ens ſimplex (§. 83), adeoque eodem modo, quo entia compoſita, conſequenter corpora (§. 119 *Coſmol.*), interire nequit (§. 697 *Ontol.*). Enimvero corpora corruptibila ſunt (§. 667 *Pſychol. rat.*). Deus igitur corruptibilis eſſe nequit, conſequenter incorruptibilis eſt (§. 666 *Pſychol. rat.*).

Imo idem hoc quoque modo evincitur. Deus ſimpliciter interire nequit (§. 79), omniſque interitus eſſentiæ ipſius repugnat (§. 81). Quamobrem nec fieri poteſt, ut diſſolutione in partes intereat, conſequenter incorruptibilis eſt (§. 666 *Pſychol. rat.*).

Quodſi demonſtratio indirecta magis placeat; pone Deum eſſe corruptibilem. Fieri adeo poteſt, ut diſſolutione in partes intereat (§. 666 *Pſychol. rat.*). Interitus adeo omnis eſſentiæ divinæ non repugnat; quod abſurdum (§. 81). Vel Deus partes habet, adeoque ens ſimplex non eſt: quod demuo abſurdum (§. 83).

Corruptibilitas rerum materialium eſt, unde Deus hoc ipſo diſtinguitur a rebus materialibus, quod eodem, quo ipſæ, modo interire non poſſit, ſeu iſtiuſmodi interitus, qualis rebus materialibus competit, eſſentiæ ipſius repugnet. Quodſi propoſitio primo vel ſecundo modo demonſtretur; ejus ope demonſtrari poteſt adhuc ſpecialius, atque adeo clarius, nullum poſſe concipi modum, quo Deus interire poteſt, quod ex principiis generalibus evicimus ſuperius (§. 79), quemadmodum ex propoſitione ſequente apparet.

§. 94.

Cur Deus interitus omnis expers.

Nullus poteſt concipi modus, quo Deus interire poſſit. Etenim ens omne aut ſimplex eſt, aut compoſitum (§. 685 *Ontol.*). Jam ſi ens ſimplex interire debet, non interire poteſt niſi per annihilationem (§. 698 *Ontol.*), compoſita vero

interi-

interire poſſunt citra cujuſpiam annihilationem (§. 542 *Ontol.*), nimirum cum eſſentia entis compoſiti conſiſtat in modo, quo partes ipſius inter ſe junguntur, partium diſſolutione, adeoque corruptione (§. 666 *Pſychol. rat.*). Quare cum Deus nec annihilari poſſit (§. 80), nec corruptibilis ſit (§. 93); nullus concipi poteſt modus, quo interire poſſit.

Equidem corruptionis corporum varii dantur modi, ſed qualeſcunque tandem ſint, in eo omnes conveniunt, quod partes, quæ conjunguntur, a ſe invicem divellantur. Atque adeo ſufficit removiſſe corruptionem in genere, ut removeantur omnes ſpecies. Quemadmodum vero incorruptibilitas fluit ex ſimplicitate, ita annihilationis impoſſibilitas ex aſeitate ſeu potius exiſtendi neceſſitate, quæ enti a ſe competit.

§. 95.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad incorruptibilitatem Dei. *Deus in Sacra Scriptura incorruptibilis dicitur eodem ſenſu, quo eum incorruptibilem eſſe probavimus.* Etenim *Rom.* I. 13. Apoſtolus Deum vocat ἄφθαρτον in oppoſitione ad hominem, quem φθαρτὸν vocat. Recte vertit locum iſtum vulgatus interpres: *Mutaverunt*, ſcilicet gentes, *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis*, ſit ita quod *Caſtellio* magis ad veritatem dicti, quam ad proprium ſignificatum vocabuli attentus ἄφθαρτον vertat per *immortale*, & φθαρτὸν per *mortale*; *Lutherus* vero in vernacula ſignificatu generaliore illud vocabulum *durch unvergänglich*, & hoc *durch vergänglich*, cum priori alias in Scriptura reſpondeat ἀπαράβατος *Hebr.* VII. 24, quod non tranſitorium ſignificat, uti etiam vertit *Caſtellio*, vulgatus ad ſignificatum verbi proprium non reſpiciens per ſempiternum. 1. *Cor.* XV. 53. Apoſtolus mutationem, quam corpora in reſurrectione mortuorum ſubibunt, his deſcribit verbis: Δεῖ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν; quod bene vertit vulgatus: *oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Nec a ſignificatu proprio verbi hic recedit *Caſtellio*, qui ita vertit: *oportet hoc corruptibili incorruptibile natura indui*. Retinet quoque *Lutherus* ſignificatum vocabuli proprium ſpecialem, cum utatur voce *verweslich*, non vero *vergänglich*. Et notandum quidem eſt eo in loco Apoſtolum mortale a corruptibili & immortale ab incorruptibili diſtinguere. Eam enim corporum noſtrorum mutationem fore ait in reſurrectione, ut, cum in hac vita ſua natura eſſet corruptibile, in vita altera futurum ſit incorruptibile, cumque jam eſſet mortale θνητὸν, olim immortalitatem ἀθανασίαν conſecuturum ſit. Jam corpus humanum non modo vivum eſt, verum etiam mixtum, quatenus ſcilicet ſingulæ ejus partes ex materia mixta conſtant. Moritur homo, dum vita privatur: at corrumpitur, dum mixtio ſolvitur. Corpus mortuum adhuc corpus humanum eſt, cum adhuc integra & ſalva ſit maxima ex parte ſtructura ejus, ſi non integra, in qua eſſentiam ejus conſiſtere conſtat (§. 276 *Coſmol.*). Sed tum demum corrumpitur, quando putrefactione diſſolvitur mixtum, ut in particulas minimas reſolvatur totum corpus, ſicque ejus intereat ſtructura. Patet itaque corruptibile hic dici, quod diſſolutione in partes, unde compoſitum eſt, interit, & incorruptibile, quod ita interire nequit, quemadmodum nos vocabulum

ſumi-

Digitized by Google

ſumimus (§. 666 *Pſychol. rat.*). Atque hoc pacto manifeſtum eſt, Deum incorruptibilem dici in Scriptura eodem ſenſu, quo nos probavimus, eum incorruptibilem eſſe (§. 75).

Deus quoque incorruptibilis dicitur 1. Tim. I. 17, ubi vocatur *βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἄφθαρτος Θεός*, Rex ſeculorum incorruptibilis Deus, ubi ab incorruptibilitate petitur ratio, cur ipſi imperium in ſecula, ſeu tempus quodcunque conceptibile competat. Sed ne nimis longe recedendum nobis eſſet in interpretando a ſcopo, locum priorem, quo uſi ſumus in probanda propoſitione præſente, præferre voluimus huic. Ceterum propoſitionis præſentis probatio confirmat, quæ de uſu linguarum autenticarum in Scriptura Sacra interpretanda dicta ſunt (§. 978 *Log.*), ſcilicet num verſio rite facta, ſeu an voces linguæ authenticæ & in verſione iiſdem reſpondentes eandem rem deſignent. Vidimus enim interpretes non conſtanter proprio inhærere verborum ſignificatui, etſi nulla urgeat neceſſitas; ut ab eodem recedant, & nunc hunc interpretem, nunc alium retinere proprium. Ita vulgatus interpres vocabulum *ἄφθαρτος* rite vertit, non tamen vocabulum *ἀναφάβατος*, & contra *Caſtellio* rite vertit poſterius, non tamen prius in utroque loco, ſed rite in uno, minus exacte in altero, quemadmodum etiam facit *Lutherus*, etſi non idem æquipollens ſubſtituant, ubi a proprio ſignificatu vocabuli recedunt. Neque vero exiſtimandum eſt, non multum referre, utrum Deum dicas immortalem an incorruptibilem; utrum quid dicas ſempiternum, an non tranſitorium. Cum enim Scripturæ Sacræ auctorem principalem agnoſcamus ipſum Deum, & nemo non largiatur, Deum non ſine ratione vocabulum unum præferre alteri; perinde cenſeri non debet, quodnam vocabulum adhibeas in verſione, ubi utrumque fundit ſenſum verum: perit enim emphaſis, quam intendit Deus, conſequenter ſenſus, quem prodit verſio, non prorſus idem eſt cum eo, qui convenit textui authentico. Clariſſime hoc perſpicitur in loco Rom. I. 23, ubi amentiæ accuſantur gentes, quod idola ſpecie humana vel animantium brutorum finxerint, propterea quod Deus per naturam ſuam ſit incorruptibilis, cum contrario quæ ſpeciem habent hominis, vel animantis ſint entia materialia, adeoque corruptioni obnoxia (§. 667 *Pſychol. rat.*), conſequenter divina natura iiſdem repugnet. Amentem enim omnino ſe probat, qui talem fingit Deum, cui natura divina repugnat. Ex immortalitate Dei amentia iſta non eadem evidentia probatur. Dabimus alibi exempla, quæ idem adhuc clarius loquentur. Notandum præterea, quia ſignificatus vocabuli *ἄφθαρτος* ex 1. Cor. XV. 53 apodictice probari poteſt, ut contra interpretationem nulli exceptioni ſit locus, niſi contextui vim manifeſtam inferre volueris; locum hunc eſſe claſſicum de vocabuli iſtius ſignificatu. Unde hinc fructuoſam loci claſſici notionem abſtrahere licet.

§. 96.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad inviſibilitatem.

Deus in Scriptura Sacra dicitur inviſibilis. Deus inviſibilis dicitur Col. I. 15. & 1. Tim. I. 17. Cum dubium nullum ſit vocabula ſumi in ſignificatu recepto, ubi contrarium nulla neceſſitas urget; non eſt qui dubitet, Deum dici inviſibilem, quia videri nequit, quemadmodum viſibilia videmus (§. 87). Non vero ſine ratione in loco priore Deus dicitur *ὁ ἀόρατος*, is qui inviſibilis eſt. Etenim hoc ipſo ſignificatur, quod *inviſibilitas* ſit *Deo eſſentialis*.

Ex eo, quod inviſibilitas Deo eſſentialis, ratio redditur, cur impoſſibile ſit, ut hominum aliquis videat Deum. Atque hinc porro intelligitur emphaſis, quæ ineſt verbis Apoſtoli 1. Tim. VI. 16, *Deum nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*. Cum enim, præſertim ob verba antecedentia, quod Deus lucem inhabitet inacceſſibilem, facile quis ſuſpicari poſſet, nullum hominum vidiſſe Deum propter impedimentum aliquod accidentale; Apoſtolus addit, quod nec videre poſſit, quia ſcilicet obſtat impoſſibilitas ex parte ipſius Dei, utpote per eſſentiam ſuam inviſibilis, quemadmodum aliunde cognitum ſupponit. Notes velim, verba Apoſtoli non allegari poſſe ad probandam inviſibilitatem Dei, cum ex contextu citra dubitationem erui non poſſit ratio, cur impoſſibile ſit, ut homo videat Deum, propterea quod nondum cognita aliunde inviſibilitate Deo eſſentiali ex contextu non appareat, utrum emphaſis, quæ verbis Apoſtoli ineſt, quærenda ſit in impoſſibilitate, quæ eſt ex parte

ſubjecti

ſubjecti cognoſcentis, an in impoſſibilitate, quæ datur ex parte objecti cognoſcendi. Adeſſe aliquam emphaſin in verbis Apoſtoli, per ſe patet, quoniam ſimpliciter dicere poterat, nullum hominum vidiſſe Deum, vel nullum hominum Deum videre poſſe, conſequenter non ſine ratione utrumque conjungat, ut adeo vulgatus interpres particulam *ſed*, quæ in textu græco non extat, menti tamen Apoſtoli convenienter addat excitaturus attentionem ad emphaſin latentem, quam lector in ſe facile deſiderari paſſurus erat. Enimvero ipſa emphaſis ex contextu, qui eam ambiguam relinquit, explicari non poteſt: explicanda igitur eſt per collationem verborum Apoſtoli cum aliis Scripturæ locis, qualia in probanda propoſitione præſente in medium adduximus. Quodſi animum ad hæc adverteris, ideam quandam exemplarem nanciſcaris interpretationis Scripturæ per Scripturam, & differentiæ dictorum claſſicorum & minus claſſicorum. Nimirum Scriptura per Scripturam explicatur, ſi in demonſtrando ſenſu verborum Scripturæ tanquam principiis uteris iis, quæ per alia Scripturæ loca manifeſta ſunt. Ita in præſente caſu ratio, cur nullus hominum Deum videre poſſit, quæ per contextum dubia videri poterat, redditur ex eo, quod per eſſentiam ſuam ſit inviſibilis: id quod ex aliis Scripturæ locis manifeſtum eſt. Redditur autem impoſſibilitatis videndi Deum ratio, ut plenius mentem Apoſtoli aſſequamur, utpote inculcaturi, ſe non poſſe reperire verba, quibus ea, quæ Deo inſunt, intelligibili modo exprimat. Dicta claſſica in eo differunt a ceteris, quæ claſſica non ſunt, quod in illis ſenſus verborum demonſtrativa quadam ratione adſtrui poſſit, non ſuppoſitis aliis aliunde cognitis: aſt non claſſicorum oppoſita ratio eſt, per ea enim ſenſus verborum ambiguus relinquitur, ita ut per alia aliunde cognita demum decidendum ſit, quinam is eſſe debeat. Ita in noſtro exemplo loca, quæ in probanda propoſitione adduximus, ſunt claſſica de inviſibilitate Dei; cum enim inviſibilitas recenſeatur inter attributa divina, neceſſe eſt ut rationem intrinſecam habeat in ipſa eſſentia divina (§. 537 *Ontol.*), atque adeo quidpiam denotet, quod per modum Deo inexiſtentis ſpectatur. Enimvero quando Deus dicitur nunquam viſus ab homine, nec videri poſſe ab homine, inde inferri nequit inviſibilitas per modum Deo inexiſtentis, quemadmodum ante vidimus, adeoque locus iſte de inviſibilitate claſſicus non eſt, ipſe ex claſſicis interpretandus, ne a mente Apoſtoli aberremus. Magni momenti eſt loca claſſica a non claſſicis diſtingui: illa enim ſola ad probationem dogmatum adhibenda, ut conſtituatur analogia fidei certa atque immota, cui convenienter explicari debent loca minime claſſica, ne a vero ſenſu aberretur & ut tota ſenſus amplitudo exhauriatur. Quodſi diſcrimen inter dicta claſſica & minus claſſica non obſerves dogmata probaturus, probationes objectionibus obnoxiæ ſiunt, nec acumine utentibus ſatisfaciunt veritatem in dubitationem adducentes.

§. 97.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad impoſſibilitatem effigiei divinæ.

Juxta Sacram Scripturam nulla poteſt ſculpi, aut pingi Dei imago. Gentes, quæ Divinitatis imagines ſibi fecerunt, dicuntur ſtultæ, quod gloriam Dei incorruptibilis mutaverint in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium Rom. I. 23. Additur *ibid.* 25 vertente *Caſtellione*, quod Dei veritatem in falſitatem tranſtulerint. Ex mente igitur Apoſtoli omnis imago, qualiſcunque tandem fuerit, repræſentat rem ſua natura corruptibilem. Deus vero incorruptibilis eſt. Ejus igitur imago nulla fieri poteſt. Deum eſſe per naturam ſuam incorruptibilem, verum eſt (§. 93), adeoque falſum, eum eſſe per naturam ſuam corruptibilem. Qui imaginem Dei aliquam pingit, vel ſculpit, qualiſcunque tandem ea ſit, Deum fingit per eſſentiam ſuam corruptibilem, adeoque miſſa veritate quod falſum eſt amplectitur, conſequenter Deum verum in falſum vertit, ſeu veritatem Dei in falſitatem transfert.

Equidem in veteri teſtamento ſeveræ leguntur prohibitiones Iſraelitis factæ, ne more gentium ceterarum cultus divini gratia imagines Dei ſibi faciant *Exod.* XX. 4. 5, *Levit.* XXVI. 1, *Deuter.* IV. 15 & ſeqq. & minus obſequentibus facti abſurditas exprobatur *Jeſ.* XLVI. 5 & ſeqq. cap. XLIV. 10 & ſeqq. enimvero inde oſtendi nequit impoſſibilitas imaginem aliquam

quam Dei formandi aliunde ſupponenda. Non vero opus eſt, ut eam per ambages probemus, cum abſque ambagibus evidenter admodum ex dicto *Paulino* probari potuerit. De moralitate facti autem agendi locus hic non eſt. De eadem agemus alibi, quando officia erga Deum, ea inprimis, quæ ad cultum Dei externum faciunt, expoſituri ſumus. Impoſſibilitatem formandi aliquam Dei imaginem Apoſtolus demonſtrat ex incorruptibilitate Dei: nos eandem deduximus ex ſimplicitate ejuſdem (§. 90). Enimvero hæc ſibi mutuo minime repugnant. Nimirum conſtat, Deum ideo eſſe incorruptibilem, quia ſimplex eſt (§. 93). Quamobrem ſi impoſſibile eſt aliquam Dei imaginem fieri, quia per eſſentiam ſuam incorruptibilis; impoſſibile eſt talem fieri, quia ſimplex eſt. Maluit autem Apoſtolus impoſſibilitatem formandæ imaginis Dei deducere ex incorruptibilitate, quam ex ſimplicitate divina, ut ſtoliditatem gentilium ad ipſum vulgi captum redargueret: id quod ipſi propoſitum fuiſſe, verba manifeſta loquuntur *Rom.* I. 21. 22. Nos vero tantummodo intendimus evidentiam rationis, omnem moralitatem actus, quemadmodum modo diximus, ſeponentes.

§. 98.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad figuras hieroglyphicas.

Dei per figuras hieroglyphicas repræſentatio Sacræ Scripturæ conformis. Deus in viſionibus *Jeſaiæ* cap. VI. 1, *Ezechieli* cap. I. 25 & ſeqq. cap. III. 23 cap. VIII. 2. 4, atque *Joanni* factis *Apoc.* IV. 2 & ſeqq. apparuit inſtar hominis in ſolio excelſo & magnifico ſedentis. Similiter conſtat, cum Chriſtus in Jordane a Joanne baptizaretur, Spiritum Sanctum deſcendiſſe ſicut columbam, *Matth.* III. 16, & Chriſtum in viſione *Joanni* facta apparuiſſe inſtar agni *Apoc.* V. 6. Columbam non fuiſſe imaginem Spiritus Sancti, nec agnum imaginem Chriſti proprie ſic dictam, per ſe patet (§. 85 *Pſychol. rat.*). Cumque imago Dei aliqua nec pingi, nec ſculpi poſſit (§. 90), ipſa Scriptura Sacra conſentiente (§. 97), imo ne tale quid fiat ſevere interdicente (*not.* §. *cit.*); nec perſona in ſolio ſedens imago proprie dicta Dei eſſe poteſt. Neceſſe igitur eſt, ut iſtæ repræſentationes propter aliquam ſimilitudinem generalem aliquid Deo, Spiritui Sancto & Chriſto conveniens tanquam per ſigna indigitent. Nimirum cum perſona in ſolio ſedens repræſentet Regem, cui eſt imperium in alios, & ſolium excelſum & magnificum denotet imperii magnitudinem, non modo ex numero ſubditorum, verum etiam ex illimitatione æſtimandam; nemo non videt, in viſionibus *Jeſaiæ*, *Ezechieli* atque *Joanni* factis indigitari ſummum Dei idque prorſus illimitatum ſeu abſolutum in creaturas intelligentes, quales ſunt homines atque angeli, imperium. Columbæ commendantur ob ſinceritatem *Matth.* X. 16. Sinceritas conſiſtit in conſenſu actus externi & interni, ſimulationi oppoſita, in qua actus externus ab interno diſſentit. Quamobrem cum Spiritus Sanctus ſit ſpiritus veritatis, qui teſtimonium perhibet de Chriſto *Joan.* XV. 26 & teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, hoc eſt, animam noſtram certam reddit, quod ſimus filii Dei *Rom.* VIII. 16, imo qui nos veritatis eorum, quæ Deus in Sacra Scriptura revelavit, convincit; columba ſinceritatem tanquam ſingularem Spiritus Sancti virtutem denotat. Nemo neſcit agnis manſuetudinem eſſe naturalem, nec minus ipſis convenire patientiam in ferendis injuriis. Quamobrem cum conſtet manſuetudinem *Matth.* XI. 29, & patientiam in ferendis injuriis 1. Petr.

II. 13 in Chriſto eminuiſſe & has virtutes in ipſo ſingularem a nobis attentionem mereri; quod per agnum repræſentetur ad ſignificandum manſuetudinem & patientiam in ferendis injuriis, dubitandum non eſt. Quoniam itaque res, quibus iſtiuſmodi ſignificatus imponitur, ſignificatum hieroglyphicum habent (§. 151 *Pſychol. empir.*), conſequenter imagines earum figuræ hieroglyphicæ ſunt (§. 157 *Pſychol. empir.*); figuras hieroglyphicas Dei Scripturæ Sacræ non adverſari palam eſt.

Figuræ iſtæ hieroglyphicæ omnem habent ſignificatum, quem per naturam ſuam admittere poſſunt. Noſtrum jam non eſt ſcrutari integrum, ſed pro inſtituti ratione ſufficit oſtendiſſe, quod ſignificatus iſtiuſmodi ſubſit, qualis ad figuras hieroglyphicas requiritur, & docuiſſe, quomodo Scripturæ exemplo eademque magiſtra figuræ hieroglyphicæ Dei rerumque divinarum fieri poſſint: neque enim difficile eſt abſtrahere hinc modum figuras hieroglyphicas formandi, quem iis conſentientem eſſe, quæ de figuris hieroglyphicis (§. 151 & ſeqq. *Pſychol. empir.*) tradidimus, facile agnoſcitur.

§. 99.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad primitatem & ultimationem Dei.

Deus juxta Sacram Scripturam eſt ens primum ac ultimum eodem ſenſu, quo idem ante evicimus. Etenim Deus affirmat *Apoc.* I. 8, ſe eſſe α & ω. Nemo ignorat, α eſſe primam alphabeti græci literam, ω vero eſſe ejuſdem literam ultimam, conſequenter nemo non videt, ſenſum verborum non eſſe proprium, ſed metaphoricum. Senſus igitur non alius, quam hic eſſe poteſt, Deum eſſe entium omnium primum & ultimum, quemadmodum α eſt literarum omnium alphabeti in ea, qua *Joannes* ſcripſit, lingua prima, & ω ultima. Quod vero Deus ſe dicat primum & ultimum in oppoſitione ad entia omnia, ex eo haud obſcure colligitur, quod *Joannes* moneat, quod ſe eſſe α & ω dicat Dominus, qui eſt, qui erat & qui venturus, hoc eſt, qui omni tempore conceptibili exiſtit, ita ut nullum fingi poſſit, quo non exiſtat (§. 77). Sicuti itaque litera α prima eſt in ſerie literarum alphabeti, quia eam non præcedit alia; ita quoque Deus primus eſt in ſerie entium, quia ipſum non præcedit ens aliud, conſequenter quia ipſe omnibus entibus præexiſtit independenter. Eſt adeo Deus ens primum juxta Sacram Scripturam eodem prorſus ſenſu, quo eundem ens primum eſſe evicimus (§. 44. 92). Similiter ſicuti litera ω ultima eſt in ſerie literarum alphabeti, quia poſt ipſam non ſequitur alia; ita quoque Deus ultimus eſt in ſerie entium, quia poſt ipſum non exiſtit aliud, conſequenter ipſi non ſuccedit aliud dependenter ab eo. Eſt adeo Deus ens ultimum eodem prorſus ſenſu, quo eum ens ultimum eſſe ſupra evicimus (§. 44. 92).

Jeſ. XLIII. 6 Deus dicit de ſe ipſo: *Ego primus* & *ego noviſſimus*, ſeu ultimus, conſequenter tantis ambagibus non videbatur opus ad probandum quod Deus juxta Sacram Scripturam ſit ens primum & ultimum. Enimvero cum addat hæc verba, *abſque me non eſt Deus* & ex contextu appareat, Deum ſe vocare primum & ultimum in oppoſitione ad idola gentilium;

evidens

evidens eſt, verba iſta hunc habere ſenſum, quod ante Deum Iſraelitarum non extiterit Deus alius, nec futurum ſit tempus, quo poſt eum extiturus alius, nec in præſente præter ipſum exiſtat Deus quiſpiam alius, conſequenter quod ipſe ſolus ſit Deus ac impoſſibile ſit præter hunc Deum unum dari adhuc alios. Etſi igitur eadem videantur verba, ſenſus tamen non idem eſt, quo ſupra Deum eſſe ens primum & ultimum adſtruximus. Per conſequentiam tamen ex eo, quod Deus Iſraelitarum ſit ſolus Deus, nec præter ipſum poſſibilis deprehendatur Deus quiſpiam alius, inferri poteſt, eum eſſe ens primum & ultimum eo ſenſu, quo ſupra idem evicimus, & modo ex loco Apocalypſeos evidenter admodum adſtruximus. Deus Iſraelitarum ſolus Deus eſt, nec ante ipſum fuit Deus alius, quemadmodum modo vidimus. Idem vero fecit omnia, cælos extendit ſolus, terram ſtabilivit, nec ullus cum ipſo fuit, *Jeſ.* XLIV. 24, hoc eſt, totum hoc univerſum ſolus produxit ſine ullo alterius auxilio. Creatus autem fuit mundus in principio *Gen.* I. 1, quando ſcilicet præter creatorem non exiſtebat ens aliud. Deus igitur Iſraelitarum, qui ante ſe non habuit Deum alium, eſt entium omnium primum, adeoque entibus omnibus præexiſtit independenter ab alio. Jam quoniam hic ipſe Deus independenter ab omni ente alio entibus ceteris omnibus præexiſtit, per modo demonſtrata; ut exiſtat, vi entis alterius non indiget, adeoque ens a ſe eſt (§. 27). Enimvero ens a ſe eſt entium omnium ultimum (§. 45). Deus igitur Iſraelitarum, qui ſolus Deus eſt & præter quem non datur Deus alius, eſt entium omnium ultimum, conſequenter ens nullum dependenter ab eo, ipſi ſuccedere poteſt.

Apparet hinc ex identitate verborum non ſtatim inferri poſſe conſenſum Scripturæ cum philoſophia; ſed animum advertendum eſſe ad verborum ſenſum, ut ex hujus identitate inferatur conſenſus. Patet autem porro, poſſe ab incautis dicta ad probandam aliquam theſin adduci, quam per ſe non probant, quæ tamen inſtar principii ad probandam eandem adhiberi poſſunt. Neque alio fine oſtendimus, quomodo ex eo, quod Deus ſit primus & ultimus, nec præter ipſum detur Deus alius, conſequatur, eum eſſe omnium entium primum & ultimum, quam ut exemplo aliquo oſtenderemus, qua cautione opus ſit, ne probationes ex Scriptura Sacra petitæ ſint deficientes, nec tanquam ſpuriæ rejiciantur, quæ ad genuinam formam reduci poſſunt.

§. 100.

Simplicitas Dei Scripturæ Sacræ conformis.

Deus juxta Sacram Scripturam ens ſimplex eſt, non compoſitum. Etenim Deus juxta Sacram Scripturam eſt ens omnium primum (§. 99), conſequenter ante ipſum non extitit aliud (§. 44). Cum igitur ut exiſtat, ente alterius ad exiſtendum non indigeat; ens a ſe eſt (§. 27). Enimvero ens a ſe ens ſimplex eſt (§. 49), non compoſitum (§. 47). Deus igitur juxta Sacram Scripturam ens ſimplex eſt, non compoſitum.

Ex propoſitionis præſentis demonſtratione intelligitur, quod principia philoſophica proſint ad inferendas ex Scriptura Sacra concluſiones, quæ totidem verbis in eadem non leguntur. Hinc Theologi, veluti *Muſæus* in peculiari diſſertatione, defendunt uſum principiorum rationis in Theologia revelata, cujus adeo dogmata philoſophiæ auxilio amplificantur.

§. 101.

§. 101.

Extenſio juxta Sacram Scripturam Deo non competit.

Quoniam ens ſimplex extenſum non eſt (§. 675 *Ontol.*), *Deus* autem juxta Sacram Scripturam ens ſimplex eſt (§. 100), idem quoque *juxta Sacram Scripturam extenſus eſſe nequit*.

Quando itaque Deus implere dicitur cælum & terram de omnipræſentia ſua locutus *Jerem.* XXIII. 24, id non eodem modo intelligendum eſt, quo corpus aliquod ſpatium replet (§. 124 *Coſmol.*), quaſi mundo coextenſus ſit, extenſione active penetrabili præditus, quæ oppoſita eſt extenſioni paſſive penetrabili, qualis ſpatio tribuitur. Utraque enim penetrabilitas imaginaria eſt, ac inter abortus imaginationis utique referendum, ſi Deus extenſionem corporum penetrare dicatur ſua extenſione, quemadmodum corpora extenſionem penetrant ſpatii. Senſus verborum pendet a modo omnipræſentiæ divinæ, adeoque hic explicari nec debet, nec poteſt.

§. 102.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad immaterialitatem.

Deus juxta Sacram Scripturam corporeus eſſe nequit. Etenim juxta Sacram Scripturam extenſus eſſe nequit (§. 101). Sed cum corpora omnia ſint extenſa (§. 122 *Coſmol.*), quod extenſum non eſt, corporeum eſſe nequit. Deus igitur juxta Sacram Scripturam corporeus eſſe non poteſt.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus juxta Sacram Scripturam per naturam & eſſentiam ſuam incorruptibilis eſt, ita ut incorruptibilitas eidem repugnet (§. 95). Sed corpus omne corruptibile eſt (§. 667 *Pſychol. rat.*). Ergo Deus juxta Sacram Scripturam corporeus eſſe nequit.

Equidem Deum non eſſe corporeum, ex ſpiritualitate ejus probari poterat: diſerte enim Deus dicitur Spiritus *Joann.* IV. 24, & de Spiritu negatur, quod habeat corpus, quale eſt humanum, *Joann.* XXIV. 30. Enimvero cum de ſpiritualitate Dei hic agi nondum poſſit, ſiquidem evidentiam ſectemur, quam nobis ſanctam eſſe jubet methodus demonſtrativa, nec ex eo, quod de ſpiritu negetur corpus humanum ex carne & oſſibus conſtans, citra omnem dubitationem inferatur, eum omni prorſus deſtitui corpore ac prorſus immaterialem eſſe; evidente conſequentia contenti eſſe maluimus. Præſtat enim evidente conſequentia propoſitionem aliquam ex Scriptura Sacra inferri, quam per dicta, quorum interpretatio exceptionibus obnoxia, immediate eam probari. Quæ enim neceſſaria ac evidente conſequentia ex Scriptura Sacra inferuntur, non minus eidem conveniunt, quam quæ totidem verbis in eadem leguntur. Sane inferius patebunt rationes, cur Deus non inſpiraverit auctoribus ſacris, quæ ex iis, quæ inſpiravit, neceſſaria conſequentia inferri poſſunt, niſi occaſione ſingulari urgente.

§. 103.

Quo ſenſu Deo tribuantur corporis humani membra in Sacra Scriptura.

In Scriptura Sacra Deo tribuuntur membra corporis humani metaphorice, ſignificatu quodam generali, qui attributo cuidam divino & uſui illius membri communis eſt. Tribui in Sacra Scriptura Deo membra corporis humani nemo ignorat. Ita Deo tribuuntur oculi *Pſalm.* XXXIII. 18, *Amos* IX. 3 tribuitur facies, *Gen.* III. 8 c. IV. 14. 16. 1. Petr. III. 12 tribuuntur manus, *Pſalm.* XXV. 6. I. *Petr.* V. 6 tribuuntur pedes, *Jeſ.* LX. 13. 14. Cum Deus ſit incorporeus juxta Sacram Scripturam (§. 102), nec oculos, nec faciem, nec manus, nec pedes habere poteſt. Quamobrem hæc membra corporis humani proprie ipſi tribui nequeunt: tribuuntur itaque nonniſi metaphorice. Nemo ignorat per metaphoram vocabula a propria ſignificatione in alienam transferri ob ſimilitudinem. Vid. Voſſius Rhet. lib. 4. c. 4. §. 1. Similitudo conſiſtit in identitate eorum, quæ rebus pluribus inſunt

inſunt (§. 195 *Ontol.*). Neceſſe igitur eſt, ut organis iſtis corporis humani, quæ Deo tribuuntur, & attributis divinis, ob quæ eidem tribuuntur, quædam inſint, quæ eadem ſunt, vel ut communiter loquimur, ut organa iſta corporis humani & attributa quædam divina in quibuſdam inter ſe conveniant. Organum materiale & attributum divinum, quod nihil materiale habet (§. 102), inter ſe convenire nequeunt, niſi quoad uſum organorum, ita ut in Deo concipiatur poſſibile, quod per organum iſtud poſſibile eſt homini. Datur adeo ſignificatus quidam generalis illorum vocabulorum, quibus deſignantur iſta corporis humani membra, qui attributo cuidam divino & uſui horum organorum communis eſt, conſequenter in Sacra Scriptura organa iſta Deo tribuuntur in ſignificatu hoc generali.

Dedimus jam ſupra (*not.* §. 91) exemplum, dum explicavimus ſignificatum generalem, in quo oculus tribuitur Deo. Suo autem loco ex inſtituto explicaturi ſumus omnium membrorum corporis humani Deo in Sacra Scriptura tributorum ſignificatum generalem, in quo eidem tribuuntur. Directricis notionis loco eſt propoſitio præſens, quæ adeo inter regulas hermeneuticas ſpeciales, aut, ſi mavis, ſpecialiſſimas recte refertur.

§. 104.

Deus præditus eſt vi activa. Eſt enim ens ſimplex (§. 83). Jam cum elementis rerum materialium tanquam entibus ſimplicibus (§. 182 *Coſmol.*), & animabus humanis tanquam entibus itidem ſimplicibus (§. 48 *Pſychol. rat.*) vis quædam activa inſit (§. 196 *Coſmol.* & §. 53 *Pſychol. rat.*), adeoque vis activa ſit illud, quod duæ hæ entium ſimplicium ſpecies diverſæ inter ſe commune habent; quin omni enti ſimplici vis quædam activa competat dubitandum non eſt (§. 232. 234 *Ontol.*). Deus igitur vi quadam activa præditus eſt. *Vis activa Dei.*

Qualis ſit hæc vis activa, nondum definimus. Patebit ea ex ſequentibus. Unde cum nondum conſtet, utrum Deus ſit ens finitum, an infinitum; cavendum tantummodo erit, ne per præcipitantiam ad Deum transferamus, quæ de vi activa finita, quæ experimentia noſtris ſubjacet, & cujus in nobis ipſis ideam habemus, in Ontologia demonſtrata & ad elementa rerum materialium in Coſmologia, ad animas noſtras in Pſychologia rationali applicata fuere. Quodſi enim quis inconſulta applicatione inciderit in errores manifeſtos, præcipitantiam ſuam accuſet, minime vero notionum alibi explicatarum falſitatem crepet.

§. 105.

Deus continuo actuoſus eſt. Deo enim competit vis activa (§. 104). Jam ex vi activa continuo ſequitur actio, niſi eidem reſiſtatur (§. 728 *Ontol.*): in Deo autem tanquam ente ſimplici (§. 83), adeoque partibus (§. 673 *Ontol.*), conſequenter virium contrariarum ſubjectis (§. 28. 341 *Ontol.*), carente vires ſibi mutuo contrariæ concipi non poſſint: cumque independenter ab omni ente alio exiſtat (§. 70); nec extrinſeca impedimenta fingi poſſent. Deus igitur continuo actuoſus eſt. *Actuoſitas Dei continua.*

Propoſitionis præſentis ac præcedentis veritas patebit etiam per ea, quæ de attributis divinis demonſtraturi ſumus, intellectum & voluntatem Numinis reſpicientibus. Ceterum eadem cautio hic commendanda, quam modo ad propoſitionem præcedentem inculcavimus.

§. 106.

Digitized by Google

§. 106.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad actuoſitatem continuã.

Deus etiam juxta Sacram Scripturam continuo actuoſus eſt, ſeu ab agendo nunquam ceſſat, ipſique vis activa competit. Etenim cum Judæi Chriſto vitio verterent, quod hominem in Sabbato ſanaſſet, exemplo Dei ſe tuetur *Joann.* V. 17. Pater meus, inquit, uſque modo operatur & ego operor. Nimirum miraculoſa ſanatio hominis infirmi erat opus divinum. Talia opera Sabbato non eſſe illicita cum exemplo Dei probet; verba ejus ſenſum alium habere nequeunt, quam quod Deus continuo operetur, ita ut nullo tempore, adeoque nec in Sabbato ab operatione ceſſet. Atque adeo patet, Deum continuo actuoſum eſſe juxta Sacram Scripturam.

Jam quoniam actio ſeu operatio non ponitur, niſi poſita vi activa (§. 723 *Ontol.*), cum Deus juxta Sacram Scripturam continuo agat ſeu operetur, ita ut nullum ne fingi quidem poſſit tempus, quo ab agendo ceſſet; Deo juxta Sacram Scripturam competit vis activa, nec quicquam datur, quod impedire poſſit, quo minus actio continuo ſequatur.

Habemus hic exemplum modi interpretandi Sacram Scripturam ex contextu per antecedentia: etenim ſi verba extra contextum ſpectes, quid ſibi velit particula *ἕως ἄρτι uſque ad nunc*; ſeu, ut vulgatus vertit, uſque modo, non plene intelligitur. Aſt ubi eadem ad antecedentia in contextu refers, protinus intelligitur, hacce particula indigitari, quod Deus etiam illo momento, quo Chriſtus verba iſta proferebat, adhuc operetur, adeoque per totum ſabbatum operationem ſuam continuet: unde conſequens eſt, quod alio tempore multo magis ab operatione ſua non ceſſet. Convenit hic interpretandi modus cum regula inveſtigandi ſignificatum vocabulorum, quem juxta communem loquendi modum habent (§. 150 *Log.*).

§. 107.

Vivum quid dicatur.

Vivum dicitur, quod habet principium activum in ſe. Quamobrem cum in principio activo contineatur ratio, cur vivum agat ſine motore externo (§. 866 *Ontol.*), vis vero activa rationem ſufficientem actualitatis actionis contineat (§. 722 *Ontol.*); vis activa eſt principium activum, conſequenter *quod vi activa præditum eſt, vivum eſt*.

Sane corpora animalia dicuntur viva, quia abſque impulſu externo moventur, adeoque principium quoddam activum in ſe habent. Et ex adverſo corpus mortuum eſſe judicant omnes, quando motus iſti a principio interno provenientes omnes prorſus ceſſant. Quale ſit principium iſtud, in genere non definimus, cum definitio generis ſaltem nominalis ſit ab obſervatione communi pendens. Horologium motu intrinſeco partium deſtituitur, ſed impulſore externo opus habet, veluti pondere ac elatere: vivum igitur non dicitur.

§. 108.

Vita in quo conſiſtat.

Vita igitur in continua actuoſitate entis alicujus conſiſtit. *Actuoſum* vero eſt, quod vi intrinſeca in ſe actuat, quæ per eſſentiam ſeu determinationes intrinſecas conſtantes in eodem poſſibilia intelliguntur, quemadmodum ex anterioribus jam conſtat.

Ita in corpore humano per ſtructuram ejus internam fieri poteſt, ut ſanguis cum ceteris fluidis continuo circuletur in corpore toto. Et hæc ipſa circulatio interno quodam principio perficitur. Quamdiu igitur hæc circulatio perficitur, corpus actuoſum in ſe eſt, ac ideo vivere dicitur, & vita ejus non conſiſtit niſi in continua ſanguinis circulatione.

§. 109.

§. 109.

Vita animarum qualis ſit.

Animæ humanæ vivunt per naturam ſuam & vita ipſis eſſentialis eſt. Etenim animæ humanæ vi quadam præditæ ſunt (§. 53 *Pſychol. rat.*), qua omnes earum actiones producuntur (§. 60 *Pſychol. rat.*) & omnia actuantur, quæ per facultates earundem fieri poſſe in eiſdem intelliguntur (§. 55 *Pſychol. rat.*). Vivunt itaque animæ humanæ. Cumque vis illa, per quam actuoſæ ſunt (§. 105), quatenus quæ in ipſis poſſibilia intelliguntur actuat, ſit ipſa earundem natura (§. 68 *Pſychol. rat.*); animæ per naturam ſuam vivunt.

Quoniam anima continuo actuoſa eſt (§. 190. 191 *Pſychol. rat.*) & in hac continua actuoſitate vita ipſius conſiſtit (§. 108), actuoſa vero eſt propter vim (§. 60 *Pſychol. rat.*), in qua eſſentiam ejus conſiſtere conſtat (§. 66 *Pſychol. rat.*); ideo per eſſentiam animæ intelligitur, cur vita ipſi competat, conſequenter ratio vitæ ejuſdem in eſſentia ipſius continetur (§. 56 *Ontol.*). Vita igitur animæ eſſentialis eſt.

Quæ de vita animæ evicimus, notioni communi conveniunt: nemo enim animæ non tribuit vitam, propterea quod ipſammet ſuarum cogitationum auctorem agnoſcit. Unde diſtincta explicatione facile eliciuntur, quæ ad probandum propoſitionem præſentem adduximus.

§. 110.

Vita elementorum rerum materialiũ.

Elementa rerum materialium vivunt per naturam ſuam. Hæc enim elementa vi quadam prædita ſunt (§. 196 *Coſmol.*), ob quam ſtatus eorum internus continuo mutatur (§. 197 *Coſmol.*), ut adeo continuo actuoſa ſint (§. 105). Vivunt itaque elementa ſingula (§. 108). Et quoniam per naturam elementorum non intelligimus niſi principium mutationum intrinſecarum intrinſecum, quemadmodum per naturam univerſam in mundo intelligimus principium mutationum in mundo eidem intrinſecum (§. 503 *Coſmol.*), vis vero activa elementorum principium mutationum in elementis intrinſecum eſt (§. 870 *Ontol.*); vis illa activa eſt natura elementorum, quatenus per eam actuantur, quæ per eſſentiam ipſorum in ipſis poſſibilia. Sed propter hanc actuoſitatem elementa vivunt (§. 108). Vivunt igitur per naturam ſuam.

Nil abſurdi eſt, elementa rerum materialium vivere, etſi communiter ignoretur. Ipſa enim elementa vulgo non agnoſcuntur, neque adeo mirum videri debet, quod etiam ignoretur, quæ ipſis competit, vita. Et quamvis compoſita ſint elementorum aggregata (§. 176. 182 *Coſmol.*); non tamen ideo ſequitur, omnia corpora eſſe viva. Neque enim vita eſt in compoſito, ſed in ſimplici, phænomenorum fonte. Quamobrem non obſtat, ut deinceps vita ab illa diverſa in compoſito aliquo inſit, ſicque differentia inter corpus vivum & non vivum oriatur. Et quamvis corpori omni vis motrix, quæ activa eſt (§. 137 *Coſmol.*), ineſſe intelligatur (§. 170. 135 *Coſmol.*); hæc tamen nonniſi phænomenon eſt (§. 296 *Coſmol.*), & compoſito ineſſe intelligitur non per ſe, ſed quatenus ineſt elementis (§. 180 *Coſmol.*). In corpore autem vivo intrinſecum quoddam motuum principium per ſe ineſſe intelligitur, unde motus ſpontanei oriuntur abſque impulſore externo.

§. 111.

Vita Dei.

Deus eſt vivus. Etenim Deus vi activa præditus eſt (§. 104) & continuo actuoſus (§. 105). Quamobrem cum ens vivat, quod vi activa præ-

ditum

Digitized by Google

dictum (§. 107), & in continua actuoſitate vita ejus conſiſtat (§. 108). Deum eſſe vivum dubitari nequit.

In quonam vita ejus conſiſtat, nondum definiri poteſt: definietur autem infra ſuo loco, ubi natura Dei fuerit perſpecta. Ceterum notandum eſt, quantum fallantur, qui ſibi perſuadent, vitam Dei, quam in continua actuoſitate conſiſtere debere agnoſcunt, repugnare ſimplicitati ſuperius evictæ (§. 83), ac propterea eidem extenſionem tribuere, ut ipſorum judicio actuoſus totus, adeoque vivus concipi poſſit. Etenim cum vis proprie dicta eademque vera ac realis non inſit niſi in ente ſimplici, vi compoſiti nonniſi phænomeno exiſtente (§. 296 *Coſmol.*) per illam explicabili (§. 191 *Coſmol.*); ens quoque ſimplex, utpote ſine vi activa non conceptibile, ſine vita concipi nequit & vita propriiſſime ſic dicta eidem ineſt. Quod vero eſt entis ſimplicis inſeparabile attributum, id eidem repugnare haud quaquam poteſt. Fons vero erroris is eſt, quod veram ſubſtantiæ ſimplicis notionem minime habentes punctum mathematicum ſibi imaginentur, in quo nulla deprehenditur realitas, ſed ſaltem defectus omnis extenſionis: quaſi vero ſubſtantia ſimplex & punctum iſtud Mathematicorum imaginarium ſint unum idemque. Poteramus in genere evincere, vitam eſſe omni enti ſimplici eſſentialem, & Deum ideo concipiendum eſſe tanquam vivum, quia agnoſcitur ſimplex.

§. 112.

Vita Dei Scripturæ Sacræ conformis.

Deus juxta Sacram Scripturam eſt vivus & quidem eo ſenſu, quo nos eundem vivum eſſe oſtendimus. Multa ſunt Scripturæ Sacræ loca, in quibus Deus dicitur vivus. Quodſi vero attente conſideraveris omnes in contextu circumſtantias, id fieri intelligitur, ut Deum tanquam actuoſum & vi activa pollentem concipiamus. Ita *Joſ.* III. 10 Deus vivens eſſe dicitur in medio Iſraelitarum, ut fidem habeant Joſuæ aſſerenti, quod gentes, quarum terras occupare debebant, extirpaturus ſit. Deo itaque vita tribuitur, ut intelligatur, ipſum poſſe diſperdere gentes, conſequenter vi maxima activa præditum eſſe: vis enim magna eſſe debet unius, quæ prævalere debet adverſus multos. Vivus adeo in Sacra Scriptura dicitur eodem ſenſu, quo eundem vivum eſſe ante oſtendimus (§. 111).

Similiter Deum viventem appellat Ezechias 2. *Reg.* XIX. dum ejus auxilium implorat adverſus Sennacheribum Regem Aſſyriorum. Etenim eum invocans: ***inclina***, inquit, ***aurem tuam & audi: aperi, Domine, oculos tuos & vide, & audi omnia verba Sennacherib, qui miſit ut exprobraret nobis Deum viventem.*** Ridebat Judæos Sennacherib, quod ſibi blandirentur, quaſi Deus adverſus arma ipſius auxilium ſit laturus, ne iiſdem ſuccumbant, provocans ad gentes alias a ſe devictas, quarum idola flammis feralibus commiſerat. Ezechias itaque Deum precibus ſuis interpellans, ut in ruborem det Regem faſtuoſum cum idolis Deum verum in eundem cenſum referentem, Deum verum viventem appellat in oppoſitione ad idola. Equidem in verſione ***Caſtellionis*** Deus hic loci non vivens, ſed immortalis appellatur: ſed verſio vulgata, quam etiam ſequitur ***Lutherus*** in vernacula, cum textu Hebraico convenit, quo Deus dicitur אלהים חי. Nemo vero Linguæ Hebrææ gnarus eſt, qui neſciat, חי vivum denotare, non immortale. De idolis affirmat Ezechias, quod ſint opera manuum hominum ex ligno & lapide facta, ac præterea nihil, ut adeo facile fuerit Aſſyriis ea

riis ea

riis ea in ignem mittere, genteſque, quas devicerunt, fruſtra eorum opem imploraverint. Deo autem vero tribuit aures, qui & blaſphemias Regis Aſſyriorum audire, & preces populi ſui exaudire poſſit; tribuit oculos, ut videre poſſit, quid moliatur Rex Aſſyriorum; tribuit potentiam, qua hoſtis faſtuoſi molimina irrita facere poſſit. Petit igitur a Deo, ut opem ferat ſibi adverſus hoſtem ſuperbum Divinitatis contemptorem, ut inde intelligat, Deum & audire, quæ loquuntur, & videre, quæ faciunt homines; nec impune ferre contemptum ſui, ipſumque colentibus præſto eſſe adverſus quoſcunque hoſtiles inſultus, hincque colligat Deum eſſe vivum, nec comparari poſſe cum Diis gentium ceterarum, qui cum non ſint niſi opera manuum humanarum lignea & lapidea, vita omni deſtituuntur, ut nec eorum, qui ipſos colunt, preces audire, nec iis opem ferre, nec hoſtilia adverſus ipſos molimina videre poſſint. Ex ſenſu & locali motu organorum corporis, quo actiones externæ perficiuntur, vita hominum colligitur, tum quatenus corpori, tum quatenus animæ competit. Quamobrem cum Deo vero vita tribuatur in oppoſitione ad idola; eodem ſenſu tribuitur, quo anima & corpus hominis vivere dicitur. Vivum dicitur corpus humanum, viva dicitur anima, quatenus principium activum in ſe habet (§. 107). Etenim hanc notionem generalem a vivente corpore abſtraximus (§. 107), ac ideo exemplo corporis humani illuſtravimus (*not.* §. *cit.*) & ex eadem demonſtravimus (§. 109), animæ humanæ vitam eſſe eſſentialem. Quoniam itaque ex eadem quoque demonſtravimus (§. 111), Deum eſſe vivum; evidens eſt in Sacra Scriptura Deo vitam tribui eodem ſenſu, quo nos eundem vivum eſſe oſtendimus. Imo quod Deo competat vita juxta Sacram Scripturam eo ſenſu, quo nos eundem vivum eſſe evicimus, hoc quoque modo probatur, ſi rem tantummodo, non vero ſimul nomen ſpectes. Deo vitam competere ſupra oſtendimus ex hiſce principiis, quod vi activa præditus & continuo actuoſus ſit (§. 111). Quamobrem cum & ſecundum Scripturam Deus vi activa præditus (§. 104) & continuo actuoſus ſit (§. 105); eadem demonſtratio juxta Sacram Scripturam conſiſtit, conſequenter juxta eandem Deo vita competit eodem prorſus ſenſu, quo nos eandem ipſi competere demonſtravimus.

Quod vero Deus quoque in Sacra Scriptura vivus dicatur eodem ſenſu, quo nos eundem vivum eſſe probavimus; hoc modo probari poteſt. Deus vivus dicitur in Sacra Scriptura *loc. cit.* non tamen definitur, quid per vitam intelligi velit. Non alia igitur vitæ notio ſupponi poteſt, quam quæ a rebus viventibus, dum eas intuemur, abſtrahi poteſt (§. 972 *Log.*). Et ſane Ezechias *loc. cit.* Dei vitam ex eo colligi vult, unde vitam hominis colligimus. Enimvero quæ a rebus viventibus, quas præſentes intuemur, abſtrahitur vitæ notio, ea eſt, qua nos in demonſtranda vita animarum humanarum atque Dei utimur (§. 107). Deus itaque in Sacra

Scriptura vivus dicitur eodem ſenſu, quo nos eundem vivum eſſe demonſtravimus.

In novo fœdere Deus non uno in loco dicitur vivus: ſed ubivis ex contextu apparet, cum vivum dici vel in oppoſitione ad falſos Deos, quos colebant gentiles, ita ut vita allegetur tanquam proprium veri Dei, vel in relatione ad potentiam. Prius inprimis apparet ex *Act.* XIV. 15, ubi Paulus & Barnabas Iconienſibus dicunt, quod ipſos convertere velint a Diis vanis ad Deum verum, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt. Verus enim Deus eſt is, qui auctor eſt hujus univerſi (§. 67), ipſa Scriptura conſentiente (§. 68): & cum ipſi tanquam vero Deo vita competat, qua carent omnes falſi Dii, quales cum Græcis colebant Iconienſes, verus Deus vita diſtinguitur a falſis, ac ideo Paulus & Barnabas Deum verum vocant τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα Deum illum, qui vivit. Poſterius elucet ex 1.*Tim.* VI. 17, ubi divites prohibentur confidere divitiis incertis, jubentur autem confidere Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum. Vidimus autem in anterioribus utroque modo Deo vitam tribui eodem ſenſu, quo nos eidem vitam vindicavimus.

§. 113.

Unde Deus vitam habeat.

Deus vitam habet in ſe, independenter ab omni ente alio. Etenim Deus vi propria exiſtit, independenter ab omni alio ente (§. 70), atque adeo exiſtere poteſt, etiamſi præter eum non exiſtat ens aliud. Enimvero Deus vivus eſt (§. 111). Vivit igitur, etiamſi præter eum non exiſtat ens aliud, conſequenter vitam in ſe habet independenter ab omni ente alio.

Indirecte idem concluditur hoc modo. Ponamus Deum habere vitam dependenter ab ente quodam alio. Ratio igitur cur vivit continetur in ente alio ab ipſo diverſo. Quamobrem cum implicet ut ſit Deus, nec tamen vivat (§. 111); exiſtere nequit, niſi ens præterea aliud ab ipſo diverſum exiſtat: id quod cum ſit abſurdum (§. 70), vitam habere debet independenter ab omni ente alio.

Atque hoc ipſo vita Dei diſtinguitur a vita omnis entis alterius. Etenim elementa vitam habent a Deo, nec vivunt niſi dependenter ab eo. Idem dicendum eſt de vita animarum. Utrumque patebit per ea, quæ de creatione & conſervatione rerum omnium finitarum inferius demonſtraturi ſumus. Corpora noſtra habent vitam dependenter ab aliis corporibus, veluti ab aere, ſine quo reſpirare non poſſumus; a cibo ac potu, ſine quo vitam conſervare non licet; a calore externo, quo carere nequimus.

§. 114.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad independentiam vitæ Dei.

Deus juxta Sacram Scripturam vitam habet in ſe, independenter ab omni ente alio. Diſertis verbis affirmat Chriſtus *Joh.* V. 26, Deum habere vitam in ſemetipſo. Scriptura Sacra vocabulum vitæ accipit eo ſenſu, qui abſtrahitur a corpore humano vivo, quemadmodum paulo ante docuimus (§. 112). Vita corporis noſtri a rebus externis pendet (*not.* §. 113). Quamobrem cum Chriſtus hoc ipſo Deum viventem diſtinguat a viventibus ceteris, quod

vitam

vitam habeat in ſeipſo; non aliud docere intendit quam quod Deus habeat vitam independenter ab omni ente alio.

Eſt adeo character Divinitatis vitam habere in ſeipſo, hoc eſt, independentem ab omni alio ente, etiam juxta Sacram Scripturam. Quamobrem cum Chriſtus affirmet, Patrem dediſſe filio vitam habere in ſemetipſo, quemadmodum ipſe vitam in ſemetipſo habet; recte inde infertur, Chriſtum eſſe verum Deum, patri coæqualem.

§. 115.

Qualia Deo tribuenda ſint prædicata.

Talia Deo tribuenda ſunt prædicata, ut per ea intelligatur, cur mundus hic adſpectabilis cum animabus noſtris potius exiſtat, quam non exiſtat, & cur ipſe potius exiſtat quam alius. Etenim Deus eſt ens a ſe, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum (§. 67). Quoniam itaque per rationem ſufficientem intelligitur, cur quid potius ſit quam non ſit (§. 56 *Ontol.*); per ea, quæ Deo inſunt, intelligi poteſt, cur mundus hic adſpectabilis cum animabus noſtris exiſtat. Enimvero non impoſſibile eſt mundum hunc adſpectabilem cum elementis ſuis (§. 57), conſequenter animas humanas, quæ per eſſentiam & naturam ſuam eundem ſibi repræſentant (§. 66. 67 *Pſychol. rat.*), non exiſtere. Quamobrem per ea, quæ Deo inſunt, intelligi poteſt, cur mundus hic adſpectabilis cum animabus humanis potius exiſtat, quam non exiſtat. Porro alii mundi poſſibiles ſunt, in quibus ad actum deducerentur poſſibilia, quæ in præſente actum non conſequuntur (§. 101 *Coſmol.*), cumque animæ ſint entia ſimplicia, in quibus per eſſentiam & naturam ipſorum repræſentatur aliquod univerſum (§. 66. 67 *Pſychol. rat.*), quin aliæ quoque animæ per eſſentiam & naturam ſuam alios mundos poſſibiles ſibi repræſentantes etiam poſſibiles ſint, dubitari nequit. Per ea igitur, quæ Deo inſunt, intelligi poteſt, cur hic potius mundus adſpectabilis, quam alius exiſtat, & cur hæ potius exiſtant animæ humanæ, quam aliæ. Quamobrem patet, talia Deo tribuenda eſſe prædicata, ut per ea intelligi poſſit, cur hic potius mundus adſpectabilis cum animabus hiſce exiſtat, quam alius cum animabus aliis, & cur potius exiſtat quam non exiſtat.

Ecce tibi ſcalam, per quam in Deum aſcenditur. Etenim jam patet, quomodo in cognitionem attributorum divinorum pervenire poſſimus. Quæ enim hactenus de Deo prædicavimus, ea ipſi competunt tanquam enti a ſe, nec ad agnoſcendum Deum & a rebus creatis diſtinguendum, multo minus ad cultum divinum ſufficiunt. Ceterum mutatis mutandis Idealiſtæ quoque propoſitionem præſentem admittere tenentur. Etenim Idealiſta, qui mundo nonniſi exiſtentiam idealem in animabus hominum tribuit (§. 36 *Pſychol. rat.*), cum hoc non obſtante plures mundos poſſibiles agnoſcere teneatur, quia poſſibilitas ab actuali exiſtentia minime pendet, plures admittere tenetur animas, quæ ſibi diverſos mundos poſſibiles per eſſentiam & naturam ſuam repræſentare valent, & quibus exiſtentibus mundi illi idealiter exiſtunt. Quamobrem porro admittere tenetur, per ea, quæ Deo inſunt, intelligi poſſe, cur hæ potius quam aliæ animæ exiſtant & in his potius animabus hic mundus adſpectabilis, quam in aliis alius idealiter exiſtat, & cur hæ potius animæ exiſtant, quam non exiſtant, & in his animabus hic mundus adſpectabilis potius idealiter exiſtat, quam alius. Utrobique eadem prodeunt attributa, ut adeo Idealiſmo, etſi a nobis minime probetur, labes atheiſmi adſpergi minime poſſit.

§. 116.

Qualis vis Deo competat.

Quoniam Deo ea tribuenda ſunt prædicata, quæ ad hoc requiruntur, ut intelligi poſſit, cur mundus hic adſpectabilis cum animabus humanis potius exiſtat, quam alius cum animabus aliis, & cur idem potius exiſtat, quam non exiſtat (§. 115), Deo autem vis competit (§. 104), per quam continuo actuoſus eſt (§. 105): ***vis, quæ Deo ineſt, talis concipi debet, qualis ad hoc requiritur ut intelligatur, cur mundus hic adſpectabilis cum animabus noſtris potius exiſtat, quam alius cum animabus aliis, & cur idem potius exiſtat quam non exiſtat.***

Deus ens ſimplex eſt (§. 83). Entia ſimplicia diſtinguuntur per vires ipſis intrinſecas, per quas actuoſa ſunt & vivunt, quemadmodum ex collatione eorum, quæ de rerum materialium elementis in Coſmologia, & de animabus noſtris in Pſychologia rationali demonſtrata ſunt, abunde conſtat. Quamobrem Deus quoque vi, quæ ipſi intrinſeca eſt, & per quam ipſe actuoſus eſt ac vivit, a ceteris entibus ſimplicibus differt. Patebit vero deinceps, quod etſi vis iſta ex earum genere eſſe videatur, ad quod vires animabus eſſentiales pertinent, eam tamen ab his differre quemadmodum finitum ab infinito.

§. 117.

Mundi exiſtentis unitas.

Mundus tantummodo unus exiſtit. Etenim aut mundus non exiſtit niſi unus, aut mundi plures exiſtunt. Ponamus plures exiſtere mundos. Aut mundi iſti erunt ſimiles, aut diſſimiles. Quodſi mundi plures exiſtentes fuerint ſimiles, nihil prorſus, ne minimum quidem, datur in mundo uno, quod non etiam eodem prorſus modo ſeſe habeat in altero, ut adeo diſcrimen intrinſecum ne fingi quidem ullum poſſit (§. 195 *Ontol.*). Quamobrem perinde eſt, ſive mundus A dextro, & B ſiniſtro loco conſtituatur, ſive B occupet dextrum, A ſiniſtrum, nec per ea, quæ mundo utrique A & B inſunt, intelligi poterit, cur A potius dextro, quam ſiniſtro ſit loco, & B potius ſiniſtrum, quam dextrum teneat locum, conſequenter nulla datur ratio, cur mundus A dextro, B ſiniſtro ſit loco, quam cur potius contraria ratione ſeſe res habeat (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum ſine ratione ſufficiente nil quicquam eſſe poſſit (§. 70 *Ontol.*); plures mundi ſimiles ſimul exiſtere nequeunt.

Si plures fuerint mundi diverſi; ratio eorum, quæ in uno contingunt, reddi nequit ex iis, quæ contingunt in altero. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, rationem eorum, quæ in uno mundo contingunt, reddi poſſe ex iis, quæ contingunt in altero. Mundi igitur iſti inter ſe connectuntur (§. 10 *Coſmol.*); ſimul adeo aliquam rerum coexiſtentium atque ſucceſſivarum ſeriem conſtituunt, conſequenter mundus nonniſi unus ſunt (§. 59 *Coſmol.* & §. 329 *Ontol.*), contra hypotheſin. Quoniam ratio eorum, quæ in uno mundo contingunt, reddi nequit ex iis, quæ contingunt in altero *per demonſtrata*; nulla mutatio inde ſequeretur, ſi ordo coexiſtendi mutaretur. Ex iis itaque, quæ pluribus mundis inſunt, intelligi nequit, cur hoc potius ordine coexiſtant, quam alio, conſequenter ordinis coexiſtendi nulla datur ratio ſufficiens (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum ſine ratione

ſufficien-

ſufficiente nil quicquam eſſe poſſit (§. 70 *Ontol.*); nec plures mundi diſſimiles ſimul exiſtere poſſunt. Quoniam itaque mundi plures exiſtere nequeunt ſimul, ſive fuerint ſimiles, ſive diſſimiles *per demonſtrata*; mundus nonniſi unus exiſtit.

Hanc propoſitionem ideo apponimus, ne quis circa ea, quæ de modo perveſtigandi attributa divina modo evicimus (§. 115. 116), difficultates faceſſat. Quodſi quis principii rationis ſufficientis vim & efficaciam animo nondum comprehendit; is poterat tantummodo ſumere, talia concipienda eſſe attributa divina, ut ſufficiens ratio reddi poſſit exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis ſive realis, ſive idealis. Conſtat enim mundum non eſſe ens a ſe (§. 58), conſequenter rationem exiſtentiæ ejus ſufficientem in Deo quærendam eſſe, ſive plures adhuc alii mundi eidem coexiſtant, ſive ipſe tantummodo exiſtat ſolus (§. 67). Majore tamen evidentia demonſtrantur, quæ ſequuntur, atque multo facilius, ſi præſens propoſitio inſtar principii admittitur. Imo non deerunt, qui ſine probatione ſumi facile largientur, præter hunc mundum adſpectabilem, quem ſolum cognoſcimus, non exiſtere alium, præſertim cum & Scriptura Sacra, quæ Deum nonniſi unicum admittit, nonniſi unius mundi mentionem faciat, & eum a Deo productum eſſe doceat, cum antea non exiſteret. Non vero opus eſſe judicamus, ut propoſitionis, quæ inſtar lemmatis nobis eſt, cum Scriptura Sacra conformitatem evincamus.

§. 118.

Rationis objectivæ definitio.

Ratio objectiva dicitur, quæ deſumitur ab objecto.

Ita ratio objectiva exiſtentiæ mundi eſt, quæ deſumitur ab ipſo mundo. Et in Moralibus ratio objectiva moralitatis dicitur, quæ deſumitur ab ipſa actione.

§. 119.

An detur ratio objectiva exiſtentiæ mundi.

Datur ratio objectiva, cur hic potius mundus exiſtat, quam alius. Ponamus enim nullam dari rationem objectivam, eur hic potius mundus exiſtat, quam alius: cum ratio objectiva deſumatur ab objecto (§. 118); nihil ineſt mundo huic adſpectabili, cur ipſe potius exiſtat quam alius (§. 56 *Ontol.*). Quoad Deum igitur perinde eſt, ſive hic mundus exiſtat, ſive quicunque alius, conſequenter nec Deo inſunt, per quæ intelligi poteſt, cur hic potius exiſtat mundus, quam alius. Quamobrem nulla datur ratio ſufficiens, eur hic potius exiſtat mundus, quam alius: quod eum ſit abſurdum (§. 70 *Ontol.*); ratio utique objectiva datur, cur hic potius mundus exiſtat quam alius.

Qui excipiunt, rationem ſufficientem eſſe voluntatem Dei, atque adeo rationem objectivam nullam requiri, illi ſupponunt voluntatem agere ſine motivis: id quod abſurdum eſſe docuimus alibi (§. 889 *Pſychol. empir.*). Imo repugnat ipſa rationis ſufficientis notio. Ea eo enim quod quis quidpiam vult, nondum intelligitur, quod hoc potius ſit, quam non ſit: conſtare debet, cur hoc potius velit, quam aliud. Id vero eſt, quod ſine ratione objectiva concipere non datur.

§. 120.

Unde deſumatur.

Ratio objectiva cur hic potius mundus exiſtat, quam alius, deſumenda eſt ab eo, quo duo vel plures mundi a ſe invicem differunt. Datur enim aliqua ratio objectiva, eur hic potius mundus exiſtat, quam alius (§. 119). Quamobrem cum ea ab ipſo mundo ſit deſumenda, qui exiſtit (§. 118); aut quærenda erit in his, quæ hic mundus eum aliis communia habet, aut in iis, quæ eidem propria ſunt, conſequenter in eo, quo a ceteris differt. Quoniam quoad communia mundus unus alteri, ſalvo omni reſpectu, quem habere

habere poſſunt ad Deum, ſubſtitui poteſt (§. 181 *Ontol.*); per communia iſta intelligi nequit, cur unus potius exiſtat mundus quam alius, conſequenter ratio cur hic potius exiſtat quam alius mundus in iis quærenda non eſt, quæ ipſi cum mundis ceteris communia ſunt. Quamobrem in iis quæri debet, quæ ſunt propria, conſequenter in eo, quo mundus hic adſpectabilis a ceteris differt.

Quænam ſit iſta ratio, ſuo conſtabit loco; hic doceri nec poteſt, deficientibus principiis ad demonſtrationem neceſſariis, nec debet, cum propoſitio generalis ſufficiat ad ea deducenda ex anterioribus, quorum gratia adjicitur.

§. 121.

Repræſentatio omnium mundorum poſſibilium in Deo & hujus ex ceteris electio.

Deus mundos omnes poſſibiles ſibi repræſentavit & hunc ex ceteris elegit. Deo talia tribuenda ſunt prædicata, per quæ intelligitur, cur mundus hic adſpectabilis cum animabus noſtris potius exiſtat, quam non exiſtat, & cur ipſe potius exiſtat quam alius (§. 115). Enimvero datur ratio objectiva, cur hic potius mundus exiſtat quam alius (§. 119), eaque conſiſtit in eo, quo is a ceteris mundis æque poſſibilibus differt (§. 120). Quoniam itaque mundus hic adſpectabilis non eſt ens a ſe, ſed ab alio (§. 50), adeoque vi propria exiſtere nequit (§. 27); inter ea, quibus is differt ab aliis, referri nequit vis propria ad exiſtendum requiſita. Quamobrem per ea, quæ Deo inſunt, intelligi haud quaquam poteſt, cur hic potius exiſtat mundus quam alius, niſi ſupponatur Deum differentiam mundi hujus adſpectabilis a ceteris, conſequenter mundos omnes poſſibiles diſtincte ſibi repræſentaſſe (§. 38 *Pſychol. empir.*), & ob differentiam iſtam hunc ex ceteris elegiſſe.

Si quid mundo ineſſet, unde ejus actualitas ſequeretur, tale vero non ineſſet mundis ceteris poſſibilibus; inde inferri non poterat, Deo inexiſtere mundorum omnium poſſibilium ideas & ipſum hunc ex ceteris elegiſſe. Sed iſtiuſmodi quid ne fingi quidem in mundo poteſt, niſi in manifeſtam contradictionem incidere velis, quatenus mundum facis ens a ſe, quem eſſe ens ab alio ſupra evicimus (§. 58), vel verba dare, quæ ſunt ſine mente ſonus, quatenus fingis vim ad exiſtendum propriam, ſed a Deo dependentem, quæ inſit huic mundo adſpectabili, non vero ceteris.

§. 122.

Intellectus Deo aſſertus.

Deo competit intellectus. Etenim Deus ſibi diſtincte repræſentare valet omnes mundos poſſibiles & in his mundum, qui exiſtit, adſpectabilem (§. 121). Quamobrem cum facultas res diſtincte repræſentandi ſit intellectus (§. 275 *Pſychol. empir.*); Deo competere intellectum evidens eſt.

Nondum definire licet, utrum intellectus divinus, quemadmodum humanus, concipi debeat per modum facultatis, an per modum actus: poſterius enim demum in ſequentibus demonſtrare licebit. Non tamen hinc metuendus eſt aliquis error, quod definitione intellectus, qualis homini competit, utamur ad probandum, Deo competere intellectum. Sit enim, prouti inferius oſtendetur, intellectus divinus purus actus, non nuda poſſibilitas ſibi res repræſentandi, qualis eſt facultas (§. 29 *Pſychol. empir.*). Quoniam tamen quod actu eſt, idem quoque poſſibile eſt (§. 170 *Ontol.*), nullus hinc metuendus eſt error, ſi in Deo poſſibile ſumitur, quod in eo actu eſt. Sufficit nimirum inferius probari, actu ineſſe, quæ tanquam poſſibilia fuere adſtructa, eaque ſemper ineſſe.

§. 123.

§. 123.

Deo competit voluntas libera. Etenim Deus ex pluribus mundis poſſibilibus hunc adſpectabilem elegit ut exiſtat (§. 121), cumque præter Deum nihil exiſteret, dum mundum eligeret (§. 92); ſemetipſum ad hanc electionem determinavit, adeoque ſponte eundem elegit (§. 933 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum ex pluribus poſſibilibus aliquid ſponte eligendi facultas ſupponat libertatem voluntatis (§. 941 *Pſychol. empir.*); Deo voluntatem liberam competere evidens eſt.

Voluntas libera Deo aſſerta.

Poteramus inſtar principii aſſumere, quod voluntatem liberam habeat, qui ex pluribus poſſibilibus ſponte quid eligie: nemo enim eſt, qui hoc concedere recuſat.

§. 124.

Deus eſt ſpiritus. Deus enim eſt ens a ſe (§. 67), intellectu (§. 122) & voluntate libera præditum (§. 123). Enimvero ens intellectu & voluntate libera præditum ſpiritus eſt (§. 643 *Pſychol. ration.*). Deus igitur ſpiritus eſt.

Spiritualitas Dei.

§. 125.

Quoniam *Deus* eſt ens a ſe (§. 67), adeoque independens (§ 30), idemque ſpiritus (§. 124); *ſpiritus independens eſt.*

Qualis ſit ſpiritus.

Hinc Deus a nonnullis definiri ſolet, quod ſit Spiritus independens, nec male: neque enim datur Spiritus alius, qui ſit independens præter Deum, quemadmodum ea inferius demonſtrandis uberius patebit. Quoniam vero ex definitione Dei, quam dedimus (§. 67), deduximus, Deum eſſe Spiritum independentem; methodi gnarus facile perſpicie, ex eo, quod Deus ſit Spiritus independens deduci poſſe definitionem Dei, quam ſupra dedimus. Etenim ex independentia fluit aſeitas, ex aſeitate autem ſupra collegimus (§. 64), quamvis non immediate, mundum hunc adſpectabilem, elementa rerum materialium & animas humanas rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ non habere niſi in ente a ſe. Perinde igitur eſt, ſive Deum definias per ſpiritum independentem, ſive per ens a ſe, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum, quemadmodum in Geometria perinde eſt, ſive parabolam definias per curvam, in qua abſciſſæ habent rationem duplicatam ſemiordinatarum, ſive per curvam, in qua rectangulum ex parametro in abſciſſam æquale eſt quadrato ſemiordinatæ, cum ex uno aſſumto demonſtrari poſſit alterum. Methodi ignorantiæ tribuendum, ſi qui Dei, quam dedimus, definitionem reprehendunt & tanquam atheiſmo patrocinantem criminantur, propterea quod creationis pro productione ex nihilo ſumtæ, non expreſſa in eadem fiat mentio, quaſi vero methodus jubeat definitioni inſeri, quæ ex eadem legitima ratiociniorum concatenatione deduci poſſunt. Etenim creationem Deo per definitionem noſtram competere in eo ſignificatu, qui communiter vocabulo tribuitur, ſuo loco oſtendemus. Qui noſtram definitionem tanquam ſpuriam rejicie, is quoque eanquam ſpuriam rejicere debet eam, qua Deus dicitur ſpiritus independens, Theologis præclaris jam dudum probatam, cum una alteri æquipolleat, adeoque una in locum alterius ſubrogari poſſit: ſit ita, quod nobis commodius viſum fuerit noſtra definitione potius uti, quam altera. Imo ſi quis voluerit, immutata demonſtrationum noſtrarum ſerie definitionem alteram ſyſtemati inſerere, is definitionem Dei nominalem differat, donec demonſtratum fuerit de ente a ſe, quod ſit ſpiritus independens, atque deinde demum ad Deum applicet, quæ de ente a ſe demonſtrata fuere. Enimvero ut plenius intelligatur, quomodo ex independentia fluat aſeitas, propoſitionem ſequentem addere juvat.

§. 126.

Spiritus independens eſt ens a ſe. Si enim independens eſt, nihil ipſi inexiſtit, cujus ratio in ente quodam alio ab ipſo diverſo contineatur (§. 851 *Ontol.*), conſequenter nec ratio exiſtentiæ ipſius in alio quodam ente con-

Aſeitas ſpiritus independentis.

tinetur

tinetur (§. 56 *Ontol.*), adeoque nec vi alterius, ſed propria exiſtit. Eſt igitur ens a ſe (§. 27).

§. 127.

Quale ens rationem ſufficientem exiſtentiæ mundi in ſe contineat.

Ens, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum, omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentare valet, atque hunc ex ceteris elegit. Probatur eodem prorſus modo, quo ante (§. 121) evicimus, Deum omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentare poſſe, atque hunc ex ceteris elegiſſe.

Mirum non eſt, probationem eſſe prorſus eandem. Cum enim per Deum ibidem intelligamus ens, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum (§. 67), eadem eſt in utraque propoſitione notio ſubjecti. Quamobrem cum demonſtratio procedat ex iis, quæ de ſubjecto ſumuntur in ejus notione; eadem quoque eſſe debet hujus & ſuperioris, hoc eſt, revera ejuſdem propoſitionis. Nimirum ſive dicas, triangulum habet tres angulos duobus rectis æquales, ſive affirmes, figura tribus lineis rectis terminata habet tres angulos duobus rectis æquales, propoſitio una eademque eſt adeoque & eadem erit demonſtratio, quocunque modo eandem enunties.

§. 128.

Cujuſnam generis ſit iſtud ens.

Ens, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum, intellectu & voluntate libera gaudet, atque adeo ſpiritus eſt. Probatur denuo eodem prorſus modo, quo ante evicimus, Deum intellectu & voluntate libera gaudere (§. 122. 123), atque adeo ſpiritum eſſe (§. 124).

Nimirum Deum habere intellectum probavimus ex eo, quod omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentare valeat (§. 122). Deum habere voluntatem liberam intulimus inde, quod ex mundis poſſibilibus hunc elegerit (§. 123). Denique Deum eſſe ſpiritum ex eo collegimus, quod intellectum & voluntatem liberam habeat (§. 124). Quamobrem cum ens, in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum, omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentare valeat & hunc adſpectabilem ex iis elegerit (§. 127); eodem quoque, quo ſupra, modo patere debet, quod intellectu atque voluntate libera gaudere, ac adeo ſpiritus eſſe debeat.

§. 129.

Dependentia mundi & animarum noſtrarum a ſpiritu independente.

In ſpiritu independente continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum. Etenim ſpiritus independens eſt ens a ſe (§. 126). Jam mundus hic adſpectabilis & animæ noſtræ rationem ſufficientem exiſtentiæ non habent niſi in ente a ſe (§. 64), quod Spiritus eſt (§. 128). Ergo ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis & animarum noſtrarum in Spiritu independente continetur.

Atque ita probavimus æquipollentiam definitionis noſtræ de Deo & definitionis apud Theologos jam dudum receptæ, quod Deus ſit ſpiritus independens. Unde porro liquet, quam parum ſint methodi demonſtrativæ gnari, qui definitionem noſtram atheiſmo favere ſibi perſuadent aliiſque perſuadere nituntur. Nec mirari debent, quod finem non inveniant ipſorum criminationes niſi penes ſui ſimiles ac penes eos, qui cum artifici in arte ſua credere in animum induxerint, pro artificibus per præcipitantiam habent, qui non ſunt. Ceterum non piget æquipollentiam harum definitionum demonſtraſſe. Inde enim diſcere licet, quomodo in eandem inquirendum ſit, ne temere impugnemus, quæ aliis ſine dubitatione admittendis æquivalent.

§. 130.

Conſenſus Sacræ Scri-

Deo ſecundum Sacram Scripturam competit intellectus eo ſenſu, quo eundem ipſi vindicamus. Eam animæ partem, quæ notiones format, judicat & ratioci-

ratiocinatur, *Ariſtoteles* de Anima lib. 3. c. 4 τὸν νοῦν appellat, & eam per modum facultatis conſiderat, quatenus animæ tribuitur, quia intelligere poteſt. Patet itaque Græcis τὸν νοῦν dici eam animæ facultatem, quam nos intellectum vocamus (§. 325 *Pſychol. empir.*) ſumendo vocabulum in ſignificatu recepto: unde & interpretes Latini in loco citato *Ariſtotelis* νοῦν per intellectum vertunt. Et in hoc etiam ſignificatu vocabulum Græcum ſumitur & a vulgata per intellectum redditur *Apoc.* XIII. 18. Deo tribuitur νόος ſive νοῦς *Rom.* XI. 34, ubi magna fiducia pronuntiat Apoſtolus, neminem perſpexiſſe νοῦν κυρίου, aut ipſi a conſilio fuiſſe, ubi de reconditis Dei judiciis de gratiæ divinæ diſpenſatione loquitur. Equidem bene hunc locum vertit *Caſtellio*, neminem noviſſe mentem Domini, & *Lutherus* in vernacula, *niemand habe des HErrn Sinn erkant*, atque adeo vocabulum νόος non videtur hic accipi pro intellectu in ea ſignificatione ſumto, quem nos eidem tribuimus, & qua idem ſumit *Ariſtoteles*: enimvero ſi contextum attenta mente perpendimus, evidenter admodum inde probatur, Deo in hoc loco tribui intellectum, qualem ipſi competere probavimus. Etenim Apoſtolus probaturus judicia Dei eſſe penitus recondita & rationes eorum adeo abſtruſas, ut a nobis perveſtigari non poſſint, quærit: quis cognovit νοῦν κυρίου, mentem Domini, aut quis ei fuit a conſilio? Qui decernit quidpiam, is judicat, quid fieri debeat: judicium vero intellectus operatio eſt noſtro ſenſu accepti (*§. 325 Pſychol. empir.*). Rationes decreti cum ſint id, ob quod decernens hoc potius fieri debere judicat, quam aliud (*§. 56 Ontol.*); ſupponunt in decernente notiones (§. 49 *Pſychol. empir.*), quæ itidem intellectus noſtro ſenſu accepti operatio ſunt (§. 325 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum decretorum divinorum rationes nobis incognitas pronuntiet Apoſtolus, quia νοῦν κυρίου non cognoſcimus; perinde eſt ac ſi diceret, nobis eas non eſſe perſpectas, quia videre non poſſumus, quæ ſunt in intellectu divino. Unde cum Deo νοῦν tribuit, intellectum omnino eidem tribuit eodem ſenſu acceptum, quo nos vocabulum ſumimus. Hinc non invito contextu verba Apoſtoli vertere licebat: ecquis novit ea, quæ ſunt in intellectu divino? quemadmodum ipſe 2. *Cor.* II. 1 affirmat, neminem noſſe quæ ſunt Dei, ſeu actiones Dei internas, niſi Spiritum Dei, prouti nemo novit quæ ſunt hominis, ſeu actiones ipſius internas, niſi Spiritus hominis qui in ipſo eſt. Quando igitur Dei νοῦν non cognoſcere dicimur; dubitandum non eſt quin vocabulum νοῦς ſumatur pro intellectu eo ſenſu accepto, qualem Deo tribuimus.

pturæ quoad intellectũ Dei.

Quodſi tamen per tantas ambages incedere nolimus probaturi Deo tribui in Sacra Scriptura intellectum noſtro ſenſu acceptum, idem facilius hoc modo evincitur. Nota dicuntur Deo ab æterno omnia opera ejus *Act.* XV. 18. Opera ejus ſunt mundus & omnia, quæ in eo ſunt *Act.* XVII. 24. Ab æterno igitur tam mundum integrum, quam ſingula, quæ in eo ſunt, adeoque

adeoque & coexiſtentia, & ſucceſſiva in univerſa rerum ſerie eorumque inter ſe nexum ſibi repræſentavit (§. 48. 51 & ſeqq. *Coſmol.*). Cum igitur ſingula, quæ in univerſa rerum ſerie continentur, a ſe invicem diſtinxerit; eandem ſibi diſtincte repræſentavit (§. 38 *Pſychol. empir.*), conſequenter ipſi competit intellectus ſecundum Sacram Scripturam, qualem nos eidem vindicavimus (§. 275 *Pſychol. empir.* & §. 122 *Theol. nat.*).

§. 131.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad voluntatem Dei.

Deo ſecundum Sacram Scripturam competit voluntas eo ſenſu, quo ipſi voluntatem ante vindicavimus. Multa ſunt Sacræ Scripturæ loca, in quibus Deo tribuitur voluntas, ut ſuperfluum videri poſſit talia adduci loca, quæ nemini ignota eſſe poſſunt, niſi qui Sacram Scripturam nunquam legit. Enimvero cum Interpretes plura vocabula per voluntatem vertant, quemadmodum etiam *Lutherus* in verſione Germanica facit; e re eſſe videtur, ut propoſitionis præſentis veritas accuratius evincatur. Quando Chriſtus *Matth.* VII. 12, *Omnia*, inquit, *quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*; dubitare ecquis auſit, ſermonem ibi eſſe de voluntate, quæ hominibus competit, atque adeo *velle* ibidem eſſe actum voluntatis humanæ? Porro nemo non videt, Chriſtum ſupponere eam voluntatis libertatem, qua ex pluribus æque poſſibilibus eligere poſſit homo, quod ipſi placet, conſequenter hominibus tribuere voluntatem liberam in eo ſignificatu, quo nos vocabulum accipimus quoad homines (§. 941 *Pſychol. empir.*). Aut enim fieri poteſt, ut homo non minus ea faciat, quæ ut alii ſibi faciant, vult, aut ut ipſis faciat, quæ ut alii ſibi faciant, non vult. Pone enim alterutrum tantummodo eſſe poſſibile: fruſtra jam erit præceptum Chriſti. Si tantummodo fieri poteſt ut faciant homines, quæ ſibi ab aliis fieri volunt; per naturam ſuam ad hoc faciendum cum ſint determinati, non opus eſt ut id a Chriſto præcipiatur, & hoc ipſo contrarium prohibeatur, omni lege præceptiva contrarii ejus, quod præcipitur, prohibitiva exiſtente. Nec eſt quod excipias, inculcari tantummodo actionis commiſſionem, prohiberi ejuſdem omiſſionem: præterquam enim quod exceptio contextui repugnet, ex quo apparet Chriſtum id agere, ut homines ab injuriis inferendis abducat, ipſam quoque voluntatis libertatem confirmat, cum æque poſſibile eſſe debeat ut homo faciat aliis, quæcunque ſibi ab aliis fieri vult, & ut hoc facere omittat. Quodſi homo tantummodo facere poſſit, quæ ut alii ſibi faciant, non vult; fruſtraneum prorſus eſt præceptum Chriſti, nec ad impoſſibile ulla datur obligatio. Patet itaque fieri poſſe, aut ut homines faciant aliis, quæ ſibi ab aliis fieri volunt, aut ut faciant aliis, quæ ut alii ſibi faciant nolunt, conſequenter Chriſtum ſupponere in hominibus liberam ex his eligendi facultatem, adeoque liberam voluntatem, qualem (*loc. cit.*) ſtabilivimus in Pſychologia. In textu Græco extat verbum θέλω, conſequenter dubitandum non eſt, nomen ab hoc verbo

verbo deſcendens θέλημα ſignificare voluntatem eo ſenſu acceptam, quo nos vocabulum Latinum accipimus. Jam plura extant Scripturæ Sacræ loca, in quibus Deo tribuitur θέλημα, veluti *Matth.* VII. 21 cap. XXVI 42, *Joann.* V. 30 cap. VI. 38 cap. VII. 17, *Rom.* IX. 19, *Eph.* I. 5. Dubitandum itaque non eſt, quin Deo tribuatur in Sacra Scriptura voluntas eodem prorſus ſenſu, quo ante eandem ipſi vindicavimus.

Probe notari velim, Scripturam Sacram, quando de voluntate hominis loquitur, ſupponere notionem communem, adeoque vocabuli ſignificatum nullibi explicare. Idem tamen deinde vocabulum transfert ad ſignificandum voluntatem Dei, non obſtante differentia, quæ inter voluntatem humanam & divinam intercedit, ex dogmatis de voluntate divina perſpicienda. Eundem igitur morem etiam nos ſequimur citra errandi periculum: quem qui reprehendit, ipſam Scripturam Sacram incautus virgula cenſoria notat. Notandum præterea, nos in probanda voluntate divina dediſſe exemplum etymologiæ in interpretationem Scripturæ Sacræ influentis, ut verus vocabuli ſignificatus innoteſcat, quatenus nempe inſervit ad detegendam certius rem iſto denotatam, etſi non faciat ad notionem rei eodem indigitatæ eruendam.

§. 132.

Deus in Scriptura Sacra dicitur & juxta eandem eſt ſpiritus eodem ſenſu, quo nos eundem ſpiritum eſſe probavimus. Deus juxta Sacram Scripturam habet intellectum (§. 130) & liberam voluntatem (§. 131). Eſt igitur ſpiritus eo ſenſu, quo eundem ſpiritum eſſe ante evicimus (§. 124 *Theol. nat.* & §. 643 *Pſychol. rat.*). *Quod erat unum.*

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad ſpiritualitatem.

Porro Deus dicitur ſpiritus, in textu Græco πνεῦμα, *Joann.* IV. 24. Jam cum *Jac.* II. 26 corpus (humanum ſcilicet) χωρὶς πνεύματος, ſine ſpiritu, mortuum dicatur, evidens eſt animam humanam ſpiritum appellari, conſequenter eum eſſe vocabuli πνεῦμα in Scriptura Sacra ſignificatum, quo anima hominis ſpiritus eſt. Cumque *Rom.* VIII. 16 Spiritus Dei dicatur teſtimonium reddere ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei; nemo non videt, animam dici ſpiritum in Sacra Scriptura quatenus intellectu, conſequenter & voluntate libera, utpote ab intellectu pendente, gaudet (§. 275. 880 *Pſychol. empir.*), adeoque eodem ſenſu, quo nos vocabulum *ſpiritus* ſumimus (§. 643 *Pſychol. rat.*) & animam ſpiritum eſſe demonſtravimus (§. 645 *Pſychol. rat.*). Scriptura igitur vocabulum *ſpiritus* ab anima ad Deum transferens, ſuppoſito ſignificatu quem habemus, quatenus anima ſui ipſius conſcia eſt, Deum eodem ſenſu ſpiritum appellat, quo nos eundem ſpiritum eſſe evicimus (§. 124). *Quod erat alterum.*

Quoniam vulgo ens immateriale & ſpiritus pro ſynonymis habentur; ſpiritualitatem probatam eſſe plurimi ſibi perſuadent oſtenſa ejuſdem immaterialitate. Quamobrem cum ſupra evicerimus (§. 102) Deum juxta Scripturam Sacram non poſſe eſſe corporeum, ſeu, quod perinde eſt, eſſe immaterialem; hoc ipſo ſpiritualitatem ejus jam demonſtratam eſſe putabunt. Enimvero etſi verum ſit, ſpiritum omnem eſſe immaterialem; non tamen ens omne, quod immateriale eſt, ideo quoque ſpiritus eſt. Sane brutorum animæ ſunt immateriales (§. 752 *Pſychol. rat.*), non tamen ſpiritus (§. 764 *Pſychol. rat.*). Et vidimus nec Scripturam Sacram ſpiritualitatem inferre ex ſola immaterialitate, ſed ex intellectu liberaque voluntate. Quando autem Chriſtus *Joann.* XXIV. 39 affirmat, ſpiritum non habere corpus ex carne & oſſibus conſtans, quale eſt humanum; inde ne inferre quidem licet ſpiritum

omni prorſus materia deſtitui, tantum abeſt ut inde probari poſſit ex immaterialitate recte inferri ſpiritualitatem, quemadmodum jam ſupra (*not.* §. 102) monuimus.

§. 133.

Deus juxta Sacram Scripturam corpus humano ſimile habere non poteſt.

Deus juxta Sacram Scripturam non habet corpus, quale corpus humanum eſt. Etenim Deus docente Chriſto ſpiritus eſt *Joann.* IV. 24. Eodem vero Doctore ſpiritus non habet corpus ex carne & oſſibus conſtans, quale humanum eſt *Joann.* XXIV. 39. Deus igitur corpus non habet, quale eſt humanum.

Notandum hic in utroque loco citato occurrere vocabulum πνεῦμα. Et Deus πνεῦμα dicitur, & πνεῦμα corpus, quale humanum eſt, habere non poſſe affirmatur. Neque enim ſufficit in verſione utrobique vocabulum ſpiritus extare, cum ſatis conſtet interpretes diverſa vocabula Græca & Hebraica eodem vocabulo vertere.

§. 134.

Cur non habeat organa ſenſoria & alia corporis humani.

Quoniam corpus humanum habet organa ſenſoria & manus atque pedes; *Deus juxta Sacram Scripturam organa ſenſoria, qualia ſunt hominibus, veluti oculos & aures, atque manus & pedes habere nequit.*

Deduximus hoc ſupra (§. 103) in probando ſignificatu metaphorico membrorum corporis humani Deo tributorum ex immaterialitate Dei per conſequentiam ex Sacra Scriptura eruto (§. 100 & ſeqq.). Quoniam tamen ex ſpiritualitate idem citra ambages colligitur, quemadmodum jam ſupra (§. 102) annotavimus; noſtrum fuit demonſtrationem ex Scripturæ Sacræ principiis immediate derivatam hic loci apponere. Ceterum hinc ſimul intelligitur, ſi quis propoſitiones de Deo in Sacra Scriptura contentas in ordinem redigere voluerit, ut unius ex altera appareat ratio, alio ordine eſſe opus, quam quo in philoſophia digeruntur. Neque id ſingulare eſt: etenim in ipſa philoſophia non eodem ordine ſe invicem excipiunt propoſitiones, ubi principia demonſtrandi, quæ inter definitioni nominali Dei inprimis locus eſt, variantur. Patebit hoc ex demonſtratione exiſtentiæ & attributorum divinorum a priori, ubi eam cum demonſtratione a poſteriori, quam nunc damus, conferre voluerit. Imo in Matheſi idem obtinere, nemo ignorat, qui vel diverſa Geometrarum de ſectionibus conicis ſcripta fugitivo oculo percurrit.

§. 135.

Cautio in demõſtrandis attributis divinis adhibenda.

Quæ de intellectu humano & voluntate humana vel obſervantur vel demonſtrantur, abſque demonſtratione Deo tribui non poſſunt. Etenim cum intellectus humanus admodum limitatus ſit (§. 654 *Pſychol. rat.*), perfectiſſimus vero illimitatus (§. 652 *Pſychol. rat.*), & ſimiliter voluntas humana admodum limitata ſit (§. 655 *Pſychol. rat.*), voluntas vero ſpiritus perfectiſſimi illimitata (§. 653 *Pſychol. rat.*), ac ſpiritus anima humana diverſo gradu perfectiores poſſibiles ſunt (§. 657 *Pſychol. rat.*); Deo tribui nequeunt, niſi quæ animæ cum ſpiritibus omnibus & ipſo ſpiritu perfectiſſimo communia ſunt, propterea quod de eadem nobis innotuerint. Quamobrem antequam quid Deo tribuatur, quod de intellectu humano vel voluntate humana aut obſervatur, aut demonſtratur, demonſtrandum eſt id commune eſſe, atque adeo recte tribui poſſe.

Hac cautione opus habemus, ne ab intellectu humano ad divinum, vel a voluntate humana ad divinam argumentati ipſi tribuamus, quæ non conveniunt, conſequenter in errorem incidamus. Et jam intelligitur, quomodo exinde nullus ſequatur error, quod Deo tribuatur intellectus atque voluntas, differentia inter intellectum divinum & humanum ac inter voluntatem divinam & humanam nondum perſpecta, uſi notione intellectus & voluntatis, qualem ab anima humana abſtraximus.

§. 136.

Digitized by Google

§. 136.

Quæ ex limitatione intellectus humani voluntatiſque humanæ propria conſequuntur; ea Deo tribui nequeunt. Cum enim intellectus ſpiritus perfectiſſimi illimitatus ſit (§. 652 *Pſychol. rat.*), intellectus vero hominis admodum limitatus (§. 654 *Pſychol. rat.*), & præterea voluntas ſpiritus perfectiſſimi illimitata ſit (§. 653 *Pſychol. rat.*), voluntas vero humana admodum limitata (§. 655 *Pſychol. rat.*), ſpiritus vero intellectu & voluntate libera ab aliis ſubſtantiis diſtinguatur (§. 643 *Pſychol. rat.*); differentia inter ſpiritum perfectiſſimum & animam humanam qua ſpiritus eſt (§. 645 *Pſychol. rat.*), alia intercedere nequit; quam quod illius intellectus & voluntas limitibus prorſus deſtituantur, hominis vero intellectus & voluntas determinatos admittant limites. Similiter quia ſpiritus ceteri poſſibiles diverſo gradu anima perfectiores ſunt (§. 657 *Pſychol. rat.*); differentia animæ qua ſpiritus & aliorum ſpirituum intellectum & voluntatem limitatam habentium nonniſi in harum facultatum limitatione diverſa conſiſtere poteſt. Quæcunque igitur ex limitatione intellectus & voluntatis animæ deducuntur, quatenus intellectus humani ac voluntatis humanæ limitatio eſt, ea animæ ſoli competunt, utpote rationem ſui ſufficientem non habentia niſi in eo, quod animabus humanis qua ſpiritibus proprium (§. 118 *Ontol.*), conſequenter nulli ſpiritui alii convenire poſſunt, adeoque nec Deo (§. 124).

Quænam Deo non tribuenda.

Nondum demonſtratum eſt Deum eſſe ſpiritum perfectiſſimum, cui intellectus illimitatus & voluntas illimitata competit (§. 652. 653 *Pſychol. rat.*). Quamobrem nondum demonſtrari poteſt, Deo tribui non poſſe, quæ intellectui limitato & voluntati limitatæ in genere ſpectatæ conveniunt.

§. 137.

Antequam demonſtretur, num Deus ſit ſpiritus perfectiſſimus, nec ne; quæ intellectui limitato & voluntati limitatæ tantummodo conveniunt, ei tribui nequeunt. Cum enim ſpiritus perfectiſſimus habeat intellectum illimitatum (§. 652 *Pſychol. rat.*) & voluntatem illimitatam (§. 653 *Pſychol rat.*), antequam demonſtretur, utrum Deus ſit ſpiritus perfectiſſimus, nec ne, non conſtat utrum intellectus ipſius ſit limitatus, an illimitatus, & utrum voluntas ejuſdem ſit limitata, an illimitata. Quamobrem cum intellectui illimitato non conveniant, quæ tantummodo limitato convenire poſſunt, nec voluntati illimitatæ competant, quæ tantummodo limitatæ competere poſſunt; antequam demonſtretur utrum Deus ſit ſpiritus perfectiſſimus, nec ne, ignoratur num ei tribui poſſint, quæ nonniſi intellectui limitato & voluntati limitatæ propria ſunt, adeoque tribui nequeunt.

Idem porro expenditur.

Patet adeo, quomodo evitari poſſit præcipitantia, qua per abuſum notionis intellectus humani & voluntatis humanæ Deo tribuuntur, quæ ipſi convenire nequeunt. Abſit itaque ut incauti ex ſuo modulo judicent alios. Enimvero cum notio intellectus & voluntatis, quam habemus, nulli nobis ſit uſui ad deducenda ea, quæ intellectui ac voluntati divinæ propria ſunt; in iis inveſtigandis alia via incedendum. Notionis directricis loco erit, quod ſuperius demonſtravimus (§. 115), convenienter notioni Dei ſumtæ (§. 67), quemadmodum poſtulat methodus (§. 6).

§. 138.

Digitized by Google

§. 138.

Deus qualis ſit ſpiritus.

Deus eſt ſpiritus neceſſarius. Deus enim ſpiritus eſt (§. 124) idemque neceſſario exiſtit (§. 71). Quamobrem cum ſpiritus neceſſarius ſit, qui neceſſario exiſtit (§. 662 *Pſychol. rat.*); Deus ſpiritus neceſſarius eſt.

Quoniam Deus tanquam ſpiritus neceſſarius a ſpiritibus contingentibus quoad exiſtentiam differt (§. 662 *Pſychol. rat.*), neceſſitas vero in exiſtendo ex aſeitate fluit (§. 33); ideo de Deo etiam qua ſpiritu neceſſario prædicari poſſunt, quæ de Deo reſpectu exiſtentiæ neceſſariæ prædicantur. Ita Deus recte dicitur ſpiritus æternus (§. 74), ſpirituumque primus & ultimus (§. 92).

§. 139.

Quales animæ humanæ ſint ſpiritus.

Animæ humanæ ſpiritus contingentes ſunt. Etenim animæ humanæ ſpiritus ſunt (§. 645 *Pſychol. rat.*), eædemque entia contingentia (§. 61), conſequenter non ſunt entia neceſſaria (§. 294 *Ontol.*), nec ideo neceſſario (§. 309 *Ontol.*), ſed contingenter exiſtunt (§. 316 *Ontol.*). Quamobrem cum ſpiritus contingens ſit, qui contingenter exiſtit (§. 662 *Pſychol. rat.*); animæ humanæ ſunt ſpiritus contingentes.

Atque ita patet realitas notionis ſpiritus contingentis, quam in Pſychologia ſumſimus, etſi ibidem nondum demonſtrari poſſet ſpiritum contingentem eſſe poſſibilem, adeoque animas humanas in eorum numero eſſe. Neque vero mirum videri debet in Theologia naturali demum demonſtrari propoſitionem, cui in Pſychologia rationali, ſi ſcholæ ordinem ſequaris, locus eſſe debebat. Anima enim humana, quemadmodum cetera omnia, per ea, quæ inferius demonſtrabuntur, tota a Deo dependet. Quæ vero a Deo dependent, non demonſtrantur, niſi in Theologia naturali, ubi illa rerum omnium a Deo dependentia ſtabilienda. Ceterum propoſitione præſente utemur tanquam principio, ubi de creatione animarum agemus.

§. 140.

Ratio Dei aſſerta.

Deus ratione præditus. Deus enim ſpiritus eſt (§. 124). Quare cum ſpiritus omnis rationalis ſit (§. 673 *Pſychol. rat.*), adeoque ens ratione præditum (§. 451 *Pſychol. rat.*); Deus quoque ratione præditus eſt.

Equidem hactenus non habemus notionem rationis, niſi ſpiritui finito competentis, qualis eſt anima noſtra; ſed ſufficit Deo tribuendam eſſe rationem hic agnoſci & in dubio relinqui, utrum eodem prorſus ſenſu ratio tribuatur Deo, quo hominibus, an aliqua differentia inter utramque intercedat & qualis ea ſit. Ne vero quis ſuſpicetur, facile in errorem incidere nos poſſe, niſi differentia illa obſervetur; recolenda ſunt quæ paulo ante (§. 136. 137) eo fine dicta. Sufficit hic agnoſci Deum referendum eſſe in numerum entium, quæ ratione prædita ſunt: id quod repugnat hypotheſi impiæ, qua natura rerum dicitur Deus.

CAPUT II.

De Intellectu Dei & Attributis inde pendentibus.

§. 141.

Quod Deus ſe ipſum & omnes mundos

D*Eus omnes mundos poſſibiles atque ſemetipſum cognoſcit.* Etenim Deus omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentavit (§. 121), & hunc ex ceteris cum eligeret (§. *cit.*), ejus a ceteris differentiam intime perſpexit (*per demonſtrata in § cit.*). Quoniam itaque tam mundi hujus adſpectabilis,

Digitized by Google

ctabilis, quam ceterorum omnium poſſibilium ideam diſtinctam habet (§. 38 *Pſychol. empir.*); eorum, quæ cuilibet mundo inſunt (§. 11 *Pſychol. rat.*), conſequenter & ſui ipſius ſibi conſcius eſt (§. 12 *Pſychol. rat.*), adeoque & omnes mundos poſſibiles, & ſemetipſum cognoſcit.

poſſibiles cognoſcat.

Dum terminum cognitionis ad Deum transferimus, quo actio animæ denotatur, qua notio vel idea rei acquiritur (§. 52 *Pſychol. empir.*), tamdiu de Deo loquimur humano more, donec differentia cognitionis divinæ ab humana penitus fuerit perſpecta. De Deo enim humano more loqui diſcimus, ut eum decente modo cognoſcere valeamus. Et ſane in hoc Deum cognoſcendi ordine præeuntem habemus ipſam Scripturam Sacram (*not.* §. 135), cum prægnantes ejus ſint rationes. Etenim eorum, quæ in anima noſtra deprehendimus, notiones nobis eſſe poſſibiles agnoſcimus (§. 757. 758 *Log.*), conſequenter ex iiſdem dum ratiocinamur, nullum nobis ſubnaſci poteſt dubium, quin poſſibilia inde colligantur. Notiones vero alias non habemus a poſteriori; ſed ubi aliquas nobis comparavimus per arbitrariam compoſitionem (§. 712. 714 *Log.*), determinationes variabiles mutando in alias (§. 716 *Log.*), earum ante a priori demonſtranda realitas (§. 720 & ſeqq. *Log.*), quam quid firmiter inde colligi poſſit. Quam vero ſint difficiles iſtiuſmodi demonſtrationes, nec ad cujuſvis captum, abunde conſtabit ex inferioribus, ubi exiſtentia Dei ejuſque attributa a priori demonſtraturi ſumus. Accedit quod exceptionibus obnoxiæ ſint, quæ non a quovis facile eliminantur. Ecquis ergo non intelligit, hoc pacto Theologiam naturalem reddi difficilem & perplexam, ſi non omnibus, attamen plurimis? Ubi itaque exiſtentiam Dei ejuſque attributa a poſteriori demonſtramus, præter neceſſitatem difficultates in eandem inveheremus. Porro non adeo facile eſt, quemadmodum incautis videtur, comminiſci notiones generales, quæ enti finito & infinito ſine omni diſcrimine competunt, ubi incautus in iis admittere non vis, quæ enti infinito repugnant, uſus vocabulis ad decipiendum nonniſi eos aptis, qui ſufficiente acumine in examinandis notionibus non utuntur. Jam dudum hoc agnovere cum *Ariſtotele* Scholaſtici, idcirco contendentes, Deum non eſſe in prædicamentis, ſed ſuper prædicamenta, propterea quod perperam fingatur aliquod genus, ſub quo Deus & entia finita tanquam ſpecies collocentur. Qui id fieri poſſe ſomniant, modorum, quibus ad notiones pervenitur, non ſunt ſatis gnari, nec unde fit, quod vocabula quædam ſine definitione aſſumta, intelligibilia ſint, intelligunt. Omittimus rationes alias, quæ afferri poterant, cum hæc ſufficere arbitremur.

§. 142.

Poſſibilia abſolute ſpectantur, quatenus unumquodque eorum ſpectatur in ſe, ſine relatione ad alia. *Spectantur vero ut in ſyſtemata redacta*, quatenus repræſentantur ut inter ſe connexa, tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem.

Duplex poſſibilia conſiderandi modus.

E. gr. Quodlibet individuum, in hac rerum natura exiſtens, in numero poſſibilium eſt (§. 570 *Ontol.*). Quodſi ergo ipſum conſideres quoad ea, quæ neceſſario ipſi conveniunt, & quoad varias mutationes, quas ſubire poteſt; poſſibile hoc in ſe ſpectas. Et idem intelligitur de individuo quolibet alio ad mundum hunc adſpectabilem ſpectante. Quodſi vero jam omnia iſta individua ſimul conſiderentur, quatenus ſucceſſive coexiſtunt & ſeſe invicem excipiunt, hoc eſt, prouti in hoc mundo adſpectabili conſpiciuntur (§. 48 *Coſmol.*); poſſibilia eadem tanquam in ſyſtema aliquod relata ſpectantur.

§. 143.

Si ens aliquod abſolute ſpectatur; ejus cognoſcuntur determinationes eſſentiales, attributa & modorum poſſibilitates, illorum & harum cum eſſentialibus nexus, modorumque variæ ſeries. Etenim ſi quod poſſibile, conſequenter ens aliquod (§. 135 *Ontol.*), abſolute ſpectatur; in ſe conſideratur, ſine omni relatione ad aliud (§. 142), atque adeo de eo non cognoſcuntur, niſi quæ neceſſario inſunt & per hæc ipſa in eodem poſſibilia concipiuntur,

Quænã in poſſibili in ſe ſpectato conſiderentur.

quatenus

Digitized by Google

quatenus ſcilicet poſſibilia ſunt. Jam ens quodlibet ſuas habet determinationes eſſentiales (§. 143 *Ontol.*), per quas poſſibile intelligitur (§. 153. 122 *Ontol.*) & attributa (§. 146 *Ontol.*) atque modorum poſſibilitas determinantur (§. 160 *Ontol.*). Quoniam igitur quicquid enti ineſt, id vel inter eſſentialia, vel attributa, vel modos locum habet (§. 149 *Ontol.*), in ſtatu vero nudæ poſſibilitatis nullus modus enti inexiſtere intelligitur (§. 160. 118 *Ontol.*); ſi ens in ſe conſideratur, ejus cognoſcuntur determinationes eſſentiales, attributa & modorum poſſibilitates. *Quod erat primum*.

Jam ratio ſufficiens, cur attributa inſint & modi ineſſe poſſint, in eſſentialibus continetur (§. 157. 160 *Ontol.*). Quamobrem ſi ens in ſe ſpectatur, cum attributa & modorum poſſibilitates enti ineſſe non intelligantur niſi per eſſentialia (§. 56 *Ontol.*), attributa vero & modorum poſſibilitates eo ipſo cum eſſentialibus connectantur, quod rationem ſui ſufficientem in iiſdem habeant (§. 10 *Coſmol.*); nexus quoque attributorum & poſſibilitatis modorum cum eſſentialibus perſpicitur. *Quod erat ſecundum*.

Enimvero quoniam modi actu ineſſe non intelliguntur, ſed modo ineſſe, modo non ineſſe poſſe concipiuntur (§. 151 *Ontol.*); hoc ipſo patet, eos eſſe variabiles, & quatenus ſibi mutuo diverſis modis ſuccedere poſſe intelliguntur, diverſas modorum ſeries prodire agnoſcitur. Quamobrem ſi ens in ſe ſpectatur, variæ modorum cognoſcuntur ſeries. *Quod erat tertium*.

Cum in eo jam verſemur, ut in differentiam intellectus divini ab humano curatius inquiramus; id omnino nobis agendum eſt, ut exponamus, qualis cognitio poſſibilis ſit. Ita enim conſtabit clarius, quænam cognitio ſit ſumma & quanto intervallo ab eadem diſtet humana. Et quia deinceps evincemus, mundi ideam efformatam eſſe ad intellectu divino & totum hoc, quod exiſtit, univerſum poſſibilitatem ſuam ab intellectu divino derivare; cognitione omni poſſibili perſpecta demonſtrari poterit, quomodo idea mundi hujus adſpectabilis ceterorumque non minus poſſibilium in intellectu divino enata fuerit: id quod cognoviſſe proderit ad detegendas vel ulterius perſpiciendas veritates alias magni momenti.

§. 144.

Quænam cognoſcantur, ſi ens in ſyſtemate ſpectatur.

Si quod poſſibile ſpectatur ut in ſyſtema cum aliis redactum; cauſarum cognoſcitur ſeries, per quas exiſtentia determinatur, modorum ſeries, qui ſucceſſive toto durationis tempore eidem inexiſtunt, dependentia a coexiſtentibus quoad modos ſingulos, influxus in modificationem coexiſtentium & in exiſtentiam ſucceſſivorum; nihil vero horum cognoſcitur, quatenus quid abſolute ſpectatur. Etenim ſi quid abſolute ſpectatur, non cognoſcuntur niſi determinationes eſſentiales, attributa & modorum variis modis variabilium poſſibilitates atque horum cum iſtis nexus (§. 143). Per determinationes eſſentiales ens tantummodo poſſibile agnoſcitur (§. 154 *Ontol.*), nondum vero intelligitur, quomodo exiſtere poſſit (§. 171 *Ontol.*), cum non niſi ens a ſe ideo exiſtat, quia poſſibile (§. 34). Quamdiu igitur ens abſolute ſpectatur, non cognoſcitur quomodo exiſtentia ejus determinari poſſit.

Porro quoniam modorum tantummodo cognoſcuntur poſſibilitates per demon-

demonſtrata, nihil vero ideo exiſtit, quod poſſibile (§. 171 *Ontol.*) præter ens a ſe (§. 34); quamdiu ens aliquod abſolute ſpectatur, modi, quos recipere valet, non cognoſcuntur ut inexiſtentes. Et quamvis intelligatur, ens ad modos quoslibet utpote eſſentialibus determinationibus non repugnantes, per eas tamen non determinabiles (§. 148 *Ontol.*), recipiendum eſſe indifferens (§. 85 *Ontol.*), & ob eorum mutabilitatem (§. 314 *Ontol.*) ſemel inexiſtentes variari poſſe, conſequenter ſeries modorum ſibi mutuo certo ordine ſuccedentium eſſe poſſibiles; cur tamen huic potius modorum ſeriei, quam alteri cuidam in ſe ſpectatæ non minus poſſibili (§. 85 *Ontol.*) locus ſit, nondum perſpicitur. Quamobrem cum nec exiſtentia entis cognoſcatur, quamdiu ens in ſe ſpectatur *per demonſtrata*, adeoque nullum durationis tempus intelligatur (§. 578 *Ontol.*); quamdiu ens abſolute ſpectatur, modorum ſeries, qui toto durationis tempore eidem ſucceſſive inexiſtunt, non cognoſcitur.

Quamdiu ens abſolute ſpectatur, ad alia ſive coexiſtentia, ſive ſucceſſiva minime refertur (§. 142); per ſe patet, hoc pacto conſtare nondum poſſe dependentiam a coexiſtentibus quoad modos ſingulos, nec influxum in modificationem coexiſtentium & exiſtentiam ſucceſſivorum.

Verum enimvero ſi ens ut in ſyſtema cum aliis redactum ſpectatur, eo modo repræſentatur, quo cum aliis in eodem ſyſtemate connectitur tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem (§. 142). Quamobrem cum entia, de quibus hic nobis ſermo eſt, rationem exiſtentiæ ſufficientem in eſſentia ſua minime habeant *per hypoth.* adeoque contingentia ſint (§. 310 *Ontol.*), contingentium vero actus in mundo determinetur per ſeriem contingentium, quæ a ſe invicem dependent ut effectus a ſua cauſa (§. 83 *Coſmol.*); dum ens ut in ſyſtema cum aliis redactum ſpectatur, ſeries cauſarum cognoſcitur, per quas exiſtentia determinatur.

Similiter quia entia compoſita in mundo in modificationibus ſuis a contiguis dependent (§. 85 *Coſmol.*), eorumque modi per mundum integrum determinantur (§. 87 *Coſmol.*); dum ens tanquam cum aliis in ſyſtema redactum ſpectatur, dependentia a coexiſtentibus quoad modos ſingulos & influxus in modificationem coexiſtentium cognoſcitur.

Denique cum actus contingentium in mundo determinetur per ſeriem contingentium, quorum unum determinatur per alterum quoad actualitatem ſuam (§. 89 *Coſmol.*); ab iis, quæ præſentia ſunt, pendet actus futurorum. Quamobrem ſi ens ut cum aliis in ſyſtema redactum ſpectatur, ejus in exiſtentiam futurorum (§. 584 *Ontol.*), conſequenter ſucceſſivorum (§. *cit.* & §. 569 *Ontol.*) influxus cognoſcitur.

Elucet hinc differentia cognitionis modorum, quæ poſſibilis, prouti entia modificabilia ſpectantur vel abſolute, vel ut cum aliis in certa ſyſtemata redacta. Cum modi eſſentialibus non repugnent, per ea tamen non determinentur (§. 148 *Ontol.*), conſequenter affirmari non poſſit, quamdiu ens abſolute ſpectatur, quinam de iis affirmari, quinam negari debeant (§. 112 *Ontol.*); quamdiu ens abſolute ſpectatur, tantummodo cognoſcitur, varios

ac prorſus diverſos modos eidem ſucceſſive ineſſe poſſe (§. 85 *Ontol.*) & per modorum, qui inexiſtere poſſe intelliguntur (§. 148. 147 *Ontol.*), omnes poſſibiles combinationes perſpicitur, quot & quales ſint poſſibiles modorum, conſequenter mutationum ſeries (§. 290. 551 *Ontol.*), quæ ſalva rei eſſentia locum habere poſſunt; nondum vero patet, quænam earum ad actum perduci poſſint, & quomodo ad eundem perducantur, & ubi quælibet illarum ſerierum, quæ ad actum perduci poſſunt, terminetur. Quoniam vero entia compoſita in mundo, adeoque ſerie entium finitorum inter ſe connexorum (§. 48 *Coſmol.*), ſeu in ſyſtema aliquod redactorum (§. 142), in modificationibus ſuis a contiguis dependent (§. 85 *Coſmol.*), & a coexiſtentibus dependent in actu ſuo (§. 84 *Coſmol.*); ubi entia ut in ſyſtemata redacta ſpectantur, tum demum perſpicitur, quænam modorum ſeries in unoquoque ſyſtemate ad actum perducatur & ubi eadem terminetur.

§. 145.

Quomodo omnia cognoſcantur, quæ enti alicui ineſſe poſſunt.

Si poſſibilia tum abſolute, tum in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnia cognoſcuntur, quæ iiſdem actu ineſſe poſſunt. Etenim ſi poſſibilia abſolute ſpectantur, eorum cognoſcuntur determinationes eſſentiales, attributa & modorum poſſibilitates, nec non nexus attributorum quoad inexiſtentiam, modorum quoad poſſibilitatem cum eſſentialibus, & quoſnam modos diverſos, quotque modis diverſis eoſdem recipere poſſit ens (§. 143 & *not.* §. 144). Quodſi vero poſſibilia ſpectentur ut in ſyſtemata relata; ſeries cauſarum cognoſcitur, per quas exiſtentia determinatur, ſeries modorum, quos toto durationis tempore recipit, dependentia a coexiſtentibus quoad modos ſingulos atque influxus in modificationem coexiſtentium & exiſtentiam ſucceſſivorum (§. 144 & *not. ejuſd.*). Jam ea, quæ enti inſunt, aut inſunt conſtanter, aut conſtanter non inſunt, ſeu modo inſunt, modo non inſunt. Et quæ conſtanter inſunt, aut per ea, quæ ſimul inſunt, determinantur, ita ut his poſitis ponantur & ipſa (§. 115 *Ontol.*), aut per ea, quæ ſimul inſunt, non determinantur (§. 53 *Ontol.*). Quæ vero conſtanter inſunt, nec per alia, quæ ſimul inſunt, determinantur, eſſentialia ſunt, quæque conſtanter inſunt, & per alia, quæ ſimul inſunt, determinantur, attributa ſunt (§. 152 *Ontol.*), & quæ enti modo inſunt, modo non inſunt, ea inter modos referri debent (§. 151 *Ontol.*). Enti igitur alia præter eſſentialia, attributa & modos ineſſe nequeunt, & hi quidem, cum mutabiles ſint (§. 314 *Ontol.*), ſucceſſive inexiſtentium quandam ſeriem conſtituunt. Quatenus vero ea, quæ enti alicui inſunt, referuntur ad alia in eodem ſyſtemate locum habentia, conſequenter inter ſe connexa (§. 142), adeoque vel ſimultanea, vel ſucceſſiva (§. 48 *Coſmol.*), ſeu coexiſtentia & non coexiſtentia (§. 569 *Ontol.*), atque hinc vel præſentia vel præterita, vel futura (§. 584 *Ontol.*); aut dependentiam exiſtentiæ a cauſarum quadam ſerie (§. 83 *Coſmol.*), & a coexiſtentibus in actu ſuo (§. 84 *Coſmol.*), aut dependentiam modificationum ab aliis (§. 85 *Coſmol.*), aut dependentiam aliorum ab ipſo quoad exiſtentiam & modificationem loquuntur (§. *cit. Coſmol.*). Abunde igitur perſpicitur, cognoſci quæ entibus inſunt & iiſdem actu ineſſe poſſunt ſingula, ſi ea tum abſolute, tum ut in ſyſtemata redacta cognoſcuntur.

Vidimus

Vidimus hactenus, quomodo cognoſcantur ea, quæ enti unicuique inſunt, aut actu ineſſe poſſunt, una cum omni dependentia eorundem quoad ea ab aliis, tum aliorum ab ipſo. Videndum porro, quomodo cognoſcantur ea, quæ entibus intrinſeca non ſunt, ſed tantummodo extrinſece eadem afficiunt.

§. 146.

Quomodo cognoſcantur, quæ ens extrinſece afficiunt.

Si poſſibilia omnia, quæ in unum ſyſtema redigi poſſunt, tanquam in ſyſtema redacta ſpectantur; ſpatium ac tempus omne diſtincte cognoſcitur, una cum loco & ſitu uniuſcujuſque entis & eorundem mutationibus toto durationis tempore. Etenim ſi poſſibilia ſpectantur tanquam in ſyſtemata redacta, & quidem omnia, quæ in unum redigi poſſunt, tanquam in unum redacta; ea repræſentantur tanquam inter ſe connexa, tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem (§. 142), adeoque diſtinctiſſime perſpicitur, quomodo ratio unius coexiſtentis contineatur in ceteris coexiſtentibus (§. 10 *Coſmol.*), & cur hoc potius modo ſeſe invicem excipiant quam alio (§. 56 *Ontol.*), nec non quomodo ratio ſequentis uniuſcujuſque contineatur in præcedentibus, & cur hoc potius modo ſeſe invicem excipiant, quam alio (§§. *cit.*), conſequenter ordo tam coexiſtentium, quam ſucceſſivorum diſtinctiſſime cognoſcitur (§. 472 *Ontol.*). Quamobrem cum ordo ſimultaneorum ſit ſpatium reale, quatenus ſcilicet illa coexiſtunt (§. 589 *Ontol.*), ordo vero ſucceſſivorum in ſerie continua tempus, quatenus ſcilicet ſe invicem conſequuntur (§. 572 *Ontol.*); qui poſſibilia in unum ſyſtema redigibilia tanquam in idem redacta ſpectat; omne ſpatium ac tempus reale quam diſtinctiſſime cognoſcit.

Porro ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur; eadem tanquam quoad coexiſtentiam inter ſe connexa ſpectantur (§. 142). Neceſſe igitur eſt ut uniuſcujuſcunque determinatus modus coexiſtendi ceteris diſtinctiſſime cognoſcatur. Quamobrem cum modus determinatus, quo quid ſimultaneis coexiſtit, ſit locus ejuſdem (§. 602 *Ontol.*); ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta repræſentantur, uniuſcujuſque locus cognoſcitur.

Quoniam vero ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur, tempus omne reale diſtinctiſſime cognoſcitur *per demonſtrata*, conſequenter ordo omnis, qui in ſucceſſivorum ſerie continua deprehenditur, penitus perſpicitur (§. 572 *Ontol.* & §. 38 *Pſychol. empir.*): fieri non poteſt, quin diſtinctiſſime intelligatur, quibus ſucceſſivis continuo quid coexiſtat, conſequenter tota uniuſcujuſcunque poſſibilis duratio cognoſcitur (§. 578 *Ontol.*).

Quambrem cum determinatus modus, quo quid ſimultaneis coexiſtit, locus ſit (§. 602 *Ontol.*); locus uniuſcujuſque toto durationis tempore cognoſcitur, conſequenter omnes loci mutationes, quotquot contingunt, ſeu contingere poſſunt in iſta ſerie, cognoſcuntur, ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur.

 Et quia

Et quia ordo ſimultaneorum non continuorum quoad coexiſtentiam ſitus eſt (§. 603 *Ontol.*); *per demonſtrata* patet, ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur, uniuſcujuſque ſitus ad cetera omnia, ejuſdemque adeo omnes mutationes toto durationis tempore quam diſtinctiſſime cognoſci.

Quodſi quis ad demonſtrationem propoſitionis præſentis animum advertit; inexpectata ipſi lux affulgebit circa notionem ſpatii ac temporis, quam in philoſophia explicavimus (§. 589. 590 & 572. 573 *Ontol.*), ut penitus diſpellantur nebulæ, quæ ex notione temporis ac ſpatii imaginaria oriuntur (§. 581. 586 & §. 611 *Ontol.*). Intelligit enim, quod, ſi ordo ſimultaneorum perſpicitur, ſpatium; ſi ſucceſſivorum, tempus cognoſcatur, & analogia inter tempus ac ſpatium intercedens manifeſta eſt.

§. 147.

Genera & ſpecies cum eorum prædicatis quomodo cognoſcantur.

Si poſſibilia tum in ſe, tum tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnes ſpecies, ac genera omnia, eorundemque ſubordinationes cognoſcuntur, una cum prædicatis tam abſolutis, quam hypotheticis ſpeciei ac generi cuicunque convenientibus. Etenim ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur; poſſibilia, quæ inter ſe connecti poſſunt, repræſentantur tanquam inter ſe connexa tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem (§. 142), & omnia, ſi ſimul abſolute ſpectentur, cognoſcuntur, quæ iiſdem actu ineſſe poſſunt (§. 145). Perſpicitur itaque, quænam tam in ſimultaneis, quam ſucceſſivis eadem ſint, ſive conſideres eorum eſſentialia, ſive attributa, ſive modos (§. 149 *Ontol.*). Quamobrem cum hoc pacto cognoſcatur omnis rerum ſimilitudo (§. 195. 243 *Ontol.*), quæ in eadem ſerie rerum locum habere poteſt, ſimilitudo autem rerum ſingularium ſit id, quod ſpeciem appellamus (§. 233 *Ontol.*), ſimilitudo ſpecierum, quod genus vocamus (§. 234 *Ontol.*), ſimilitudo denique generum, quod generis ſuperioris nomine nuncupatur (§. *cit.*); ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur, omnes rerum ſpecies & genera omnia cum inferiora, tum ſuperiora cognoſcuntur.

Imo cum hoc pacto conſtet, quaſnam genera ſimilitudines admittant *per demonſtrata*, genera vero inferiora ſubordinentur ſuperiori, quatenus quandam inter ſe ſimilitudinem habent (§. 234 *Ontol.*); ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur, omnes generum cognoſcuntur ſubordinationes.

Si poſſibilia tum abſolute, tum tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnia cognoſcuntur, quæ iiſdem actu ineſſe poſſunt (§. 145), conſequenter quæ rei cuicunque tribui & ab eadem removeri debeant, quæ in quadam rei ſerie locum habet. Quamobrem cum id ſit rei prædicatum, quod eidem tribui, vel ab eadem removeri debet (§. 200 *Log.*); omnia rei uniuſcujuſque cognoſcuntur prædicata. Enimvero ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnes cognoſcuntur ſpecies, genera item omnia tam inferiora, quam ſuperiora *per demonſtrata*. Cognoſcuntur itaque omnia ſpecierum atque generum tam inferiorum, quam ſuperio-

Digitized by Google

ſuperiorum prædicata, quatenus ſcilicet perſpicitur, qualia prædicata communia habent ea, quibus communes ſunt determinationes eſſentiales *per demonſtrata* & §. 247 *Ontol.* Et quoniam ſi ens aliquod abſolute ſpectatur; nexus cum eſſentialibus cognoſcitur, quem habent attributa modorumque poſſibilitates (§. 143): ſi quod vero poſſibile ſpectatur ut in ſyſtema cum aliis redactum; cauſarum cognoſcitur ſeries, per quas exiſtentia determinatur, modorum dependentia a coexiſtentibus atque influxus in coexiſtentium modificationem & ſucceſſivorum exiſtentiam (§. 144); ſi poſſibilia tam abſolute, quam ut in ſyſtemata redacta conſiderantur; non minus cognoſcitur, quænam ſpeciei ac generi cuicunque tam inferiori, quam ſuperiori tribuenda ſint prædicata abſolute, quam quænam tribuenda veniant ſub determinata quadam conditione. Cognoſcuntur adeo ſpeciei cujuſcunque atque generis prædicata omnia cum abſoluta, tum hypothetica.

Probe notanda eſt hæc propoſitio ejuſque demonſtratio ſolerter expendenda, ut diſtincte cognoſcatur, quomodo univerſalis rerum cognitio ex ſingularum cognitione reſultet: id quod uſui erit paulo inferius ad rationem intimius perſpiciendam, & rationem inprimis, quæ in Deo datur, ejuſque differentiam a ratione humana & alia quacunque finita agnoſcendam.

§. 148.

Si poſſibilia tum in ſe, tum ut in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnes cognoſcuntur numeri, qui in unaquaque rerum ſerie dari poſſunt. Quicquid exiſtit, vel actu eſt, id omnimode determinatum eſt (§. 226 *Ontol.*). Quamobrem cum poſſibilia in ſyſtemata redacta ſpectentur, quatenus inter ſe connecti poſſunt tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem (§. 142), adeoque ſeriem rerum poſſibilem conſtituunt (§. 85 *Ontol.*), conſequenter ita repræſentantur, quomodo exiſtere poſſunt (§. 133 *Ontol.*); ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur, tanquam omnimode determinata exhibentur. Repræſentantur adeo ſingula tanquam individua (§. 227 *Ontol.*). Quamobrem cum ens omne ſingulare unum ſit (§. 329 *Ontol.*), unum tamen non ſit idem cum altero (§. 183 *Ontol.*), quemadmodum ex ſingulorum differentia perſpicitur in quavis rerum ſerie obvia (§. 247 *Coſmol.*); ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur, tanquam multa repræſentantur (§. 331 *Ontol.*). Hæc multitudo quia cognoſcitur, omnium ſingularium numerus cognoſcitur (§. 340 *Ontol.*), qui in aliqua rerum ſerie dari poteſt, ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur. *Quomodo numeri cognoſcantur.*

Porro ſi hæc ipſa poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnes cognoſcuntur ſpecies & genera omnia tam inferiora, quam ſuperiora (§. 147). Enimvero ſpecies rerum conſtituuntur ſingularium ſimilitudine (§. 233 *Ontol.*) & genera inferiora ſimilitudine ſpecierum & ſuperiora ſimilitudine generum inferiorum (§. 234 *Ontol.*), entia vero univer-

ſalia

Digitized by Google

ſalia conſtituuntur iſta ſimilitudine partiali individuorum, vel minus univerſalium (*§*. 232 *Ontol.*). Quamobrem ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnia entia univerſalia cognoſcuntur, quæ in unaquaque rerum ſerie locum habere poſſunt. Cum ens unumquodque univerſale unum ſit (§. 329 *Ontol.*), ab altero autem differat (*§*. 255 *Ontol.*); ubi ad differentiam iſtam reſpicitur, univerſalia repræſentantur tanquam multa (*§*. 331 *Ontol.*). Hæc igitur multitudo dum cognoſcitur, omnium rerum univerſalium numerus cognoſcitur, qui in aliqua rerum ſerie dari poteſt, dum poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur (*§*. 340 *Ontol.*).

Similiter dum poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur, omnis ſpecierum ac generum, imo individuorum ſub ſpeciebus, cognoſcitur ſubordinatio (*§*. 147). Jam cum ſpecies conſtituantur ſimilitudine individuorum (§. 233 *Ontol.*), genera infima ſimilitudine ſpecierum, ſuperiora autem ſimilitudine proxime inferiorum (§. 234 *Ontol.*), donec tandem perveniatur ad ſummum, quod cum ſit numero unicum, ſui ſimile habere nequit (§. 195 *Ontol.*); individua ſubſtant ſuis ſpeciebus, ſpecies ſuis generibus, genera inferiora ſuis generibus ſuperioribus, donec tandem perveniatur ad ſummum, cui omnia ſubſtant. Dum itaque ſpecierum ac generum ſubordinationes cognoſcuntur, numerus graduum innoteſcit, per quos ab individuis & ſpeciebus ad genera continuo ſuperiora aſcenditur, donec tandem perveniatur ad ſummum, ſeu gradum ſupremum, tanquam per ſcalam: quam ſpecierum ac generum ſubordinationem *ſcalam prædicamentalem* ideo dixit *Ariſtoteles*.

Si poſſibilia abſolute ſpectantur; modorum variæ cognoſcuntur ſeries, per eſſentiam entis uniuſcujuſque poſſibiles (§. 143). Quoniam ſeries unaquæque tanquam unum quid ſpectatur (§. 330 *Ontol.*), omnes tamen in eodem individuo ad actum perduci nequeunt, utpote ſibi invicem contrariæ (*§*. 28 *Ontol.*), ſed diverſæ in individuis ejuſdem ſpeciei in eadem ſerie deprehenduntur (*§*. 257 *Coſmol.*); ſerierum iſtiuſmodi cognoſcitur multitudo (*§*. 331 *Ontol.*), adeoque numerus (§. 340 *Ontol.*). Cumque modorum ſeries, qui ſucceſſive toto durationis tempore enti unicuique inexiſtunt, cognoſcatur, ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur (*§*. 144); ubi hoc ſit, numerus ſerierum modorum, qui per eſſentias ſpecierum poſſibiles ſunt, & in eadem rerum ſerie ad actum perducuntur, determinatus cognoſcitur (§. 112. 339 *Ontol.*). Imo quatenus modi in eadem ſerie ſe invicem inſequentes differunt, variationum multitudo determinata (*§*. 331. 112 *Ontol.*), conſequenter numerus cognoſcitur (§. 340 *Ontol.*).

Quodſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur; cauſarum cognoſcitur ſeries, per quas exiſtentia entis cujuſcunque determinatur (§. 144).

(§.144). Quamobrem cum cauſæ in eadem ſerie ſe invicem excipientes diverſæ ſint (§. 257 *Coſmol.*); patet ut ante, cauſarum in unaquaque ſerie cognoſci numerum determinatum.

Quoniam entia compoſita ex partibus conſtant a ſe invicem diſtinctis (§. 531 *Ontol.*), partes vero iſtæ in genere ſpectatæ conſiderantur tanquam multa in uno (§. 341 *Ontol.*); dum illa in ſe ſpectantur, partium cognoſcitur numerus, quemadmodum ex antea demonſtratis liquet. Quamobrem ubi poſſibilia in ſe ſpectantur, partium in ente quolibet compoſito cognoſcitur numerus.

Atque hoc pacto abunde patet, ſi poſſibilia tum abſolute, tum ut in *ſyſtemata* redacta ſpectantur; non modo enaſci notionem tum numeri in genere, quam numerorum in ſpecie, verumetiam omnes cognoſci numeros determinatos, qui in unaquaque rerum ſerie locum habere poſſunt, ut non opus videatur plura in medium afferri.

Probe perpendi velim modum, quo notio numeri in cognoſcente reſultat ex ipſis rerum notionibus, ut intelligatur, quod nullus detur numerus, niſi dentur res diverſæ, numerus tamen non ſit idem cum rebus numeratis, & quomodo numerus realis differat ab imaginario ſeu infinito. Etenim cum hæc intellectu facilia ſint, imaginatione per notiones confuſas nihil difficultatis objiciente; plurimum lucis affundent notioni temporis ac ſpatii, quoniam modus perveniendi ad notionem temporis ac ſpatii idem propemodum eſt, quo ad notionem numeri pervenitur, & tempus atque ſpatium in eadem claſſe entium collocari debent, in qua ſibi locum vindicat numerus.

§. 149.

Si poſſibilia omnia tum abſolute, tum ut in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnes cognoſcuntur relationes, quas ens unumquodque in una qualibet rerum ſerie habere poteſt. Etenim ſi poſſibilia omnia tum abſolute, tum in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnia cognoſcuntur, quæ iiſdem actu ineſſe poſſunt (§. 145). Quamobrem ſi ea, quæ enti unicuique ineſſe poſſunt, inter ſe comparentur, & num inter ea, quæ uni conveniunt abſolute, quidpiam occurrat, per quod aliquod de ente quocunque alio in eadem ſerie intelligi poſſit, quod abſque eo intelligi non poterat, conſequenter quænam inter ens unumquodque & quodcunque aliud in eadem ſerie detur relatio (§. 855. 856 *Ontol.*). Neceſſe igitur eſt ut hac via obviæ ſint omnes entis uniuſcunque relationes ad quodcunque aliud in eadem ſerie.

Quomodo omnes relationes cognoſcantur.

Ne quid circa propoſitionem præſentem ſuboriatur dubium, probe perpendendum eſt, relationem nullam enti realitatem ſuperaddere, quam in ſe ſpectatum non habet (§. 857 *Ontol.*), fundamentum tamen relationis contineri in iis, quæ entibus ad ſe invicem relatis inſunt, dum abſolute ſpectantur (§. 858 *Ontol.*). His nempe perpenſis nullum ſupereſſe poteſt dubium, quin relationes omnes poſſibiles entis cujuſcunque A ad aliud quodcunque B innoteſcant per ea, quæ entibus iſtis toto durationis tempore actu inſunt. Non repetimus exempla, quibus in philoſophia prima principia, ad quæ provocamus, illuſtravimus, etſi huc apprime faciant, utpote ibidem legenda (*locc. citt.*).

§. 150.

Præter magnitudinem, quæ extenſo ineſt, & quæ in gradibus ac tempore atque motu ſpectatur, alia non datur. Quoniam ens omne vel ſimplex eſt, vel compoſitum (§. 685 *Ontol.*), ſimplex vero partibus caret (§. 673 *Ontol.*), compoſitum parti-

Magnitudo ubinam detur.

Digitized by Google

partibus conſtat (§. 531 *Ontol.*); magnitudo, quæ partium dicit multitudinem (§. 430 *Ontol.*), propric non datur niſi in ente compoſito, conſequenter in extenſo datur magnitudo (§. 619 *Ontol.*), quæ & molis quantitas in hoc caſu dicitur (§.747 *Ontol.*). Jam omnis determinatio intrinſeca vel in qualitatum, vel in quantitatum numero eſt (§.454 *Ontol.*). Quare in ſimplici ente non dantur niſi qualitates & quæ præter magnitudinem compoſitis inſunt, in qualitatum numero ſunt. Enimvero quantitates qualitatum ſunt gradus (§.747 *Ontol.*), qui ideo quantitas virtutis appellantur (§ *cit.*). Entibus igitur ſimplicibus & præter quantitatem molis, quæ magnitudo proprie dicitur, compoſitis nulla tribui poteſt magnitudo, niſi quæ in gradibus ſpectatur (§.751 *Ontol.*). Quodſi jam porro entia tanquam in ſyſtemata relata ſpectentur; eadem conſiderantur, quatenus inter ſe connectuntur tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem (§. 142), & nexus quoad coexiſtentiam, ſpatii (§.589 *Ontol.*), quoad ſucceſſionem, temporis notionem inſinuat (§. 572 *Ontol*). Quoniam entis compoſiti magnitudo eadem eſt cum magnitudine ſpatii, quod eadem figura ſuperficiali terminatur (§. 625 *Ontol.*); in ſpatio non aliæ ſpectari poſſunt magnitudines, quam quæ in entibus compoſitis ſpectantur. Enimvero cum partes temporis actualis per exiſtentias rerum actu deſignentur (§. 583 *Ontol.*), exiſtentia vero compoſitorum non fit in numero partium; temporis quoque magnitudo a rerum in tempore exiſtentium magnitudine diverſa eſt. Denique compoſita, quatenus coexiſtunt, vel eundem tuentur locum, vel locum mutant, adeoque vel quieſcunt, vel moventur (§.642 *Ontol.*). In quiete cum nullas ne fingere quidem liceat partes, nulla quoque ne fingi quidem poteſt magnitudo (§. 434 *Ontol.*). In motu autem cum occurrat ſpatium a mobili deſcriptum (§. 650 *Ontol.*) & celeritas, qua fertur (§. 649. 653 *Ontol.*); in motu magnitudines deprehenduntur, quatenus lineis (§.434 *Ontol.*) & celeritati magnitudo tribuitur (§. 664 *Ontol.*). Quamvis denique in ſerie rerum ſimultanearum & ſucceſſivarum ens unumquodque certum obtinet ſitum (§. 603 *Ontol.*), cum tamen ſitus coexiſtentium æſtimetur per extenſum interjectum (§. 605 *Ontol.*), ſucceſſivorum per tempus intercedens; non aliæ hic occurrunt magnitudines, quam quæ in extenſo & tempore ſpectantur. Patet adeo præter magnitudinem, quæ extenſo ineſt, & quæ in gradibus & tempore atque motu ſpectatur, non dari aliam.

Si objicis, nos tribuere vi (§. 739 *Ontol.*) & actionibus magnitudinem (§. 737 *Ontol.*); regerimus vim eſſe in numero qualitatum & magnitudinem iis tributam ſpectari in gradu, & actionibus tribui magnitudinem, quatenus in tempore fiunt (§. *cit.*).

§. 151.

Quomodo omnes magnitudines & earum *Si poſſibilia tanquam in ſyſtemata relata ſpectantur; omnes magnitudines, quæ dari poſſunt, earumque ad ſe invicem rationes cognoſcuntur.* Etenim ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata relata ſpectantur; omnia cognoſcuntur, quæ iiſdem actu inſunt (§. 145), & omnes numeri, qui in unaquaque rerum

rerum ſerie dantur (§. 148), conſequenter etiam omnes entium compoſitorum partes (§. 531 *Ontol.*) earumque numerus. Quamobrem cum entia compoſita ſint illa, quæ extenſa ſunt (§. 619 *Ontol.*); omnis hoc modo cognoſcitur partium, quæ in extenſo dantur, multitudo, conſequenter omnis, quæ extenſo inexiſtit, magnitudo (§. 430 *Ontol.*). *rationes cognoſcantur.*

Similiter cum poſſibilibus tanquam in ſyſtemata relatis ſpectatis omnia cognoſcantur, quæ iiſdem actu inſunt (§. 145); cognoſci etiam debet id, quo qualitates eædem ſalva identitate differre poſſunt vel eodem tempore in diverſis ſubjectis, vel tempore diverſo in eodem ſubjecto. Omnes igitur cognoſcuntur gradus, quibus in unaquaque rerum ſerie locus eſt (§. 746 *Ontol.*), conſequenter quia poſſibilibus tanquam in ſyſtemata relatis ſpectatis omnes cognoſcuntur relationes, quas ens unumquodque ad alterum habere poteſt, omnis quoque cognoſcitur graduum magnitudo (§. 751 *Ontol.*).

Denique ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata relata ſpectantur; tempus omne diſtincte cognoſcitur una cum mutationibus locorum, quas ens unumquodque toto durationis tempore ſubire valet (§. 146), conſequenter motibus omnibus (§. 642 *Ontol.*). Quoniam vero diſtincte nil cognoſcitur, niſi ea, quæ eidem inſunt, a ſe invicem diſtinguantur (§. 38 *Pſychol. empir.*); partes quoque temporis actuales (§. 583 *Ontol.*), atque gradus celeritatis in motu (§. 662 *Ontol.*) una cum ſpatio mobilis (§. 651 *Ontol.*) & tempore, quo motus fit, cognoſcuntur (§. 649 *Ontol.*), conſequenter hoc pacto cognoſcitur omnis temporis, omniſque, quæ motui ineſt, magnitudo per ea, quæ modo oſtendimus.

Quoniam itaque præter magnitudinem, quæ extenſo ineſt, & quæ in gradibus ac tempore, atque hinc in motu quoque ſpectatur, non datur alia (§. 150); ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata relata ſpectantur, omnis etiam, quæ dari poteſt, cognoſcitur magnitudo.

Jam ſi poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur; omnes cognoſcuntur relationes, quas ens unumquodque in una qualibet rerum ſerie habere poteſt (§. 149), adeoque cognoſci etiam debent omnes relationes magnitudinum, quas in hac hypotheſi agnoſci modo evicimus. Quoniam itaque ratio magnitudinum in numero relationum eſt, quas ad ſe invicem habent (§. 126 *Arithm.*); in caſu propoſitionis præſentis omnes magnitudinum, quæ dari poſſunt, rationes cognoſci manifeſtum eſt.

Agitur hic de cognitione magnitudinum in concreto, non vero in abſtracto. Quomodo inde cognitio earundem in abſtracto reſultet, patebit inferius, ubi modum ſumus expoſituri, quo ratio in ente infinito ex cognitione intuitiva reſultat.

§. 152.

Omnes mundi poſſibiles continent poſſibilia omnia in ſua ſyſtemata relata. Mundus enim, aut, ſi mavis, Univerſum, cum ſit ſeries entium finitorum tam ſimultaneorum, quam ſucceſſivorum inter ſe connexorum (§. 48 *Coſmol.*); in omnibus mundis poſſibilibus continentur omnia entia finita, quatenus inter *Numerus verũ in omnibus mundis poſſi-*

bilibus contentarum.

inter ſe tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem connecti poſſunt. Enimvero entia in ſyſtemata rediguntur, quatenus inter ſe connectuntur tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem (§. 142). Omnes adeo mundi poſſibiles omnia continent poſſibilia in ſua ſyſtemata relata.

Nimirum mundi poſſibiles prodeunt, ſi entia finita ita in ſeries ordinentur, ut ea, quæ uni contingenter inſunt, determinentur per ea, quæ inſunt aliis: ita enim ex iis, quæ inſunt uni, intelligitur, quænam contingenter inſint aliis, conſequenter contingentis rerum finitarum exiſtentiæ & modorum inexiſtentiæ ratio redditur ex aliis (§. 56 *Ontol.*), atque adeo hoc pacto inter ſe connectuntur (§. 10 *Coſmol.*), & per hunc nexum mundi poſſibiles reſultant (§. 48 *Coſmol.*).

§. 153.

Objectū omnis cognitionis poſſibilis præter Deum ubi reperiatur.

Omnes mundi poſſibiles quicquid præter Deum cognoſcibile in ſe continent. Omnes enim mundi poſſibiles continent poſſibilia omnia in ſua ſyſtemata relata (§. 152), conſequenter quæcunque præter Deum poſſibilia ſunt, in mundis omnibus poſſibilibus omni poſſibili modo tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem connectuntur (§. 141). Nullum adeo poſſibile eſt ens finitum, quod non in aliquo, aut aliquot mundis poſſibilibus contineatur. Enimvero quicquid de re aliqua cognoſci poteſt, id vel ad determinationes intrinſecas conſtantes atque mutabiles, vel ad relationes ejuſdem ad alias pertinet. Quamobrem cum determinationes conſtantes, hoc eſt, eſſentialia atque attributa (§. 152 *Ontol.*) modorumque poſſibilitates, illorum cum his nexus & modorum variæ ſeries cognoſcantur, ſi ens abſolute ſpectetur (§. 143), modus autem, quo exiſtentia ipſius entis, & inexiſtentia modorum toto durationis tempore una cum dependentia entis a coexiſtentibus quoad modos ſingulos & ejuſdem influxus in modificationem coexiſtentium & in exiſtentiam ſucceſſivorum pateat (§. 144), atque relationes omnes, quæ ad alia habere poteſt, innoteſcant, ſi tanquam in ſyſtema cum aliis relatum ſpectetur (§. 149); omnes mundi poſſibiles continent quicquid de omni ente præter Deum cognoſcibile. Ubi res coexiſtunt inter ſe connexæ, ſi coexiſtentiam ſpectes, ſpatium (§. 589 *Ontol.*); ſi ſucceſſionem, tempus (§. 573 *Ontol.*); ſi multitudinem, numerus reſultat (§. 340 *Ontol.*). Quare cum & ſpatium omne ac tempus omne una cum relatione utriusque ad ens unumquodque in ſingulari (§. 146), nec non numerus omnis, qui dari poteſt, diſtincte cognoſci poſſit, ſi tanquam in ſyſtemata relata ſpectentur (§. 148); omnes mundi poſſibiles utique continent quicquid præter Deum cognoſcibile.

Omnis rerum cognitio univerſalis ineſt ſingularibus, a quibus abſtrahitur. Sed quomodo per cognitionem intuitivam diſtinctam omnium rerum pateant veritates univerſales, tum ex iis patet, quæ de cognitione entis univerſalis in ſyſtemate rerum ſingularium latente ſupra demonſtravimus (§. 147), tum ex iis, quæ inferius de ratione Dei docentur. Nemini adeo dubium ſupereſſe poteſt, quod tantummodo hic agatur de cognitione omni poſſibili factorum, minime vero de omni cognitione poſſibili veritatis: hæc enim in illa continetur. Et ſane nos ipſimet in factis pervidemus veritatem, ſed limitato modo, qui eſſentiæ finitæ animarum humanarum convenit. Sed hæc omnia clariſſima evadent inferius ſuo loco.

§. 154.

Digitized by Google

§. 154.

Deus cognoſcit omnia, quæcunque cognoſcibilia ſunt. Deus enim cognoſcit ſemetipſum atque mundos poſſibiles omnes (§. 141). Enimvero omnes mundi poſſibiles in ſe continent quicquid præter Deum cognoſcibile (§. 153). Quamobrem Deus omnia cognoſcit, quæ cognoſcibilia ſunt.

Cognitionis divinæ extenſio.

Patet vel me tacente, cognoſcibilitatem hic æſtimari ex objecto, non ex ſubjecto, quatenus hoc cognitionis capax. Hoc autem modo ſi eandem æſtimes, nihil datur in aliquo objecto, ſive in ſe ſpectato, ſive ad alia quomodocunque relato, quod non ſit cognoſcibile.

§. 155.

Deus cognoſcit omnia poſſibilia, tam abſolute ſpectata, quam in certa ſyſtemata redacta. Deus enim cognoſcit omnes mundos poſſibiles (§. 141). Sed omnes mundi poſſibiles continent omnia poſſibilia in certa ſyſtemata redacta (§. 152). Deus igitur cognoſcit omnia poſſibilia in certa ſyſtemata relata. *Quod erat unum.*

Quomodo Deus poſſibilia repræſentet.

Enimvero per ſe patet, qui omnia poſſibilia in certa ſyſtemata relata cognoſcit, eum etiam cognoſcere poſſibilia in ſe ſpectata, utpote cum intelligi nequeat eorundem in ſyſtemate nexus (§. 142), niſi conſter, quid abſolute ſpectatis inſit (§. 10 *Coſmol.*). Deus igitur poſſibilia omnia in ſe ſpectata cognoſcit. *Quod erat alterum.*

Ex iis, quæ mox demonſtrabuntur, patebit Deum non primo poſſibilia in ſe ſpectare, ac deinde vi determinationum ipſis intrinſecarum demum connectere, quemadmodum a nobis fieri ſolet ob intellectus finitudinem; ſed vi intellectus ejus produci ideas poſſibilium in ſyſtemata redactorum actu unico & Deum ſibi conſcium eſſe eorum omnium, quæ rebus in ſe ſpectatis inſunt & quæ ex earundem nexu reſultant ob intellectus infinitudinem. Ex modo igitur cognitionis divinæ clarius conſtabit, cognitionem poſſibilium in ſyſtemata relatorum involvere cognitionem eorundem abſolute ſpectatorum. Sufficit jam conſtare, quod abſque cognitione poſſibilium in ſe ſpectatorum nulla detur cognitio poſſibilium in certa ſyſtemata relatorum. Ubi cognitionem Dei naturalem demonſtrativa ratione acquirere ſtudemus, gradatim procedendum, & quæ eandem notionem ingrediuntur, ſigillatim demonſtranda. Cavendum vero ne his ad complendum notionem admiſceantur, quæ nondum demonſtrata ſunt: quod qui facit, ſua culpa in errorem incidit, aut certitudinem cognitionis labefactat. Si vero Auctori imputat errores a ſe admixtos, injuriam eidem facit, eatenus condonandam, quatenus ignorantia methodi culpa vacat.

§. 156.

Deus omnia cognoſcit diſtincte, quæ præter ipſum cognitu poſſibilia ſunt, nihil confuſe. Etenim Deus omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentavit & hunc, qui exiſtit, ex ceteris elegit (§. 121) & quidem ob rationem objectivam (§. 119), adeoque deſumtam ab eo, quo hic, qui exiſtit, mundus a ceteris differt (§. 120). Quoniam adeo differentiam hujus, qui exiſtit, mundi a ceteris omnibus æque poſſibilibus intime perſpexit, cum alias hæſitaſſet, quinam ceteris ſit præferendus; nihil concipi poteſt in unoquoque mundo, quod non cognoverit Deus, omnia a ſe invicem diſtinguibilia, adeoque ſigillatim enunciabilia, decernens. Diſtincte igitur cognovit, quicquid unicuique mundo quocunque modo ineſt (§. 38 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum omnes mundi poſſibiles in ſe contineant, quicquid præter Deum cognitu poſſibile (§. 153); Deus diſtincte cognoſcit

Ratio formalis cognitionis divinæ.

quic-

Digitized by Google

quicquid præter ipſum cognitu poſſibile, conſequenter nihil confuſe (§. 38. 39 *Pſychol. empir.*).

Nondum demonſtrari poteſt, Deum quoque ſemetipſum diſtincte cognoſcere, ſeu nihil eſſe in Deo, cujus non ſit ſibimetipſi conſcius, cum in anterioribus principia ſufficientia non occurrant. Abſit autem, ut methodi ignarus hinc inferat, negari cognitionem ſui ipſius diſtinctam de Deo, propterea quod diſtincta cognitio ad ea reſtringatur, quæ præter Deum cognitu poſſibilia ſunt! Etenim ſuo loco evincemus, diſtinctam Dei cognitionem etiam ad cognitionem ſui ipſius eſſe extendendam. Neque enim eandem hic reſtringimus ad res a Deo diverſas, alias reſtrictionem probari, conſequenter demonſtrari neceſſe erat, Deum ſemetipſum diſtincte non cognoſcere. Dum unum ponitur, alterum non excluditur, etſi demonſtratio per leges methodi differatur. Talia moneri, imo inculcari opus eſt, cum noſtris moribus invaluerit, ut matæologi conſequentiarii, in quibus inſcitiæ palmam dubiam malitia reddit, judicis auctoritatem ſibi ſumant & de iis, quæ non intelligunt, decretoriam ſententiam ferant, quorum calumniæ ac criminationes inſulſæ tanquam recentes fœtus ipſis blandiuntur, quod penes ſui ſimiles, adeoque non paucos, facilem inveniant fidem: tum etiam, ut methodi ſtudioſorum attentionem excitemus, ne ἀκρισία tironibus familiari in errores incidant.

§. 157.

Cur Deus ſenſu atque imaginatione careat.

Deus ſenſu atque imaginatione caret. Ideæ enim ſenſuales, quæ vi ſenſationis in ſentiente exiſtunt (§. 95 *Pſychol. empir.*), ſunt explicabiles per mutationes, quæ in organo aliquo corporis cujuſdam organici contingunt (§. 65 *Pſychol. empir.*): ſit ita, quod nullum iſtiuſmodi corpus actu detur (§. 614 *Pſychol. rat.*). Enimvero cum in corporibus mutatio nulla accidere poſſit niſi per motum, neque corpori inducatur mutatio niſi ab alio contiguo (§. 128 *Coſmol.*); impoſſibile eſt, ut omnia, ex quibus mundus hic adſpectabilis componitur, corpora ſimul in eodem corporis organo mutationem producant, qualecunque tandem corpus iſtud, aut organon ipſius fingatur, imo impoſſibile multo magis eſt, ut a ſingulis, quantumlibet minimis corpuſculis, qualia ſunt ea, quæ primitiva dicimus (§. 229 *Coſmol.*), eidem organo inducatur mutatio citra confuſionem cum alia, quoniam motus eidem mobili ſimul & juxta diverſas directiones impreſſi adhuc diſtincti quoad celeritatis gradum & directionem apparere deberent: id quod omnino implicat (§. 390. 391 *Coſmol.*). Nullæ igitur concipi poſſunt ideæ ſenſibiles, quibus ſenſibile aliquod, nedum totus mundus adſpectabilis, diſtincte repræſentari poteſt. Quamobrem cum Deus totum hunc mundum adſpectabilem diſtincte ſibi repræſentet, nihil vero prorſus, quod in eodem datur, confuſe (§. 156); Deus quoque ſenſu caret. *Quod erat unum.*

Jam vero cum imaginatio non producat niſi perceptiones rerum ſenſibilium abſentium (§. 92 *Pſychol. empir.*), ut adeo phantaſmata, ſeu ideæ vi imaginationis productæ (§. 93 *Pſychol. empir.*), ab ideis ſenſualibus, corpora mutationem organis ſenſoriis noſtri corporis inducentia (§. 65 *Pſychol. empir.*), adeoque eidem præſentia (§. 59 *Pſychol. empir.*) repræſentantibus (§. 65. 24 *Pſychol. empir.*) non differant, ſiquidem ea materialiter conſideres, ſeu ad objectum, quod referunt (§. 48 *Pſychol. empir.*), reſpicias, phantaſmata vero,

tà vero, ſi formaliter eadem conſideres, ſeu quoad repræſentandi modum, ideis ſenſualibus minus clara ſint (*§. 96 Pſychol. empir.*); quæ vi imaginationis repræſentantur, non magis diſtincte repræſentari poſſunt, quam quæ ſenſuum beneficio exhibentur. Quamobrem cum nullæ concipi poſſint ideæ ſenſuales, quibus ſenſibile aliquod, nedum totus mundus adſpectabilis, diſtincte repræſentari poteſt, quemadmodum modo oſtendimus; multo minus concipi poſſunt phantaſmata, quibus ſenſibile aliquod, nedum totus mundus adſpectabilis, diſtincte repræſentari poteſt. Quamobrem cum Deus totum hunc mundum adſpectabilem diſtincte ſibi repræſentet, nihil vero prorſus, quod in eodem datur, confuſe (§. 156); patet ut ante, Deum quoque imaginatione carere. *Quod erat alterum.*

Nemo ſibi perſuadeat, nos in probenda propoſitione præſente per ambages incedere, cum ex immaterialitate Dei, ſeu quod is corporeus non ſit (§. 83), conſequenter corpus iſtiusmodi, quale humanum eſt, adeoque organis ſenſoriis inſtructum, habere nequeat (§. 84), ſua veluti ſponte fluat, Deum ſenſu atque imaginatione carere. Neque enim jam quæritur, an Deus ſit corporeus, aut num tanquam ens ſimplex unitus ſit cuidam corpori, in quo mechanice repræſentetur, quod ineſt ipſi qua ſimplici; ſed num in Deo ideæ rerum materialium tales ſint, quales in anima noſtra ſunt ſenſuales atque phantaſmata. Oſtendimus itaque, nihil dari in Deo, quod ſenſui atque imaginationi ſpecifice ſumtis, quales ſcilicet hæ facultates animæ noſtræ inſunt, ſi modum repræſentationis conſideres, reſpondeat. Per naturam nimirum ſenſuum atque imaginationis ideæ rerum materialium confuſæ ſunt & ab omnimoda diſtinctione infinito intervallo abſunt (§. 187 *Pſychol. rat.*): at in Deo nulla locum habet idea confuſa (§. 156).

§. 158.

Cur Deus anima eſſe nequeat.

Nullum poſſibile eſt corpus, cui Deus tanquam anima uniri poſſit. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, poſſibile eſſe corpus, cui Deus tanquam anima uniri poſſit. Quoniam ad unionem animæ cum corpore ſufficit harmonia naturalis animæ ac corporis coexiſtentium (§. 723 *Pſychol. rat.*), hæc autem harmonia in explicabilitate perceptionum animæ per motus in corpore contingentes, & motuum voluntariorum in corpore per volitiones ac nolitiones animæ, vel etiam appetitiones ac nolitiones ſenſitivas ejuſdem conſiſtit (§. 539 *Pſychol. rat.*); corpus poſſibile erit, in quo mutationes contingunt, per quas explicari poſſunt repræſentationes rerum materialium, ex quibus mundus hic adſpectabilis conſiſtit. Deus igitur res illas ſibi repræſentat convenienter mutationibus, quæ in iſto corpore contingunt, conſequenter gaudet ſenſu (§. 67 *Pſychol. empir.*): quod cum ſit abſurdum (§. 157), corpus utique impoſſibile eſt, cum quo Deus tanquam anima uniri poſſit.

Demonſtratio directe impoſſibilitatis iſtiusmodi corporis revera jam continetur in demonſtratione propoſitionis præcedentis, aut ſaltem ex iis, quæ in eadem continentur, haud difficulter deducitur. Deus enim omnia, quæ in hoc mundo adſpectabili dantur, ſibi repræſentat diſtincte, nihil vero prorſus confuſe (§. 156). Ibidem vero oſtendimus, fieri non poſſe, ut omnia, quæ ſunt in mundo materiali, diſtincte per motus in corpore repræſententur, quod tamen requiritur, ſiquidem ideæ materiales, quæ immaterialibus reſpondent, conſentire debent. Ad impoſſibilitatem vero hujus corporis evincendam ſufficit oſtendiſſe impoſſibilitatem harmoniæ animæ ac corporis ex parte una, nec opus eſt, ut eadem evincatur quoad partem alteram.

§. 159.

§. 159.

Cur Deus anima mundi eſſe non poſſit.

Deus non poteſt eſſe anima mundi. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, Deum eſſe animam mundi. Quoniam anima hominis ſubſtantia eſt ſimplex (§.48 *Pſychol.rat.*), quæ ſibi repræſentat hoc univerſum pro ſitu corporis organici in univerſo convenienter mutationibus, quæ in organis ſenſoriis contingunt (§ 62 *Pſychol.rat.*), & quidem per eſſentiam atque naturam ſuam (§.66 & 67 *Pſychol.rat.*); anima in genere erit ſubſtantia ſimplex, quæ ſibi repræſentat hoc univerſum, ſeu mundum hunc adſpectabilem convenienter mutationibus, quæ in organis corporis cujuſdam organici ſenſoriis contingunt (§.710 *Log.*), ſpecie nimirum corporis organici ſpeciem animæ definiente. Quamobrem ſi Deus ſit anima mundi, erit mundus illud corpus, cujus mutationibus convenienter Deus ſibi mundum hunc adſpectabilem repræſentat. Enimvero mundus adſpectabilis eſt objectum repræſentationis, ſeu id, quod anima ſibi repræſentat, adeoque ab illo corpore, cujus mutationibus convenienter fieri debet repræſentatio, diverſum eſſe debet, mundo mutationes in organis ſenſoriis producente, quibus convenienter fieri debet repræſentatio. Fieri adeo nequit, ut Deus ſit anima mundi.

Idem etiam ſic oſtenditur. Sumo *per demonſtrata*, ſi Deus ſit anima mundi, mundum hunc adſpectabilem eſſe corpus, in quo contingunt mutationes, per quas explicabilis eſt repræſentatio ſtatuum hujus univerſi: patet nimirum ex iis, quas cognoſcimus, animabus mutationes corporis, per quas explicabiles ſunt repræſentationes hujus ipſius corporis, cui anima unita eſt, eſſe diverſas ab eo, quod de corpore ſibi unito anima repræſentat, nec per notionem unionis animæ cum corpore res habere ſeſe aliter poteſt (§. 962. 963 *Pſychol. empir.*). Poſſibile igitur eſt aliquod corpus, cui Deus tanquam anima uniri poteſt: quod cum ſit abſurdum (§. 158), Deus anima mundi eſſe nequit.

Quam abſurdum ſit Deum dicere animam mundi, ſtatim apparet, ubi animum ad dependentiam animæ in ſuis perceptionibus a corpore organico advertis: etenim vel in intuitu idearum confuſarum acquieſcens facile perſpicit, objectum repræſentationis diverſum eſſe debere ab organo, in quo mutationem quandam producit, dum in anima repræſentatur, nec poſſe in mundo hoc adſpectabili fingi organa ſenſoria materialia, per univerſum mundum ita diſperſa, ut nullus in eodem ne minimus quidem contingat motus, quin ſimul quidam in organo ſenſorio producatur a mobili. Quamobrem ſi ad dependentiam perceptionum animæ a corpore ipſi unito reſpexiſſent, qui Deum pro anima mundi habuere, nunquam in hunc errorem prolapſi fuiſſent. Quod vero ſibi perſuadere potuerint, Deum eſſe animam mundi; id quidem inde eſt, quod alteram unionis partem, nimirum dependentiam corporis ab anima quoad ſpecificationem motuum voluntariorum & continuitatem temporis, quo cum volitionibus animæ contingunt (§. 962 *Pſychol. empir.*), male intellectam ultra limites ſuos extenderint & per errorem ad Deum applicaverint. Etenim omnes corporis noſtri motus animæ promiſcue ſubjecerunt, quos a cauſa externa non proficiſci conſtat, cum tamen certum ſit, motus vitales a cauſis internis dependentes immediate, ſic ita quod mediate ab externis quoque dependeant, imperio animæ non ſubeſſe. Quamobrem cum omnem in univerſo ſeu mundo adſpectabili motum Deo tanquam cauſæ adſcriberent; eum eſſe motorem mundi, quemadmodum anima corporis noſtri, intulere, ac ob hanc motuum in mundo adſpectabili a Deo dependentiam eundem animam mundi appellarunt. Enimvero ſi vel maxime verum eſſet, omnes in mundo adſpectabili motus ſine vi creata

produci

producti virtute ipſius Dei, quemadmodum *Carteſianis* videtur; non tamen hoc ſufficeret, ut Deus pro anima mundi haberi poſſet, cum alias motor externus machinæ anima ejuſdem foret, veluti ventus molendini pneumatici, aqua aquatici: quin potius requiritur quoque dependentia perceptionum a motibus quibuſdam in corpore & ut inde naſcantur appetitus, a quibus pendent motus eidem ſubjecti in corpore (§. 64. 962 *Pſychol. empir.*). Neque Deus dici poterit anima mundi, etiamſi tantummodo admittas dependentiam corporis noſtri ab anima quoad actus voluntarios, ſupponentes decreta animæ a perceptionibus dependentia, & Deum occaſione eorum, quæ fiunt in univerſo, præſertim ab hominibus, decernere ſupponas, quid in natura rerum fieri debeat, & concurſu ſuo immediato hos ſolummodo motus producere ſtatuas, ceteris naturæ relictis. Etenim ratio ante allata hac reſtrictione minime infirmatur, nec Deus in hac hypotheſi tuetur niſi perſonam directoris machinæ, qui movet quaſdam machinæ partes, quando non moverentur intentioni ſuæ conformiter, veluti motum indicis in horologio retrahit aliquo intervallo, ſi præcipitato gradu promovetur. Quodſi ſumas ſpatium, quod a toto mundo materiali permeatur, eſſe organon ſenſorium Dei; nondum tamen ſic patet dependentia perceptionum in Deo a mundo tanquam corpore ſuo, quemadmodum ad naturam animæ requiritur. Ut enim taceam ſupponi hic notionem ſpatii imaginariam, cui eos ſimile extra animam noſtram minime reſpondet (§. 589. 599 *Ontol.*); juxta hanc ipſam notionem conſtat, ſpatium non poſſe habere partes actuales & ut totum, ſic quoque quoad ſingulas partes eſſe immobile, conſequenter a rebus in eodem exiſtentibus nullam mutationem eidem induci poſſe, imo cum ſit uniforme, organon impreſſionum diſtinctarum haud quaquam haberi poſſe. Atqui non opus eſt, ut in hiſce refellendis omnem evidentiam conſequi ſtudeamus, quæ eodem jure rejiciuntur, quo finguntur. Quod vero ſubſtantia ſimplex tanquam anima unita corpori concipi non poſſit, niſi admittas in ea repræſentationes cauſarum mutationes iſti corpori inducentium, conſequenter illius ab hoc in percipiendo dependentiam, agnovere philoſophi acumine præditi, qui corporibus quibuſdam animas tribuere, quibus vulgo nullæ tribuuntur. Exemplo ſit *Keplerus*, qui corporibus mundi totalibus, veluti Telluri noſtræ, animam eſſe defendit, & hinc in eadem agnoſcit perceptiones adſpectuum planetarum, ex his vero perceptionibus porro deducit appetitum ad ciendas tempeſtates, ut adeo ſit mutua corporis ac animæ a ſe invicem dependentia.

§. 160.

Ratio formalis cognitionis divinæ porro expenditur.

Deus omnia cognoſcit ſimul. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, Deum non cognoſcere omnia ſimul: cognoſcet igitur ſucceſſive. Enimvero Deus omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentavit & hunc, qui exiſtit, ex ceteris elegit (§. 121) & quidem ob rationem objectivam (§. 119), adeoque deſumtam ab eo, quo hic mundus adſpectabilis a ceteris differt (§. 120). Quare cum omnia diſtincte cognoſcat (§. 156); omnem quoque differentiam mundi hujus adſpectabilis a ceteris omnibus diſtincte cognoſcere debet. Neceſſe igitur eſt, ut ſibi ſimul ſit conſcius eorum omnium, quibus hic mundus adſpectabilis a ceteris omnibus differre deprehenſus, dum quoad ſingula, quæ eidem inſunt, cum contulit cum ſingulis, quæ inſunt mundis ceteris, conſequenter admittendum eſt, Deum ſimul ſibi eſſe conſcium eorum omnium, quæ mundis ſingulis inſunt, adeoque ea ſimul cognoſcere. Continent autem mundi poſſibiles omnes quicquid præter Deum cognoſcibile (§. 153). Deus igitur omnia ſimul cognoſcit.

Idem etiam ſic oſtenditur. Singulæ ideæ ſenſuales & phantaſmata rerum præteritarum integrum ſtatum univerſi, ad quem referuntur (§. 182 *Pſychol. rat.*), omnes quoque ſtatus mundi anteriores (§. 184 *Pſychol. rat.*), imo & omnes ſtatus mundi reſpective futuros involvunt (§. 185 *Pſychol. rat.*),

rat.), ita ut anima continuo producat ideam totius univerſi, non modo quoad ſtatum præſentem, verum etiam quoad omnes præteritos atque futuros, ſed pro diverſa dependentia ſtatus præſentis a præteritis, & futurorum a præſente, continuo diverſam (§. 190 *Pſychol. rat.)*. Quamobrem cum Deus ſibi repræſentet omnes mundos poſſibiles (§. 121), adeoque inter eſſentiam Dei atque animam eatenus ſimilitudo quædam intercedat (§. 66 *Pſychol. rat.*); citra hæſitationem admitti debet, ideas rerum ad mundum hunc adſpectabilem, vel alium quemcunque ſpectantium, perinde ac noſtras, præter ſtatum præſentem totius mundi, ad quem referuntur, omnes quoque reſpective præteritos atque futuros continere. Cognoſcit vero Deus omnia diſtincte, nihil confuſe (§ 156). Ideæ igitur mundorum poſſibilium in Deo diſtincte ſingula exhibere debent, fieri autem nequit, ut perinde ac in ideis noſtris, alia aliis involvantur diverſo involutionis gradu (§. 187 *Pſychol. rat.*). Quicquid igitur in omnibus mundis poſſibilibus continetur, ſimul cognoſcit. Quamobrem cum omnes mundi poſſibiles in ſe contineant quicquid præter Deum cognoſcibile (§. 153); Deus quoque omnia cognoſcibilia ſimul cognoſcit.

Diſtincta omnium rerum cognitio cum ſimultaneitate in cognoſcendo adeo connexa eſt, ut illa admiſſa hæc negari minime poſſit. Poterat hæc ex illa aliis adhuc modis inferri, veluti ex eo, quod totum aliquod univerſum ſeu mundus quilibet ſit ens unum, diſtincte non cognoſcendum, niſi exhibeatur aliqua idea, in qua ſingula actu diſtinguuntur, ut cognoſcens omnium eorum, quæ inſunt, & nexus eorundem, quo ens unum conſtituuntur, ſimul fuerit ſibi conſcius: tum etiam ex eo, quod nihil eorum, quæ inſunt in aliqua rerum ſerie, poſſit tanquam in ſyſtemate cum ceteris diſtincte cognoſci, niſi diſtinctiſſime perſpiciatur nexus ejus cum ceteris omnibus. Sed de his ut dicamus apertius opus non eſt, cum veritas propoſitionis abunde pateat per eas, quibus uſi ſumus, probationes.

§. 161.

Cognitio ſingulorum quomodo cum cognitione omnium connectatur.

Deus in quolibet minimo, quod ineſt univerſo, cognoſcit totum univerſum. Cum enim in mundo quocunque, etiam adſpectabili (§. 55 *Coſmol.*), quicquid eidem ineſt, tum cum ſimultaneis ſive coexiſtentibus, tum cum ſucceſſivis ceteris omnibus connectatur (§. 48. 53. 54 *Coſmol.)*; nihil in quacunque rerum ſerie diſtincte cognoſcitur, niſi nexus cum coexiſtentibus ſingulis & ſucceſſivis ſingulis in eadem ſerie diſtincte perſpiciatur, tum ut intelligatur, cur inter coexiſtentia hunc potius teneat locum, quam quemvis alium, tum ut conſtet, cur inter ſucceſſiva hæc potius ſequatur & præcedat, quam alia, cum propter diſſimilitudinem non modo omnium corporum, ſive eodem, ſive diverſo tempore exiſtentium (§. 246. *Coſmol.*), ſed ipſorummet etiam elementorum (§. 195 *Coſmol.)* fieri non poſſit, ut quicquam in modo coexiſtendi & ſibi invicem ſuccedendi mutetur, ſalvo principio rationis ſufficientis, juxta quod poſſibilia inter ſe connexa (§. 10 *Coſmol.* & §. 70 *Ontol.*), adeoque in ſyſtemata relata fuere (§. 142). Quamobrem cum Deus diſtincte cognoſcat, quicquid in unaquaque rerum ſerie cognitu poſſibile (§. 156); neceſſe eſt ut cognoſcat, cur unumquodque in qualibet rerum ſerie inter coexiſtentia hunc potius teneat locum, quam

alium

alium, ſeu hoc potius modo iiſdem coexiſtat, quam alio (§. 602 *Ontol.*), & cur inter cetera nil quicquam reperiatur, quod cum ipſo vices permutare poſſit, item cur unumquodque inter ſucceſſiva hæc, non alia ſequatur, & hæc præcedat, non alia, nec quicquam in tota ſucceſſivorum ſerie detur, quod cum ipſo vices permutare queat. Enimvero a diſſimilitudine eorum, quæ coexiſtunt & ſibi invicem ſuccedunt in qualibet ſerie rerum, conſequenter a diverſitate eorum, quæ ipſis inſunt (§. 211 *Ontol.*), petenda ratio eſt, cur impoſſibile ſit ſalvo nexu, ſeu ſtante principio rationis ſufficientis, ut vices eorundem ſive quoad coexiſtentiam, ſive quoad ſucceſſionem permutentur *per demonſtrata*. Deus igitur eandem perſpiciens nihil eorum, quæ ſunt in univerſo, cognoſcit, quin ſimul cognoſcat quæ ſunt in toto univerſo, ſeu, quod perinde eſt, in quolibet minimo, quod ineſt univerſo, totum cognoſcit univerſum.

Idem etiam hoc modo oſtenditur. In anima noſtra unaquæque idea ſenſualis & phantaſma unumquodque integrum ſtatum univerſi, ad quem refertur (§. 182 *Pſychol. rat.*), omnes ſtatus mundi anteriores (§. 184 *Pſychol. rat.*), omnes futuros (§. 185 *Pſychol. rat.*) diverſo licet modo involvit (§. 187 *Pſychol. rat.*), ita ut æquipolleat ideæ totius univerſi quoad omnes ejuſdem ſtatus, ſed pro diverſa dependentia ſtatus præſentis a præteritis & futurorum a præſente, continuo diverſæ (§. 190 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum Deus ſenſu careat & imaginatione (§. 157) & omnia diſtincte cognoſcat (§. 156); quicquid in idea qualibet ſenſuali, quæ datur in anima noſtra, vel etiam in phantaſmate aliquo involvitur, in idea Dei diſtincte continetur. Involvitur autem in idea ſenſuali dependentia ſenſibilis a ceteris omnibus coexiſtentibus, quæ conſtituunt ſtatum mundi præſentem, & ab omnibus præteritis atque futuris, quæ ad ſtatus mundi præteritos ac futuros pertinent *per demonſtrata*. In idea igitur rei cujuſcunque, quæ datur in intellectu divino, diſtincte exhibetur totum univerſum, ſed quoad dependentiam rei illius a ceteris, adeoque Deus in quolibet minimo, quod ineſt univerſo, totum cognoſcit univerſum.

Lubens concedo, hanc propoſitionem hactenus non fuiſse expenſam, propterea quod nec univerſi hujus, nec animæ humanæ natura ſatis fuerit agnita: tanto autem minus de veritate ejus dubitari poteſt, quanto certius eſt, ideas rerum in intellectu divino prodire, ſiquidem ideæ earundem, quæ in anima noſtra ſunt, ab omni imperſectione liberentur, quæ a limitationibus facultatis cognoſcitivæ originariis ipſis adhæret, per ea, quæ in ſequentibus demonſtrabuntur. Quamobrem qui ea ad animum revocaverit, quæ de nexu rerum ſeu earundem mutua a ſe invicem dependentia in univerſo in Coſmologia, & de idearum ſenſualium interiore ratione in Pſychologia rationali docuimus; ei nihil prorſus difficultatis circa propoſitionem præſentem ſuboriri poterit.

§. 162.

Veritatum univerſaliũ cognitio in Deo.

Deus cognoſcit omnes veritates univerſales. Cognoſcit enim omnia poſſibilia tam abſolute ſpectata, quam in ſyſtemata redacta (§. 155), adeoque omnes ſpecies ac genera eorundemque ſubordinationes una cum prædicatis tam abſolutis, quam hypotheticis ſpeciei ac generi cuicunque convenienti-

nientibus (§. 147). Quamobrem cum notiones generum ac ſpecierum ſint notiones univerſales (§. 54 *Log.*), & quæ ipſis tribuuntur prædicata, vel abſoluta ſunt, vel hypothetica (§. 216. 218 *Log.*); Deus omnes veritates univerſales cognoſcit. Et quia eodem modo patet, Deum quoque cognoſcere numeros (§. 148) & magnitudines (§. 151) una cum omnibus relationibus (§. 149); facile apparet, quæ de generum atque ſpecierum cognitione demonſtrata ſunt, etiam ad numeros, magnitudines & relationes quaſcunque pertinere, conſequenter nullam concipi poſſe cognitionem univerſalem, quæ in Deum non cadat. Manet adeo univerſaliter verum, quod Deus omnes veritates nniverſales cognoſcat.

Modum, qun Deus univerſalia cognoſcit, hic nondum definimus, etſi ex iis, quæ ſuperius de univerſalium cognitione connexa cum poſſibilium cognitione, quatenus tanquam in ſyſtemata relata ſpectantur, dicta ſunt, quodammodo pateat. Quamobrem tantiſper etiam ſeponimus dubium, qnod ſnboriri poterat, num per ea, qnibus nſi ſumus, principia evincatur omnium omnino veritatum univerſalium cognitio. Etenim paulo poſt, quando de ratione Dei acturi ſumus, idem penitus, quemadmodum confidimus, evaneſcet.

§. 163.

Qualis ſit intellectus divinus. *Intellectus divinus actus eſt, non facultas.* Deus enim omnia cognoſcit ſimul (§. 160), adeoque nulla ipſi poſſibilis eſt cognitio, quæ non actu in eodem detur. Quoniam itaque facultas eſt potentia activa (§. 716 *Ontol.*), atque adeo non niſi agendi poſſibilitatem denotat (*§. cit.*); in Deo nulla datur facultas cognoſcendi, ſed intellectus ejus purus actus eſt.

Dici etiam ſolet, intellectnm in Deo concipi non per modum potentiæ, ſed per modum actus. Atque hoc probe notandum eſt, cum inde infinitudo intellectus divini pendeat, quemadmodum mox oſtendemus.

§. 164.

Quid ſit intellectus Dei. *Intellectus divinus* eſt diſtincta & ſimultanea omnium poſſibilium repræſentatio.

Veritas definitionis patet per antea demonſtrata. Intellectus divinus actus eſt, non facultas (§. 163), adeoque in actuali poſſibilium repræſentatione, non vero in facultate eadem repræſentandi conſiſtit. Deus cognoſcit omnia, quæcunque cognitu poſſibilia (§. 154 141). Intellectus adeo divinus omnia poſſibilia, ſeu cognoſcibilia repræſentat. Deus cognoſcit omnia diſtincte, nihil confuſe (§. 156). Intellectus adeo divinus diſtincta repræſentatio poſſibilium eſt. Denique Deus omnia ſimul cognoſcit (§. 160). Intellectus igitur ejus poſſibilium ſimultanea repræſentatio eſt. Patet nihil in definitione contineri, quod in antecedentibus non fuerit probatum. Dubitandum ergo non eſt, talem Deo convenire intellectum, qualem definivimus. Quod vero notio ſit completa, tum ex eo intelligitur, quod præter objectum & modum, quo cognoſcitur, in definiendo intellectu ſpectari nihil poſſit; tum ex ſequentibus de differentia inter intellectum divinum & humanum perſpicietur.

§. 165.

Differentia intellectus divini ab humano. Cum palam ſit, nos non cognoſcere niſi quædam poſſibilia, ut infinito intervallo a cognitione omnium poſſibilium diſtemus, nihil cognoſcere prorſus diſtincte, ſed non minore intervallo a diſtincta prorſus unius poſſibilis, quam a poſſibilium omnium cognitione diſtare; quicquid denique cognoſcimus, ſucceſſive cognoſcere, ut ne pauca quidem ſimul cognoſcere detur; ex adverſo autem intellectus divinus ſit diſtincta & ſimulta-

multanea omnium poſſibilium repræſentatio (§. 164): *intellectus divinus ab humano prorſus differt, ſive objectum, ſive modum cognitionis ſpectes, atque caret limitationibus, quæ in facultate cognoſcitiva animæ noſtræ dantur.*

Facultas cognoſcitiva limitatur in anima quoad objectum, quod non extendatur ad omne poſſibile, quoad modum, quod non ſit diſtincta prorſus, nec ſimultanea. Hæ igitur limitationes ſingulæ ab intellectu divino abſunt, & quia intellectus divinus ab iiſdem liber eſt, ideo facultas ejus cognoſcitiva non diſtinguitur in partem inferiorem ac ſuperiorem, ſeu ſenſum cum imaginatione & intellectum, quemadmodum in homine (§. 157).

§. 166.

Intellectus divini illimitatus.

Intellectus divinus prorſus illimitatus eſt. Intellectus enim limitari nequit, niſi quoad objectum & modum repræſentandi objectum. Quamobrem cum intellectus objectum ſit, quicquid poſſibile eſt; illimitatus quoad ipſum eſt, ſi ad omne poſſibile promiſcue extenditur. Porro cum intellectus limitatus, qualis humanus eſt, poſſibile repræſentet non prorſus diſtincte, nec multa ſimul; illimitatus omnia poſſibilia ſimul atque diſtincte repræſentare debet. Quoniam itaque intellectus divinus in diſtincta & ſimultanea repræſentatione omnium poſſibilium conſiſtit (§. 164); prorſus illimitatus eſt.

Monuimus jam ante (*not.* §. 165), intellectum divinum eſſe liberum ab iis limitationibus, quæ in humanum cadunt: aſt hic oſtendimus, eum nulli prorſus limitationi obnoxium eſſe.

§. 167.

Infinitudo intellectus divini.

Intellectus divinus infinitus eſt. Etenim Deus poſſibilia omnia repræſentat ſimul (§. 160), ut adeo nihil ſit cognoſcibile, quod non actu in intellectu divino repræſentetur. Quicquid igitur vi intellectus divini tanquam poſſibile concipi poteſt; id actu in Deo datur. Quamobrem cum ens ſit infinitum, in quo ſunt omnia ſimul, quæ eidem actu ineſſe poſſunt (§. 838 *Ontol.*); intellectus divinus infinitus eſt.

Infinitum diſtinguimus ab illimitato, etſi illimitatum neceſſario ſit infinitum & contra. Non tamen ex eo, quod intellectus divinus eſt illimitatus, inferimus, eum eſſe infinitum, propterea quod infinitudo intellectus divini clarius pateat definitione entis infiniti ad eundem applicata.

§. 168.

Summa intellectus divini perfectio.

Intellectus divinus perfectiſſimus eſt. Intellectus perfectiſſimus eſt, qui omnia poſſibilia diſtincte repræſentat (§. 647 *Pſychol. rat.*). Quoniam itaque ab intellectu divino poſſibilia omnia diſtincte repræſentantur (§. 164); idem quoque perfectiſſimus eſt.

Facile patet, intellectum divinum eſſe perfectiſſimum abſolute ſpectatum, non reſpectu ad aliorum entium intellectum habito. Neque enim perfectior concipi poteſt intellectus, quam qui poſſibilia omnia diſtincte repræſentat. Quodſi urgeas ſimultaneitatem in repræſentando; id quidem intellectui divino non obeſt, propterea quod in eodem omnia repræſentantur ſimul (§. 164); ac præterea conſtat (§. 160), ſimultaneitatem in repræſentando cum repræſentatione prorſus diſtincta adeo connexam eſſe, ut a ſe invicem ſeparari minime poſſint. Unde etiam ex definitione abeſſe poterat, niſi conſultius duxiſſemus majoris perſpicuitatis gratia eandem inſeri.

§. 169.

Magnitudo intellectus divini.

Quoniam intellectus divinus perfectiſſimus eſt (§. 168), intellectus vero perfectiſſimus maximus omnium, ſeu abſolute ſummus eſt (§. 648 *Pſychol. rat.*); *intellectus divinus omnium maximus, ſeu abſolute ſummus eſt*.

Major ſcilicet intellectus nec concipi quidem poteſt, quam qui Deo eſt: id quod etiam per ipſam ejus definitionem ſtatim patet (§. 164), tum etiam ex eo inferri poterat, quod ſit prorſus illimitatus, cum repugnet illimitato concipi majus.

§. 170.

Incomprehenſibilitatis definitio.

Incomprehenſibile dicitur cognoſcibile, ſi modum, quo eſt vel fieri poteſt, nobis minime repræſentare valeamus.

Aliud eſt cognoſcere, quod quid ſit poſſibile; aliud vero cognoſcere modum, quo quid poſſibile; adeoque eundem ſibi repræſentare, ſeu ejus quandam ſibi formare ideam. Ponamus enim hominem artis mechanicæ ignarum videre horologium. Quod fieri poſſit, ut horologium arte humana conſtruatur, dubitari nequit. Cognoſcit igitur conſtructionis poſſibilitatem. Enimvero non perſpicit modum, quo conſtrui poteſt horologium, nec artem intelligit, quæ in fabro horologii requiritur. Ac propterea affirmat, ſe comprehendere non poſſe, quomodo arte humana horologium conſtrui poſſit. Eſt adeo horologii conſtructio, quam poſſibilem eſſe cognoſcit, ipſi incomprehenſibilis, quod nullam conſtructionis & artis, qua eadem perficitur, habet ideam. Atque hinc ſimul intelligitur, terminum incomprehenſibilitatis ſumi in ſignificatu uſui loquendi conformi (§. 139 *Log.*).

§. 171.

Comprehenſibilitatis definitio.

Ex adverſo *comprehenſibile* dicitur cognoſcibile, ſi modum, quo eſt vel fieri poteſt, nobis clare & diſtincte repræſentare valemus.

Ita artis mechanicæ & inprimis horologiopœiæ gnarus affirmat, ſe comprehendere conſtructionem horologii, propterea quod ſibi non modo omnes partes, quæ ad ſtructuram horologii requiruntur, atque earundem combinationem, verum etiam ſingulos actus artificis diſtincte repræſentare valet, quibus horologium conficitur. Qui adeo horologii conſtructionem comprehendit, ideam ſtructuræ atque artis, qua paratur, in ſe ſuſcitare valet.

§. 172.

Incomprehenſibilitas intellectus divini.

Intellectus divinus omni intellectui finito incomprehenſibilis. Intellectus enim finitus ſucceſſive cognoſcit ea, quæ ipſius vi actu cognoſci poſſunt (§. 837 *Ontol.*). Quamobrem ens intellectu finito præditum, quale eſt anima noſtra, cum habeat ideam intellectus ſui, quatenus ſibi ſui ipſius conſcium eſt (§. 12 *Pſychol. rat.*); non habet ideam claram niſi ſucceſſivæ repræſentationis poſſibilium. Et quia ſucceſſivam cognitionem poſſibilium prorſus diſtinctam eſſe minime poſſe, conſtat ex iis, quæ ſuperius de ſimultanea Dei cognitione demonſtrata ſunt (§. 160); in intellectu finito nec diſtincta prorſus poſſibilis alicujus repræſentatio locum habet. Patet igitur ut ante, intellectum finitum non habere ideam niſi repræſentationis non prorſus diſtinctæ, aut, ſi mavis, inadæquatæ (§. 95 *Log.*). Enimvero intellectus divinus eſt repræſentatio diſtincta & ſimultanea omnium poſſibilium (§. 164). Finitus adeo intellectus non habet ideam iſtiuſmodi poſſibilium repræſentationis, qualis in Deo datur, conſequenter modum, quo Deus ſibi poſſibilia repræſentat, ſibi clare repræſentare nequit (§. 48 *Pſychol. empir.*). Eſt igitur eidem intellectus divinus incomprehenſibilis (§. 170).

Idem etiam ſic oſtenditur. Quoniam ens intellectu præditum, quale eſt ani-

Digitized by Google

eſt anima noſtra, non habet intellectus ideam, niſi quatenus ſui ipſius conſcium eſt (*§. 12 Pſychol. rat.*); non aliam niſi intellectus finiti ideam habet. Enimvero intellectus Dei infinitus eſt (§. 167): ens igitur intellectu finito præditum non habet ideam intellectus, qualis in Deo eſt, conſequenter eundem ſibi clare repræſentare nequit (*§. 48 Pſychol. empir.*). Intellectus igitur divinus finito incomprehenſibilis (§. 170).

Si quis ad demonſtrationem animum advertit, facile perſpiciet intellectum infinitum non ante comprehendi poſſe, quam intellectus eundem apperccpturi abeat in infinitum. Quoniam itaque impoſſibile eſt, ut intellectus finitus in infinitum abeat, nec fieri ullo modo poteſt, ut ens intellectu finito præditum intellectum divinum comprehendat. Abſit autem, ut quis ex eo, quod nullam intellectus divini ideam habeamus, inferat, eum eſſe non ens. Conſtat enim ipſi reſpondere aliquam ideam, etſi nos eandem non habeamus, nec habere poſſimus; ſed tantummodo ideam habeamus ejus, quod non ſit, & ideas particulares illarum determinationum, quæ ad intellectum divinum requiruntur, ſufficientes ad hoc, ut intelligatur quid ſit intellectus divinus, etſi non ſufficiant ad id, ut eundem penitus comprehendamus.

§. 173.

Cur ens limitatum ſit idem finitum.

Ens limitatum eſt etiam finitum, & contra. Ens enim finitum in ſenſu mathematico, hoc eſt, limitatum (§. 798 *Ontol.*), ſucceſſive alios alioſque ſtatus habere poteſt, non vero omnes ſimul (§. 834 *Ontol.*). Eſt igitur ens finitum reale (§. 837 *Ontol.*). Inverſa porro patet eodem modo.

Equidem id revera jam demonſtravimus in Ontologia citatis hic paragraphis: hic tamen neceſſe fuit clarius id enuntiari, ut eodem principio uti poſſimus, quoties ab illimitato ad finitum fieri debet argumentatio.

§. 174.

Cur intellectus divinus nobis incomprehenſibilis.

Intellectus divinus homini incomprehenſibilis eſt. Etenim intellectus humanus admodum limitatus (§. 654 *Pſychol. rat.*), adeoque finitus eſt (§. 173). Quamobrem cum intellectui finito divinus incomprehenſibilis ſit (§. 172); etiam nobis incomprehenſibilis eſſe debet.

Fruſtra igitur quis conatur comprehendere intellectum divinum, adeoque fruſtraneus eſt conatus formandi ideam intellectus divini, quemadmodum proprii intellectus idea in nobis exiſtit. Contenti igitur eſſe debemus, quod demonſtrare valeamus, qualis ſit intellectus divinus, & quod determinationes, ad eum requiſitas intelligamus, quatenus tanquam ideæ partiales in diverſis ideis rerum aliarum continentur.

§. 175.

Heterogeneitas limitati & illimitati.

Quantitas limitata ſeu finita non poteſt fieri illimitata ſeu infinita, quotieſcunque ſumatur. Quantitates omnes per lineas rectas exponi poſſunt (§ 425 *Ontol.*). Ponamus itaque dari lineam rectam quamcunque, cujus limites, ſeu puncta extrema (§. 11 *Geom.*), ſint A & B. Ponamus porro hanc lineam ſumi bis, hoc eſt, ipſi AB æqualem apponi aliam, cujus termini ſint C & D. Cum termini C & B coaleſcant, ut linea CD alteri AB continua fiat (§. 554 *Ontol.*); terminis C & B evaneſcentibus, remanent adhuc termini A & D, adeoque linea, quæ prodit, limitata eſt. Quoniam idem fieri debere intelligitur, quotieſcunque lineam ipſi AB æqualem compoſitæ adjicias; patet quantitatem limitatam non poſſe fieri illimitatam, quotieſcunque tandem ſumatur.

Princi-

Digitized by Google

Principium hoc ontologicum in univerſalitate ſua admodum evidens, ut ipſa imaginationis vi ejuſdem veritas percipiatur. In applicatione non hærebit, qui notiones quantitatis, magnitudinis & gradus in Ontologia evolutas probe perſpectas habet: multo minus autem hærebit, qui noverit, quomodo Mathematici omnem quantitatem molis ac virtutis per rectas repræſentent, cujus quidem inſtituti rationes ſatis apertas expoſuimus in Ontologia.

§. 176.

Immenſitas intellectus divini.

Intellectus divinus immenſus eſt. Intellectus enim divinus prorſus illimitatus eſt (§. 166), cumque idem ſit omnium maximus, ſeu abſolute ſummus (§. 169); non concipi poteſt intellectus illimitatus, qui non ſit idem cum ipſo, conſequenter intellectus illimitatus, qui omni finito incomprehenſibilis (§. 171), non poteſt ſumi pro menſura, ubi illimitatum metiri volueris, idem omnino facturus cum eo, qui diſtantiam Lunæ a Terra determinaturus, eandem diſtantiam pro menſura aſſumeret & quærenti, quanta ſit, reſponderet, eam eſſe tantam, quanta eſt diſtantiæ iſti æqualis quantitas nobis ignota. Jam omnis intellectus, qui præter divinum illimitatum (§. 166) concipi poteſt, limitatus eſt (§. 53 *Ontol.*). Enimvero cum fieri nullo modo poſſit, ut intellectus limitatus, quotieſcunque tandem ſumatur, degeneret in illimitatum (§. 175); intellectus limitatus quicunque illimitato heterogeneus eſt (§. 364 *Ontol.*), adeoque pro menſura illimitati aſſumi haud quaquam poteſt (§. 441 *Ontol.*). Intellectus divinus itaque menſuram omnem reſpuit, conſequenter immenſus eſt (§. 41).

Qui non ſufficiente acumine utuntur, immenſitatem intellectus divini ex eo inferunt, quod eundem ſibi incomprehenſibilem experti non videant, quomodo eundem metiri liceat. Enimvero inferre tantummodo debebant, ſe intellectum divinum metiri minime poſſe, nec videre quomodo eundem metiri liceat. Inde vero nondum ſequitur intellectum divinum in ſe talem deprehendi, ut metiri ipſum non detur: id quod tamen requiritur, ſi quidem immenſus dici debeat (§. 41). Hæc ideo monemus, ne quis per præcipitantiam ſibi perſuadeat, nos immenſitatem intellectus divini tantum non per ſe claram probando magis obſcurare, quam clariorem reddere. Accidit enim haud raro, ut, qui in maxima luce caligant defectu notionum diſtinctarum, unde pendet probationis claritas, vitium non in ſe, ſed in probatione quærunt, intelligentibus miſere vapulantes, ubi mentis cæcitati malitiam in exprobrando jungunt.

§. 177.

Intellectus divini magnitudo & incomprehenſibilitas quomodo intelligibilis fiat.

Si multitudinem rerum in univerſo, quibus ſpatium & tempus omne replentur, ad animum quantum datur revoces, ſpatii mundani non modo vaſtitatem, verum etiam ejus perinde ac temporis in partes admodum exiles diviſibilitatem cogites; intellectus divini magnitudinem ejuſque incomprehenſibilitatem quodammodo intelligibilem efficies. Etenim ubi vaſtitatem ſpatii mundani, qualis per inventa Aſtronomorum deprehenditur, expendas, & diviſibilitatem ejuſdem ſpatii in partes actuales, quales obſervationes microſcopicæ produnt (§. 612 *Ontol.*), tibi repræſentes; quantus ſit rerum ſpatium mundanum dato momento replentium numerus, aliquo modo intelligibilis efficitur, etſi tantus deprehendatur, quantum enuntiandi nulla ſpes nobis ſupereſt. Quodſi ulterius cogitemus, diviſibilitatem temporis in partes actua-

actuales, quales per mutationes in rerum natura contingentes produnt obſervationes microſcopicæ (§. 583 *Ontol.*), & quot iſtiuſmodi partes in unica hora deprehendantur, calculo definias; numerus ſucceſſivorum in eadem ſpatii parte quodammodo intelligibilis efficietur. Quodſi vero porro conſideres, in ſingulis ſpatii mundani particulis actualibus, quales paulo ante annotaſti, intra horam unam totidem mutationes contingere; numerus ſucceſſivorum ſtupendus, qui prodit, magis intelligibilis efficitur. Ubi vero cogites elementa rerum, ſubſtantias ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), eorumque diſſimilitudinem (§. 195 *Coſmol.*) & continuam ſtatus interni mutationem (§. 197 *Coſmol.*); ineffabilitas numeri cognoſcibilium in dato aliquo tempuſculo reali per obſervationem intelligibilis evadit. Jam cum intellectus divinus ſimul diſtincte ſibi repræſentet, quicquid in toto hoc univerſo omni tempuſculo perceptibili exiſtit (§. 156. 160); quam vaſtus ſit intellectus divinus tantam rerum vaſtitatem unico actu comprehendens, quodammodo intelligitur, & ubi præſertim ineffabilitatem numeri cognoſcibilium una perpendis, illius incomprehenſibilitas quodammodo intelligibilis una evadit.

Dedimus jam olim rei ſpecimen in diſſertatione academica de notione intellectus divini per opera naturæ illuſtrata, quam ſuis Meletematis ſubjunxit *B. Thümmigius*. Ex inſtituto autem telam hanc pertexturi ſumus in Teleologia, ad quam hæc tractatio pertinet (§. 85 *Diſc. prælim.*). Sufficit hinc agnoſci, quam utile ſit eam Teleologiæ partem excoli, quæ Theologiæ naturalis experimentalis partem continet.

§. 178.

Intellectus Dei purus eſt. Etenim Deus omnia diſtincte cognoſcit, nihil confuſe (§. 156), adeoque multo minus obſcuri quidpiam ideis ac notionibus ejus admiſcetur (§. 32 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum intellectus purus ſit, ſi notioni rei, quam habet, nihil confuſi admiſcetur nihilque obſcuri (§. 313 *Pſychol. empir.*); intellectus Dei purus eſt. *Puritas intellectus divini.*

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus ſenſu caret atque imaginatione (§. 157), adeoque intellectus ejus a ſenſu & imaginatione prorſus liber eſt. Quare cum intellectus purus ſit, ſi a ſenſu atque imaginatione liber eſt, & in tantum quidem purus ſit, in quantum a ſenſu atque imaginatione liber (§. 314 *Pſychol. empir.*); intellectus Dei prorſus purus eſt.

Differt in eo intellectus divinus ab humano, quem nunquam prorſus purum eſſe poſſe conſtat (§. 315 *Pſychol. empir.*). Eſt nimirum puritas plenaria privilegium intellectus omnium perfectiſſimi, quem eſſe divinum oſtendimus (§. 168).

§. 179.

Apertum dicitur percipienti, quod quo minus percipiatur, non obſtat perceptibile aliud. Ex adverſo *Tectum* dicitur percipienti, quod quo minus percipiatur, obſtat perceptibile aliud. *Apertum & tectum quid dicatur percipienti.*

Ita Luna hoc ſenſu dicetur aperta intuentibus, quando nullum corpus opacum inter oculum & ipſam interjicitur, quod impedire poterat, quo minus radiis luminis lunaris ad oculum delatis eam videremus. Aſt ex adverſo tecta nobis erit eadem Luna, ſi turris inter oculum & Lunam interpoſita obſtet, quo minus lumen lunare ad oculum propagetur. Si-

militer

militer ſuperficies externa corporum nobis aperta eſt, quatenus nihil impedit, quo minus eam videamus; aſt interiora corporum tecta ſunt, quatenus exterior ſuperficies impedit, quo minus interiora corporum videre, vel etiam tangere poſſimus.

§. 180.

Cur Deo aperta omnia, nihil tectum.

Deo aperta ſunt omnia, tectum nihil. Etenim Deus omnia cognoſcit diſtincte, nihil prorſus confuſe (§. 156), atque adeo fieri nequit, ut unum, quod ſibi repræſentat, impediat, quo minus ſibi clare quoque ac diſtincte repræſentet alterum. Omnia igitur ipſi aperta ſunt, tectum nihil eſt (§. 179).

Quodſi indirecte argumentari malueris, ita erit argumentandum. Ponamus Deo aliquid eſſe tectum, ſi fieri poteſt. Quoniam id tegitur percipienti, quod quo minus percipiatur, obſtat perceptibile aliud (§. 179); eorum, quæ Deus ſibi ſimul repræſentat, unum obſtabit, quo minus ſibi clare repræſentare poſſit alterum, aut quo minus idem ſibi repræſentet. In caſu primo non omnia ſibi diſtincte repræſentat (§. 38 *Pſychol. empir.*), nec in caſu ſecundo omnia ſibi repræſentabit ſimul: quod utrumque cum abſurdum ſit (§. 156. 160), admittendum utique eſt, Deo omnia eſſe aperta, tectum nihil.

Propoſitionem hanc prætermittere non debebamus, propterea quod ejus utilitas elucet in praxi officiorum erga Deum, in quæ influit omniſcientiæ divinæ cognitio, quemadmodum ſuo loco in philoſophia practica eluceſcet.

§. 181.

Ideæ mundorum omnium exiſtentia in Deo.

In Deo continuo exiſtit idea non modo hujus, qui exiſtit, mundi, ſed ceterorum quoque omnium poſſibilium. Etenim Deus omnes cognoſcit mundos poſſibiles (§. 141), cumque intellectus ipſius infinitus ſit (§. 167), cognitio illa ſemper actu in Deo datur (§. 838 *Ontol.*). Quamobrem cum Deus mundos iſtos cognoſcat, quatenus ideam illorum in ſe producit (§. 51 *Pſychol. empir.*); idea non modo hujus, qui exiſtit, mundi, ſed ceterorum quoque omnium poſſibilium in ipſo continuo exiſtit.

Idea hæc mundorum poſſibilium a Deo adeo ſeparari minime poteſt, referenda utique inter ea, quæ Deo conſtanter competunt.

§. 182.

Similitudo animæ cum Deo.

Quoniam etiam in anima idea hujus univerſi ſeu mundi adſpectabilis continuo exiſtit (§. 192 *Pſychol. rat.*); *anima quoad inexiſtentiam ideæ mundi hujus adſpectabilis cum Deo ſimilitudinem quandam habet* (§. 195 *Ontol.*).

Dico animam habere ſimilitudinem quandam, ne quis exiſtimet admitti perfectam, ac inde inferat non inferenda, ſimilitudine ultra ſuum tertium extenſa. Quodnam vero ſit ſimilitudinis tertium, diſtincte ſatis expreſſimus, nimirum continua ideæ hujus mundi inexiſtentia. Datur vero in Deo quid amplius: etenim præter ideam hujus mundi, in eo etiam dantur ideæ ceterorum poſſibilium omnium (§. 181), ac præterea idea hujus mundi in Deo plurimum differt ab idea ejuſdem in anima noſtra: quod ut intelligatur, ſequentem addimus propoſitionem.

§. 183.

Diſſimilitudo in iſta ſimilitudine.

Idea mundi in anima noſtra mutabilis; in Deo prorſus immutabilis. Etenim cum Deus omnia diſtincte ſibi repræſentet atque ſimul (§. 164); integrum

tegrum quoque mundum quoad omnes ipſius ſtatus idea, quæ ipſi inexiſtir, exhibet a ſe invicem diſcretos ſimul. Fieri adeo nequit, ut quicquam in idea iſta mutetur. Enimvero idea univerſi eadem eaſdem in anima noſtra ſubit mutationes, quas mundus adſpectabilis ſubit (§. 192 *Pſychol. rat.*). Continuo igitur mutabilis eſt.

Patet itaque differentiam inter ideam mundi in Deo & ideam ejuſdem in nobis eſſe tantam, quantam requirit differentia inter ens infinitum reale ac finitum (§. 837. 838 *Ontol.*). Tanta igitur eſt ſimilitudo inter animam atque Deum, quanta ſalva differentia inter ens finitum ac infinitum ſubſiſtere poteſt, nec amplius quid ad eam requiritur.

§. 184.

Eadem porro expenditur.

Intuitus ideæ univerſi in Deo illimitatus eſt, in anima humana valde limitatus. Etenim Deus omnia, quæ in idea univerſi continentur, diſtincte ſibi repræſentat (§. 156), adeoque multo magis clare (§. 38. 39 *Pſychol. empir.*). Totam igitur ideam univerſi ſimul intuetur (§. 193 *Pſychol. rat.*), conſequenter intuitus iſte nullos prorſus habet limites (§. 468 *Ontol.*), ſeu illimitatus eſt.

Enimvero anima integram ideam univerſi ſimul intueri nequit (§. 194 *Pſychol. rat.*). Inſunt adeo eidem, quæ clare non percipit (§. 193 *Pſychol. rat.*), conſequenter intuitus limitatus eſt (§. 468 *Ontol.*).

Repetenda hic ſunt, quæ ad propoſitionem præcedentem modo annotavimus. Non vero ſine ratione expendimus ſimilitudinem, quæ inter Deum atque animam intercedit: etenim ſic animæ atque Dei cognitio mutuam ſibi lucem affundunt, ut natura animæ facilius intelligatur, intellectus divini notio a difficultate liberetur, qua ultra id, quod poſſibile, extendi videtur, ac differentia tandem inter ens finitum & infinitum intimius perſpiciatur. Nullus ſane dubito fore plurimos, qui cum lecturi ſint, quæ de animæ natura tradidimus (§. 182 & ſeqq. *Pſychol. rat.*), eadem nugis accenſere non verebuntur. Ubi vero perpendent animam in eo ſimilem eſſe Deo, quatenus admittit differentia entis finiti ac infiniti; in iis admittendis jam faciliores evadent. Ac ubi intelligent, Deum non poſſe concipi tanquam auctorem univerſi, qui quod ſit in dubium vocari minime poteſt, niſi admittatur diſtincta & ſimultanea omnium mundorum poſſibilium repræſentatio, ſeu ideæ mundorum omnium continuo inexiſtentia, & illimitatus ejuſdem intuitus; incomprehenſibilitas utriuſque tanto minus offendet, quanto nobis certius eſt, ſimile quid in ipſa anima obtinere, quantum quidem permittit differentia inter ens finitum ac infinitum. Dum vero hæc differentia expenditur, utique realitas notionis entis infiniti, quam in Ontologia dedimus, ex demonſtrationibus pernoſcitur, atque differentia ipſa ob ſpeciales determinationes, quæ hic occurrunt, intimius perſpicitur. Suademus itaque ſingulis, quibus intimior ſui atque Dei cognitio voluptati eſt, ut ad ſimilitudinem Dei cum anima & diſſimilitudinem in hac ſimilitudine ob differentiam entis finiti ac infiniti rite ac ſufficienter expendendam, omnem afferant attentionem, qua uti ipſis datur.

§. 185.

Cur Deus nunquam dormiat, ſed ſemper vigilet.

Deus nunquam dormit, ſed ſemper vigilat. Etenim Deus continuo non modo hunc mundum adſpectabilem, ſed & ceteros omnes poſſibiles ſibi repræſentat (§. 181), & quidem prorſus diſtincte, nihil confuſe (§. 156), nedum adeo obſcure (§. 32. 38 *Pſychol. empir.*). Eſt igitur continuo in ſtatu perceptionum diſtinctarum (§. 45 *Pſychol. empir.*), nunquam vero in ſtatu obſcurarum (§. 47 *Pſychol. empir.*), & per ipſam notionem mundi intelligitur, quod perceptiones ſint ordinatæ (§. 48 *Coſmol.* & §. 249 *Pſychol. rat.*).

Digitized by Google

rat.). Deus igitur nunquam dormit, ſed ſemper vigilat (§. 14. 15 *Pſychol. rat.*).

Propoſitio hæc ſuum habet uſum in philoſophia practica, ubi de officiis hominis erga Deum agitur, quatenus ea influunt in cetera erga ſeipſum atque alios. Erunt forſan, qui ſibi perſuadent, propoſitionem hanc clarius patere ex eo, quod Deus non habeat corpus, ſibi perſuadentes ſomnum a corpore pendere. Enimvero hi non advertunt, ſomnum non minus ſtatum quendam animæ eſſe, quam corporis, & quatenus in anima conſideratur, per ſe non repugnare naturæ entis vi repræſentativa univerſi prædíti. Quod enim Deo repugnet, infinitudini ejus tribuendum. Equidem non nego ex eo, quod homo habeat corpus, rationem reddi poſſe, cur animæ quoque ſtatus quidam peculiaris ex eo convenire debeat, quem ejus reſpectu ſomnum dicimus, nec inficior ex eo, quod Deus corpus nullum habere poſſit, demonſtrari poſſe, quod ſtatus iſtiuſmodi, qualem in anima ſomnum dicimus, convenire nequeat; ſed nego demonſtrationem eſſe facilem, nego vim conſecutionis in hac argumentatione, *Deus non habet corpus: ergo non dormit, adeoque ſemper vigilat*, eſſe adeo manifeſtam, ut citra ulteriorem evolutionem admitti poſſit. Patebit vero tentanti, ex eo, quod Deus corpus non habeat, deducendum eſſe ante omnia, quod ſemper eſſe debeat in ſtatu perceptionum diſtinctarum, & ex eo, quod homo habeat corpus, animam ſubinde incidere debere in ſtatum perceptionum obſcurarum, quam probari poſſit, Deum non dormire, ſed ſemper vigilare. Per ambages adeo ſtabiliretur principium, quod ex antecedentibus ſumi poteſt. Taceo ſcrupuloſioribus ſubnaturam difficultatem, non adeo facile elidendam, num circulus in demonſtrando evitari hac ratione poſſit. Nos enim ex diſtincta rerum perceptione probavimus, Deo non competere corpus (§. 158): hoc vero aliunde probandum erat, ſiquidem ex carentia corporis continuum ſtatum perceptionum diſtinctarum deducere voluerimus. Talia ſubinde moneri, conſultum eſt ad præcavendam præcipitantiam in judicando, & ne evidentiæ, quam mentiuntur confuſæ notiones argumentationibus per ſaltum convenientes, nimium credamus.

§. 186.

Differentia in eo ab anima noſtra. Quoniam in homine ſomnus & vigiliæ alternant, ac diverſi animæ ſtatus pro iiſdem conveniunt (§. 14. 15 *Pſychol. rat.*); ***Anima in eo quoad ideam univerſi & ejus intuitum a Deo differt, quod is ſemper vigilet, nunquam dormiat.***

§. 187.

Apperceptio in Deo cur continua. *Deus ſui ſemper conſcius eſt atque eorum, quæ ſibi repræſentat.* Pone enim Deum ſubinde ſibi non eſſe conſcium ſui, nec eorum, quæ in ipſo repræſentantur. Dormire igitur dicendus eſt (§. 119 *Pſychol. empir.*). Enimvero Deus nunquam dormit (§. 185). Ergo admittendum eſt, quod ſui atque eorum, quæ ſibi repræſentat, ſemper ſit conſcius.

Idem etiam directe oſtenditur. Deus ſemper vigilat (§. 185). Semper igitur eſt in ſtatu perceptionum diſtinctarum (§. 14 *Pſychol. rat.*), conſequenter ſui ipſius & eorum, quæ ſibi repræſentat, conſcius eſt (§. 13 *Pſychol. rat.*).

Apperceptionis continuitas in Deo ad differentiam animæ humanæ atque Dei ſpectat, in hac enim non continua eſt, ſed interrupta. Obiter obſervamus vigilias atque ſomnium quoad animam eſſe ſtatum apperceptionis; aſt ſomnum, apoplexiam & deliquium animi ſtatum apperceptionis deficientis.

§. 188.

Ideæ rerum Deo eſſentiales. *Ideæ rerum Deo eſſentiales ſunt.* Etenim intellectus divinus actus eſt, non nuda facultas (§. 163), ut adeo ſine actuali repræſentatione poſſibilium concipi non poſſit (§. 164). Quamobrem cum iſtæ poſſibilium repræſen-

Digitized by Google

præſentationes ſint ideæ rerum (§. 48 *Pſychol. empir.*); patet ideas rerum Deo conſtanter ineſſe, nec aliud quid ſupponendum eſſe tanquam in Deo exiſtens, cur inſint, conſequenter per alia, quæ ſimul inſunt, minime determinari (§. 113 *Ontol.*). Igitur Deo eſſentiales ſunt (§. 152 *Ontol.*).

Nimirum Deum non licet concipere ſine intellectu, conſequenter ſine ideis rerum, quemadmodum triangulum concipi nequit ſine numero ternario laterum, vel circulus ſine æquali diſtantia ſingulorum punctorum in peripheria a centro. Tolle enim ideas rerum; evidens eſt ipſum tolli intellectum (§. 164), conſequenter eus a ſe, quod concipis, non amplius erit Deus.

§. 189.

Ideæ rerum neceſſariæ ſunt. Etenim ideæ rerum Deo eſſentiales ſunt (§. 188), conſequenter ſine iis Deus eſſe non poteſt (§. 144 *Ontol.*). Et quia Deus omnia poſſibilia cognoſcit (§. 155), fieri non poteſt, ut aliæ rerum ideæ in eo inſint: quodſi enim ponas ineſſe alias poſſe, quæ non inſunt; Deus non cognoſcet omnia, quod eſt contra demonſtrata. Si quæ igitur ipſis oppoſitæ finguntur ideæ, impoſſibiles ſunt. Quamobrem ideæ rerum, quæ Deo inſunt, neceſſariæ ſunt (§. 279 *Ontol.*). *Idearum neceſſitas.*

Probe notanda eſt hæc idearum in intellectu divino neceſſitas: ardua enim hinc pendent, quemadmodum ex ſequentibus intelligitur. Tanto autem magis notanda eſt, quod non omnes eam agnoſcant, præjudicio quodam præpediti poſthac ſuo loco notando.

§. 190.

Ideæ rerum immutabiles ſunt. Sunt enim neceſſariæ (§. 189). Quod vero neceſſarium eſt, idem immutabile eſt (§. 292 *Ontol.*). Ideæ adeo rerum immutabiles ſunt. *Immutabilitas idearū.*

Quæ de idearum divinarum neceſſitate modo annotavimus, ea quoque de immutabilitate tenenda. Patebit autem ſuo loco, etſi neceſſitas cum immutabilitate ſubinde ab iis confundatur, qui non ſufficiente utuntur acumine, ad evitandas tamen & removendas difficultates, quæ contra Theologiam naturalem moventur, opus eſſe, ut nunc ad neceſſitatem, nunc ad immutabilitatem animum advertas.

§. 191.

Ideæ rerum non ſunt arbitrariæ, ſeu non ſunt tales, quod Deus eas voluit eſſe tales. Pone enim ideas rerum eſſe arbitrarias. Sunt igitur tales, quia Deus eas eſſe voluit tales, & inſunt intellectui divino, quia Deus eas ineſſe vult, conſequenter non repugnat, cum voluntas Dei poſſibile quid efficere poſſe ſupponatur, ut aliæ ineſſent intellectui divino ideæ, quam quæ inſunt. Quoniam itaque in intellectu non inſunt omnia ſimul, quæ per eum poſſibilia ſunt; intellectus divinus non eſt infinitus (§. 838 *Ontol.*), adeoque nec illimitatus (§. 173): quod cum ſit abſurdum, ideas rerum non eſſe arbitrarias fatendum. *Arbitrariæ ideæ rejectæ.*

Idem etiam per modum corollarii ex propoſitione præcedente infertur. Ideæ rerum immutabiles ſunt (§. 190). Non igitur ſunt tales, quia Deus eas eſſe voluit tales. Si enim ponas, eas tales eſſe, quia Deus eas tales eſſe voluit, admittendum eſt, non repugnare ut non ſint tales. Erunt igitur mutabiles (§. 290 *Ontol.*): quod abſurdum (§. 190). Quoniam adeo

Digitized by Google

ideæ rerum non ſunt tales, quia Deus eas tales eſſe voluit, arbitrariæ non ſunt.

Idem etiam ſic oſtenditur. Nemo non concedit, ea, quorum ideæ in intellectu divino dantur, eſſe poſſibilia. Sed hæc a contradictione libera ſunt (*§.* 85 *Ontol.*). Quodſi ergo ideæ rerum tales ſunt, quia Deus eas tales eſſe voluit; ea, quæ inſunt ideis rerum, ſibi mutuo non repugnant, vel quia Deus voluit, ne ſibi mutuo repugnent, repugnatura utique, ſi voluiſſet Deus, vel quia Deus non potuit velle, quæ ſibi mutuo repugnant. Si ponas poſterius, admittendum eſt, quædam eſſe poſſibilia, antequam Deus ea velit, conſequenter ut velle poſſit, eadem ipſi cognita eſſe. Admittendæ igitur ſunt ideæ poſſibilium in Deo, antequam in eodem dantur, quod abſurdum, vel antequam vult, ut inſint, conſequenter non ſunt tales, quia Deus vult tales eſſe, quod hypotheſi idearum arbitrariarum repugnat. Si ſumas prius, nimirum a voluntate Dei eſſe, ut quædam ſibi mutuo non repugnent, repugnatura ſibi invicem, ſi quidem Deo aliter viſum fuiſſet; in ſe ſpectata eadem & repugnare ſibi invicem, & non repugnare poſſunt, conſequenter poſſibile eſt, ut idem ſimul ſit & non ſit: quod eſſe abſurdum, nemo non fateri cogitur, niſi inſanire velit. Patet itaque ideas rerum eſſe debere in intellectu ipſius antequam ſupponi poſſit, Deum velle ut inſint, atque adeo per naturam intellectus divini eſſe tales, nec demum tales fieri voluntate Numinis.

Prolixius adſtruximus impoſſibilitatem idearum arbitrariarum, cum utique ſuffeciſſet ex illarum neceſſitate & immutabilitate per modum corollarii inferri, quod arbitrariæ non ſint. Etenim poſtquam *Carteſius* hypotheſin idearum arbitrariarum in philoſophiam ſuperiori ſeculo introduxit & *Petrus Poiret* in Cogitationibus rationalibus de Deo, homine & malo lib. 3. c. 10 acriter defendit, cum in Scholis Theologorum ac Philoſophorum ideæ neceſſariæ propugnarentur; haud paucos hodie illa nacta eſt ſectatores. *Carteſius* in Reſponſionibus ſextis adverſus *Merſennum* §. 6 & 8 contendit, Deum indifferentem fuiſſe non tantum ad omnes res extra ſe, ſed & ad omnium rerum ideas, adeo ut nullum bonum, nullum verum, nihil quod credendum, faciendum vel omittendum ſit, fingi poſſit, cujus idea in intellectu divino prius fuerit, quam ejus voluntas ſe determinavit ad efficiendum, ut id tale eſſet. Ratio, quæ multis evidens & prægnans videtur, hæc eſt, quod durum ſit ſtatuere aliquid immutabile & æternum præter Deum: quaſi vero ideæ rerum, quæ in intellectu ipſius ſunt & ad eundem neceſſario pertinent, ſint quidpiam præter Deum. Etſi enim repræſentent res, quæ præter Deum exiſtere poſſunt; non tamen ideo quicquam Deo coæternum exiſtit. Et quamvis ideæ rerum ſint immutabiles, non tamen inde ſequitur, res iis reſpondentes eſſe immutabiles, cum in ideis immutabilibus tanquam mutabiles exhibeantur. Unde Cl. *Pungelerus*, Theologiæ & Hiſtoriæ ſacræ nuper Profeſſor in Athenæo Herbornenſi, in Diſſertatione de rerum poſſibilium ideis in Deo, quam *Poireto* oppoſuit, c. 3. p. 53, *Carteſio* non inepte reſpondet, quæ ipſe in Reſponſionibus Quintis num. 8 *Gaſſendo* eandem rationem adverſus ipſum urgenti regerit: *Quod vero ais, tibi durum videri, ſtatuere aliquid immutabile & æternum præter Deum, merito ſic videretur, ſi de re exiſtente quæſtio eſſet; vel tantum, ſi quid ita immutabile ſtatuerem, ut ejus immutabilitas a Deo non penderet.* Et quamvis *Poiretus* affirmet, ideas neceſſarias conjeciſſe Scholaſticos in errores inextricabiles; contrarium tamen ſuo conſtabit loco.

§. 192.

Poſſibilitas rerũ unde. *Ideo quid poſſibile eſt, quod ejus idea detur in intellectu divino.* Etenim quæ poſſibilia deprehendimus, nullam involvunt contradictionem (*§.* 85 *Ontol.*).

Digitized by Google

Ontol.). Quamobrem cum ideæ eorundem Deo ſint eſſentiales (*§.* 188), adeoque ab intellectu divino, cui inhærent (§. 164 *Theol.* & §. 48 *Pſych. empir.*), inſeparabiles (*§.* 300 *Ontol.*); eam eſſe patet naturam intellectus divini, quemadmodum noſtræ mentis (§. 27 *Ontol.*), ut non poſſit judicare, idem ſimul eſſe atque non eſſe, adeoque in producendis rerum ideis obſervet principium contradictionis (*§.* 29 *Ontol.*). Res igitur ideo poſſibiles ſunt, quod impoſſibile ut intellectus divinus contradictoria ſibi repræſentet, conſequenter ideo quid poſſibile, quod ejus idea in intellectu divino datur.

Patet adeo, quomodo omnis rerum poſſibilitas ſit a Deo, & quod intellectus ipſius ſit fons poſſibilitatis. Unde porro liquet, niſi daretur Deus, nec quicquam aliud ne intriuſece quidem poſſibile fore.

§. 193.

Principia evincendi poſſibilitatem rerum.

Quoniam intellectus divinus in formandis rerum ideis principium contradictionis tenet *per demonſtrata in §.* 192; *principium contradictionis eſt principium ſufficiens adſtruendæ poſſibilitatis cujuſcunque intrinſecæ.*

Confirmat veritatem corollarii experientia: neque enim ad probandum poſſibilitatem utimur niſi principio contradictionis, ad quod ubi analyſis perducta, pleno aſſenſu acquieſcimus. Quodſi rerum poſſibilitas non ab intellectu divino, ſed a voluntate penderet, cum lex voluntatis non ſit principium contradictionis, ſed appetitio boni & averſatio mali (§. 904. 907 *Pſychol. empir.*), non demonſtrari poterat niſi lege voluntatis: analyſis enim, quæ ſatisfacit, non datur, niſi pervenias ad principia ultima. Sed ad demonſtrandam poſſibilitatem non eſſe confugiendum ad voluntatem divinam, nemo non experitur, qui demonſtrationem aggreditur.

§. 194.

Neceſſitas eſſentiarum unde.

Neceſſitas eſſentiarum a Deo eſt. Eſſentia enim rerum intrinſeca earundem poſſibilitate conſiſtit (*not. §.* 153 *Ontol.*), atque adeo neceſſaria eſt, quatenus res iſtiuſmodi poſſibilis. Enimvero ideo quid poſſibile eſt, quod ejus idea detur in intellectu divino (§. 192). Quamobrem ideo quoque eſſentia ejus neceſſaria eſt, quod ejus idea detur in intellectu divino, quia ſcilicet intellectui divino neceſſario ineſt, nec ab eo ſeparari poteſt. Eſſentiarum itaque neceſſitas a Deo eſt.

Fruſtra ergo ſibi a neceſſitate eſſentiarum metuunt, qui arbitrarias defendunt, quaſi illa Deo adverſaretur, qui ſolus ſit ens neceſſarium. Etenim quando Deus dicitur ſolus ens neceſſarium, id de exiſtentia intelligitur, non de eſſentia (§. 309 *Ontol.*). Quando vero eſſentia dicitur neceſſaria, id tantummodo intelligitur de poſſibilitate (§. 153 *Ontol.*). Quod vero neceſſario poſſibile eſt, id non neceſſario exiſtit.

§. 195.

Æternitas eſſentiarum.

Eſſentiæ rerum ſunt æternæ, earumque æternitas a Deo eſt. Rerum enim eſſentia in earundem poſſibilitate intrinſeca conſiſtit (*not. §.* 153 *Ontol.*). Quamobrem cum poſſibilia etiam in ſe ſpectata (§. 155) repræſententur in intellectu divino (§. 164) & quidem continuo (*§.* 181. 152); eſſentiæ rerum continuo fuere in intellectu divino. Quoniam itaque Deus æternus eſt (§. 74); eſſentiæ quoque rerum æternæ ſunt. *Quod erat unum.*

Quia vero eſſentiæ rerum æternæ ſunt propterea, quod continuo fuere in

re in intellectu divino *per demonſtrata*; earum æternitas a Deo utique eſt. *Quod erat alterum*.

Prius etiam ex ipſa eſſentiæ notione deducitur hoc modo. Eſſentiæ rerum ſunt neceſſariæ & quidem abſolute tales (§. 303 *Ontol.*). Quoniam itaque nullum fingi poteſt tempus, quo quid poſſibile eſſe cœperit, aut quo tale eſſe definet (*not.* §. 286 *Ontol.*); eſſentiæ rerum æternæ ſunt (§. 39).

Patet adeo, ſine mente dare ſonos, qui ſibi metuunt, ne quid Deo coæternum læſa divinitate ſtatuatur. Neque enim quicquam ſtatuitur Deo coæternum, quod non ſit in Deo & a Deo. Qui eſſentias rerum ſibi imaginantur tanquam entia extra Deum exiſtentia, quæ Deus cognoſcit, quemadmodum anima res materiales extra ſe exiſtentes, & a quibus in creando pendet, ac inde adverſus eſſentiarum æternitatem tela promont; illi cum propriis larvis decertant, quemadmodum plerumque accidit & conſequentiariis præſertim proprium eſt.

§. 196.

Ideæ rerum ſenſibilium in Deo quales ſint.

Ideæ rerum ſenſibilium in Deo diverſæ prorſus ſunt ab ideis ſenſualibus noſtris. Quoniam Deus omnia, quæ præter ipſum cognitu poſſibilia ſunt, diſtincte cognoſcit, nihil confuſe (§. 156); res etiam ſenſibiles, hoc eſt, eas, quæ ſenſu percipi poſſunt (§. 77 *Pſychol. empir.*), diſtincte cognoſcit, non confuſe. Ideæ igitur rerum ſenſibilium in Deo prorſus diſtinctæ ſunt, nihil vero in iiſdem confuſi continetur. Enimvero ſenſibilium rerum ideæ ſenſuales, quæ in nobis dantur, confuſæ ſunt (§. 98 *Pſychol. rat.*), & multiplici confuſionis gradu oriuntur (§. 99. 100 *Pſychol. rat.*). Sunt vero ſenſationes confuſæ diverſæ a diſtinctis (§. 93. 94 *Pſychol. rat.*) & ideæ ſenſuales confuſæ, dum ulterius inter ſe confunduntur, diverſas ab iis efficiunt ideas ſenſuales (§. 97 *Pſychol. rat.*). Ideæ igitur rerum ſenſibilium in Deo diverſæ prorſus ſunt ab ideis ſenſualibus noſtris.

Idem etiam ſic oſtenditur. Dum ſentimus, anima ſibi repræſentat ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas, ſed in unum confuſas (§. 98 *Pſychol. rat.*). In ideis igitur rerum ſenſibilium divinis eædem mutationes ſubſtantiarum ſimplicium contineri debent. Enimvero cum Deus, quæ præter ipſum poſſibilia ſunt, omnia diſtincte cognoſcat, nihil vero confuſe (§. 156); mutationes ſubſtantiarum ſimplicium, quæ ideis ſenſibilium repræſentantur, non confunduntur in unum, ſed ſingulæ, quales ſunt, a Deo agnoſcuntur ac a ſe invicem diſtinguuntur (§. 38 *Pſychol. empir.*). Ideæ igitur rerum ſenſibilium in Deo diverſæ prorſus ſunt ab ideis ſenſualibus noſtris.

Tanta nimirum eſt differentia inter ideas divinas rerum ſenſibilium & ideas noſtras ſenſuales, quanta inter prorſus diſtincte cognitum & multiplici confuſione perceptum intercedit. Ut multiplicem hanc confuſionem, etſi a nobis minime effabilem, propterea quod non conſtat, quotuplex confuſio accidat, antequam a mutationibus elementorum intrinſecis ad qualitatem ſenſibilem, qualis a nobis percipitur, perveniatur, quodammodo intelligamus; idearum confuſio ad eum modum concipienda eſt, quo ortum corporum ex elementis per diverſas corporum derivativorum, quæ primitivorum combinatione reſultant, combinationes explicavimus alibi (§. 227 & ſeqq. *Coſmol.*).

§. 197.

§. 197.

Diverſitas idearum coloris, ſoni, odoris, ſaporis & qualitatum tactilium in Deo.

Quoniam odores, ſapores, ſoni, colores & qualitates tactiles in numero ſenſibilium ſunt (§. 77 *Pſychol. empir.*); *ideæ colorum, ſonorum, odorum, ſaporum & qualitatum tactilium, quæ ſunt in Deo, prorſus diverſæ ſunt ab ideis earundem rerum ſenſualibus, quas nos habemus.*

Ab ideis igitur ſenſualibus noſtris ad rerum ſenſibilium in Deo ideas non valet argumentatio. Quamobrem etſi contingat, ideas quaſdam ſenſuales nobis eſſe moleſtas, veluti perceptionem fœtoris vel clamoris horrendi; non tamen hinc colligi poteſt, eandem moleſtiam aut ipſi ſimilem adhærere ideæ ejuſdem fœtoris, vel ejuſdem clamoris in Deo. Imo ſimile quid jam in nobis obſervare licet. Quod enim confuſe perceptum moleſtiam creat, id diſtincte beneficio intellectus cognitum voluptati eſt. Ita fœtoris peſſimi explicatio a priori in Phyſica delectat. Probe hoc notandum eſt, ne nobis perſuadeamus, quaſi abjecte de Deo ſentiant, qui rerum ſenſibilium nobis moleſtarum ideas Deo tribuunt, atque adeo earum cognitionem Deo prorſus denegemus, vel in eodem libertatem fingamus eas in intellectum ſuum admittendi, quando viſum fuerit: quod poſterius viſum eſt *Poireto*.

§. 198.

Quomodo Deus videat ideas cōfuſas, quæ ſunt animabus.

Deus omnes ideas confuſas, quales ſunt animabus, intuetur in ideis animarum cum diverſis confuſionis gradibus. Cum enim Deus omnia, quæ præter ipſum cognitu poſſibilia ſunt, diſtincte cognoſcat (§. 156); ſingulas quoque animas tam hominum, quam brutorum diſtincte cognoſcere debet. Enimvero unaquæque anima continet ſeriem perceptionum ac appetitionum & averſationum, quæ diverſa eſt a ſerie alterius cujuſcunque animæ (§. 524 *Pſychol. rat.*). Deus igitur ſingulas iſtas ſeries perceptionum, quæ inſunt animabus ſingulis, diſtincte cognoſcit, conſequenter ſingulas in iis contentas perceptiones a ſe invicem diſtinguit (§. 38 *Pſychol. empir.*). Sunt vero perceptiones partiales in animabus humanis atque brutorum confuſæ (§. 98. 754 *Pſychol. rat.*). Deus igitur cognoſcit confuſas ideas rerum materialium, quales ſunt animabus, quatenus habet ideas animarum. *Quod erat unum.*

Jam vero dum res materiales percipimus ſeu ſentimus, anima ſibi repræſentat ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas, ſed in unum confuſas (§. 98 *Pſychol. rat.*). Quemadmodum itaque corpuſcula primitiva prodeunt ex elementorum ſeu ſubſtantiarum ſimplicium nexu, derivativa vero ex primitivorum & deinde ex aliorum derivativorum combinatione (§. 229 *Coſmol.*); ita ideæ corpuſculorum primitivorum confunduntur in unam, ut inde prodeat idea confuſa corpuſculi derivativi, quemadmodum ideæ elementorum, quorum nexu reſultat corpuſculum primitivum, inter ſe confuſæ exhibent ideam corpuſculi primitivi, ac deinde continuo corpuſcula derivativa, imo tandem corpora confunduntur, ut una prodeat idea confuſa. Patet adeo diverſos dari confuſionis gradus. Quoniam itaque Deus diſtincte cognoſcit perceptiones confuſas, quæ inſunt hominum atque brutorum animabus *per demonſtrata*, &, ſi plures ſenſationes confuſæ diverſæ confunduntur in unam, idea ſenſualis, quæ inde reſultat, diverſa apparet ab iis, quæ confunduntur (§. 97 *Pſychol. rat.*); Deus quoque ideas confuſas,

Digitized by Google

fuſas, quæ inſunt animabus hominum atque brutorum, cognoſcit quoad ſingulos confuſionis gradus. *Quod erat alterum.*

Patet adeo, Deo non ineſſe ideas confuſas per ſe, quod repugnat naturæ ipſius, utpote ab omni ſenſu liberæ (§. 157); ſed quatenus inſunt rerum aliarum, veluti animarum, ideis, quæ per ſe intellectui divino inſunt. Hinc idearum confuſarum in ideis animarum intuitus non obeſt intellectus divini perfectioni, cum idea ejus, quod confuſe repræſentatur in idea animæ, per ſe diſtincta ſit in intellectu ipſius, cujus lumine illuſtrata confuſa in animæ idea contenta rei cujuſdam materialis idea, fugit obſcuritas & gradus confuſionis clari fiunt.

§. 199.

Differentia intuitus idearum confuſarum in Deo & homine.

Quoniam Deus non modo intuetur ideas confuſas, quales ſunt in animabus hominum atque brutorum; verum etiam diſtincte cognoſcit diverſos confuſionis gradus (§. 198); homo vero idearum ſuarum confuſarum tantummodo ſibi conſcius eſt, quatenus confuſæ ſunt, haud quaquam vero perſpicit diverſos confuſionis gradus, ex quibus tandem oriuntur, quemadmodum unuſquiſque in ſe experitur; *ideæ confuſæ, quæ animabus hominum inſunt, intimius a Deo perſpiciuntur, quam ab homine, Deoque competit adæquata earum cognitio, homini non item.*

Equidem non nego, non prorſus impoſſibile eſſe, ut ideæ confuſæ beneficio rationis reducantur ad diſtinctas, cum in omni philoſophia, præſertim autem quod res materiales attinet, in Phyſica id unice moliamur, neque ſemper ſine omni ſucceſſu: nemo tamen eſt qui neſciat, operoſam analyſin arctis admodum limitibus coerceri, nunquam vero fieri perfectam, cum in Deo perfecta analyſis ſolo intuitu abſolvatur.

§. 200.

Idea mundi in Deo qualis ſit.

Idea mundi, quæ eſt in intellectu divino, refert ſingulas ſubſtantias ſimplices ſeu elementa rerum materialium ſingula, cum omni mutationum ſerie, quæ in unaquaque eſt, ita coordinata, quomodo mutationes unius pendent a mutationibus ceterarum. Corpora enim, ex quibus mundus materialis conſtat (§. 119 *Coſmol.*), ſunt ſubſtantiarum ſimplicium aggregata (§. 176 *Coſmol.*), nec in iis quicquam datur ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*), materia vero & vis motrix ſunt phænomena ſubſtantiata (§. 300 *Coſmol.*), hoc eſt, confuſe percepta (§. 225 *Coſmol.*), quæ inſtar ſubſtantiæ apparent (§. 299 *Coſmol.*). Quamobrem cum Deus diſtincte omnia cognoſcat, nihil prorſus vero confuſe (§. 156); idea mundi, quæ in intellectu ipſius datur, referre debet ſingulas ſubſtantias ſimplices, quibus aggregatis prodit mundus materialis. Jam vero unumquodque elementum continet ſeriem mutationum, quæ diverſa eſt a ſerie alterius cujuſcunque (§. 198 *Coſmol.*), & ratio coexiſtentiæ eorundem, tum quatenus ſimul exiſtunt, tum quatenus hoc potius modo, quam alio coexiſtunt, in ipſis elementis continetur (§. 202 *Coſmol.*), ac inde patet eorundem nexus (§. 10 *Coſmol.*), unde pendet nexus rerum materialium (§. 105 *Coſmol.*). Quoniam itaque Deus diſtincte omnia cognoſcit, nihil confuſe (§. 156); omnem quoque ſeriem mutationum in unoquoque elemento & rationem coexiſtentiæ eorundem, tum quatenus ſimul exiſtunt; tum quatenus hoc potius modo, quam alio coexiſtunt per determinatio-

minationes intrinſecas elementorum, eorundemque adeo nexum perſpicit, conſequenter quatenus ita coordinata ſunt, ut mutationes unius dependeant a mutationibus alterius (§. 853 *Ontol.*).

Atque ita demum intelligitur, qualis ſit idea hujus, qui exiſtit, mundi in intellectu divino. Simul vero intelligitur, qualis ſit idea corporis uniuſcujuſcunque: ſunt enim hæc perinde ſubſtantiarum ſimplicium aggregata, quam totum hoc univerſum. Quæ autem de idea hujus mundi dicta ſunt, ea etiam intelligenda ſunt de idea mundi cujuſcunque alterius poſſibilis & de idea corporis cujuslibet ad eundem pertinentis.

§. 201.

Quomodo idea mundi a Deo producatur.

Idea integra mundi unico actu producitur; ſeu poſſibilia vi intellectus divini ſtatim repræſentantur tanquam in ſyſtemata redacta. Intellectus enim divinus infinitus eſt (§. 167), conſequenter quicquid per eundem fieri poteſt, id ſimul fieri debet (§. 838 *Ontol.*). Quamobrem cum Deus omnia poſſibilia tam abſolute ſpectata, quam in ſyſtemata redacta cognoſcat (§. 155), palam vero ſit poſſibilia quoque cognoſci abſolute ſpectata, ubi in ideis tanquam in ſyſtemata redacta exhibentur; neceſſe omnino eſt, ut idea mundi integra ſimul producatur, ſeu poſſibilia vi intellectus divini ſtatim tanquam in ſyſtemata redacta repræſententur.

Quodſi mavis, idem indirecte hoc modo oſtendere poteris. Ponamus Deum ſibi primum poſſibilia ſingula repræſentare, quatenus abſolute ſpectantur, deinde ſingula componere ſingulis, ut appareat, quomodo mutationes in uno contingentes pendeant a mutationibus aliorum, atque ita tandem dependentiæ huic convenienter ideas partiales in ordinem redigere, ut prodeat idea totius alicujus mundi, quæ exhibet certum poſſibilium numerum tanquam in ſyſtema quoddam redactorum. Facile patet, eodem modo formari ideas mundorum cererorum poſſibilium, nec formari poſſe unam, niſi poſt alteram. Non igitur omnia Deo inſunt ſimul, quæ vi intellectus ipſius fieri poſſe concipiuntur. Quamobrem intellectus Dei infinitus non eſt (§. 838 *Ontol.*): qnod utique abſurdum (§. 167).

Etſi autem ideæ mundorum omnium poſſibilium in Deo unico actu vi intellectus divini producantur; nil tamen obſtat, quo minus fingamus, quaſi Deus poſſibilium ſingulorum ideas nullo ordine digeſtas primum produxiſſet, eaſque deinde omni poſſibili modo combinaſſet, ut facilius intelligatur, quomodo ideæ mundorum plurium poſſibilium prodierint. Fictiones enim ſi fiant eo fine, ut imaginatio juvet intellectum imbecillem in re quadam concipienda, veritati nullum creant præjudicium, modo fictionem non amplectamur tanquam veritatem. Loquimur de Deo humano more; ſed ea deinde naturæ ipſius convenienter interpretamur. Nimirum ideæ mundorum poſſibilium, quæ dantur in intellectu divino, ſimul & conſtanter in ipſo inſunt; tales tamen deprehenduntur, quales prodirent, ſi poſſibilia abſolute ſpectata omni poſſibili modo inter ſe combinarentur. Omnes enim mundi poſſibiles ſimul ſumti continent omnia poſſibilia modo omni poſſibili inter ſe connexa.

§. 202.

Mundi ſenſibilis & intelligibilis definitio.

Mundum ſenſibilem appello hoc, quod exiſtit, univerſum ſub ea forma ſpectatum, qua in ſenſus incurrit, aut, ſi mavis, mundus ſenſibilis dicitur hic mundus, qualis nobis apparet. Ex adverſo vero *Mundum intelligibilem* dico idem hoc univerſum ſub ea forma ſpectatum, qua diſtin-

cte vi intellectus repræſentatum deprehenditur, aut, ſi mavis, mundus intelligibilis eſt hic mundus, qualis revera eſt.

Differentia utriuſque eſt manifeſta per principia coſmologica, modo animum ad ea advertere velis. Quoniam tamen magni momenti eſt in Theologia naturali noſſe illam differentiam; ideo conſultum judico ut hic exponatur.

§. 203.

Differentia. *Mundus intelligibilis eſt aggregatum ſubſtantiarum ſimplicium certo ordine coexiſtentium & certa lege mutuas ad ſe invicem relationes mutantium: Mundus vero ſenſibilis eſt complexus phænomenorum ex ſimplicibus tanquam fonte promanantium & in duo ſubſtantiata reſolubilium.* Etenim mundus hic adſpectabilis componitur ex corporibus tanquam partibus (§. 119 *Coſmol.*). Corpora vero ſunt ſubſtantiarum ſimplicium aggregata (§. 176 *Coſmol.*), nec in ipſis quicquam datur ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*). Totus igitur mundus adſpectabilis ſubſtantiarum ſimplicium quoddam aggregatum eſt. Hæc rerum elementa inter ſe connexa ſunt (§. 204 *Coſmol.*), ita ut mutationum omnium, quæ in uno elemento contingunt, ratio reddi poſſit ex mutationibus, quæ in altero contingunt (§. 209 *Coſmol.*). Modus adeo, quo determinatur coexiſtentia uniuſcujuſque elementi, eandem admittit rationem (§. 56 *Ontol.*), conſequenter in eodem ſimilitudo quædam obvia eſt (§. 195 *Ontol.*). Quamobrem ſubſtantiæ ſimplices, quæ hunc mundum conſtituunt, certo ordine coexiſtunt. Enimvero mutationes elementorum omnium inter ſe connexæ ſunt (§. 210 *Coſmol.*) & ſtatus quilibet elementi relationem involvit ad cetera elementa coexiſtentia (§. 206 *Coſmol.*). Mutantur igitur relationes mutuæ ad ſe invicem certa lege (§. 10 *Coſmol.*). Jam mundus intelligibilis dicitur, quatenus ſpectatur, qualis revera eſt (§. 202). Patet itaque, mundum intelligibilem eſſe aggregatum ſubſtantiarum ſimplicium certo ordine coexiſtentium & certa lege mutuas ad ſe invicem relationes mutantium. *Quod erat unum.*

Dum ſentimus, anima ſibi repræſentat ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas, ſed in unum confuſas (§. 98 *Pſychol. rat.*), imo cum ſenſu nec armato quidem corpuſcula derivativa, nedum primitiva diſtinguamus (§. 99. 100 *Pſychol. rat.*), confuſe percipienda denuo & quidem multiplici modo confundimus. Quoniam itaque phænomenon eſt, quicquid ſenſui obvium confuſe percipitur (§. 225 *Coſmol.*); quicquid hujus univerſi percipitur a nobis, in phænomenorum numero eſt. Continentur vero rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur, in elementis ſeu ſubſtantiis ſimplicibus (§. 191 *Coſmol.*). Sunt igitur ſubſtantiæ ſimplices phænomenorum iſtorum fontes. Conſtat porro phænomenorum ſpecialium rationem, quæ corpora obſervabilia exhibent, in qualitatibus corpuſculorum derivativorum, adeoque talium, quæ ex aliis ſe minoribus componuntur (§. 229 *Coſmol.*), & modo, quo ea inter ſe junguntur, quærendam eſſe (§. 235 *Coſmol.*), conſequenter in eo terminari, quod confuſe percipitur,

ac ideo

ac ideo in phænomeno (§. 225 *Coſmol.*). Jam nemo non novit, notionem corporis, qualis ſenſu duce abſtrahitur, in genere non comprehendere niſi materiam & vim motricem, conſequenter phænomenorum rationes ad materiam & vim motricem tandem redire. Sunt vero materia & vis motrix phænomena ſubſtantiata (§. 300 *Coſmol.*). Quicquid igitur hujus mundi percipimus, in phænomena ſubſtantiata reſolvitur. Atque hoc modo patet, mundum, quatenus a nobis ſenſu percipitur, adeoque ſenſibilem (§. 202), eſſe complexum phænomenorum ex ſimplicibus tanquam fonte promanantium & in duo ſubſtantiata reſolubilium. *Quod erat alterum.*

Mundi intelligibilis atque ſenſibilis differentiam qui capere nequit, eam omittat. Cum enim propoſitiones ſingulæ a ſe invicem ſint diſcretæ & ex citationibus appareat, quæ a ſe invicem pendeant; certitudo propoſitionum ceterarum hinc minime labefactatur, ſi vel maxime quis mundum intelligibilem pro figmento habeat & in ſenſibili unice acquieſcat. Qui vero acumine utuntur, quo ad mundum intelligibilem a ſenſibili diſcernendum opus eſt; illis volupe erit ea intimius perſpicere, quæ confuſe percepta non ſatisfaciunt animo ſciendi cupido. Neceſſe vero eſt, ut acumine iſto potituri in Coſmologia & Ontologia ſuam non patiantur deſiderari induſtriam & attentionem.

§. 204.

Mundus intelligibilis diverſus eſt a mundo ſenſibili. Mundus enim intelligibilis eſt aggregatum ex ſubſtantiis ſimplicibus certo ordine coexiſtentibus & certa lege relationes mutuas ad ſe invicem mutantibus, aſt ſenſibilis complexus phænomenorum ex ſimplicibus ſubſtantiis tanquam fonte promanantium & in duo phænomena ſubſtantiata reſolubilium (§. 203). Enimvero nemo non admittit, phænomena non eſſe eadem cum eorundem rationibus, ſecus enim has ſcrutari non opus haberemus (§. 183 *Ontol.*): id quod tamen in Phyſicis fieri ſolet. Mundus ergo intelligibilis diverſus eſt a mundo ſenſibili.

Mundi intelligibilis & ſenſibilis diverſitas.

Unde errat, qui mundum ſenſibilem cum intelligibili confundit, quemadmodum ſcholaſticis recte tribuitur error a *Carteſio*, qui colores eſſe reales contendunt, ſibi ſimile quid in objecto imaginantes, quale exhibet idea coloris confuſa. Qui norunt differentiam, quæ inter qualitates ſenſibiles, quatenus tanquam phænomena ſpectantur, & earundem explicationem intelligibilem, qualem dare ſolent Phyſici moderni, intercedit; iidem facile capient differentiam inter mundum ſenſibilem & intelligibilem, neque enim alia re opus habent, quam ut perpendant, nos non minus confuſas habere notiones materiæ ac vis motricis, quam qualitatum ſenſibilium, & quam confuſæ ſiſtunt imaginem materiæ ac vis motricis aliud quid eſſe, quam quod per iſtas imagines apparet, quemadmodum, quæ confuſa gignunt perceptionem qualitatum ſenſibilium, diverſum quid ſunt ab eo, quod per imaginem iſtam apparet, nimirum figuræ, moles atque motus (§. 94 *Pſychol. rat.*).

§. 205.

Idea mundi in Deo prorſus diverſa eſt ab idea mundi in animabus noſtris. Etenim idea mundi, qualis eſt in intellectu divino, refert ſingulas ſubſtantias ſimplices cum omni mutationum ſerie, quæ in unaquaque datur, ita coordinatas, quomodo mutationes unius pendent a mutationibus ceterarum (§. 200). Exiſtit igitur in Deo idea mundi intelligibilis (§. 202). Enimvero elementa rerum materialium ſeu ſubſtantias ſimplices (§. 182

Ideæ divinæ mundi a noſtra diverſitas.

Coſmol.) anima noſtra ne ſenſu quidem armato diſtinguit (*§. 101 Pſychol. rat.*), & hunc mundum nobis non repræſentare valemus niſi convenienter quibuſdam mutationibus, quæ in organis ſenſoriis contingunt (*§. 66 Pſychol. rat.*), conſequenter eum non niſi ſenſu percipimus (*§. 67 Pſychol. empir.*). Mundus adeo, qualem nos percipimus, phænomenorum ex ſimplicibus tanquam fonte reſultantium (§. 98 *Pſychol. rat.*), quidam complexus eſt (§. 225 *Coſmol.*), conſequenter non exiſtit in nobis idea niſi mundi ſenſibilis (§. 202). Atar mundus intelligibilis diverſus eſt a mundo ſenſibili (§. 204). Quare idea divina mundi diverſa eſt ab idea mundi, quam nos habemus.

§. 206.

Quomodo Deus ideas mundi ſenſibilis ſognoſcat.

Deus omnes ideas mundi ſenſibilis poſſibiles in animabus hominum intuetur, easque intimius perſpicit, quam homines, ac adæquatam earundem habet cognitionem. Etenim anima hominis continuo producit ideam totius univerſi (§. 190 *Pſychol. rat.*), convenienter mutationibus, quæ in organo ſenſorio contingunt (§. 62 *Pſychol. rat.*) & quidem per eſſentiam ſuam (§. 66. *Pſychol. rat.*), ut adeo aliam producere non poſſit (§. 300 *Ontol.*). Quoniam vero ſenſu percipimus, quod ita nobis repræſentamus (§. 67 *Pſychol. empir.*); idea mundi, quam producit, ſenſualis eſt (§. 95 *Pſychol. empir.*). Enimvero Deus ideas confuſas, quæ animabus hominum inſunt, intuetur in ideis animarum cum diverſis confuſionis gradibus (§. 198), easdemque intimius perſpicit, quam homines, & adæquatam earundem habet cognitionem (§. 199). Quamobrem cum hæ ſint ideæ partiales, ex quibus idea mundi componitur (§. 40 *Pſychol. empir.*); Deus quoque omnes ideas mundi ſenſibilis intuetur in animabus hominum, easdemque intimius perſpicit, quam homines, & adæquatam earundem habet cognitionem.

Poterat propoſitio præſens eodem prorſus modo demonſtrari, quo ſuperius evicimus Deum cognoſcere ideas rerum ſenſibilium, quales nobis ſunt in animabus hominum, quatenus ſcilicet harum habet ideas (§. 198), haſque intimius perſpicere, quam homines (§. 199). Si enim ita viſum fuerit, demonſtrationes ſuperiores nonniſi ad propoſitionem præſentem applicandæ veniunt: quod ubi feceris, diſtincte intelliges, attenta differentia inter ideam mundi intelligibilis & ideam ſenſibilis (§. 202), quomodo diverſis confuſionis gradibus idea mundi intelligibilis in ideam ſenſibilis vertatur, quemadmodum ex adverſo diverſis evolutionis gradibus ſeu confuſorum extricatione idea ſenſibilis mundi degenerare concipitur in ideam mundi intelligibilis. Hæ vero meditationes non cenſendæ ſunt inutiles, cum ſic intimius perſpiciatur differentia inter intellectum infinitum atque finitum, hoc eſt, divinum atque humanum, & quanto intervallo a perfecta naturæ cognitione ſimus ſemoti, clariſſime innoteſcat.

§. 207.

Cognitio Dei qualis ſit.

Deus omnia intuitive cognoſcit. Deus enim omnia cognoſcit ſimul (§. 160) atque prorſus diſtincte (§. 156), eorundemque ſibi adeo conſcius eſt (§. 11 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum rem intuitive cognoſcamus, quatenus ideæ ejus, quam habemus, nobis conſcii ſumus (§. 286 *Pſychol. empir.*); patet Deum omnia intuitive cognoſcere.

Hoc

Digitized by Google

Hoc ipſo cognitio divina differt a cognitione humana: nos enim pauciſſima intuitive cognoſcere, nemo eſt qui neſciat.

§. 208.

Diſtincta mundi repræſentatio in intellectu divino Sacræ Scripturæ conveniens.

Deus juxta Scripturam Sacram totum ſibi repræſentavit mundum ab æterno & quidem omnia, quæ in eo ſunt, diſtincte, nihil vero confuſe. Deo enim omnia opera ſua nota fuiſſe perhibentur ab omni ævo, Act. XV. 18, ſeu, vertente *Caſtalione*, ab omni æternitate. Sunt vero opera Dei cælum atque terra, *Pſalm.* CII. 26, hoc eſt, totus, quem conſpicimus, mundus adſpectabilis vi eorum, quæ ſupra dicta ſunt (§. 68), quem Deus creavit, cum nihil adhuc præter ipſum exiſteret *Gen.* I. 1. Deus adeo totum hunc mundum adſpectabilem ſeu univerſam rerum præter ipſum exiſtentium ſeriem (§. 55 *Coſmol.*) ſibi repræſentavit ab omni æternitate.

Enimvero nulla creatura dicitur inviſibilis in conſpectu ejus, ſed omnia nuda & aperta eſſe perhibentur oculis ejus *Hebr.* IV. 13. Etſi verſio vulgata, quam hic & alibi citamus, ſenſum textus Græci bene exprimat, verborum tamen Græcorum proprietas οὐκ ἔςι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, h. e. non eſt creatura obſcura coram ipſo, propoſitioni præſenti probandæ magis conducere videtur. Inſinuat enim differentiam, quæ inter rerum perceptiones, quales nobis ſunt, & rerum in intellectu divino repræſentationes intercedit. Dum nos ſentimus, adeoque objectum aliquod ſenſibile in hoc mundo adſpectabili nobis repræſentamus (§. 62 *Pſychol. rat.* & §. 67 *Pſychol. empir.*), ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas, ſed in unum confuſas nobis repræſentamus (§. 98 *Pſychol. rat.*). Enimvero cum ne ſenſu quidem armato corpuſcula derivativa, quæ ex primitivis vel aliis ſimplicioribus oriuntur (§. 229 *Coſmol.*), diſtinguamus (§. 99 *Pſychol. rat.*), nedum primitiva, quæ ex elementis ſeu ſubſtantiis ſimplicibus (§. 182 *Coſmol.*) ortum trahunt (§. 229 *Coſmol.*), a ſe invicem diſcernamus (§. 100 *Pſychol. rat.*), multo minus elementa ipſa a ſe invicem ſeparemus (§. 101 *Pſychol. rat.*); ideis noſtris non modo plurima inſunt confuſa (§. 39 *Pſychol. empir.*), verum etiam prorſus obſcura (§. 32 *Pſychol. empir.*), ut adeo rebus perceptis plura inſint, quorum nobis non ſumus conſcii, ſeu quæ non appercipimus, quam quæ appercipimus (§. 25 *Pſychol. empir.*). Quodſi vero objectum quodcunque conſideres tanquam in conſpectu Dei, ſeu coram ipſo idem conſideres, hoc eſt, ad Deum referas; nihil in eo deprehendes, cujus Deus non ſit ſibi conſcius, atque adeo nullum prorſus objectum in hoc mundo adſpectabili datur, quod ipſi obſcurum dici poſſit. Patet adeo juxta Scripturam Deum ſingula, quæ rebus creatis inſunt, clariſſime ſibi repræſentare (§. 31 *Pſychol. empir.*), atque adeo diſtincte (§. 41 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque Deus totum hunc mundum adſpectabilem creavit *per demonſtrata*, ut nullum in eo exiſtat ens, quod non ſit in creaturarum numero; nihil omnino juxta Scripturam Sacram datur in hoc mundo adſpectabili, quod non diſtincte cognoſcat

gnoſcat Deus, nec quicquam nominari poteſt, quod confuſe tantummodo ſibi repræſentet.

Quo minus quid videamus, ad quod noſtra ſeſe potentia viſiva ſeu facultas videndi extendit, impedimenta duo ſunt. Primum in eo ſitum eſt, quod opacum quoddam inter oculum & viſibile interponitur, impediens, ne radii a viſibili in oculum illabi poſſint, adeoque idem oculum tegens. Alterum impedimentum eſt a ſitu ſupino viſibilis, in quo impoſſibile ut radii per lineam rectam propagati ad oculum deferantur, quod cum eodem in eadem recta non conſtituitur. Utrumque impedimentum a Deo removet Scriptura Sacra. Quando enim omnia nuda dicuntur oculis ejus *loc. cit.* primum a Deo removetur viſionis ſeu objecta mundi hujus adſpectabilis ſibi repræſentandi impedimentum, quod ſcilicet nihil tectum ſit ipſi, quemadmodum ſupra ex diſtincta rerum cognitione demonſtravimus (§. 180). Nudum enim dicitur, quod nullo velamine tectum. Quamobrem cum omnia, quæ ſunt in hoc univerſo, nuda dicantur oculis Dei; hoc ipſo indigitatur fieri non poſſe, ut objectum unum perceptibile obſtet, quo minus percipiatur alterum. Alterum vero a Deo removetur videndi impedimentum, dum Apoſtolus affirmat omnia oculis Dei eſſe aperta *loc.cit.* Etenim in textu Græco dicuntur omnia τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, quod *Caſtalio* verborum proprietati inhærens ita vertit: omnia reſupina ſunt ejus oculis. Nimirum objectum nobis unam tantummodo ſui obvertit partem, alteram ab eadem avertit, adeoque in conſpectum noſtrum non prodit, niſi reſupinetur. Deus vero undiquaque contuetur objectum viſibile, ut pars nulla dici poſſit ab oculis ejus averſa. Quoniam igitur id valet de omni objecto, quod in mundo hoc adſpectabili deprehenditur; hoc ipſo oſtenditur, nullum eſſe Deo obſtaculum, quemadmodum nobis, quo minus quidpiam ſibi repræſentare clare poſſit.

Quo ſenſu Deo tribuantur oculi, quibus tamen eum carere ſupra demonſtratum eſt (§. 157), jam indicavimus ſupra (*not.* §. 91), & rationem dedimus generalem interpretationis (§. 103), ut adeo ad dictum Apoſtoli intelligendum ſufficiant, quæ ibi dicta ſunt. Enimvero cum omnem ſenſus amplitudinem comprehendere non liceat, niſi adhuc alia de Deo fuerint demonſtrata, conſultius judico ſignificatus illos generales, quibus Deo in Scriptura Sacra tribuuntur membra corporis humani, quibus tamen caret, eo loco explicari, ubi per demonſtrata prorſus intelliguntur. Ceterum abunde probatum eſſe exiſtimo, diſtinctam iſtiuſmodi mundi totius in intellectu divino ab omni æternitate repræſentationem, qualem in anterioribus ſtabilivimus, Scripturæ Sacræ conformem eſſe.

§. 209.

Nullius rei cognitionem juxta Sacram Scripturam Deum dedecere.

Juxta Scripturam Sacram nihil judicari debet adeo abjectum, ut ideo cognitioni Dei ſubducatur. Chriſtus *Matth.* X. 30 affirmat, omnes capillos capitis noſtri a Deo eſſe numeratos. Nemo non novit, vix allegari poſſe rei cujuſdam notitiam, quæ nobis adeo abjecta & merito contemnenda videatur, quam quæ eſt numeri capillorum. Unde nec videas eos, qui ſubtilitates phyſicas ſcrutantur non ſine aliorum cenſura, de numero

tamen

Digitized by Google

tamen capillorum unquam fuiſſe ſollicitos, propterea quod adeo ſterilis judicetur, ut nullam inde utilitatem promittere nobis poſſe videamur. Cum igitur Deus dicitur numerare capillos, quibus obſita ſunt capita hominum, adeoque diſtincta numeri eorundem eidem tribuitur notitia; hoc ipſo inſinuari palam eſt, nihil a nobis judicari debere adeo abjectum, ut ejus cognitionem Deum dedecere arbitremur.

Non nego, Chriſtum potiſſimum docere velle, quanta ſit providentia divina quoad homines, cum curam gerat etiam ſingulorum capillorum, quos ne homines quidem ipſi curant. Enimvero quoniam cura, quam Deus gerit, ſingulorum capillorum capitis noſtri, ſupponit notitiam numeri eorundem; verba Chriſti ad probandam propoſitionis præſentis veritatem recte adducuntur. Et ubi ad ſcopum ab ipſo Chriſto intentum animum advertimus, ratio ſimul intelligitur, cur nihil cenſeri debeat adeo abjectum, ut idem propterea cognitioni ipſius ſubducamus. Nimirum nos notitiam numeri capillorum faſtidimus, propterea quod nullius uſus nobis eſſe videtur, & capillum unum pro re vili atque abjecta habemus, propterea quod parum referre arbitramur, utrum capillus aliquis capiti inſideat, an ab eodem avellatur. Chriſtus vero docet, quæ nobis inutilis eſt notitia, eam Deo non eſſe inutilem, & quod nobis adeo vile judicatur, ut ejus curam ſuperfluam judicemus, id Deum cura ſua non indignum reputare. Arcetur adeo præjudicium, quod homines tenet, ſibi perſuadentes quaſi quædam res in hoc univerſo ſint adeo viles, ut magnitudinem majeſtatis divinæ dedeceat earundem cognitio. Qui nexum rerum omnium in hoc univerſo probe perpendit, quem in Coſmologia ſtabilivimus, rationem a priori intelligit, cur nihil adeo vile æſtimari debeat, ut a providentia divina eximatur. Sed de eo apertius dicemus ſuo loco.

§. 210.

Incomprehenſibilitas intellectus divini juxta Sacrã Scripturam.

Juxta Scripturam Sacram intellectus divinus nobis incomprehenſibilis eſt. Etenim *Pſalm.* CXLVII. 4 Deus dicitur numerare multitudinem ſtellarum. Et Chriſtus affirmat *Matth.* X. 30, Deum numerare omnes capillos capitis noſtri. Imo Pſaltes addit, ipſum ſtellas ſingulas appellare nominatim, ſeu propriis nominibus a ſe invicem diſtinguere. Nec invita veritate dici poterat, Deum quoque ſingulos capillos capitis noſtri nominatim appellare, ſeu propriis ſuis nominibus a ſe invicem diſtinguere. Quodſi duo hæc Scripturæ loca combinare volueris, per ea utique patebit, intellectum divinum juxta Scripturam Sacram eſſe incomprehenſibilem nobis eodem ſenſu, quo ſupra idem evicimus (§. 172). Stellæ vaſta cæli ſpatia replent, nec ignotum eſt omni tempore eam hominum animis inſediſſe opinionem, quod earum numerum iniri ſit impoſſibile. Hinc ipſe Deus confirmaturus promiſſionem, quam fecerat *Abrahamo*, quod multiplicaturus ſit poſteros ipſius ſicut pulverem terræ *Gen.* XIII. 16, jubet eum reſpicere ſtellas & numerare eaſdem, ſi poſſit *Gen.* XV. 5. Sic, inquiens *verſ.* 6, erit ſemen tuum: id quod mox ita ipſemet interpretatur *Gen.* XVI. 10, multiplicans multiplicabo ſemen tuum & non numerabitur præ multitudine. Et memini me legiſſe in hodoporicis, gentes, quæ numerando ultra millenarium aſcendere non poterant nominibus deſtitutæ, quibus exprimerent numerum ineffabilem, eundem indigitaturas monſtraſſe digito ſtellas, ita ut numerus ineffabilis atque incomprehenſibilis diceretur tantus, quantus ſtellarum numerus. Nullum

adeo

Digitized by Google

adeo dubium eſt, quin *Abrahami* ævo ſtellarum numerus ineffabilis fuerit habitus, tantus ſcilicet, ut diſtincte percipi minime poſſit, quemadmodum numerus pulviſculorum, ex quibus conſtat pulvis terræ; ut multiplicare ſicut pulverem terræ & multiplicare ſicut numerum ſtellarum pro ſynonymis agnoverit ipſe Deus. Hodie vero, poſtquam teleſcopia inventa & ad uſum obſervationum cæleſtium translata, innumerabilis ſtellarum multitudo certo certius conſtat, cum continuo plures oculo conſpicuæ evadant ſtellæ, quo exquiſitiori teleſcopio cælum reſpicimus. Quando itaque Deus dicitur numerare ſtellas, hominibus innumerabilia cognoſcere perhibetur. Jam tenendus quoque eſt modus, quo innumerabilia iſta cognoſcit. Additur nimirum, Deum ſtellas ſingulas appellare nominatim. Qui nominibus res a ſe invicem diſtinguere valet, is differentiam earundem clare percipere tenetur. Unde patet, Deum ſtellarum numerum omnem diſtincte ſibi repræſentare, ita ut in idea ejus ſingulas ſtellas actu a ſe invicem diſcernat. Atque hinc intelligitur, Deum ea, quæ hominum confeſſione unanimi innumerabilia ſunt, diſtincte cognoſcere & ſingula a ſe invicem tam bene diſcernere, quam citra fallaciam parens diſtinguit liberos ſuos. Quæ de ſtellarum numeratione dicta ſunt, ea quoque ad capillorum numerationem recte applicantur. Etenim ſi totum genus humanum ſpectes, quatenus & omnes ac ſingulos, qui vixerunt olim, & eos, qui nunc vivunt, & poſthac naſcituros complectitur; nemo non ultro fatebitur, numerum capillorum eſſe ineffabilem: imo nullus dubito fore, ut Aſtronomiæ peritus eum multo magis ineffabilem judicet, quam numerum ſtellarum, propterea quod ſtellæ ingentibus admodum intervallis, a ſe invicem remotæ, capilli vero ſingulis capitibus inſidentes nullis intervallis ſenſibilibus a ſe invicem diſcreti, ac præterea forſan non deerunt, quibus conſiderantibus ſingulas ſtellas fixas eſſe totidem ſoles ſuis planetis ſtipatos (*§.* 1120. 1122 *Aſtron.*), probabilius videbitur numerum capillorum ſtellarum numerum multum excedere. Liquido igitur conſtat, dum Deus dicitur promiſcue numerare omnium hominum capillos: hoc ipſo affirmari, quod hominibus innumerabilia ſeu ineffabilia cognoſcat. Chriſtus eo fine docet, omnes capillos capitis hominis cujuſcunque numeratos eſſe a Deo, ut providentiam Dei ad minima quæque extendat, haud obſcure inſinuans, quemadmodum ex contextu colligitur animum advertendo ad hoc, quod a paſſeribus ad capillos tanquam a majore ad minus fiat argumentatio, nullum ſine voluntate Dei capillum decidere de capite hominis, atque adeo ipſum ſingulorum curam peculiarem gerere. Neceſſe igitur eſt, docente Chriſto, ut Deus ſingulos capillos tam bene a ſe invicem diſtinguat, ac parens liberos ſuos, quos ſingulos ſuis diſcernit nominibus. Atque hinc jam patet, Deum numerum capillorum omnem ſibi diſtincte repræſentare, ita ut in

idea

Digitized by Google

idea ejus ſingulos a ſe invicem actu diſcernat. Unde denuo intelligitur Deum ea, quæ hominum confeſſione unanimi innumerabilia ſunt, diſtincte cognoſcere, & ſingula a ſe invicem tam bene diſcernere, quam citra fallaciam liberos ſuos diſtinguit parens, qui ſingulos propriis ſuis nominibus appellare novit. Deus in promiſſione Abrahamo facta de numero poſterorum genus ſuum ab ipſo derivaturorum numero ſtellarum ſubſtituit numerum pulviſculorum in pulvere terræ. Patet itaque Scriptura Sacra non invita, ubi de innumerabilitate ſermo eſt, ſtellis ſubſtitui poſſe quævis corpora alia, quæ homini innumerabilia ſunt, veluti grana arænæ in mari & guttas pluviæ. Sane ipſe *Jacobus* promiſſionem Abrahamo & ſibi de poſteritate ſua factam enunciaturus ait, Deum dilatare velle ſemen ſuum ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt *Gen.* XXXII. 12. Deus igitur quemadmodum numerare dicitur ſtellas & ſuis ſingulas appellare nominibus, eo fine, ut intellectus ipſius pateat magnitudo *Pſalm* CXLVII. 4, eadem non invita numerare quoque dicendus eſt pulviſculos in pulvere terræ & ſingulos propriis ſuis appellare nominibus, atque itidem numerare dicendus eſt multitudinem arenæ maris & ſingula granula ſuis appellare nominibus. Sunt enim pulvis terræ & arena maris non minus opera ipſius ac ſtellæ per vaſtum cælorum ſpatium diſſeminatæ, adeoque eodem modo ipſi cognita ab æterno, quo hæ ipſi perſpectæ ſunt *Actor.* XV. 18. Quamobrem cum ſtellas numeret & ſuis a ſe invicem nominibus diſtinguat, hoc eſt, diſtincte cognoſcat, quemadmodum probavimus; pulverem quoque terræ & arenam maris numerare ſuiſque ſingula granula nominibus a ſe invicem diſcernere, hoc eſt, diſtincte cognoſcere debet. Nihil adeo datur in cælis atque in terra, quod pro innumerabili reputari poſſit, a Deo tamen juxta Scripturam Sacram non adeo bene cognoſcatur, ac parens liberos ſuos novit, quos & numerare, & nominibus propriis diſtinguere valet. Oſtendimus jam ſuperius (§. 208), cælum & terram in ſacris literis denotare totum mundum, quemadmodum etiam inter nos cæli ac terræ nomine totus hic mundus adſpectabilis indigitari ſolet. Juxta Scripturam Sacram igitur affirmandum, nihil in toto mundo dari, quod pro innumerabili a nobis reputari poſſit, a Deo autem diſtincte non agnoſcatur. Conſtat ſtellas eſſe maxima, quæ dantur in mundo, corpora eaque totalia, ex quibus tanquam partibus componitur univerſus mundus, pulviſculos vero conſtituentes pulverem terræ & arenam maris eſſe corpora partialia, quæ ſunt partes partium univerſi, & denique capillos capitis noſtri corpora partialia incompleta, quæ ad unionem cum corporibus partialibus aliis deſtinantur. Hoc vero numero continetur omne corporum genus. Juxta Scripturam igitur Sacram in toto hoc mundo adſpectabili nullum datur corporum genus, quod innumerabilia continet, a Deo tamen hoc non obſtante agnoſcitur, idque maxime diſtincte. Cum nobis

Digitized by Google

impoſſibile ſit numerare ſtellas, capillos capitis omnium hominum, pulverem terræ & arenam maris, multo magis autem impoſſibile ſit ſtellas ſingulas, capillos capitis ſingulos, pulviſculos, qui componunt pulverem terræ, ſingulos, arenæ maris granula ſingula a ſe invicem diſcernere; quomodo hoc vi intellectus divini fieri poſſit, utique ignoramus nec ullo modo capimus. Quamobrem quia illud affirmat Scriptura, quemadmodum prolixe ſatis adſtruximus; intellectus divinus juxta eandem nobis incomprehenſibilis eſt eodem prorſus ſenſu, quo ſupra (§. 172) eundem nobis incomprehenſibilem eſſe oſtendimus (§. 170).

Quod *Pſaltes* eo fine affirmet, Deum numerare multitudinem ſtellarum & ſuis ſingulas nominibus appellare, ut doceat, qualis & quantus ſit intellectus divinus, & quantum noſter ab ipſo diſtet, ex contextu claret. Etenim ubi illa de Deo enuntiavit, mox alta voce exclamat: Magnus Dominus noſter & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus! Dubitari adeo nequit, hunc Scripturæ Sacræ locum eſſe claſſicum, quando de magnitudine & incomprehenſibilitate intellectus divini agitur, & ad utramque probandam ſcopo Scripturæ Sacræ convenienter eundem adduci. Aſt quando Deus dicitur numerare capillos capitis noſtri, Chriſtus potiſſimum intendit ut doceat, providentiam divinam ſeſe ad minima quoque, quæ noſtro judicio vilia atque abjecta reputantur, extendere. Erunt igitur aliqui, qui dubitabunt, num locus iſte ad probandam incomprehenſibilitatem intellectus divini adducatur. Imo non deerunt, qui reprehenſuri ſunt Scripturæ dicta extra ſcopum ipſius alioſum detorqueri. Quamobrem noſtrum eſſe judico, ut doceamus, quandonam dicta Scripturæ extra ſcopum ſuum primarium eadem non invita, ad probandas veritates alias transferatur. Nimirum veritas aliqua cum altera ſubinde adeo connexa eſt, ut poſita una ponatur & altera, imo ut hæc altera poni minime poſſit, quin etiam ponatur illa. Ponamus itaque ſcopum Sacræ Scripturæ eſſe docere veritatem alteram, propter neceſſarium tamen hujus cum illa nexum illam ſimul docet. Atque hic caſus eſt dicti Salvatoris noſtri de numeratione capillorum capitis noſtri. Per eam docere intendit providentiæ divinæ ad minima, quæ vilia & abjecta videntur, extenſionem. Enimvero quoniam cum cura, quam Deus gerit ſingulorum capillorum, neceſſario connexa eſt diſtincta eorundem cognitio & capilli in numero eorum ſunt, quæ innumerabilia recte reputantur; dictum Chriſti ad probandam diſtinctam eorum, quæ nobis innumerabilia ſunt, cognitionem recte adhiberi, nemo dubitare poteſt. In hoc caſu ſcopus Scripturæ ſecondarius dici poteſt, docere eam veritatem, quæ cum primario intenta neceſſario connexa eſt. Nec obſtat, quin dictum Scripturæ extra ſcopum primarium pro claſſico habeatur (*not.* §. 95). Quemadmodum vero ad ea, quæ ex dicto aliquo Scripturæ Sacræ per neceſſariam conſequentiam inferuntur, ita ad veritatum quoque aliarum cum eadem neceſſarium nexum, de quo hic loquimur, reſpiciendum, ubi eidem omnem ſenſus plenitudinem tribuere volueris, quem habere poteſt. Et his uberius confirmantur, quæ de eodem dicto Chriſti jam paulo ante (*not.* §. 209) annotata ſunt.

§. 211.

Juxta Sacram Scripturā ſomnus Deo repugnat.

Deus juxta Scripturam Sacram non dormit, ſed ſemper vigilat. Diſertis verbis hoc dicitur *Pſalm.* CXXI. 4. Quando enim affirmatur, non dormire eum, qui cuſtodit Iſraelem, hoc eſt, Deum; in Hebræo textu occurrit verbum ישן, quod ex communi loquendi uſu idem ſignificare, quod apud Latinos verbum dormire, ex I. Sam. XXVI. 7 liquido conſtat: ubi cum narratur Davidem & Abiſæum veniſſe ad populum noctu ac inveniſſe Saulem in territorio dormientem, idem omnino vocabulum occurrit. Ecquis vero non videt in hoc loco verbum iſtud denotare eum ſtatum, quo ſomno oppreſſum jacet corpus, anima vero caret perceptionibus claris atque diſtinctis, nec ſui rerumque perceptarum ſibi conſcia eſt? Ex contextu

textu vero *Pſalm.* CXXI. 4 apparet, ſomnum negari de Deo tanquam id, quod nunquam eventurum eſt: quo ipſo inſinuatur eum naturæ ipſius repugnare. Quodſi ergo juxta Scripturam Sacram ſomnus Deo repugnat, neceſſe eſt ut per eſſentiam atque naturam ſuam ſemper vigilet.

Propoſitio hæc in Scriptura Sacra transfertur ad uſum moralem: cui eandem in philoſophia quoque deſtinari ſupra (*not.* §. 185) annotavimus.

§. 212.

Juxta Sacram Scripturam non datur ſtatuum in Deo alternatio.

Quoniam ſubſtantia ſimplex, qualis eſt anima, in ſomno eſt in ſtatu perceptionum confuſarum (§. 15. *Pſychol. rat.*), quando vero vigilamus, in ſtatu perceptionum diſtinctarum (§. 14. *Pſychol. rat.*), conſequenter in anima noſtra ſtatus perceptionum confuſarum & diſtinctarum continuo alternant: Deus vero juxta Scripturam Sacram nunquam dormit, ſed ſemper vigilat, imo ut dormiat impoſſibile ſit (§. 211); *juxta Scripturam Sacram ſtatus perceptionum diſtinctarum & confuſarum ſeu obſcurarum alternare nequeunt*, conſequenter cum in ſtatu perceptionum obſcurarum fieri non poſſit, ut percipiens ſibi vel ſui, vel rei cujuſdam alterius ſit conſcius (§. 17 *Pſychol. rat.*); *juxta Scripturam Sacram ſtatus iſtiuſmodi impoſſibilis eſt, in quo Deus nec ſui, nec rei cujuſdam alterius ſibi ſit conſcius.*

Corollarium hoc etiam hoc modo oſtendi poterat: Deus juxta Scripturam Sacram nunquam dormit, ſed ſemper vigilat (§. 211), ſumto ſcilicet vocabulo in eo ſignificatu, quo de hominibus accipitur, quemadmodum *loc. cit.* evicimus. Enimvero quando nos dormimus, ſenſationes omnes claræ ceſſant, nec ullius, quod præſens eſt, nobis conſcii ſumus (§. 119 *Pſychol. empir.*). Fieri adeo nequit, ut in Deo ceſſent repræſentationes rerum cognoſcibilium, quales ſunt in ipſo, hoc eſt, diſtinctæ (§. 156), juxta ipſam quoque Scripturam Sacram (§. 208), & Deus ſibi ſemper conſcius manet eorum, quæ ſibi repræſentat. Juxta Scripturam itaque Sacram Deus ſemper manet in ſtatu perceptionum diſtinctarum, ſui rerumque extra ſe exiſtentium ſibi conſcius, conſequenter ſtatus perceptionum diſtinctarum & ſtatus obſcurarum non perinde, ac in homine, alternant.

Patet hoc exemplo, quemadmodum & aliis ſupra jam propoſitis ac in ſequentibus adhuc proponendis, beneficio principiorum philoſophicorum ex verbis Sacræ Scripturæ deduci poſſe, quæ cogitationem eorum ſubire nequeunt, qui philoſophica ignorant principia. Atque hinc elucet philoſophiæ in interpretanda Sacra Scriptura utilitas, ſimulque perſpicitur, quomodo philoſophus ſenſum Scripturæ Sacræ profundius ſcrutari poſſit, quam qui a philoſophia alienum habet animum. Idem vero valere de ipſis veritatibus puris, nec tantummodo in mixtis locum habere, experiri poterunt, qui philoſophiam, qualem nos profitemur, cum diſtinctis Theologiæ revelatæ notionibus conjungunt. Tantum adeo abeſt, ut mos philoſophandi noſter auctoritati Scripturæ Sacræ ac inde deductæ Theologiæ revelatæ periculum minitetur, ut potius auctoritatem illius roboret, hanc clariorem ac evidentiorem reddat: id quod inprimis conducit ad empæctas hujus ſeculi refellendos. Ceterum præſente propoſitione præcipua quædam proprietas intellectus divini continetur, qua a facultate cognoſcendi humana differt, ut adeo Deum non dormire non ſit propoſitio, quæ contemni mereatur, etiamſi eam nonniſi theoretice ſpectes, ubi ſomnum ad ſtatum animæ transfers recedens a confuſa notione, quæ corpus magis reſpicit, quam animam.

 §. 213.

§. 213.

Immenſitas intellectus divini juxta Sacram Scripturam.

Juxta Scripturam Sacram intellectus divinus immenſus eſt. Pſalm. CXLVII. 5 de Deo dicitur: לתבונתו אין מספר, hoc eſt, intelligentiæ ejus non eſt numerus, ſeu ea, quæ Deus vi intellectus ſui ſibi repræſentat, numerari nequeunt. Jam cum intellectus magnitudo æſtimetur partim ex numero objectorum, quæ ſibi repræſentare valet, partim ex numero eorum, quæ in unoquoque objecto diſtinguit (§. 276. 277 *Pſychol. empir.*); intellectus magnitudo menſurari nequit, ſi eorum, quæ ſibi repræſentare valet atque in ideis rerum diſcernit a ſe invicem, numerus iniri nequit. Atque adeo patet, juxta Scripturam Sacram intellectum divinum eſſe immenſum.

Imo conſtat hoc modo, immenſitates intellectus divini juxta Sacram Scripturam in eo conſiſtere, quod eorum, quæ vi ejuſdem repræſentantur, & quæ in ideis ab eodem productis continentur, nullus iniri poſſit numerus. Scriptura igitur intellectum divinum nobis repræſentat tanquam immenſum in ſe: quæ ſola vera immenſitas eſt, qualis creaturæ nulli convenire poteſt. Adduximus ipſa Hebraica verba, propterea quod ex verſionibus non adeo clare pateat intellectus divini immenſitas, quam probare intendimus. Vulgatus interpres reddit: Sapientiæ ejus non eſt numerus. *Caſtalio* vertit, quod Deus ſit immenſæ prudentiæ. Sapientia vero non eſt actus intellectus, qui vocabulo Hebraico תבונה indicatur, multo minus de prudentia hic ſermo eſt. Ad textum adeo authenticum provocamus, quando ad eum provocari opus eſt (§. 978 *Log.*). Tenendum itaque, quando ad eum non provocamus, verſionem textui ſatis convenire, aut a nobis adduci verba, quæ mentem ejus loquuntur.

§. 214.

Puritas intellectus divini juxta Sacrã Scripturam.

Intellectus Dei juxta Scripturam Sacram purus eſt eo ſenſu, quo eundem purum eſſe ſupra demonſtravimus. Etenim juxta Scripturam Sacram Deus omnia diſtincte cognoſcit, nihil vero confuſe (§. 208). Sed hinc ſupra deduximus, intellectum Dei eſſe purum (§. 178). Intellectus adeo Dei juxta Scripturam Sacram purus eſt eo ſenſu, quo ſupra eundem purum eſſe evicimus.

Puritatem intellectus divini per conſequentiam ex Scriptura Sacra eruimus, propterea quod nobis non ſuccurrit dictum Sacræ Scripturæ, ex quo eadem immediate inferri poterat. Equidem 1. *Joan.* I. 5 Deus lux eſſe dicitur, & tenebras in eo eſſe ullas negatur. Cum conſtet lucem prædicari de intellectu, quatenus ideis ineſt claritas, quo ſenſu etiam animæ noſtræ tribuitur (§. 35 *Pſychol. empir.*), & ex adverſo obſcuritas & defectus idearum, unde pendet ignorantia atque error, denotetur tenebrarum nomine, quo ſenſu etiam animæ tenebras ineſſe dicimus (§. 36 *Pſychol. empir.*); hinc omnino inferri poterat, ideis rerum, quæ ſunt in intellectu divino, nihil prorſus obſcuri admiſceri; conſequenter purum eſſe (§. 313 *Pſychol. empir.*). Sed cum difficultas ex textu orta, quod lumen & tenebræ ad actiones liberas referantur, quatenus eædem bonæ vel malæ ſunt, nonniſi per ambages tollatur; præſtat puritatem intellectus divini per conſequentiam ex Sacra Scriptura erui, ac inde ſtabiliri ſignificatum luminis & tenebrarum, quo illud Deo tribuitur, hæ de eodem negantur, quam vice verſa ſuppoſito ſignificatu luminis & tenebrarum quoad Deum ex eorundem notionibus inferre puritatem intellectus. Nimirum ubi intellectus purus eſt, ibi merum lumen, tenebræ ſunt nullæ; aſt ubi purus non eſt, ibi ſunt tenebræ. Quamobrem cum intellectus hominis purus non ſit (§. 315 *Pſychol. empir.*), nec is per naturam ſuam dici poteſt lumen, etſi luminis quidpiam ipſi affulgeat, ac inſunt tenebræ ſpiſſæ. Me non monente apparet, cum juxta Sacram Scripturam Deus diſtincte cognoſcat omnia, nihil confuſe, cetera omnia, quæ ſuperius ex diſtincta cognitione rerum, qualis Deo competit, demonſtravimus, eodem modo probari juxta Sacram Scripturam Deo tribuenda, quo in propoſitione

præſente

præſente idem de puritate intellectus divini evicimus, ut adeo ſupervacaneum foret hiſce deductionibus prolixius immorari.

§. 215.

Limitum remotio ab intellectu divino & ejus infinitudo, juxta Sacram Scripturam.

Juxta Scripturam Sacram intellectus divinus illimitatus atque infinitus eſt eo ſenſu, quo utrumque de eodem ſupra evicimus. Deo enim opera ſua omnia nota ſunt ab æterno *Actor.* XV. 18, conſequenter cum quicquid præter Deum exiſtit, ab eo creatum ſit *Gen.* I. 8, antequam exiſterent. Quoniam itaque ad id, ut Deus, quæ præter ipſum poſſibilia ſunt, actu cognoſcat, eorundem non requiratur exiſtentia; dubio caret, quod etiam poſſibilia nunquam extitura, quæ tamen, ſi ita viſum fuiſſet, ad exiſtentiam perducere poterat, cognoſcere debeat. Atque adeo nil poni poteſt tanquam cognoſcibile, quod non ſit notum Deo ab æterno. Unde liquet, intellectum divinum non limitari quoad objectum (§. 468 *Ontol.*). Jam porro Deo omnia nuda & reſupina ſunt *Hebr.* IV. 13, hoc eſt, firmiter tenendum, objectum unum, quod repræſentat ſibi Deus, non poſſe obſtare, quo minus percipiat alterum, adeoque nec exteriora ejuſdem objecti, quo minus percipiat interiora, nec ullam in objecto quocunque perceptibili partem poſſe a Deo dici averſam, ut eam percipere nequeat, quemadmodum ſupra oſtendimus (§. 208). Nihil adeo datur in objecto quocunque, quod non ita ſibi repræſentet Deus in intellectu ſuo, ut ejuſdem ſibi ſit conſcius. Unde porro liquet, intellectum divinum non limitari quoad modum repræſentandi objectum, ſeu ideæ rationem formalem (§. 468 *Ontol.*). Quoniam itaque intellectus limitari aliter haud quaquam poteſt, niſi quoad numerum objectorum & quoad modum limitandi objectum; ſecundum Scripturam Sacram intellectum divinum eſſe illimitatum patet. *Quod erat unum.*

Cum ens finitum ſit etiam limitatum (§. 173), fieri haud quaquam poteſt, ut illimitatum ſit finitum (§. 28 *Ontol.*). Ergo intellectus divinus, qui prorſus illimitatus eſt, finitus eſſe nequit. Erit igitur infinitus (§. 53 *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Conſtat ex anterioribus notionem illimitati & infiniti nobis non eſſe eandem, etſi una ab altera pendeat.

§. 216.

Simultaneitas in cognoſcendo Sacræ Scripturæ conformis.

Deus juxta Scripturam Sacram omnia cognoſcit ſimul, ſeu actu unico. Etenim juxta Sacram Scripturam intellectus divinus infinitus eſt (§. 215). Quamobrem cum in ente infinito ſint omnia ſimul, quæ eidem actu ineſſe poſſunt (§. 838 *Ontol.*); in intellectu Dei ideæ rerum poſſibilium omnium ſimul inſunt (§. 215). Quicquid igitur cognoſcibile, a Deo ſimul cognoſcitur, ſeu actu unico.

Patet eodem modo per principia rationis demonſtrari poſſe illimitationem intellectus divini ac inde colligi, primum infinitudinem ejuſdem, deinde ex hac porro ſimultaneitatem in cognoſcendo, quamvis contraria ratione ex ſimultaneitate in cognoſcendo ſupra collegerimus infinitudinem: id quod ideo monemus, quod nonnullis hoc modo facta demonſtratio videbitur evidentior,

§. 217.

§. 217.

Carentia ſenſuum & imaginationis in Deo.

Deus juxta Sacram Scripturam caret ſenſu atque imaginatione. Etenim intellectus Dei juxta Sacram Scripturam purus eſt (§. 214), eo ſcilicet ſenſu, quo eundem eſſe purum ſupra demonſtravimus (§. 178). Enimvero intellectus eo ſenſu purus a ſenſu atque imaginatione liber eſt (§. 314 *Pſychol. empir.*). Ergo intellectus Dei a ſenſu atque imaginatione juxta Sacram Scripturam liber eſt, conſequenter ſenſu atque imaginatione caret.

Videtur hæc propoſitio, etſi ex iis fluens, quæ de Deo ex Sacræ Scripturæ principiis demonſtrata ſunt, ipſi Scripturæ literæ contradicere, in qua Deus videre & audire dicitur. Et quamvis ſupra (§. 103) dixerimus, Deo in Sacra Scriptura tribui membra corporis humani, qualia ſunt organa viſus atque auditus, oculus & auris, ſignificatu quodam generali, qui attributo cuidam divino & uſui illius membri communis eſt; non tamen negandum prorſus videbatur, Deo juxta Sacram Scripturam ſenſum atque imaginationem convenire, præſertim cum Scriptura emphatica locutione urgere videatur, ne Deo ſenſus prorſus denegemus. Ita enim Pſaltes *Pſalm.* XCIV. 9, *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* ſeu, *Caſtalione* vertente, *non cernet?* Enimvero haud quaquam quæ hic demonſtrantur, verbis Sacræ Scripturæ contradicunt. Negatur enim Deo ſenſus atque imaginationem competere eo ſenſu, quo vocabulum utrumque accipitur, quando de hominibus & animalibus brutis uſurpatur, cum vi harum facultatum objecta ſenſibilia ita repræſententur, ut quædam nobis ſint tecta, quædam ſupina, adeoque non videantur, etſi viſibile ſit ſenſui præſens. Deeſt nimirum formalis ratio, quæ ſenſum & imaginationem ab intellectu diſtinguit, quando ſenſus atque imaginationis ad Deum applicanda notio. Ecquis ergo definitum prædicabit de ſubjecto, cui definitio competere nequit (§. 349 *Log.*)? Non tamen ideo negatur, Deo competere ſenſum atque imaginationem per eminentiam: id enim paulo poſt ex principiis quoque rationis demonſtraturi ſumus, ac hinc pendet ſignificatus ille generalis organorum ſenſuum aliorumque membrorum corporis, de quo ſupra diximus (§. 103).

§. 218.

Intellectus divini ſumma perfectio ſecundum Sacram Scripturam.

Juxta Sacram Scripturam intellectus divinus eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus. Deus de ſe ipſo prædicat, quod ſit ens ſimile ſui & quidem hoc probat etiam ab intellectu, quo præterita, præſentia & futura cognoſcit. Ita enim *Jeſ.* XLVI. 9. 10 Ego, inquit, ſum Deus, & non eſt ultra Deus, *nec eſt ſimilis mei*, *annuntians* ab exordio *noviſſima* & ab initio, *quæ necdum facta ſunt*. Quoniam igitur præter Deum non datur, nec dari poteſt ens eidem ſimile quoad intellectum, cum intellectus divinus ad omnia cognoſcibilia ſeſe extendat; patet juxta S. S. non majorem conceptu poſſibilem eſſe intellectum, quam qui Deo competit, & eundem non competere niſi Deo ſoli. Intellectus igitur divinus juxta Sacram Scripturam eſt omnium perfectiſſimus, ſive eundem abſolute conſideres, ſive reſpectu entium intelligentium aliorum, qui exiſtunt.

Demonſtratio ſummæ perfectionis intellectus divini, quam ex principiis rationis dedimus (§. 168), dictum Scripturæ illuſtrat, ut robur illationis evidentius fiat. Habemus adeo exemplum, quam utile ſit Scripturæ ac rationis in doctrina de Deo connubium: id quod etiam per cetera, quæ de conſenſu Scripturæ & rationis demonſtrantur, abunde eluceſcit.

§. 219.

Ideæ rerum Deo eſſentiales.

Ideæ rerum juxta Sacram Scripturam Deo eſſentiales ſunt. Deus enim *Jeſ.* XLVI. 9. 10 negat, præter ipſum eſſe adhuc Deum alium, propterea quod

ipſi

les juxta Sacram Scripturam.

ipſi ſimile non exiſtit: id quod inter alia inde probat, quod nullum detur ens, cui iſtiuſmodi intellectus competat, qualis eſt divinus. Diſerte enim: *Ego*, inquit, *ſum, Deus & non eſt ultra Deus*. En duas propoſitiones, alteram affirmativam, *Ego ſum Deus*, alteram negativam, *Nullum entium ceterorum, quæ exiſtunt, Deus eſt*. Probatur utraque propoſitio, dum addit: *Non eſt mei ſimile*. Cum enim ſpecies ſint ſimilitudo individuorum (§. 233 *Ontol.*), adeoque notio ſpeciei ea continet, quæ individuis ſeu entibus ſingularibus pluribus communia ſunt (§. 195 *Ontol.*); negat Deus dari notionem quandam communem, quæ ſimul ipſi & enti cuidam alteri præter ipſum conveniat, conſequenter definitionem Dei competere tantummodo ſibi, non vero adhuc alteri cuidam enti, quod exiſtit (§. 152. *Log.*). Nititur adeo ratiocinium Dei illa regula, quæ ſub dicto de omni & nullo comprehenditur: *cui competit definitio, eidem competit definitum, & cui definitio non competit, ei nec definitum competit* (§. 349 *Log.*). Probat ulterius, ſibi convenire definitionem Dei, non vero convenire præterea enti cuidam alteri, dum pergit: *Annuntians ab exordio noviſſimum, & ab initio, quæ necdum facta ſunt &c.* ſeu, ut *Caſtalio* vertit, *qui ſecutura præſignifico, & nondum facta ante denuntio*. Etenim ſibi convenire affirmat, quod negotii alicujus exitum, quam primum incipit, palam facere & quæ olim ventura ſunt prædicere poſſit, conſequenter intellectum, qui univerſam rerum ſeriem intime perſpicit; negat autem enti cuidam alteri ſimilem intellectum convenire. Hunc adeo intellectum in numerum notarum refert, quibus Deus ab entibus intelligentibus ceteris quibuſcunque diſtinguitur. Quoniam itaque definitiones ſpecierum enumerant eſſentialia, per quæ determinantur (§. 172 *Log.*), nec definitiones aliæ, in quibus in locum eſſentialium ſurrogantur ab eſſentialibus diverſa, quæ rebus inſunt, admittuntur, niſi eſſentialibus ignoratis (§. 180 & ſeqq. *Log.*), id quod de Deo dici repugnat; iſtiuſmodi intellectus, quo tota rerum ſeries diſtincte percipitur, inter determinationes Dei eſſentiales referri utique debet. Enimvero cum intellectus Dei ſit purus actus (§. 163); abſque ideis rerum, quæ in ipſo ſunt, eſſe nequit, imo ne concipi quidem poteſt. Quamobrem cum intellectu divino Deo eſſentiales ſunt.

Obiter obſervamus, ex demonſtratione propoſitionis præſentis patere, quod ad vim ratiociniorum in Scriptura Sacra latentium percipiendum proſint principia Logicæ, quæ adeo inviolabilia ſunt, ut Deus ipſemet ea ſancte obſervet. Elucet quoque ex propoſitione præſente principiorum ontologicorum neceſſitas, ut per conſequentiam ex verbis Sacræ Scripturæ eruantur, quæ in iiſdem veluti abſcondita latent, atque decidantur Scripturæ menti conformiter quæſtiones, quas ex ea decidi poſſe primo intuitu vix ac ne vix quidem apparet. Ceterum neceſſe erat idearum neceſſitatem Sacræ Scripturæ conformem demonſtrari, propterea quod hodie multi *Carteſianos* ſecuti ideas arbitrarias cum defendant, illam, utut a Theologis conſtanter admiſſam, quamdiu philoſophandi libertas in Scholis erat reſtrictior, religioni adverſam pronuntiare non verentur, nos vero ad eam defendendam utemur, ubi difficultates idearum arbitrariarum patronis inſuperabiles videntur.

§. 220.

Digitized by Google

alterius. Quodſi vi propria exiſtit, erit ens a ſe (§. 27), adeoque neceſſario exiſtit (§. 32), conſequenter non tantummodo exiſtere poteſt: quod eſt contra hypotheſin.

Quodſi id, quod præter Deum exiſtere poteſt, vi alterius entis exiſtit; rationem exiſtentiæ ſuæ ſufficientem tanquam ens ab alio (§. 27) in ente a ſe habet (§. 63), conſequenter in Deo (§. 67). Poſſibile igitur eſt idem exiſtere poſſe, quia Deus ipſum ad actum perducere poteſt, adeoque per potentiam Dei (§. 222).

Com nondum probaverimos Deo competere potentiam, multo minus omnipotentiam ejuſdem evicerimus; necdum oſtendi poteſt, quænam poſſibilium per potentiam ipſius ad actum deduci poſſint, & num quædam eorum ſint, quæ ad actum per eundem deduci queunt. Sufficit igitur hic tantummodo eviciſſe, quod nonniſi per potentiam Dei exiſtere poſſit, ſi quid præter Deum exiſtere poteſt. Quoniam enim methodum adhibemus mixtam, ut, quantum datur, ad idem argumentum ſpectantia in eodem loco tractentur, tantundem probatum eſſe ſufficit, quantum hic requiritur ut ſcientiam ſimplicis intelligentiæ Deo vindicemus. Etſi enim ex parte hic loci tantummodo hypothetice evincatur; probata tamen hypotheſi ſuo loco, plena quoque omni certitudine conſtabit.

§. 224.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam poſſibile exiſtibile eſt, ſi cauſa exiſtit, per cujus vires ad actum deduci poteſt (§. 221); *poſſibile nullum exiſtibile eſt niſi per potentiam Dei.*

Non eſt quod excipias, poſſibilia ad actum perduci per cauſas naturales, adeoque exiſtere præter Deum, quæ non exiſtunt per potentiam Dei: etenim nobis ſermo eſt de prima cauſa, unde pendet actualitas rerum omnium, non de cauſis ſecondis, quas in operando a prima pendere inferius oſtendemus. Ceterum hinc patet ratio, cur quidam poſſibilitatem, conſequenter ideas rerum a potentia Dei derivent. Confundunt nimirum poſſibilitatem extrinſecam cum intrinſeca, poſſibile concipientes tanquam illud, cui producendo ſeu ad actum perducendo cauſæ cujuſdam vires ſufficiunt. Aliud vero eſt, ſi quæratur, num quid ſit abſolute poſſibile; aliud ſi quæratur, num ad actum perduci poſſit, ſeu num poſſibile ſit ut exiſtat. Antequam enim quæri poſſit, num dari poſſit cauſa, cujus viribus ad actum deduci poſſit A, conſtare utique debet, num ſit poſſibile, hoc eſt, quod non repugnet iſtiuſmodi quid eſſe. Potentiæ nimirum objectum eſt poſſibile intrinſece tale, cui ad actum perducendo iſta ſufficit, adeoque per ſufficientiam potentiæ intrinſece poſſibile ſit exiſtibile. Atque hoc pacto clarius intelligitur, cur nondum hic conſtare poſſit, quænam intrinſece poſſibilium, quorum ſcilicet ideæ ſunt in intellectu divino, ſint exiſtibilia ſeu extrinſece poſſibilia, antequam demonſtretur, quouſque ſeſe extendat potentia Dei, ut ſufficientia ejus in aprico ponatur.

§. 225.

Quomodo poſſibile & exiſtibile a Deo cognoſcatur.

Deus cognoſcit res ut poſſibiles, quatenus ſibi conſcius eſt idearum in intellectu ſuo exiſtentium; eaſdem vero cognoſcit ut exiſtibiles, quatenus ſibi conſcius eſt potentiæ ſuæ. Deus enim & ſui ipſius & eorum conſcius ſibi eſt, quæ in ipſo inſunt, (§. 187), conſequenter non minus idearum, quæ neceſſario in intellectu ejus exiſtunt (§. 188), quam potentiæ ſuæ, qualem ipſi competere inferius independenter ab his oſtendemus, hoc eſt, qualem in ipſo dari probari poteſt. Enimvero ideo quid poſſibile eſt, quod ejus idea detur in intellectu divino (§. 192), eo ſcilicet ſenſu, quo nos poſſibile definimus & quo intrinſece tale intelligitur (§. 85 *Ontol.*). Deus igitur cognoſcit, quod quid ſit intrinſece poſſibile, quatenus ſibi conſcius eſt idearum, quæ in intellectu ejus inſunt. *Quod erat unum.*

Digitized by Google

Porro poſſibile nullum exiſtibile niſi per potentiam Dei (§. 224.). Quamobrem quidnam ſit exiſtibile cognoſcit, quatenus ſibi conſcius eſt potentiæ ſuæ. *Quod erat alterum.*

E. g. idea mundi hujus adſpectabilis in Deo fuit ab æterno, utpote intellectui ejus æterno (§. 74) eſſentialis (§. 188). Quatenus igitur Deus intellectum ſuum cognoſcit, adeoque ſibi conſcius eſt hujus ideæ, ab omni æternitate novit, mundum hunc eſſe poſſibilem (§. 192). Enimvero Deus ab æterno non minus ſibi conſcius eſt potentiæ ſuæ, quam mundo huic producendo ſufficere intellexit. Atque adeo mundum hunc exiſtibilem cognovit (§. 221), quatenus ſibi conſcius potentiæ ſuæ. Abunde vero patet, poſitis ideis in intellectu Dei poſitaque potentia Dei nondum intelligi, cur hic mundus adſpectabilis actu exiturus ſit aliquando, & cur nunc actu exiſtat, conſequenter quod & in Deo repræſentetur tanquam aliquando certo exiturus ſeu futurus & tanquam actu exiſtens, alias adhuc requiri rationes, in quas adeo nobis deinceps inquirendum, ne in re tanti momenti, qualis eſt cognitio Dei, nimis præcipitato gradu progrediamur.

§. 226.

Scientia ſimplicis intelligentiæ Deo aſſerta.

Datur in Deo ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Deus enim cognoſcit res ut poſſibiles & exiſtibiles (§. 225), ſeu ut a ſe producibiles (§. 223). Quamobrem cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſit, qua quid cognoſcitur ut poſſibile atque exiſtibile (§. 221), aut, ſi mavis, ut poſſibile non minus extrinſece, quam intrinſece tale; in Deo dari ſcientiam ſimplicis intelligentiæ palam eſt.

Apparet adeo Scholaſticos fuiſſe ſatis acutos in iis diſtinguendis, quæ ad omniſcientiam Dei ſpectant, dum ſcientiam ſimplicis intelligentiæ peculiarem ſcientiæ divinæ ſpeciem aut quaſi partem omniſcientiæ fecere, utut in evolvenda notione ſuum paſſi fuerint deſiderari acumen, ſuam diligentiam: id quod ævo, quo vixerunt, condonandum, noſtro vero ſupplendum. Ut vero hoc magis conſpicuum evadat, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 227.

Quousque extendatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ nondum intelligitur, quod aliquid ſit futurum, multo minus quod quid actu ſit, vel extiterit vel extiturum ſit; ſed tantummodo quod, ut aliquando exiſtat, fieri poſſit. Per ſcientiam enim ſimplicis intelligentiæ tantummodo intelligitur aliquid eſſe poſſibile ac exiſtere poſſe (§. 221). Enimvero quod poſſibile eſt, id ideo non exiſtit (§. 171 *Ontol.*), nec quia poſſibile eſt, ut exiſtat per potentiam Dei (§. 223), ideo certum eſt, quod extiturum ſit, cum neceſſe ſit, Deum velle potentia ſua poſſibile ad actum perducere. Quamobrem per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ nondum intelligitur, quod aliquid ſit futurum. Cumque ad hoc ut actu exiſtat requiratur exercitium potentiæ divinæ, ſeu ut Deus potentia ſua, qua uti poteſt, actu utatur; multo minus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ intelligitur, quod aliquid actu exiſtat, vel jam extiterit. *Quod erat unum.*

Quoniam quod præter Deum exiſtere poteſt, per potentiam Dei exiſtere debet (§. 223); ut actu exiſtat, tantummodo requiritur, ut Deus idem ad actum perducere velit. Sed per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ intelligitur, num quid exiſtere poſſit (§. 221), conſequenter quod extiturum

turum ſit, ſiquidem Deus velit. Per ſcientiam itaque ſimplicis intelligentiæ tantummodo intelligitur, ut aliquando exiſtat fieri poſſe. *Quod erat alterum.*

Nimirum quamdiu terminis poſſibilitatis objectum cognitionis coercetur, terminos ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ minime egreditur. Quicquid vero extra terminos iſtos conſtituitur, ad eam referri nequit. Ceterum in noſtra quoque cognitione ſcientia ſimplicis intelligentiæ locum habet & eam reliqua minime confundenda, quemadmodum patet, ubi animum ad eam advertimus.

§. 228.

Præſens, Præteritum & Futurū quid dicatur.

Præſens dicitur, quicquid actu eſt ſive exiſtit; ***Præteritum***, quod aliquando extitit, nunc vero amplius non exiſtit; ***Futurum*** denique, quod aliquando extiturum eſt.

Termini hic explicantur, prouti accipiuntur in doctrina de cognitione Dei.

§. 229.

Quomodo res ſpectētur in ſcietia ſimplicis intelligentiæ.

Quoniam per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ nondum intelligitur, quod aliquid ſit extiturum, multo minus quod quid actu ſit, vel extiterit (§. 227); ***in ſcientia ſimplicis intelligentiæ res neque ut præſentes, neque ut præteritæ, neque ut futuræ ſpectantur.***

Unde ſimplicis intelligentiæ ſcientia comprehenduntur mundi omnes poſſibiles, quorum ideas in intellectu divino exiſtere ſupra evicimus (§. 141).

§. 230.

Scientia viſionis quid ſit.

Scientia viſionis eſt, qua Deus ab æterno cognoſcit, quæ in tempore futura ſunt, & ubi præter ipſum res aliæ exiſtunt, & quæ præſentia ſunt, & quæ futura, & quæ præterita.

Deo competere quoque ſcientiam viſionis, in qua quædam poſſibilia ab omni æternitate ſpectata fuere tanquam futura, & nunc, poſtquam hæc rerum ſeries exiſtit, quædam tanquam præſentia, quædam tanquam præterita, quædam tanquam adhuc futura, per ea, quæ hactenus demonſtrata ſunt, oſtendi nequit. Quamobrem bona methodus poſtulat, ut ſingula ſuo demonſtrentur loco (§. 124 *Diſc. prælim.*).

§. 231.

Præſcientiæ definitio.

Præſcientia in ſpecie dicitur cognitio futurorum, ſeu ſcientia viſionis, qua Deus novit, quæ futura ſunt, ab æterno. Hinc ***Præſcibile*** dicitur, quod præſciri poteſt, ſeu cujus præſcientia poſſibilis, aut, ſi mavis, tale eſt, ut præſciri poſſe non repugnet.

Poſſibilitatem præſcientiæ hic evincemus; quod vero in Deo actu detur, inferius demum oſtendemus.

§. 232.

Effectus rerum materialium cur ſint præſcibiles.

Effectus rerum materialium ſunt in ſe & Deo præſcibiles. Cum effectus rerum materialium exiſtentia ſeu actualitas rationem ſufficientem agnoſcat actiones rerum aliarum materialium exiſtentium (§. 886 *Ontol.*), in mundo autem res ſucceſſivæ, quarum una poſt alteram exiſtit (§. 569 *Ontol.*), inter ſe connexæ ſint (§. 48 *Coſmol.*), quemadmodum idem in mundo hoc adſpectabili, qui exiſtit (§. 49 *Coſmol.*), obtinet (§. 54 *Coſmol.*), adeoque ſequentes ſucceſſionis ſuæ rationem ſufficientem in antecedentibus habeant (§. 10 *Coſmol.*); ſi omnis nexus rerum materialium perſpicitur,

Digitized by Google

tur, earum quoque effectus innoteſcunt (*§. 118 Ontol.*), adeoque conſtat hiſce poſitis rebus materialibus hos quoque continuo poni earum effectus, conſequenter ſi illæ exiſtunt, hos quoque exiſtere debere. In ſe igitur tales ſunt, ut eos aliquando exituros cognoſci poſſit, antequam exiſtant, adeoque præſcibiles ſunt (§. 231). *Quod erat unum.*

Jam vero Deus cognoſcit omnia poſſibilia tanquam in ſyſtemata relata (§. 155), eaque diſtincte (§. 156), conſequenter eorundem quoad ſucceſſionem nexum inter ſe diſtincte perſpicit (*§.* 142). Quamobrem cum effectus rerum materialium in ſe præſcibiles ſint, quatenus earum nexus quoad ſucceſſionem perſpicitur *per demonſtrata*; effectus hi Deo præſcibiles ſunt. *Quod erat alterum.*

Nullus concipi poteſt mundus poſſibilis, in quo, quæ contingunt, ita comparata non ſint, ut præſciri ea minime repugnet. Ex demonſtratione enim propoſitionis præſentis liquet, præſcibilitatem pendere a nexu ſucceſſivorum, quo ſine nullus concipi poteſt mundus, ſive notionem ex principiis ontologicis de ente derives (*§.* 142 & ſeqq. *Ontol.*), ſive ad analogiam mundi hujus adſpectabilis formes (*§.* 55 *Coſmol.*), quemadmodum ex ſpecie data una derivatur notio ſpeciei alterius (*§.* 714 *Log.*). Quamobrem cum in intellectu divino exiſtant ideæ prorſus diſtinctæ omnium poſſibilium (*§.* 155. 156) & Deus earundem ſibi conſcius ſit quoad ſingula, quæ in iiſdem continentur (*§. 187*); nullus concipi poteſt in aliquo mundo effectus, qui non foret Deo præſcibilis, ſiquidem mundus iſte exiturus ponatur. Illa igitur præſcibilitas per omnes mundos poſſibiles ſeſe diffundit, etſi præſcientia ipſa hunc tantummodo mundum adſpectabilem attingit, quemadmodum inferius conſtabit. Ceterum non aliud fundamentum eſt præſcientiæ eclipſium, quæ convenit Aſtronomo, quam quod eclipſes propter nexum in motu ſiderum obvium ſint in ſe præſcibiles, & quatenus hunc Aſtronomus introſpicere valet, eidem quoque præſcibiles fiant; id quod Aſtronomiæ peritis ſatis ſuperque exploratum eſt. Imo ſi Phyſica ſatis foret exculta, alii quoque rerum materialium eventus deprehenderentur præſcibiles, & qui haberet animum eadem ſatis imbutum, ei quoque præſcibiles evaderent. Tolle vero rerum nexum & admitte caſus puros, quos ex mundo exulare debere oſtendimus (*§.* 95 *Coſmol.*), everſum deprehendes totum præſcibilitatis fundamentum, nec deinde abſque præſcibilitate concipi poterit præſcientia. Neque enim ſufficit acumen intellectus divini in infinitum extendi: ubi non eſt quod videri poteſt, ibi nec infinitum juvat acumen.

§. 233.

Libera animæ decreta cur ſint præſcibilia.

Libera animæ decreta ſunt in ſe & Deo præſcibilia. Sine motivis nulla datur in anima volitio, nulla nolitio (§. 889 *Pſychol. empir.*) & iis convenienter anima ſeſe determinat (*§.* 932 *Pſychol. empir.*), utut in volendo ac nolendo libera (§. 942 *Pſychol. empir.*). Conſiſtunt autem motiva in repræſentatione boni & mali (§. 890 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ut anima ſibi hoc repræſentet tanquam bonum, vel tanquam malum, cum judicio diſcurſivo opus ſit (*§.* 51 *Log.*), requiritur & perceptio objecti appetibilis vel averſabilis præſens, & notio boni vel mali, quæ ad objectum iſtud applicatur (§. 356 *Pſychol. empir.*). Quoniam perceptiones rerum præſentium (*§.* 85 *Pſychol. empir.*) ac præteritarum ſuas ſequuntur leges (§. 117 *Pſychol. empir.*), per quas intelligitur, cur inſint animæ (*§.* 84 *Pſychol. empir* & §. 866 *Ontol.*); eas in ſe tales eſſe ut præſcibiles ſint patet (*§.*231). Notiones univerſales ex iſtis perceptionibus naſcuntur conſtante lege (*§.* 326. 327 *Pſychol. empir.*), & applicantur non minus conſtante lege ad judicia

dicia diſcurſiva ſive univerſalia, ſive ſingularia eruenda (§. 374 *Pſychol. empir*), nec quicquam datur in anima quoad operationes intellectus, quod non rationem ſui ſufficientem in vi repræſentativa univerſi, animæ eſſentia atque natura (§. 66. 67 *Pſychol. ration.*), habeat (§. 413 *Pſychol. empir.*), conſequenter per eam intelligi poſſit, cur in anima contingat (§. 56 *Ontol.*). Notiones igitur boni & mali earumque ad perceptiones præſentes objectorum appetibilium & averſabilium applicatio in ſe tales ſunt, ut eas præſciri minime repugnet (§. 231). Quare cum præſcibilia in ſe ſint, quæ ad motiva determinanda requiruntur, *per demonſtrata*; ipſa quoque motiva præſcibilia, conſequenter ipſæ volitiones ac nolitiones, utpote iis convenienter factæ *per demonſtrata*, præſcibiles ſunt.

Jam cum Deus animas quoque diſtincte cognoſcat (§. 156); ipſi & eſſentia atque natura earundem atque leges, quas in modificationibus ſuis ſequuntur, omnes perſpectæ eſſe debent. Unde cum Deus cognoſcat ea, per quæ volitiones & nolitiones in anima determinantur, *per demonſtrata num.* 1, ſeu earundem rationem ſufficientem (§. 116 *Ontol.*; ipſæ etiam volitiones ac nolitiones, ſeu libera animæ decreta ipſi præſcibilia eſſe debent (§. 118 *Ontol.* & §. 231 *Theol. nat.*).

Patet ex demonſtratione præſcibilitatem decretorum liberorum in animabus locum habere in omni mundo poſſibili, quemadmodum paulo ante idem annotavimus (*not.* §. 232) de eventibus in mundo materiali, quatenus a cauſis materialibus pendent. Qui Pſychologiam tam empiricam, quam rationalem probe perſpectam habent, præſcibilitatem decretorum liberorum animæ non difficulter admittent. Quodſi vero cum Socinianis & aliis, qui cum ipſis hac in parte ſentiunt, fingas libertatem animæ conſiſtere in facultate ſeſe ſine motivis, imo contra motiva determinandi, prout ſcilicet ea admittere lubet, vel non lubet, quam dudum profligavimus (§. 944 *Pſychol. empir.*); hoc ipſo corruet totum præſcibilitatis fundamentum, nec poterit deinceps admitti præſcientia divina. Neque enim ſufficit provocare ad acumen Numinis infinitum, quæ enim in ſe talia ſunt, ut videri nequeant, nec infinito acumini videndi patent, quemadmodum idem jam ante monuimus (*not.* §. 232). Et ſane Sociniani cum fundamentum præſcibilitatis tollunt, ipſam quoque præſcientiam ſublata præſcibilitate non admittunt, ne contradictorii ingenii arguantur.

§. 234.

Cur ſingula in ſerie modificationū præſcibilia.

Quæcunque in ſerie integra perceptionum ac appetitionum atque averſationum uniuſcujuſque animæ continentur, in ſe & Deo præſcibilia ſunt. Quæ enim per facultates animæ poſſibilia ſunt, in eadem actuantur juxta certas leges (§. 76 *Pſychol. rat.*), & ex hiſce legibus reddi poteſt ratio ſpecialis actualitatis perceptionum ac appetituum (§. 77 *Pſychol. rat.*), conſequenter intelligi poteſt, cur hæ jam animæ potius inſint perceptiones ac appetitiones atque averſationes, quam aliæ (§. 56 *Ontol.*). Et ſtatus futurus animæ naſcitur ex præſente mediante præterito, ſive quid imaginemur (§. 422 *Pſychol. empir.*), ſive ratiocinemur vel categorice ac hypothetice (§. 404 *Pſychol. empir.*), vel disjunctive (§. 407 *Pſychol. empir.*), vel per conſequentiam immediatam (§. 421 *Pſychol. empir.*). Tales igitur ſunt, ut eas præſciri minime repugnet, conſequenter in ſe præſcibiles ſunt omnes animæ mutationes. Cumque nec libera animæ decreta, ſeu

volitio-

Digitized by Google

volitiones ac nolitiones animæ, adeoque appetitiones multo minus ac averſationes aliæ inde eximantur (§. 233), conſequenter nec circa ſenſationes, quatenus in eas libertas animæ influit (§. 527 *Pſychol.rat.*), aut quaſcunque mutationes alias, quæ a liberis animæ decretis quomodocunque pendent, difficultatis quicquam ſupereſſe poſſit; in tota perceptionum ac appetitionum atque averſationum ſerie, quæ in unaquaque anima datur (§. 524. *Pſychol. rat.*), nihil continetur, quod in ſe præſcibile non ſit (§. 231). *Quod erat unum.*

Jam cum Deus omnia cognoſcat diſtincte, quæ præter ipſum cognitu poſſibilia ſunt, nihil confuſe (§. 156); ea quoque cognoſcere debet, unde præſcibiliras eorum, quæ in ſerie perceptionum, appetitionum ac averſarionum uniuſcujuſque animæ continentur, pendet. Sunt igitur & ſingula, quæ in hac ſerie continentur, ipſi præſcibilia (§. 231). *Quod erat alterum.*

Quemadmodum in mondo materiali eſt ſeries ſucceſſivorum inter ſe connexorum, ita ut in eodem continuæ ſint mutationes ſtatuum, tam in ſingulis individuis, quam in toto univerſo, ſeu eorundem complexu, & hæ ea lege fiant, ut ſtatus futurus naſcatur ex præſente mediantibus omnibus præteritis (§. 52. 54. 58. 89 *Coſmol.*); ita quoque in anima datur ſeries ſucceſſivorom, nempe perceptionum & appetitionum ac averſationum continuo variantium (§. 524 *Pſychol. rat.*), inter ſe, non obſtante libertate animæ (§. 944 *Pſychol. empir.*), cuius quippe libera decreta pendent a lege appetitus & averſationis (§. 889. 890. 904. 907 *Pſychol.empir.*), connexorum, ita ut ſtatus futurus naſcatur ex præſente mediantibus præteritis, quemadmodum ex demonſtratione liquet. In mundo igitur, perinde ac in anima dator ſeries mutationom continuarum, ita ut cur ſequentes inſint intelligatur per antecedentes, & ſequentes adeo per antecedentes ſint præſcibiles. Atque adeo præſcibilitatis idem fundamentom eſt in mundo materiali atque in anima. Sola tamen præſcibilitas nondum ratio ſoſficiens eſt actualis præſcientiæ in Deo, quemadmodum nuda poſſibilitas nondum ratio ſufficiens eſt, cur mondus hic adſpectabilis & animæ noſtræ exiſtant. Cave igitur ne demonſtrata præſcibilitate tum ex parte objecti, tum ex parte Dei, exiſtimes, præſcientiam Dei jam eſſe ſufficientet probatam, utut id probatum ſit, quod in hoc argumento difficillimum.

§. 235.

Cur cogitationes ſint præſcibiles

Quoniam cogitationes ſunt ea omnia, quæ nobis conſciis in anima fiunt (§. 23 *Pſchol. empir.*), conſequenter non minus appetitiones & averſationes, quam perceptiones, quarum nobis ſumus conſcii, quæcunque vero in integra ſerie perceptionum ac appetitionum & averſationum continentur, in ſe & Deo præſcibilia ſunt (§. 234); patet omnino *cogitationes noſtras eſſe in ſe atque Deo præſcibiles.*

In anima noſtra plura inſunt quam cogitationes, dantur enim in eadem & perceptiones, & appetitiones ac averſationes, quarum ſibi conſcia non eſt, quemadmodum ex iis, quæ per omnem Pſychologiam rationalem oſtendimus, abunde intelligitur, fit ita quod *Carteſianis* contrarium videatur non ſine manifeſto damno, cum ideo rationem eorum, quæ in anima contingunt, reddere nequeunt. Præſcibilitas adeo cogitationum non omnem in anima præſcibilium numerum exhaurit.

§. 236.

Præſcibilitas eorum,

In omni elemento rerum materialium ſtatus quilibet eſt & in ſe, & Deo præſcibilis: & per ſtatum quemlibet unius elementi ſtatus futurus ceterorum omnium

omnium atque totius mundi per tempus omne ſubſecuturum & in ſe , & Deo præſcibilis . Etenim in omni elemento ex ſtatu præſente colligi poteſt , qualis ſit futurus (§. 200 *Coſmol.*) . Status igitur cujuslibet elementi futurus in ſe præſcibilis eſt (§. 231). *Quod erat primum*.

quæ elementis inſunt, & ſtatuum mundi per ea.

Jam idea mundi, quæ eſt in intellectu divino, refert elementa rerum materialium ſingula, cum omni mutationum ſerie, quæ in unoquoque eſt (§. 200). Quamobrem cum Deus ſibi conſcius ſit omnium eorum, quæ in idea iſta continentur (§. 187), ita ut omnia eidem ſint aperta , tectum nihil (§. 180), ſtatus vero cujuslibet elementi in ſe præſcibilis ſit *per demonſtrata num.* 1 ; idem quoque Deo præſcibilis eſſe debet. *Quod erat ſecundum*.

Porro ex ſtatu quolibet elementi cujuſcunque intelligi poteſt , qualis ſit futurus ceterorum omnium elementorum totiuſque mundi per omne ævum futurum (§. 214 *Coſmol.*) ; ſtatus igitur futurus elementorum omnium totiuſque mundi per omne ævum ſubſecuturum in ſe præſcibilis eſt per ſtatum quemlibet elementi cujuſcunque . *Quod erat tertium*.

Jam idea mundi in Deo repræſentat elementa ſingula rerum materialium cum omni mutationum ſerie, quæ in ipſis eſt, ita coordinata, quomodo mutationes unius pendent a mutationibus ceterorum (§. 200). Unde porro ut paulo ante *num.* 2 infertur, per ſtatum unius elementi præſentem Deo eſſe præſcibilem ſtatum futurum omnium ceterorum elementorum per omne ævum ſubſecuturum totiuſque hujus mundi adſpectabilis. *Quod erat quartum*.

Qui doctrinam de elementis rerum materialium, qualem in Coſmologia tradimus, vel non capiunt, vel non probant ; ii propoſitionem præſentem ab antecedentibus minime pendentem prætermittere poſſunt ſalva veritatum concatenatione. Noſtrum tamen fuit hæc addere non modo in gratiam eorum, quibus elementa iſta non ſunt inviſa , ne quid prætermittatur , quod ab iis jure requiri poterat ; ſed & in gratiam ceterorum, ut videant principiorum noſtrorum, etſi ipſis minime probatorum , cum Theologia naturali conſenſum, ſicque liberentur a ſuſpicione neſcio cujus periculi inde Theologiæ naturali imminentis. In hypotheſi elementorum , quam in Coſmologia ſtabilivimus, præſcibilitas futurorum in mundo adſpectabili non eſt niſi præſcibilitas ſtatuum in ſingulis elementis quoad Deum, quod ut clarius appareat , ſequentem adhuc addimus propoſitionem.

§. 237.

Præſcibilitas dependentiæ ſtatuum futurorum in omnibus elementis.

Omnes ſtatus ſingulorum elementorum eorundemque a ſe invicem dependentia in omnibus , & in ſe , & Deo præſcibiles ſunt . Quicquid enim in mundo materiali contingit , & in ſe , & Deo præſcibile eſt (§. 232) . Jam corpora , ex quibus tanquam partibus componitur mundus (§. 119 *Coſmol.*), ſunt ſubſtantiarum ſimplicium aggregata (§. 176 *Coſmol.*), nec quicquam in iis datur ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*), & hinc dum ſentimus , ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas, ſed in unum confuſas , nobis repræſentamus (98 *Pſychol. rat.*). Quamobrem neceſſe eſt, ut etiam mutationes ſimplicium iſtarum ſubſtantiarum , quæ

ſunt

ſunt rerum materialium elementa (§. 182 *Coſmol.*), in ſe præſcibiles ſint. *Quod erat unum*.

Quoniam itaque Deus, dum mundum ſibi repræſentat, elementa rerum materialium ſingula ſibi repræſentat una cum omni mutationum ſerie, quæ in unoquoque eſt, eaque ita coordinata, quomodo mutationes omnes a ceterorum mutationibus pendent (§. 200), Deus vero ſibi conſcius eſt eorum omnium, quæ ſibi repræſentat (§. 187), & quæ repræſentantur mutationes præſcibiles in ſe ſunt *per demonſtrata*, ac ideo a Deo ſibi repræſentari ab æterno potuere; nemo non videt, omnes mutationes, conſequenter ſtatus elementorum ſingulorum (§. 706 *Ontol.*), eorundemque a ſe invicem dependentia ab omnibus Deo præſcibiles eſſe. *Quod erat alterum*.

Quod ſtatus elementorum ſingulorum eorundemque dependentia ab omnibus ſint præſcibiles in ſe, ex ipſa quoque elementorum natura demonſtrari poteſt. Etenim elementorum ſtatus internus continuo mutatur ea lege, ut præſens rationem contineat ſequentis (§. 197 *Coſmol.*), & ex quolibet ſtatu, qui tanquam præſens ſumitur, intelligitur, qualis ſit futurus (§. 851. 56 *Ontol.*). Quamobrem qui elementorum iſtorum naturam atque eſſentiam, & hinc nexum iſtum perſpicit, is novit, quales ſtatus ſucceſſive actu eſſe poſſint in ſingulis elementis, antequam exiſtunt, adeoque in ſe præſcibiles ſunt (§. 231).

Si quis differentiam inter mundum intelligibilem & ſenſibilem ſupra (*not.* §. 204) expoſitam perpenderit; is facilius comprehendet, verum præſcibilitatis fundamentum in elementis rerum materialium eſſe quærendum & per horum naturam omnia in hoc univerſo eſſe præſcibila: imo agnoſcet, præſcibilitatem hoc pacto demum explicari, qualis in Deo habet locum, cum ad mundum ſenſibilem animum advertens in concipienda præſcibilitate tacite quid admittat, quod nonniſi humano more de Deo dici poteſt.

§. 238.

Recordatio de Deo quo ſenſu dicatur.

Recordatio de Deo dicta denotat cognitionem præteritorum, ſeu ſcientiam viſionis, qua Deus novit, quæ præterita ſunt. Hinc *recordabile* vocatur, cujus recordatio poſſibilis, ſeu quod tale eſt, ut tanquam præteritum agnoſci poſſit.

Poſſibilitatem recordationis hic evincemus: id quod eodem modo fieri poteſt, quo præſcibilitatem evicimus. Quod vero in Deo actu detur, ſuo demum loco oſtendemus.

§. 239.

Quæ in mundo materiali contingunt, cur ſint recordabilia.

Quæcunque in mundo materiali contingunt, & in ſe, & Deo recordabilia ſunt. Quæcunque in mundo materiali contingunt, cum unum eorum non exiſtat alio exiſtente, ipſo autem exiſtere deſinente exiſtere denuo incipiat aliud, in ſucceſſivorum numero ſunt (§. 569 *Ontol.*). Enimvero in mundo quocunque, quemadmodum in hoc adſpectabili (§. 54 *Coſmol.*), ſucceſſiva inter ſe continuo connectuntur (§. 48 *Coſmol.*), adeoque quodcunque ponitur, rationem habere debet in antecedente, & hujus ratio denuo quærenda eſt in eo, quod ipſum antecedit ac ita porro

(§. 10

(§.10 *Coſmol.*). Qui adeo nexum integrum rerum perſpicit, is utique intelligit (§.56 *Ontol.*), id quod in rerum ſerie ponitur non poſſe poni niſi antea poſitis ſucceſſive omnibus, quæ extitere, antequam ipſum exiſteret (§. 118 *Ontol.*), hoc eſt, poſitis omnibus præteritis (§. 228). Quæcunque igitur in mundo materiali contingunt, in ſe recordabilia ſunt (§. 238). *Quod erat primum.*

Jam vero Deus cognoſcit omnia poſſibilia tanquam in ſyſtemata relata (§. 155) eaque diſtincte (§. 156). Quamobrem cum in iſtiuſmodi ſyſtemate ſucceſſiva ſint inter ſe connexa (§. 48 *Coſmol.*); Deus quoque nexum iſtum perſpicit (§. 38 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum ei, quæ in mundo materiali contingunt, recordabilia ſint, qui omnem ſucceſſivorum nexum perſpicit *per demonſtrata*; eadem quoque Deo recordabilia eſſe debent. *Quod erat ſecundum.*

Nimirum non repugnat ex parte objecti, neque ex parte Dei tanquam ſubjecti, ut, ſi quidem in ſerie quacunque ſucceſſivorum quædam ſumuntur tanquam præſentia, alia in eadem ſerie ſpectentur tanquam præterita. Equidem ſcientia præteritorum vulgo nihil difficultatis habere creditur & haud ægre admittitur, propterea quod homines quoque recordentur præteritorum, quæ viventibus ipſis contigere. Enimvero ſi eam ex parte Dei conſideres, eodem cum præſcientia nititur fundamento, nec facilius concipitur, quomodo fieri poſſit ut Deus recordetur præteriti, quam ut præſciat futura. Atque ea ratio eſt, cur quoque oſtendamus, quod eadem in ſerie rerum ſucceſſivarum, quæ datur in mundo materiali, tum etiam ea, quæ datur in animabus & ſingulis rerum materialium elementis, ſint recordabilia, quæ præſcibilia. Et demonſtrationum collatio pateſacit recordabilitatis ac præſcibilitatis fundamentum eſſe unum idemque. Recordatio in Deo eo modo concipi nequit, quo datur in nobis beneficio memoriæ a ſenſibus & imaginatione pendentis: neque enim Deo ſenſus & imaginatio competunt (§. 157). Ipſe ideam totius univerſi, quam unico actu producit (§. 205), ſimul intuetur (§. 160), atque ab omni æternitate (§. 88.74). Quamobrem quæritur, quomodo mundo, qui ideæ iſti reſpondet, jam exiſtente, fieri poſſit, ut Deus in eodem diſtinguat præſens a præterito atque futoro. In hanc rationem inquiremus deinceps: hic vero tantummodo oſtendimus, in omni rerum ſerie ſucceſſiva ita a ſe invicem dependere, ut per eam præſens a præterito & futuro diſtingui poſſit, ſcilicet ut omnem ſeriem intime perſpiciens affirmare poſſit reſpectu ipſius B conſiderari in hac ſerie A tanquam præteritum, C tanquam futurum. Hæc ſi attente conſideres, clarum erit probata recordabilitate & præſcibilitate ſucceſſivorum in qualibet ſerie, tum ex parte objecti, tum ex parte ſubjecti, ſeu Dei cognoſcentis, nondum probatam eſſe ipſam præſcientiam ac recordationem a priori, quemadmodum a philoſopho fieri debet. Ceterum quæ ſupra annotavimus, cum de præſcibilitate effectuum in mundo materiali ageremus (§. 232), hic quoque repetenda.

§. 240.

Per libera animæ decreta ſtatus anteriores ejus in ſe & Deo recordabiles ſunt. *Libera animæ decreta cur ſint recordabilia.*
Ex iis, quæ ſupra (§. 233) demonſtravimus, cum de præſcibilitate eorundem decretorum ageremus, patet, ſingula in ſtatibus animæ rationem ſufficientem habere, cur inſint, adeoque non poni niſi ſtatibus iſtis poſitis (§. 118 *Ontol.*). Quamobrem qui intelligit, quale decretum nunc ponatur, & eorum, quæ ſunt, rationes ſufficientes perſpectas habet; is ex decreto libero perſpicit, quales ante fuerint ſtatus animæ, cum decerneret, conſequenter quales fuerint ſtatus præteriti (§. 228). Per libera

igitur animæ decreta ſtatus ejus anteriores recordabiles ſunt (§. 238). *Quod erat unum.*

Similiter ex iis, quæ ſupra (§. 233) demonſtravimus, cum de præſcibilitate liberorum decretorum animæ ageremus, patet, Deum perſpicere liberorum iſtorum decretorum rationem ſufficientem. Quare Deo recordabiles eſſe debent ſtatus animæ anteriores per decreta ejuſdem libera, quæ tanquam nunc præſentia ſumuntur. *Quod erat alterum.*

Qui præſcibilitatem liberorum decretorum animæ intellexit, ei nihil difficultatis faceſſit ſtatuum anteriorum animæ per libera decreta recordatio. Quamobrem illam ante meditetur, quam de hac cogitet, qui eam animo comprehendere decrevit. Ceterum quæ de præſcibilitate & recordabilitate tum in genere, tum etiam liberorum decretorum in ſpecie dicuntur, nobis quoque uſui eſſe poſſunt, ubi quæſtio incidit, quatenus & futurorum, & præteritorum tam in mundo materiali, quam in animabus cognitio auxilio rationis in poteſtate ſit, utut hactenus ſcientiis nondum ſatis excultis futurorum & præteritorum cognitio quoad nos arctis admodum limitibus coſtringatur, propterea quod nonniſi ratiocinando ad utramque pervenire datur, præſertim ſi ea non immediato intervallo a præſente abſunt.

§. 241.

Cur libera animæ decreta recordabilia.

Libera animæ decreta ſunt in ſe & Deo recordabilia. Libera enim animæ decreta concurrunt ad determinandas perceptiones ſeriei perceptionum ac appetitionum & averſationum inexiſtentes (§. 527 *Pſychol. rat.*), quæ in unaquaque anima datur (§. 524 *Pſychol. rat.*), adeoque ad rationem ſufficientem pertinent (§. 116 *Ontol.*). Unde abſque iis intelligi nequit, cur hæ in iſta ſerie potius inſint perceptiones claræ, quam aliæ (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum ratio ſufficiens colligi poſſit ex notione rei, cujus ſufficiens eſt ratio, adeoque illa per hanc ſit cognoſcibilis, quemadmodum nobis in omni philoſophia ſolenne eſt & utique accidit (§. 886 *Ontol.*), dum effectus dati inquirimus cauſam (§. 727 *Log.*); ex iis, quæ animæ inſunt, perceptionibus agnoſci poteſt, talia infuiſſe decreta libera. Quoniam itaque decreta libera animæ agnoſcuntur tanquam præterita (§. 228); eadem in ſe recordabilia ſunt (§. 238). *Quod erat unum.*

Cum Deus omnia diſtincte cognoſcat, quæ præter ipſum cognitu poſſibilia ſunt (§. 156); diſtincte etiam cognoſcere debet, quænam animæ perceptiones ab ejuſdem liberis decretis pendeant, cum hæc dependentia in cognoſcibilium numero ſit *per demonſtrata*. Quoniam itaque novit, quod hæ inſunt in ſerie perceptionum & appetitionum atque averſationum perceptiones, has quoque ante eidem ineſſe debere appetitiones & averſationes, conſequenter & decreta libera; libera animæ decreta Deo recordabilia ſunt (§. 238). *Quod erat alterum.*

Recordabilitas liberorum animæ decretorum exemplis quotidie obviis confirmatur, etſi ea in proximis acquieſcant, ſeu plerumque in talibus, unde perceptiones immediate pendent. Pone nimirum ſermonem incidere de ædificio alicubi magnifice exſtructo & Titium iſtud a ſe viſum tibi deſcribere. Hinc utique colligis, eundem ibi locorum fuiſſe, ubi ædificium exſtructum eſt, cum alias viſu id percipere minime potuiſſet. Enimvero ut quis ſe conferat aliquem in locum, ſeu iter in urbem peregrinam faciat, abſque libero decreto animæ non fit, conſequenter hoc influit in exiſtentiam ideæ iſtius ædificii in anima Titii. Quamobrem ex inexiſtentia perceptionis in anima agnoſcitur inextitiſſe liberum aliquod

decre-

decretum. Ceterum hæc decretorum recordabilitas uſui eſt in philoſophia morali, quemadmodum præſcibilitas, præſertim ubi de conjectandis hominum moribus quæſtio incidit.

§. 242.

Quæcunque in ſerie integra perceptionum ac appetitionum atque averſationum uniuſcujuſque animæ continentur, ea in ſe & Deo recordabilia ſunt. Quæ enim per facultates animæ poſſibilia ſunt, in eadem actuantur per certas leges (§. 76 *Pſychol. rat.*) & ex hiſce legibus reddi poteſt ratio ſpecialis actualitatis perceptionum ac appetituum (§. 77 *Pſychol. rat.*). Tota igitur perceptionum ac appetitionum atque averſationum ſeries ita comparata eſt, ut unum ideo inſit, quia alia infuiſſe ponuntur. Quamobrem ex una perceptione intelligi poteſt, cur hæ præcedere debeant perceptiones & appetitiones ac averſationes, antequam huic in illa ſerie locus eſſe poſſit (§. 56 *Ontol.*). Quodſi ergo hæc perceptio vel appetitio & averſatio ponatur jam actu ineſſe, adeoque tanquam præſens ſpectetur (§. 228); quæ ante ineſſe debere intelliguntur, quam eidem in ſerie perceptionum ac appetitionum atque averſationum ſit locus, ſpectantur ut præterita (§. *cit.*), conſequenter non repugnat, ut per id, quod in anima præſens eſt, agnoſcantur omnia præterita. Quæcunque igitur in ſerie modificationum animæ continentur, in ſe recordabilia ſunt (§. 238). *Quod erat unum.* *Cur ſingula in ſerie modificationum animæ recordabilia.*

Jam vero Deus cum omnia cognoſcat diſtincte, quæ præter ipſum cognitu poſſibilia erant (§. 156); ea quoque cognoſcere debet, unde recordabilitas eorum, quæ in ſerie integra modificationum animæ continentur, pendet. Sunt igitur & ipſi ſingula in iſta ſerie contenta recordabilia. *Quod erat alterum.*

Recolenda hic ſunt, quæ de analogia animæ atque mundi materialis ſupra annotavimus (*not.* §. 234), cum ea huic doctrinæ haud parum lucis affundat. Si enim integram ſeriem ſucceſſivorum in mundo integramque modificationum ſeriem in aliqua anima tibi ſiſtas tanquam præſentem, & nexum cogites inter ſingula intercedentem, vi cujus intelligitur, cur unum in una ſerie alia præcedant, alia ſequantur; & præſcibilitatis, & recordabilitatis fundamentum illico pateſcet. Sit iſtiuſmodi ſeries A, B, C, D, E, F &c. In hac B non exiſtere poſſe intelligitur, niſi ante extiterit A, adeoque ex iis, quæ A inſunt, cognoſcitur, car ſequi debeat B, ex iis vero, quæ ipſi B inſunt, perſpicitur, cur præcedere debeat A. Idem dicendum eſt, de ipſo C reſpectu ipſius B, de ipſo D reſpectu ipſius C, de ipſo E reſpectu ipſius D & ita porro, conſequenter de ipſo C reſpectu ipſorum A & B ſimul, de ipſo D reſpectu ipſorum C, B & A ſimul, & vice verſa quoad ſucceſſionem de ipſo D reſpectu ipſorum E & F ſimul & ita porro. Quodſi jam D conſideres tanquam præſens, evidens eſt reſpectu ipſius jam C, B & A ſpectanda eſſe tanquam præterita, ex adverſo autem E, F &c. tanquam futura. Quamobrem qui integram rerum ſucceſſivarum inter ſe connexarum ſeriem perſpicit, is nihil in ea deprehendit, quod non ſit in ſe recordabile ac præſcibile, ac ideo idem quoque ſibi recordabile atque præſcibile agnoſcit. Cum in ſingulis elementis dentur ſeries mutationum (§. 198 *Coſmol.*) inter ſe connexarum (§. 197. 10 *Coſmol.*); eadem demonſtratio ad elementa quoque pertinet. Atque ita generaliter citra omnes ambages & præſcibilitas, & recordabilitas tam ex parte objecti cujuſcunque, quam ex parte Dei cognoſcentis evinci poterat. Conſultius tamen duximus in re ardua & intricata per ambages incedere, quæ claritatem pollicentur, quam in generali demonſtratione acquieſcere, quæ quoad pleroſque cum obſcuritate conjuncta eſt, nec ſatisfacit niſi paucis.

§. 243.

Omnes hominis cogitationes ſunt & in ſe, & Deo recordabiles. Quoniam enim in cogitationum numero ſunt, quæcunque nobis conſciis in anima *Cur cogitationes ſint*

Digitized by Google

recordabiles.

funt (§. 23 *Pſychol. empir.*); omnes perceptiones, appetitiones & averſationes, quarum nobis ſumus conſcii, in cogitationum numero ſunt. Enimvero nihil datur in tota ſerie perceptionum, appetitionum & averſationum animæ, quod non ſit in ſe & Deo recordabile (§. 242). Omnes igitur hominis cogitationes & in ſe, & Deo recordabiles ſunt.

Quæ ſupra (*not.* §. 235) ad præſcibilitatem cogitationum annotavimus; ea quoque hic repetenda veniunt.

§. 244.

Recordabilitas eorum, quæ elementis inſunt, & ſtatuum mundi per ea.

In omni elemento rerum materialium ſtatus quilibet eſt & in ſe, & Deo recordabilis, & per ſtatum quemlibet unius elementi ſtatus præteritus ceterorum omnium per omne tempus retrocedens totiuſque mundi & in ſe, & Deo recordabilis. Cum in omni elemento ex ſtatu præſente colligi poſſit, qualis ſit præteritus (§. 200 *Coſmol.*). Quilibet ſtatus in quovis elemento in ſe recordabilis (§. 238). *Quod erat primum.*

Quoniam itaque idea mundi, quæ eſt in intellectu divino, ſingula refert elementa rerum materialium cum omni mutationum ſerie, quæ in unaquaque eſt (§. 200), Deus vero omnium eorum, quæ in idea iſta continentur, ſibi conſcius eſt (§. 187), ita ut ipſi omnia ſint aperta, tectum nihil (§. 180); Deus quoque intuitive cognoſcens omnia (§. 207), in ſtatu præſente perſpicit omnes præteritos. Quilibet adeo ſtatus in quovis elemento Deo recordabilis (§. 238). *Quod erat ſecundum.*

Porro ex ſtatu quolibet elementi cujuſcunque intelligi poteſt, qualis fuerat præteritus ceterorum elementorum omnium totiuſque mundi per omne retro tempus (§. 214 *Coſmol.*). Per ſtatum igitur quemlibet unius elementi ſtatus quilibet præteritus ceterorum omnium ac totius mundi per omne retro tempus recordabilis (§. 238). *Quod erat tertium.*

Cum Deus in quolibet minimo, quod ineſt univerſo, cognoſcat totum univerſum (§. 161); in quolibet minimo quoque ſtatum mundi totius quoad maxima, minima, conſequenter etiam quoad ſingula elementa, præter quæ nihil ſubſtantiale in univerſo datur (§. 177 *Coſmol.*), per omne retro tempus cognoſcere debet. Sunt igitur Deo per ſtatum quemlibet unius elementi ſtatus ceterorum omnium totiuſque mundi, per omne retro tempus præteriti, recordabiles (§. 238). *Quod erat quartum.*

Quæ ſupra (§. 236) annotavimus, cum de præſcibilitate elementorum ageremus, eadem hic quoque notanda veniunt. Addimus tamen hic, quæ & ibi locum habent, cum elementa rerum materialium aliqua admittere debeant, qualiacunque tandem illa ſint, mutatis mutandis ad ea applicari poſſe, quæ de noſtris evicimus, quamvis non ſemper opus ſit ea ſigillatim probari, cum elementa materialia in numero rerum materialium contineantur, adeoque de iis valeant, quæ de rebus materialibus in genere evincuntur, ut adeo ſub iſtis tanquam ſpecies ſub genere ſuo ſumi, adeoque per conſequentiam immediatam iis applicari poſſint, quæ de præſcibilitate & recordabilitate modificationum rerum materialium demonſtrata ſunt. Nemo autem nobis vitio vertet, ſi ſapit, quod cum nobis vera rerum materialium elementa videantur eſſe ſubſtantiæ ſimplices, quales in Coſmologia delineavimus, eadem quoque cognitioni Deo competenti vindicemus, ne quis ex noſtra hypotheſi contra omniſcentiam Dei excipere cum aliqua veri ſpecie poſſit, quaſi ſufficienter probata

non

non ſit. Me autem vel tacente intelligitur, ſcientiam viſionis, quæ Deo unanimi Theologorum & ipſius Sacræ Scripturæ conſenſu tribuenda, in noſtra elementorum hypotheſi fieri multo illuſtriorem: quod cum augeat venerationem Numinis, quemadmodum ſuo loco in Moralibus palam fiet, & unuſquiſque ex ſe ipſo diſcere poterit, ubi veritatem iſtiuſmodi elementorum in dubium haud vocat, tanto minus reprehendendum, quod omnem noſtram cognitionem ad finem ultimum eumque ſummum, Dei nempe gloriam, transferamus. Felices judicandi ſunt errore ſuo, qui ejus hunc experiuntur effectum.

§. 245.

Recordabilitas dependentiæ ſtatuum præteritorum in omnibus elementis.

Omnes ſtatus elementorum ſingulorum, eorundemque a ſe invicem dependentia ab omnibus anterioribus, & in ſe, & Deo recordabiles ſunt. Etenim elementorum ſtatus internus continuo mutatur ea lege, ut præſens contineat rationem ſequentis (§. 197 *Coſmol.*), & ſtatus ſinguli in omni elemento a ſe invicem dependent quoad exiſtentiam (§. 199 *Coſmol.*). Quamobrem qui elementorum iſtorum eſſentiam atque naturam perſpicit: is novit, per quoſnam ſtatus anteriores determinetur quilibet, qui tanquam præſens ſumitur, & hujusadeo ab illis dependentiam (§. 116. 851 *Ontol.*) perſpicit, cum per eſſentiam ſtatus iſti poſſibiles ſint (§. 160 *Ontol.*) & per naturam ad actum perducantur (§. 145 *Coſmol.*). Sunt igitur ſtatus omnes elementorum ſingulorum, quatenus ſumuntur tanquam præteriti, eorundemque a ſe invicem dependentia in ſe recordabiles (§. 238). *Quod erat unum.*

Idem quoque eodem modo ex eo, quod quicquid in mundo materiali contingit in ſe recordabile ſit (§. 239), oſtendi poteſt, quo ſupra (§. 237) evicimus eorundem præſcibilitatem in ſe.

Jam Deus mundum ſibi repræſentans, elementa rerum materialium ſingula ſibi repræſentat, una cum mutationum ſerie, quæ in unoquoque eſt (§. 200). Quamobrem cum Deus ſit ſibi conſcius eorum omnium, quæ ſibi repræſentat (§. 187); videre utique debet, per quoſnam ſtatus anteriores determinetur quilibet, qui tanquam præſens ſumitur, hujuſque adeo ab illis dependentiam (§. 116. 851 *Ontol.*). Sunt igitur ſtatus omnes elementorum ſingulorum eorundemque a ſe invicem dependentia ab omnibus anterioribus Deo recordabiles (§. 238). *Quod erat alterum.*

Recolenda hic ſunt, quæ de facilitanda notitia præſcibilitatis mutationum in elementis animum advertendo ad differentiam inter mundum intelligibilem & ſenſibilem monuimus (*not.* §. 237). Etenim ad recordabilitatis facilitandam notitiam ſimiliter faciunt.

§. 246.

Quomodo Deus præſcibilitatem & recordabilitatem cognoſcat.

Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit in ſe præſcibilia & recordabilia qua talia, ſimulque ut ſibi præſcibilia & recordabilia. Per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ Deus cognoſcit, quod non repugnet, ut quid exiſtat (§. 227) & quidem, cum ideæ rerum Deo eſſentiales ſint (§. 188), ab æterno (§. 74). Novit igitur Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſi qua rerum ſeries, vel quod elementum rerum materialium in eadem, aut anima quædam una cum iſta ſumatur ut extitura, omnes mutationes ad iſtam ſeriem ſpectantes vel in iſto elemento ac anima iſta ad actum perducendas,

cendas, utpote in ſe & ipſi præſcibiles per ipſam Dei rerumque naturam (§. 232 & ſeqq.), eſſe & in ſe, & ipſi præſcibiles. *Quod erat unum.*

Imo ex demonſtratis novit porro per ſimplicis intelligentiæ ſcientiam, ſi qua rerum ſeries conſideretur ut exiſtens, vel etiam elementum aliquod ad eam pertinens, aut anima quædam ſpectetur ut exiſtens, & ſive in illa ſerie, ſive in hoc elemento, aut hac anima ſumatur quid ut præſens, mutationes anteriores, utpote in ſe & ipſi recordabiles per ipſam Dei rerumque naturam (§. 239 & ſeqq.), eſſe & ſibi & in ſe recordabiles. *Quod erat alterum.*

Nimirum præſcibilitas & recordabilitas ex parte objecti, & ex parte ſubjecti, ſeu Dei cognoſcentis, in numero poſſibilium eſt, quatenus ſcilicet nec naturæ rerum, nec naturæ Dei repugnat, ut utraque detur. Quamobrem cum Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ poſſibilia ſunt, ut poſſibilia cognoſcat, ſive de intrinſeca, ſive extrinſeca poſſibilitate ſermo fuerit (§. 221); mirum non eſt, quod ea, quæ ad ſcientiam viſionis pertinent (§. 230), per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ut poſſibilia agnoſcantur. Ceterum hinc patet, per ea, quæ de præſcibilitate & recordabilitate rerum demonſtrata ſunt, poſſibilitatem ſcientiæ viſionis a priori eſſe evictam, ut adeo nihil ſuperſit, quam ut ſuo loco adhuc oſtendamus, cur actu in Deo detur.

§. 247.

Cur Deus omnia ſingularia cognoſcat. *Deus cognoſcit omnia ſingularia.* Cognoſcit enim omnia poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta (§. 155), conſequenter eadem ſibi repræſentat tanquam inter ſe connexa quoad coexiſtentiam, & quoad ſucceſſionem (§. 142). Quamobrem cum ea coexiſtant, quæ alio exiſtente una exiſtunt, & ea ſibi invicem ſuccedant, quæ alio exiſtente nondum exiſtunt, poſtea tamen extitura ſunt (§. 569 *Ontol.*), & vi nexus unum poſſibile contineat rationem ſufficientem coexiſtentiæ, vel ſucceſſionis alterius (§. 10 *Coſmol.*); Deus poſſibilia eo ſibi repræſentat modo, quo alia ſimul exiſtere, alia vero poſt ſe invicem exiſtere poſſe intelliguntur (§. 56 *Ontol.*). Quoniam vero quicquid exiſtit vel actu eſt, id omnimode determinatum eſt (§. 226 *Ontol.*); Deus ſibi poſſibilia tanquam omnimode determinata repræſentat. Enimvero ens omnimode determinatum eſt ens ſingulare (§. 227 *Ontol.*). Repræſentat igitur ſibi Deus omnia entia ſingularia, conſequenter cum ſibi conſcius ſit eorum omnium, quæ ſibi repræſentat (§. 187); omnia entia ſingularia cognoſcit.

Idem etiam ſic oſtenditur: Deus cognoſcit omnia poſſibilia tam abſolute ſpectata, quam in ſyſtemata relata (§. 155); cognoſcit igitur eorum determinationes eſſentiales & attributa (§. 143): cognoſcit etiam cauſarum ſeriem, per quas exiſtentia determinatur, & modorum ſeriem, qui ſucceſſive toto durationis tempore eidem inexiſtunt (§. 144). Enimvero quicquid rei ineſt, id inter eſſentialia, vel attributa, vel modos locum habet (§. 149 *Ontol.*). Cognoſcit adeo Deus omnia, quæ rei inſunt, ſi ut exiſtens ſpectatur, conſequenter ſingula, quæ rebus intrinſeca de iiſdem affirmari poſſunt (§. 205 *Log.*), adeoque omnia ſibi repræſentat tanquam omnimode determinata (§. 112. 225 *Ontol.*). Quamobrem cum ens ſingulare

Digitized by Google

gulare ſit, quod omnimode determinatum eſt (§. 227 *Ontol.*); Deus omnia ſingularia cognoſcit.

Equidem per ſe clarum pleriſque videri poterat quod Deus cognoſcat omnia ſingularia, ſi ſupponatur, quod ſuperius evictum (§. 241), Deum cognoſcere omnes mundos poſſibiles. Videntes enim, quæ in mundo hoc adſpectabili exiſtunt, eſſe entia ſingularia, nec univerſalia entia alicubi tanquam exiſtentia deprehendi; illico ſupponunt mundum eſſe complexum entium mere ſingularium. Etſi vero in his nihil inſit falſi, non tamen ea adeſt claritas, quæ ſatisfacit philoſopho, cui evidentia demum naſcitur ex notionum legitima evolutione, ut, quod affirmatur, nulli exceptioni, nulli dubitationi obnoxium ſit, nec abſque ratione, cum quæ confuſe percepta nobis vel certiſſima videntur, diſtincte evoluta haud raro erroribus implicita deprehenduntur. Quamobrem non inutile nobis videtur demonſtrare, quod mundus ſit complexus entium mere ſingularium, per ipſam ejus eſſentiam, ut inde cognitio ſingularium Deo tribuenda inferri poſſit, præſertim cum eadem propoſitione ad alia intelligenda & demonſtranda mox habeamus opus.

§. 248.

Mundus qualium entium ſit congeries.

Mundus quicunque poſſibilis eſt congeries entium ſingularium. Eſt enim ſeries entium finitorum tam ſimultaneorum, quam ſucceſſivorum inter ſe connexorum (§. 48 *Coſmol.*). Jam ſi ens quoddam concipiendum, primo loco in eo quædam ponenda ſunt, quæ ſibi mutuo non repugnant, quæ tamen non per alia determinantur, nec quorum unum per alterum determinatur (§. 142 *Ontol.*): quæ cum eſſentialia ſint (§. 143 *Ontol.*); eſſentiales determinationes eidem inſint neceſſe eſt. Jam cum attributa per eſſentialia determinentur (§. 146 *Ontol.*), eidem una cum eſſentialibus inſunt conſtanter (§. 150 *Ontol.*); nec ſine attributis ens quoddam concipi poteſt. Porro cur modi actu inſint, ratio vel in modis antecedentibus, vel in ente alio ab eo, cui inſunt, diverſo, aut pluribus iſtiuſmodi entibus, vel denique partim in modis antecedentibus, partim in ente alio ab eo, cui inſunt, diverſo, vel pluribus etiam entibus aliis quærenda (§. 160 *Ontol.*). Quamobrem cum entia ideo inter ſe connectuntur, quatenus unum continet rationem ſufficientem coexiſtentiæ, vel ſucceſſionis alterius (§. 10 *Coſmol.*); entia finita, utpote quibus non omnia ſimul inſunt, quæ eiſdem actu ineſſe poſſunt (§. 837 *Ontol.*), ideo connecti poſſunt, quod quoad modificationes pendent ab aliis (§. 851 *Ontol.*). Quamobrem cum mundus per nexum entium finitorum reſultet (§. 48 *Coſmol.*); in mundo entia aliter concipi nequeunt, niſi cum ſuis eſſentialibus & attributis ac ſucceſſive inexiſtentibus modis. Enimvero præter eſſentialia, attributa atque modos non datur aliud, quod enti ineſſe poſſit (§. 149 *Ontol.*); conſequenter cum eſſentiæ rerum (§. 300 *Ontol.*), & attributa earundem immutabilia (§. 313 *Ontol.*), modi vero mutabiles ſint (§. 314 *Ontol.*), adeoque diverſi ejuſdem entis finiti ſtatus per modos determinentur (§. 705 *Ontol.*); in mundo entia finita quoad ſingulos eorum ſtatus locum non habent niſi cum iis omnibus, quæ de iiſdem affirmanda ſunt (§. 205 *Log.*), atque adeo quatenus omnimode determinata ſunt (§. 112. 225 *Ontol.*). Quoniam itaque ens omnimode determinatum ſingulare eſt (§. 227 *Ontol.*); in mun-

in mundo quocunque poſſibili enti finito locus non eſt, niſi ſingulari, atque adeo mundus ipſe non eſt niſi entium ſingularium congeries.

Per demonſtrationem præſentem patet, quomodo notio mundi ex ipſa notione entis a priori deducatur: id quod haud exigui momenti. Ceterum luculento hoc ſpecimine probatur utilitas Ontologiæ, qualem dedimus, cujus etiam uſus per totam Theologiam naturalem elucet & in omnibus philoſophiæ partibus deprehenditur egregius ac prorſus indiſpenſabilis.

§. 249.

Res facti *quænam dicantur.*

Res facti dicuntur ſingularia, quatenus ſpectantur ut exiſtentia, ſit ita quod nec exiſtant, nec extiterint, nec extitura ſint. Vocantur etiam *Facta* ſimpliciter.

Ita e. gr. idea mundi cujuslibet comprehendit res facti ſeu facta, quatenus ea, quæ repræſentat, conſiderantur tanquam exiſtentia, aut, ſi mavis, exiſtibilia, ſit ita mundum iſtum nunquam ad actum perductum iri, ſed in ſtatu poſſibilitatis nudæ perpetuo deliturum.

§. 250.

Cur in mundo non ſint niſi res facti.

Quoniam mundus adſpectabilis non continet niſi entia ſingulatia (§. 248), quæ vel extiterunt, vel adhuc exiſtunt, vel aliquando extitura ſunt (§. 110 *Coſmol.*); *mundus hic adſpectabilis non continet niſi res facti* (§. 249). Et quia in mundo alio quocunque ſimiliter non continentur niſi ſingularia (§. 248), quæ etſi nunquam extitura (§. 117), tanquam exiſtentia conſiderari tamen poſſunt, quod ipſis exiſtentia minime repugnet, ſeu eorum exiſtentia intrinſece poſſibilis ſit (§. 133 *Ontol.* & §. 111 *Coſmol.*); *omnis mundus poſſibilis nonniſi res facti ſeu facta continet* (§. 249).

§. 251.

Omnia facta cur Deus cognoſcat.

Et quoniam omnes mundi poſſibiles omnia poſſibilia continent (§. 152), conſequenter omnia ſingularia (§. 248), adeoque facta omnia (§. 249), Deus vero mundos poſſibiles omnes cognoſcit (§. 141); *Deum facta omnia ſeu res facti omnes cognoſcere palam eſt.*

Nemo miretur, nos omnia in mundo referre ad facta, quaſi inſolito prorſus vocabuli ſignificatu. Etenim ſi idem ſumas eo ſignificatu, quem communis loquendi uſus eidem tribuit; quæ in mundo ſunt, aut primum a Deo facta ſunt, quemadmodum deinceps oſtendemus; aut deinde a natura rerum, aut ab hominibus fiunt. Mundi adeo cujuslibet cognitio factorum cognitio eſt, quatenus ea cognoſcimus, quæ exiſtunt, aut exiſterent in aliqua ſerie, ſi ipſa ad actum perduceretur.

§. 252.

Hiſtorica cognitio quænam.

Cognitio hiſtorica dicitur cognitio factorum.

Non differt hæc definitio ab ea, quam alibi dedimus (§. 3 *Diſc. prælim.*), etſi verbis inſtituto præſenti magis convenientibus eandem efferamus. Etenim quando diximus, cognitionem eorum, quæ ſunt atque fiunt, ſive in mundo materiali, ſive in ſubſtantiis immaterialibus, hiſtoricam appellari; ecquis non videt ad hoc cognitionis genus non referri niſi facta (§. 249)?

§. 253.

Cognitio hiſtorica Dei.

Deus omnem cognitionem hiſtoricam habet. Deus enim facta omnia cognoſcit (§. 251). Quare cum factorum cognitio ſit hiſtorica cognitio (§. 252); Deus cognitionem hiſtoricam omnem habet.

Idem etiam ſic oſtendi poterat lucidius. Ideæ divinæ cum mundos omnes

omnes poſſibiles repræſentent (§. 181); in iis continentur omnia facta, quotcunque poſſibilia ſunt (§. 248. 249). Enimvero quia Deus ſibi conſcius eſt eorum omnium, quæ ſibi repræſentat (§. 187), ſeu quæ in ideis ipſius continentur (§. 48 *Pſychol. empir.*); omnium factorum, quotcunque poſſibilia ſunt, ſibi conſcius eſt. Factorum cognitio hiſtorica eſt (§. 252). Deus igitur omnem cognitionem hiſtoricam habet.

Demonſtrationem poſteriorem, utut a priori non diſſidentem, ſi eam in ſua principia evolvas, eo fine addimus, ut extenſio cognitionis hiſtoricæ divinæ extemplo percipiatur, ne abjecte de eadem ſentiant, qui non ex notionibus determinatis, ſed vocum etymologia, incula quadam notionum confuſarum earumque per inconſtantiam loquendi vagarum perfuſa, de rebus judicant, mox reprehenſuri talia de Deo demonſtrari, quæ ipſum parum deceant. Nobis in moralibus uſui erit noſſe diſtinctius, nullum concipi poſſe cognitionis genus, quod Deo non ſit tribuendum.

§. 254.

Hiſtoricus dicitur, qui cognitione hiſtorica inſtructus, ſeu factorum cognitionem habet (§. 252). *Hiſtoricus quinam ſit.*

Communiter hiſtoria ad facta hominum reſtringitur & facta inprimis publica aut minimum perſonarum publicarum. Non tamen uſui loquendi contrariatur, ut ad naturæ quoque & facta ipſius Dei extendatur. Diximus eam in rem alibi (§. 744 & ſeqq. *Log.*), quæ ſatisfaciunt, cum de libris hiſtoricis ageremus, eos in genera ac ſpecies diviſuri. Legi igitur ibidem poſſunt.

§. 255.

Deus eſt hiſtoricus abſolute ſummus. Etenim Deus omnem habet cognitionem hiſtoricam (§. 253). Quamobrem cum hiſtoricus ſit, cui cognitio hiſtorica eſt (§. 254), nec major concipi poſſit hiſtoricus, quam cui omnis cognitio hiſtorica eſt, ſeu qui omnia novit facta poſſibilia (§. *cit.*); Deus Hiſtoricus abſolute ſummus eſt. *Deus qualis ſit Hiſtoricus.*

Recordatus eorum, quæ ad propoſitionem, qua Deo hiſtoricam cognitionem vindicabamus, annotavimus (*not.* § 253), cave ne nomen Hiſtorici Deo indignum pronunties, propterea quod homines Hiſtorici nomine inſigniri ſolent. Qua enim, quæſo, conſequentia exſculpes, Hiſtorici nomen dedecere Deum, quod tribui ſoleat hominibus? Intellectus nomen tribuitur facultati noſtræ cognoſcitivæ, quatenus diſtincta eſt cognitio (§. 275 *Pſychol. empir.*). Ecquis vero eſt, qui ideo indignum Deo judicet, ſi ipſi tribuatur intellectus, ſit ita intellectum divinum ab humano tantundem differre, quantum differt cognitio Dei hiſtorica a cognitione hiſtorica hominum? Nonne Deus vocari ſolet Architectus ſummus, nobis vernaculo ſermone *der groſſe Werckmeiſter*, nemine iraſcente, etſi Architectorum nomen tribuatur hominibus, quorum architectonica ſcientia ab ea, quæ Deo eſt, tantundem differt, quantum cognitio hiſtorica hominum a cognitione hiſtorica divina? Deo omnem hiſtoricam cognitionem, quæ dari poteſt, tribuendam eſſe ecquis negari auſit (§ 253)? Cum igitur ipſi competunt ea, quæ definitionem hiſtorici ingrediuntur (§. 254), eccur non debet convenire definitum, everſo omni ratiocinandi fundamento (§. 349 *Log.*)? Si res, quæ nomine indigitatur, Deum non dedecet, nec poteſt dedecere nomen, quod eſſe rei illius ſignum conſtat (§. 36 *Log.* & §. 952 *Ontol.*). Unum idemque eſt, ſive dicas Deum eſſe hiſtoricum abſolute ſummum, ſive affirmes, Deo omnem eſſe cognitionem hiſtoricam, quæ concipi poteſt, aut factorum omnium, quotquot concipi poſſunt, notitiam, cum voce Hiſtorici non aliud ſignificetur. Ergo idem efferre verbis multis licet, quod paucis aut vocabulo unico indicare nefas videtur. Suo, quo ſuperbiunt, acumine abundent, qui ita nugantur.

§. 256.

Deo juxta Sacram Scripturam competit hiſtorica cognitio omnis. Deo in Sacra Scriptura cognitionem factorum, adeoque hiſtoricam (§. 252) tribui, *Cognitio Dei hiſtorica*

Sacræ Scripturæ conformis.

adeo notum eſt, ut id probare velle ſupervacaneum merito habeatur. Imó ſi quis eandem legit, is animadvertet, nullum occurrere facti genus, cujus notitia non tribuatur Deo. Ut vero appareat juxta Sacram Scripturam nihil factorum cognitioni hiſtoricæ divinæ eſſe ſubducendum, idem omnino ediſſerendum paulo uberius. Docente Chriſto *Matth.* X. 29. 30, Deus novit, nullum paſſerum humi cadere ipſo inſcio: eidem perſpectum eſt, quot ſint capilli capiti noſtro, conſequenter novit, quod unus eorum evulſus ſit, qui aderat ante. Loquitur Chriſtus de paſſeribus tanquam re vili. Quærit enim, *nonne duo paſſeres aſſe veneunt*? & mox addit auditores ſuos allocutus, *multis paſſeribus meliores eſtis vos*. Imo ad capillos provocat tanquam rem magis abjectam, cui nullum ſtatuitur pretium, quale tamen paſſerum eſt, etſi vile. Quamobrem patet Deo hic vindicari cognitionem hiſtoricam factorum viliſſimorum, cum providentia divina, quæ a Chriſto circa res viles, imo viliſſimas occupata ibidem urgetur, abſque hiſtorica cognitione concipi non poſſit, ſed hanc utique neceſſario ſupponat. Quoniam itaque Chriſto Doctore nullum factum, qualecunque tandem illud ſit, exiſtimari debet adeo vile atque abjectum, ut ejus cognitio Deum dedecere judicetur: juxta ejus mentem hiſtorica Dei cognitio, quæ eſt factorum (§. 252), ad omnia promiſcue facta extendenda venit.

Abunde igitur patet, quæ de cognitione hiſtorica Deo tribuenda dicta ſunt, a Scriptura Sacra minime abhorrere, ita ut, ſi quis vel ex Chriſto ipſo quæſiviſſet, quinam ſit Hiſtoricus abſolute ſummus; is non aliter reſpondiſſet, quam Deum eundem eſſe: imo quemadmodum idem affirmabat *Matth.* XIX. 17, neminem eſſe bonum, niſi Deum, ita citra omne dubium ipſius ſtylo dicendum, neminem eſſe Hiſtoricum, niſi Deum, quatenus nomen hoc ex omni parte tueri nequit niſi Deus ſolus.

§. 257.

Entium univerſalium in ſyſtema relatio.

Entia univerſalia in ſyſtema aliquod redigi poſſunt. Etenim entia univerſalia conſtituuntur ſimilitudine partiali individuorum vel minus univerſalium, ſeu eo, quo unum individuum alteri individuo, vel ens unum minus univerſale alteri minus univerſali ſimile eſt (§. 232 *Ontol.*), adeoque vel ſpecies (§. 233 *Ontol.*), vel genera inferiora, vel ſuperiora ſunt (§. 234 *Ontol.*). Quamobrem cum notio ſpeciei componatur ex notione generis, ſub quo ea continetur, & differentia ſpecifica (§. 241 *Ontol.*), & notio generis inferioris ex notione generis ſuperioris & determinationibus ſibi propriis (§. 242 *Ontol.*); entia univerſalia ita ſibi invicem ſubordinari poſſunt, ut, quæ ſuperiori collocantur loco, contineantur in iis, quæ ipſis ſubſtant, atque adeo ſeriem quandam ſucceſſivorum conſtituant, in qua a genere ſummo deſcendendo, numerus inferiorum ab illo eodem gradu remotorum continuo augetur, donec perveniatur ad ſpecies infimas. Enimvero quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, eadem habent attributa & eaſdem modorum poſſibilitates proximas, itemque remotas conditionate enuntiatas (§. 268 *Ontol.*), & quæ ejuſdem generis ſunt, ea eadem habent attributa communia eaſdemque modorum poſſibilitates, quæ attributorum communium

inſtar

Digitized by Google

inſtar ſunt (§. 269 *Ontol.*). Quamobrem cum modi ut actu ineſſe intelligantur, non modo rationem in modis antecedentibus, verum etiam in ente alio ab eo, cui inſunt, diverſo, aut pluribus iſtiuſmodi entibus, imo ſubinde partim in modis antecedentibus, partim in ente alio ab eo, cui inſunt, diverſo, vel pluribus etiam entibus aliis habeant (§. 160 *Ontol.*); entia univerſalia ita ſibi invicem coordinari poſſunt, ut in eo, quod uni jungitur, contineatur ratio modi alicujus coexiſtentis: quod idem de pluribus intelligitur, ſiquidem pluribus ad hoc opus eſt. Enimvero quia modi plures eidem enti univerſali non repugnant, quorum ratio non in eodem ente alio, aut minimum non ſemper eodem modo modificato continetur; locus continuo entium univerſalium variari poteſt, ut omnes ſucceſſive emergant modi, qui unicuique enti univerſali non repugnant. Et quoniam modi quidam ſupponunt modos alios, tanquam ante inexiſtentes (§. 160 *Ontol.*); variatio iſta coexiſtentiæ univerſalium ita fieri poteſt, ut ex ſtatu antecedente, utpote qui per modos tanquam mutabiles (§. 314 *Ontol.*) conſtituitur (§. 705 *Ontol.*), intelligatur, cur alius ſequatur, conſequenter ſequens in antecedente rationem ſufficientem habeat (§. 56 *Ontol.*). Patet adeo entia univerſalia inter ſe connecti poſſe, tum quatenus ut coexiſtentia ſpectantur, tum quatenus modum coexiſtentiæ quaſi aliter modificata variant (§. 10 *Coſmol.*). Quamobrem cum entia in ſyſtema redigantur, quando inter ſe connectuntur, tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem (§. 142); entia univerſalia in ſyſtema aliquod referri poſſunt.

Pendet propoſitionis præſentis veritas tota a nexu entium univerſalium, quem eſſe poſſibilem in diſciplinis loquuntur propoſitiones hypotheticæ determinatæ. Etenim in his prædicatum non poteſt tribui ob ea ſola, quæ ipſi conſtanter inſunt, ſed determinationes præterea extrinſecæ requiruntur, ut penitus intelligatur, cur prædicatum tribuendum ſit ſubjecto, eumque ex determinationibus, quæ notionem ſubjecti ingrediuntur, ratiocinando colligatur veritas, nexus entis univerſalis unius cum aliis ſive mediatus, ſive immediatus, nec non ſtatus unius ſubjecti cum alio ſtatu innoteſcit. Atque hinc inprimis intelligitur, quod in propoſitionis præſentis demonſtratione diximus de ente univerſali ut modificato ſpectando, quod antequam ut tale ſpectari poſſit, variæ admittendæ ſunt variationes coordinationis entium univerſalium, vi cujus ens univerſale unum ſit dependens ab aliis multis ob dependentiam immediatam ab hoc ente univerſali. Qui ad demonſtrationes Geometriæ vel elementaris animum advertit, dependentiæ entium univerſalium a ſe invicem notionem quandam habet, ad quam recurrere poteſt, ut, quæ dicuntur, recte intelligantur. Atat quoniam in Matheſi pura nobis nonniſi res eſt cum figuris, ubi earum ad ſe invicem ſpectantur relationes; in philoſophia autem cum entibus realibus nobis eſt negotium, quibus non modo determinationes neceſſariæ eædemque conſtantes inſunt, verum etiam ſucceſſivæ aliæ mutabiles ineſſe poſſe intelliguntur, nos vero propoſitiones hypotheticas determinatas in philoſophia noſtra exhibemus & ex notione ſubjecti prædicatum ratiocinando, perinde ac in Matheſi fieri ſolet, colligimus; qui ad noſtras propoſitionum demonſtrationes animum advertit, ei lucidior multo naſcetur idea dependentiæ entium univerſalium a ſe invicem tam mediatæ, quam immediatæ, eidemque circa nexum eorundem nihil difficultatis ſupererit.

§. 258.

Si entia univerſalia in ſyſtema aliquod rediguntur, ſyſtema, quod hinc prodit, dicitur a nobis *Mundus rationalis*, qui adeo definiri poteſt, quod ſit entium univerſalium inter ſe connexorum ſeries variabilis. *Mundi rationalis definitio.*

Etſi entia univerſalia exiſtere nequeant (§. 235 *Ontol.*), quemadmodum ſingularia, quorum quicunque mundus poſſibilia congeries eſt (§. 248), quem in ſenſibilem & intelligibilem ea parte cognoſcentis diſtinguimus (§. 202); hoc tamen non obſtante fingi poſſunt ut exiſtentia, quatenus præſentia cognoſcenti intelliguntur, dum eorundem habet notionem. Et hac fictione admiſſa ſeriei variabilitas facilius concipitur, imaginatione non reluctante. Maximi momenti eſt, quemadmodum mox conſtabit, mundi rationalis notionem diſtinctam habere: negandum tamen non eſt, quod ad eam hactenus animum parum adverterint philoſophi. Atque hinc eſt, quod noſtro more non fuerint philoſophati, quodque multi, mira mundi ſenſibilis atque intelligibilis & ejus, quem rationalem dicimus, atque illius in ſe ſpectati atque ad nos relati confuſione, negaverint contingentiam in mundo non minus materiali, quam in animabus demonſtrabilitatem non tantummodo quoad nos, verum quoad ipſa contingentia, & hinc ex diſciplinis philoſophicis proſcripſerint omnes demonſtrationes, quibus nos aditum conceſſimus, mundi ſenſibilis non minus & intelligibilis, quam rationalis notionem intimius perſpicere conati. Neminem puto offendet mundi rationalis appellatio: etſi enim homo dicatur rationalis, quatenus ipſe rationis particeps eſt eaque uti poteſt; non tamen obſtat, quo minus etiam quidpiam ideo rationale appellemus, quod beneficio rationis, qualem homini tribuimus (§. 483 *Pſychol. empir.*), agnoſcatur, quemadmodum Apoſtolus doctrinam chriſtianam lac rationale appellat 1. *Petr.* II. 2. Si quis tamen vocabulum convenientius comminiſci poſſit, per nos id faciat: de nomine nemini litem movebimus, neque cum ipſo ſerram contentionis reciprocabimus. Nobis appellatio iſta non adeo inconveniens videtur. Quemadmodum enim ſubſtantiæ ſimplices mundum intelligibilem, & phænomena ex ipſis tanquam fonte orta mundum ſenſibilem conſtituunt; ita entia univerſalia mundum rationalem abſolvunt. Mundus intelligibilis ex nexu ſubſtantiarum ſimplicium, qui in Coſmologia tranſcendentali evincitur; mundus ſenſibilis ex nexu phænomenorum, quem Phyſicus exponit; mundus vero rationalis ex nexu entium univerſalium, qui fundamentum eſt omnis nexus & in mundo intelligibili & ſenſibili, aut, ſi mavis, a nexu mundi intelligibilis & ſenſibilis abſtrahitur, reſultat. Hanc ſimilitudinem ſufficere arbitramur, ut mundus intelligibilis, ſenſibilis atque rationalis tanquam eidem generi ſubſtare intelligantur, atque adeo commune quoddam participent nomen.

§. 259.

Mundi rationalis immerſio in ſenſibile & intelligibile.

Mundum rationalem dicimus *immergi* mundo intelligibili ac ſenſibili, quatenus nonniſi mundo intelligibili ac ſenſibili inexiſtit: ut adeo *immerſio* hic ſumatur pro inexiſtentia in re alia.

Non attendimus in denominatione modum inexiſtentiæ: neque enim negari poteſt, mundum, quem dicimus rationalem, per ſenſibilem atque intelligibilem ita diffundi, ut ſui diffuſione utrumque permeet.

§. 260.

Quod detur.

Mundus rationalis intelligibili & ſenſibili totus immerſus eſt. Quoniam enim entia univerſalia ſimilitudine individuorum, vel minus univerſalium conſtituuntur (§. 232 *Ontol.*), ſimilitudo vero in identitate eorum conſiſtit, per quæ entia a ſe invicem diſcerni debebant (§. 195 *Ontol.*); quæ in notione entium univerſalium continentur, ipſis individuis ſeu rebus ſingularibus inſunt: cumque genera & ſpecies, quæ ſunt entia univerſalia (§. 233. 234 *Ontol.*), per eſſentialia determinentur (§. 247 *Ontol.*); in numero eſſentialium deprehenduntur, quæ ſingularibus inſunt. Jam quia modi rationem ſufficientem habent in entibus aliis ab illis, quibus inſunt, diverſis (§. 160 *Ontol.*); ea, unde redditur ratio modorum, qui enti cuidam univerſali ſub certa conditione conveniunt, in ſingularibus itidem continentur, conſequenter ſingularibus ea inſunt, per quæ univerſalia inter ſe connectuntur.

tur. Quoniam itaque mundus, quatenus ſenſibilis & intelligibilis, eſt congeries entium ſingularium (§. 248. 202); ea, quæ ad mundum rationalem pertinent (§. 258), ſui quadam diffuſione mundo ſenſibili & intelligibili inexiſtunt, conſequenter mundus rationalis intelligibili & ſenſibili immerſus eſt (§. 259).

Propoſitio hæc non inutilis eſt, ea enim opus habemus, ut intelligatur, quomodo Deus mundum rationalem cognoſcat, & cur cum intellectu perfectiſſimo, qui Deo competit (§. 168), connectatur ratio abſolute ſumma, ut taceam hinc multam lucem affundi iis, quæ ad noſtram cognitionem univerſalem & rationem, quæ nobis eſt, ſpectent. Patet vero ex propoſitione præſente, cum mundo adſpectabili, qui Deo intelligibilis, nobis vero ſenſibilis eſt (§. 205), una exiſtere rationalem & ideam mundi rationalis a ſenſibili & intelligibili, ſed penitus cognito, abſtrahi poſſe. De hoc mundo rationali multa doceri poterant ſcitu non inutilia; ſed nobis in præſente ea ſufficiant, quæ ad rationem divinam intelligendum ſufficiunt, cum non alio fine de eodem hic agamus.

§. 261.

Idea mundi rationalis quomodo in Deo.

Idea mundi intelligibilis, quæ datur in Deo, ideam mundi rationalis includit. Etenim idea mundi, quæ in Deo datur, intelligibilis eſt (*per demonſtrata in* §. 205). Quamobrem eum mundo intelligibili mundus rationalis totus immergatur (§. 260), conſequenter ſingula, quæ ad eundem ſpectant, eidem inexiſtant (§. 259); idea mundi, quæ in Deo datur, ad mundum rationalem ſpectantia ſingula repræſentat. Idea igitur mundi rationalis in idea mundi, quæ in intellectu divino eſt, includitur (§. 48 *Pſychol. empir.*).

Liquet igitur, mundum intelligibilem & rationalem una eademque idea in intellectu divino exhiberi, etſi mundus rationalis non ſit idemcum intelligibili. Id vero non tantummodo de mundo adſpectabili intelligendum; verum etiam de mundo omni poſſibili reliquo. An vero mundus rationalis nonniſi unicus ſit & diverſo ſaltem modo mundis intelligibilibus diverſis immergatur, jam non diſquirimus, cum integram mundi rationalis theoriam tradere nobis jam propoſitum non ſit, neque inſtitutum præſens poſtulet, ut hanc diſcuſſionem noſtram faciamus. Quoniam tamen, quæ ad ideam mundi rationalis ſpectant, ab idea mundi intelligibilis abſtrahi actu quodam mentis non repugnat; ſalva rei veritate ideas mundi intelligibilis & rationalis tanquam duas diverſas ideas conſiderare licet, quemadmodum & in aliis facimus.

§. 262.

Mundus rationalis cur Deo cognitus.

Deus totum mundum rationalem &, ſi qua quoad diverſos mundos intelligibiles occurrit, diverſitatem omnem cognoſcit. Etenim idea totius mundi rationalis in idea mundi, quæ in Deo datur, includitur (§. 261), adeoque Deus mundum rationalem ſibi intra intelligibilem repræſentat (§. 48 *Pſychol. empir.*). Quoniam igitur omnes mundos poſſibiles cognoſcit (§. 141), aut, ſi mavis, in Deo continuo exiſtit idea non modo hujus, qui exiſtit, mundi, ſed ceterorum quoque omnium poſſibilium (§. 181); ſi qua datur in mundo rationali diverſitas ſive quoad modum immerſionis (§. 259), ſive quoad ipſa entia univerſalia, ex quibus conſtat (§. 258), aut modos, qui in iiſdem inexiſtere poſſunt, & unde eorundem inter ſe nexus pendet, quemadmodum ex demonſtratione poſſibilitatis entia univerſalia in ſyſtema redigendi patet (§. 257), eandem omnem ſibi repræ-

ſentat.

ſentat. Quamobrem cum Deus ſibi ſit conſcius eorum, quæ ſibi repræſentat (§. 187); totum mundum rationalem &, ſi qua in eodem quoad diverſos mundos intelligibiles occurrit, diverſitatem cognoſcit omnem, qualiſcunque tandem ea fuerit.

Equidem jam in ſuperioribus (§. 162) evicimus, Deum omnes veritates univerſales cognoſcere, adeoque cum mundo rationali inſint veritates univerſales, utpote quæ ſunt generum & ſpecierum (§. 54 *Log.*), entium univerſalium (§. 232 & ſeqq. *Ontol.*), ex quibus mundus rationalis componitur (§. 258), idem jam ſuperius probatum videri poterat. Enimvero entia univerſalia ſuperius ſpectantur abſolute, hic vero tanquam in ſyſtema aliquod relata (§. 257. 258). Quemadmodum igitur nondum probatum exiſtimari poteſt, Deum omnia poſſibilia tanquam in ſyſtemata redacta ſibi repræſentare, ubi conſtat eundem cognoſcere poſſibilia omnia in ſe ſpectata, cum eorundem nexus poſſibilis omnis nondum in aprico ponatur (§. 142); ita ſimiliter ex eo, quod Deus cognoſcat omnia entia univerſalia cum ſingulis, quæ unicuique tribui poſſunt, prædicatis abſolutis, vel hypotheticis; nondum patet entium univerſalium inter ſe nexus, conſequenter nec inde conſtat, utrum Deus entia univerſalia ſibi repræſentet tanquam in ſyſtemata relata (§. 257), aut mundum totum rationalem cognoſcat (§. 258), nec ne. Talia monemus non modo ad avertendas præcoces ſciolorum cenſuras, quas ſuo jure contemnere poteramus, verum etiam ad excitandum & juvandum illorum acumen, quos ſolida rerum cognitio juvat. Neque enim adeo facile eſt in philoſophicis eum acquirere acuminis gradum, quo omnis in judicando præcipitantia, infelix illa errorum genitrix (§. 660 *Log.*), evitatur, quemadmodum ſuo exemplo probant vel Mathematici, ubi ad Matheſin mixtam, ſeu cognitionem naturæ mathematicam pedem promovent: id quod perſpectum eſt illis, qui diſciplinarum ad eam pertinentium, Opticæ præſertim ac Aſtronomiæ, ortum & progreſſum exacta mentis lance ponderant.

§. 263.

Mundi rationalis amplitudo. *Mundus rationalis omnes veritates univerſales continet.* Mundus enim rationalis eſt entium univerſalium omnium inter ſe connexorum ſeries (§. 258). Quamobrem cum entia univerſalia ſint genera & ſpecies, ſub quibus ſingularia continentur (§. 232 & ſeqq. *Ontol.*); mundus rationalis omnia repræſentat genera omneſque ſpecies, ſub quibus omnia ſingularia in omnibus mundis poſſibilibus continentur. Et quoniam quod enti ineſt, vel inter eſſentialia, vel attributa, vel modos locum habet (§. 149 *Ontol.*), ſine eſſentia vero ens eſſe non poſſit (§. 144 *Ontol.*), & attributa conſtanter inſint, modi ineſſe & non ineſſe poſſint (§. 150 *Ontol.*); in mundo rationali exhibentur omnia genera omneſque ſpecies cum ſuis eſſentialibus, attributis ac modorum poſſibilitatibus. Porro quia entia univerſalia connectuntur, quatenus ratio ejus, quod uni ineſt, continetur in alio (§. 10 *Coſmol.*), ens autem univerſale non habet rationem in alio, niſi quatenus ipſi ineſſe ponitur hic modus (§. 160 *Ontol.*), adeoque quatenus ens unum quoad modos, quos recipere valet, dependet ab aliis (§. 851 *Ontol.*); in mundo rationali entia univerſalia repræſentantur quoad omnem dependentiam a ſe invicem. Et quoniam denique mundus rationalis ſpectari debet tanquam immerſus omni mundo intelligibili & ſenſibili (§. 260); omnes quoque entium univerſalium relationes continere debet. Jam cum eſſentialia dent definitionem generum & ſpecierum (§. 272 *Log.*); in mundo rationali omnes continentur definitiones eædemque eſſentiales (§. 292 *Log.*). Quoniam porro attributa (§. 220, 221 *Log.*) modorumque poſſibilitates, quæ

per

Digitized by Google

per modum attributorum inſunt, de ſubjecto prædicantur ſub conditione eſſentialium (§. 222 *Log.*), adeoque ſub conditione definitionis *per demonſtrata*, quæ vero de ſubjecto ſub conditione definitionis prædicantur, ea prædicantur abſolute (§. 225 *Log.*); mundus rationalis omnes continet propoſitiones categoricas (§. 216 *Log.*) eaſque determinatas (§. 320 *Log.*). Quia denique modi atque relationes & quod in re quadam non concipitur poſſibile, niſi præſuppoſito ejus modo, de ſubjecto nonniſi ſub conditione enuntiantur (§. 217 *Log.*), conditio vero iſta ſtatum ſubjecti exprimit, in quo prædicatum ei tribui poteſt (§. 228 *Log.*); mundus rationalis omnes propoſitiones hypotheticas (§. 218 *Log.*) eaſdemque determinatas continet (§. 320 *Log.*). Quoniam itaque præter definitiones ac propoſitiones categoricas & hypotheticas nulla datur veritas univerſalis, quemadmodum non modo ex demonſtratis in propoſitione præſente patet, verum etiam ex omni theoria Logicæ & ſyſtematis Mathematicorum videre eſt; mundum rationalem continere veritates omnes univerſales palam eſt.

Hanc propoſitionem probe notari velim, ut penitius intelligantur, quæ de ratione divina mox ſumus dicturi, inprimis vero differentia inter rationem divinam & humanam rite percipiatur.

§. 264.

Quoniam Deus totum mundum rationalem & diverſitatem omnem, ſi qua quoad diverſos mundos intelligibiles occurrit, cognoſcit (§. 262), mundus vero rationalis omnes veritates univerſales continet (§. 263); denuo patet, quod ſupra (§. 162) jam alio modo demonſtratum fuit, *Deum omnes veritates univerſales cognoſcere.* *Veritatum univerſalium cognitio in Deo.*

Atque per hanc demonſtrationem evaneſcit dubium, quod circa ſuperiorem, quemadmodum monuimus (*not.* §. 162), ſupereſſe poterat, num Deo omnis omnino veritatum univerſalium cognitio tribuenda ſit. Eodem nimirum modo jam patet, Deum cognoſcere omnes veritates univerſales, quas in oppoſitione ad facta etiam *veritates* ſimpliciter appellamus, quo conſtat eundem omnia facta cognoſcere (§. 251).

§. 265.

Cognitio mundi rationalis eſt cognitio philoſophica. Cum enim mundus rationalis ſit ſeries entium univerſalium inter ſe connexorum (§. 258), entia vero inter ſe connectantur, quatenus ratio eorum, quæ uni inſunt, continetur in altero, & ea, quæ enti uni inſunt, inter ſe connectantur, quatenus ratio unius, quod ineſt, continetur in altero, quod una ineſt (§. 10 *Coſmol.*); qui mundum rationalem cognoſcit, is perſpicit rationem eorum, quæ ſunt vel fiunt, aut, ubi cum univerſalibus nobis eſt negotium, cur quid eſſe vel fieri poſſit. Quamobrem cum cognitio rationis eorum, quæ ſunt vel fiunt, aut, quod perinde eſt, cur quid eſſe vel fieri poſſit, philoſophica ſit (§. 6 *Diſc. prælim.*); cognitionem mundi rationalis eſſe eandem illam, quam philoſophicam dicimus, patet (§ 349 *Log.*). *Identitas cognitionis mundi rationalis cum philoſophica.*

Conſtat adeo objectum cognitionis philoſophicæ eſſe mundum rationalem, quemadmodum hiſtoricæ, mundum intelligibilem quoad Deum, mundum ſenſibilem quoad homines. Hæc verſatur circa facta, illa circa veritatem, quæ factis ineſt.

§. 266.

Digitized by Google

§. 266.

Cognitio philoſophica Dei,

Deus omnem cognitionem philoſophicam habet. Deus enim totum mundum rationalem cognoſcit (§. 262), omnibus mundis intelligibilibus immerſum (§. 260). Quamobrem cum cognitio mundi rationalis ſit philoſophica (§. 265); Deus utique omnem cognitionem philoſophicam, quæcunque dari vel concipi poteſt, habet.

Per notionem mundi rationalis liquet, quando Deo omnem tribuimus cognitionem philoſophicam, non aliud affirmari, quam quod Deo perſpecta ſint omnia entia univerſalia quoad omnes determinationes intrinſecas & extrinſecas cum mutua eorundem a ſe invicem atque a ſe ipſis dependentia, conſequenter nil tribui eidem, quod ſummam intellectus divini perfectionem dedeceat.

§. 267.

Philoſophi definitio.

Philoſophus dicitur, qui cognitione philoſophica inſtructus, conſequenter, cum cognitio philoſophica ſit cognitio rationis eorum, quæ ſunt, vel fiunt, ſeu cur quid eſſe, aut fieri poſſit (§. 6 *Diſc. prælim.*), qui rationem reddere poteſt eorum, quæ ſunt, vel fiunt, ſeu cur quid eſſe, aut fieri poſſit.

Definivimus alias (§. 46 *Diſc. prælim.*) philoſophum per eum, qui rationem reddere poteſt eorum, quæ ſunt, vel fiunt, & hac definitione hic quoque poteramus eſſe contenti. Quoniam tamen ſuperius hiſtoricum definivimus per eum, qui cognitione hiſtorica inſtructus (§. 254), & in doctrina de omniſcientia Dei cognitionem philoſophicam opponimus cognitioni hiſtoricæ; conſultius nobis videtur philoſophum definire per eum, qui cognitione philoſophica inſtructus, oſtenſa tamen definitionum æquipollentia, ne ſignificatum vocabuli contra legem philoſophici ſtyli (§. 143 *Diſc. prælim.*) immutaſſe videamur, dum eidem conformiter eundem retinemus (§. 141 *log.*).

§. 268.

Deus qualis ſit philoſophus.

Deus eſt philoſophus abſolute ſummus. Etenim Deus omnem cognitionem philoſophicam habet (§. 266). Quamobrem cum philoſophus ſit, cui philoſophica eſt cognitio (§. 267), nec major concipi poſſit philoſophus, quam cui omnis cognitio philoſophica eſt; Deus philoſophus abſolute ſummus eſt.

Recordatus eorum, quæ ad propoſitionem, qua Deo cognitionem philoſophicam omnem vindicamus, annotavimus (*not.* §. 266), cave ne nomen Philoſophi Deo indignum pronunties, propterea quod abjecte de philoſophia ſentias, philoſophiam æſtimans vel ex cognitione eorum, qui dicuntur philoſophi, vel ex monito Apoſtoli *Col.* II. 8 male intellecto & applicato. Ecquis enim eſt, qui neſciat dici philoſophos, qui non ſunt, & ſæpe quæ recte dicta ſunt ab iis, qui merito ſuo philoſophi appellantur, abſurda videri hominibus a cognitione philoſophica remotis? Non unus itaque committi poteſt error, ſi quis ex cognitione eorum, qui dicuntur philoſophi, philoſophiæ pretium ſtatuere velit. Quod monitum Apoſtoli attinet, noſtrum jam non eſt inquirere, an ipſi ſermo ſit, quemadmodum *Hammondo*, celebri Paraphraſtæ novi teſtamenti, videtur, de Gnoſticorum erroribus, qui doctrinam chriſtianam principiis philoſophiæ *Pythagoricæ* admixtis corrumpebant non ſine omni ſpecie. Sit enim, quod tamen probatum non eſt, Apoſtolo eſſe ſermonem de philoſophia, quæ nihil vitii habet; ex verbis tamen ejus ſatis ſuperque apparet, ipſum locutum de principiorum philoſophicorum applicatione, adeoque eo in caſu, quo vera intelligitur male facta. *Videte enim*, inquit, *ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam*. Perverſa autem philoſophiæ applicatio ad corrumpenda vel evertenda religionis chriſtianæ principia, philoſophicorum principiorum falſitatem & noxitudinem minime arguit, ſed eorum potius abuſum redarguit. Ponamus enim Antitrinitarium impugnare Trinitatis myſterium idque rejicere tanquam impoſſibile, propterea quod implicat unitatem eſſe numerum ternarium

(§. 340

(§. 340 *Ontol.*). Ecquis inde inferet, falſum eſſe principium, quod unitas ternarius non ſit, nec ternarius unitas eſſe poſſit? Abutitur hoc principio in ſe vero, qui vi ejuſdem in notione Trinitatis contradictionem latentem eruere conatur, Trinitatem confundens cum Tritheiſmo, qui eſſentia divina ter poſita reſultat, quemadmodum ternarius ex unitate ter repetita. Error igitur non in principio eſt, ſed in notione Trinitatis, quam pervertit, ut in Tritheiſmum degeneret. Sit itaque Apoſtoli temporibus non defuiſſe homines, qui principiis philoſophicis abuſi doctrinam chriſtianam corruperunt, & ipſum monere ſuos ut ſibi caveant ab iſtis hominibus; non tamen hinc ſequetur cognitionem philoſophicam eſſe falſam & noxiam, fugiendam illis, qui Chriſto nomen dederunt, ne purioris evangelii doctrinæ jacturam faciant. Si quis monet auditores ſuos, ne ſe decipi patiantur ab hæretico, qui dictis Sacræ Scripturæ abutitur ad incruſtandos errores ſuos; nihil inde concluditur adverſus ipſam Scripturam Sacram. Si quis vero fuerit Grammaticus, qui cum ſcholæ natus ſit, rebus philoſophicis tanquam alienis importune ſe immiſcet, & ex etymologia argumentatus, quod philoſophus vi vocis denotet amatorem ſapientiæ, nomen philoſophi Deum dedecere infert, is & in propria principia peccat, & ſuum quoque in Grammatica deſiderari patitur acumen. Etenim cum amator ſapientiæ ſit, qui ex eadem voluptatem percipit (§. 654 *Pſychol. empir.*), negari autem non poſſit, quin Deus ex eadem voluptatem percipiat, ſeu eadem delectetur, nec Deum dedecere dici poſſit, quod eadem delectetur; ecquis, quæſo, ſerio dixerit, dedecere Deum, ſi ſummus ſapientiæ amator dicatur? Quodſi excipias, modeſtia ſingulari veterum contigiſſe, quod philoſophi, quam σόφοι ſeu ſapientes appellari maluerint, imperfectæ cognitionis memores, qua animi hominum imbuuntur, Deo autem, cui perfectiſſimus tribuendus intellectus (§. 568), haud quaquam convenire nomen, quod affectarunt veteres, ne arrogantes exiſtimarentur; ex etymologia vocabuli non amplius argumentaris, ſed ex ratione eidem intrinſeca, manifeſto indicio, quod ſignificatum vocabuli, quem vi originis obtinet, confundas cum ratione, cur veteribus ob ſignificatum etymologicum placuerit vocabulum: quæ confuſio, quod acumini Grammatici e diametro repugnet nemo negabit, niſi cui ipſi acies ingenii obtuſa fuerit. Nos vero, qui in foro non Grammaticorum, ſed philoſophorum verſantes ex notionibus rerum deducimus prædicata, quæ ipſis tribuimus, leges ratiocinandi fundamentales ſanctiſſime obſervamus; dum Deum philoſophum abſolute ſummum eſſe demonſtramus (§. 349 *Log.*). Ceterum utilitate ſua non caret, quod noverimus Deum eſſe philoſophum abſolute ſummum; etenim hinc intelligimus, nos colere philoſophiam veri nominis, utpote quæ ipſi Deo tribui poſſit, ac ideo vanum eſſe omnem metum, quaſi philoſophia homini, Deum ſincera mente colenti, noxia ſit, ut uſus alios non minus præclaros taceamus, ſuo tempore veluti ſponte ſua ſeſe manifeſtandos.

§. 269.

Intuitiva mundi rationalis cognitio in Deo.

Deus mundum rationalem intuitive cognoſcit. Idea mundi, quæ datur in Deo, ideam mundi rationalem includit (§. 261), adeoque Deus mundum rationalem intra intelligibilem, in cujus quippe idea exiſtit vi demonſtrationis ſuperioris de diverſitate ideæ mundi divinæ ac noſtræ (§. 205), ſibi repræſentat (§. 48 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque ſibi ſemper conſcius eſt eorum, quæ ſibi repræſentat (§. 187); omnium quoque eorum, quæ ad mundum rationalem ſpectant, ſibi conſcius eſt. Enimvero res intuitive cognoſcitur, quatenus cognoſcens ſibi conſcius eſt ideæ ejus, quam habet (§. 286 *Pſychol. empir.*). Deus igitur omnia ad mundum rationalem ſpectantia, ſeu, quod idem eſt, mundum rationalem intuitive cognoſcit.

Cognitionis hujus intuitivæ umbra quædam etiam in nobis deprehenditur: tanta nimirum ea eſt, quantam admittit differentia, quæ inter facultatem cognoſcendi limitatam & prorſus illimitatam intercedit. Sane nomina appellativa entia univerſalia denotant, veluti homo non Paulum, Jacobum, Joannem, Margaretham, Hedvvigem, Chriſtinam, ſed hominem in genere, hoc eſt, ſubjectum determinationum communium maſculis ac fœminis ſingulis ſignificat. Jam cum Paulum vel Margaretham videmus eidemque nomen hominis tribuimus, ejus ideam ad individua aliorum hominum, quos vel nunc una videmus,

vel antea vidimus, referentes determinationes communes, quarum ſubiectum vocabulo hominis indigitatur, ſeu homo a nobis dicitur, in ideis individuorum ſimul percipimus, ceteris ab iiſdem diverſis, atque ſic ens univerſale, quanquam confuſe, intuitive tamen cognoſcimus in ſingularibus, quibus totum immergitur (§. 259). Quodſi jam quæ de individuis quibuſdam generis humani & homine in genere a nobis confuſe percepto dicuntur, ad omne ens ſingulare in quocunque mundo poſſibili extendantur, & confuſæ perceptioni ſubſtituatur prorſus diſtincta; prodibit idea mundi totius rationalis, qualem in Deo dari, oſtendimus (§. 262), & intuitiva univerſalium in eodem cognitio a nobis percipitur, quatenus facultas cognoſcendi limitata repræſentare valet, quod omnem limitationem reſpuit. Clariora hæc evadent iis, qui probe perpenderunt de ratiociniis confuſis a nobis demonſtrata (§. 354. 355 *Log.*). Ne tamen quicquam prætermittamus, quod ad intuitivam mundi rationalis cognitionem, Deo in propoſitione præſente vindicatam, intelligibilem quodammodo reddendam facere poteſt, modum cognitionis intuitivæ univerſalium mox paulo diſtinctius exponere libet, utut ex iis, quæ modo diximus, jam videatur manifeſtus.

§. 270.

Veritatũ univerſalium cognitio in Deo. *Deus omnes veritates univerſales intuitive cognoſcit*. Etenim Deus mundum rationalem intuitive cognoſcit (§. 269). Sed mundus rationalis omnes continet veritates univerſales (§. 263). Ergo Deus utpote diſtincte cognoſcens omnia, nihil confuſe (§. 156), adeoque omnia diſtinguens, quæ in idea mundi diverſa inſunt (§. 38 *Pſychol. empir.*), omnes veritates univerſales intuitive cognoſcit.

Differt in eo cognitio divina ab humana. Nos enim perpaucas veritates univerſales intuitive cognoſcimus, propterea quod pauca tantummodo individua ad idem genus vel eandem ſpeciem ſpectantia ſimul intueamur, & quæ in iis percipimus, plerumque nonniſi confuſe, nihil vero adæquate percipiamus. Præterea quæ intuitive cognoſcimus, eorum veritas tantum non ſemper vi demonſtrationis, minimum cujuſdam generalis, ex principiis ontologicis contextæ, qualibus in Arte inveniendi locus eſſe debet, roboratur.

§. 271.

Quid ſit nexus veritatũ univerſalium. *Nexus veritatum univerſalium conſiſtit in eo, quod ex veritate propoſitionis unius univerſalis vel plurium univerſalium cognoſcatur veritas propoſitionis univerſalis alterius*. Propoſitiones univerſales ſunt, in quibus ſpeciebus atque generibus tribuitur prædicatum, quod ſingulis ſpeciei individuis, vel ſingulis generis ſpeciebus harumque individuis ſive abſolute, ſive ſub data determinatione convenit (§. 242 *Log.*). Enimvero ſpeciebus inſunt determinationes, quæ notionem generis ingrediuntur (§. 241 *Ontol.*), & generi inferiori inſunt determinationes, quæ notionem generis ſuperioris ingrediuntur (§. 242 *Ontol.*). Quamobrem ex iis, quæ inſunt ſpeciei, intelligitur, cur ea ad hoc genus ſit referenda, & ex iis, quæ inſunt generi inferiori, cur ſub genere aliquo ſuperiori conſtituatur. Jam cum porro ſpeciei ideo conveniant prædicata abſoluta vel conditionata, quod ſub hoc genere contineatur, & eidem quoad alterum caſum ſuperaccedat conditio, ſub qua generi prædicatum conditionatum competit, ac idem quoque dicendum ſit de genere inferiori reſpectu ſuperioris (§. 348 *Log.*); ex eo, quod conſtet, generi convenire aliquod prædicatum, intelligitur, idem etiam ſpeciei vel generi inferiori convenire debere, conſequenter propoſitio univerſalis, quæ de genere inferiori aut ſpecie quadam quid enuntiat, intelligitur vera, quod vera agnoſcatur propoſitio univerſalis, qua idem prædi-

prædicatum eodem modo tribuitur generi ſuperiori vel proximo, & quod verum eſſe conſtet, ſubjectum propoſitionis illius univerſalis eſſe genus inferius vel ſpeciem ſub genere hoc ſuperiori vel proximo ſubſtantem. Veritas adeo propoſitionis univerſalis unius rationem ſufficientem agnoſcit in aliis (*§. 56 Ontol.*), conſequenter propoſitiones univerſales, quatenus veræ ſunt, aut, ſi mavis, veritates univerſales inter ſe connectuntur (§. 10 *Coſmol.*), patetque *per demonſtrata* nexum earundem in eo conſiſtere, quod ex veritate propoſitionis unius univerſalis vel plurium univerſalium cognoſcatur veritas propoſitionis univerſalis alterius.

Veritates univerſales inter ſe connecti, alias jam evicimus (§. 482 *Pſychol. empir.*), adeoque ſuperfluum videri poterat, hic demum probari, quod earundem detur nexus. Enimvero ibidem nexum veritatum univerſalium ſtabilivimus a poſteriori; hic vero, ubi docemus, in quonam conſiſtat, eundem a priori deducimus. Probandum igitur omnino erat, non alium eſſe poſſibilem per notiones rerum nexum, quam qualem hic evincimus, nec fingi quendam, qui non ſit. Quodſi præſupponere viſum fuiſſet veritates inter ſe eſſe connexas; propoſitionis præſentis veritas brevius ita evinci poterat. Veritates univerſales connectuntur *per hypoth.* adeoque una in altera vel in pluribus aliis rationem ſufficientem habere debet (§. 10 *Coſmol.*), conſequenter ex unius vel plurium propoſitionum univerſalium veritate intelligitur, cur alia quædam propoſitio univerſalis vera ſit (§. 56 *Ontol.*), atque adeo nonniſi in eo conſiſtere poteſt nexus veritatum univerſalium, quod ex veritate propoſitionis univerſalis unius vel plurium cognoſci poſſit veritas propoſitionis univerſalis alterius.

§. 272.

Cognitio nexus veritatũ univerſalium qualis Deo tribuenda.

Deus nexum veritatum omnium univerſalium intuitive cognoſcit. Etenim Deus omnes veritates univerſales intuitive cognoſcit (§. 270), adeoque (§. 286 *Pſychol. empir.*) quatenus in mundo rationali continentur (§. 263). Veritates vero univerſales inter ſe connexæ ſunt, ut ex veritate unius vel plurium intelligatur, cur alia vera (§. 271). Deus igitur veritates illas ad ſe invicem referens cognoſcere debet, quomodo unius veritas a veritate aliarum pendeat. Quamobrem nexum veritatum univerſalium intuitive cognoſcit.

Atque in eo differt cognitio divina ab humana. Etenim nos vi dicti de omni & nullo, quod nititur nexu veritatum univerſalium, quemadmodum ex demonſtratione anteriore (§. 271) conſtat, ratiocinando (§. 353 *Log.*) nexum illarum veritatum detegimus; intuitive autem cognoſcere non poſſumus. Ratio diverſitatis hæc eſt, quod Deus totum mundum rationalem, veritates omnes univerſales continentem (§. 263), cognoſcat intuitive; nos autem intuitivam iſtius mundi cognitionem diſtinctam minime habeamus.

§. 273.

Simultanea omnium veritatũ univerſalium cognitio.

Deus omnes veritates univerſales ſimul cognoſcit. Idea integra mundi unico actu producitur a Deo (§. 201). Quamobrem cum idea mundi, quæ datur in Deo, ideam mundi rationalis includat (§. 261); idea mundi rationalis cum intelligibilis mundi idea, quæ in Deo datur (§. 200. 203), una ſtatim producitur, adeoque eodem iſto unico actu. Quoniam itaque Deus ſibi ſemper conſcius eſt eorum, quæ in idea mundi rationalis continentur (*per demonſtrata in* §. 269), in eadem vero continentur veritates univerſales omnes (§. 263); Deum veritates univerſales omnes ſimul cognoſcere patet.

Eqnidem negari non poteſt, dnm in ſuperioribus probavimus Deum omnia ſimul cognoſcere, probatum quoque jam ſniſſe, quod veritates univerſales omnes ſimul cognoſcat: quoniam tamen probationes ſpeciales eorum, quæ ſub generalibus propoſitionibus ſubſumi poterant, plus lucis affundunt intellectui; ideo conſultum eſt, ne in diſciplinis philoſophicis, ubi proximas quærimus omnium rationes, ſpeciales demonſtrationes negligantur: quod ſicuti in aliis, ita in cognitione veritatum univerſalium ſimultanea a nobis obſervatur.

§. 274.

Cur Deus ratiocinando veritatē non cognoſcat, hujus tamen cognoſcendi modi ideam habeat.

Deus non demum unum ex altero colligit, novit tamen, quomodo quæcunque veritas univerſalis ex aliis colligi poſſit. Etenim Deus omnes veritates univerſales (§. 270) earundemque nexum intuitive (§. 272) atque ſimul cognoſcit (*§.* 273). Quoniam itaque intuitive quid cognoſcitur, quatenus cognoſcens ideæ ejus, quod cognoſcit, ſibi conſcius eſt (§. 286 *Pſychol. empir.*); Deus omnium veritatum univerſalium earundemque nexus ſimul ſibi conſcius eſt vi idearum, quæ in intellectu ipſius inſunt. Non igitur opus habet, ut, quemadmodum a nobis fieri ſolet (*§.* 363. 364 *Pſychol. empir.*), ex duabus propoſitionibus cognitis terminum communem habentibus formet ex terminis duobus diverſis tertiam ſibi adhuc incognitam, conſequenter propoſitionem unam non demum ex aliis colligit (§. 365 *Pſychol. empir.*). *Quod erat unum.*

Porro cum Deus omnem quoque nexum veritatum univerſalium intuitive cognoſcat (§. 272), nexus vero veritatum univerſalium conſiſtat in eo, quod ex veritate propoſitionis unius univerſalis vel plurium univerſalium cognoſcatur veritas propoſitionis univerſalis alterius (§. 271); Deus utique novit, quomodo veritas propoſitionis cujuslibet univerſalis cognoſcatur ex veritate propoſitionum univerſalium aliarum. Enimvero veritas propoſitionis unius univerſalis cognoſcitur ex propoſitionum aliarum veritate vi dicti de omni & nullo (§. 346. 347. 348. 349 *Log.*), tanquam ratiocinandi lege (§. 373 *Pſychol. empir.*), quemadmodum paulo ante latius deduximus, cum cognitionem intuitivam nexus veritatum omnium univerſalium Deo vindicaremus (§. 272). Quamobrem cum dicto de omni & nullo nitantur omnes ſyllogiſmi (§. 353 *Log.*), quibus propoſitio una nondum cognita ex cognitis aliis infertur (§. 333. 334 *Log.*), ſeu colligitur (§. 365 *Pſychol. empir.*); Deus novit utique, quomodo quæcunque veritas univerſalis ex aliis colligi poſſit. *Quod erat alterum.*

Equidem Deus diſtincte cognoſcens omnem ſeriem perceptionum ac appetitionum, quæ inſunt ſingulis animabus, cum in illarum numero quoque ſint ratiocinia, quibus veritas una colligitur ex aliis, quæ tanquam ante cognita præſupponuntur; omnia quoque ratiocinia perſpicere aut, ſi mavis, intuitive cognoſcere debet, quæ ab ullo unquam homine facta ſunt, aut nunc fiunt, aut fient in poſterum, imo quæ fieri poſſent, ſi in aliis rerum ſeriebus ad actum nunquam perducendis contenti homines exiſtere deberent. Suppoſita vero hac factorum cognitione oſtendi porro poterat, quomodo Deus quoque perſpiciat univerſalia, quæ ipſis inſunt. Atat nec opus eſt, ut per ambages quæratur, quod in propinquo eſt, nec ut ratio cognitionis alicujus, quæ cadit in Deum, mediate ex cognitione humana petatur, cum id immediate ex ipſa notione cognitionis divinæ deſumi poſſit. Cognitio poſſibilitatis cognoſcendi veritatem propoſitionis unius ex veritate aliarum nullam involvit imperfectionem, etſi cognitio actualis veritatis propoſitionis unius ex ve-

Digitized by Google

ex veritate aliarum ab imperfectione libera non ſit, quemadmodum confuſæ veritatum ſenſibilium ideæ, quæ nonniſi mediantibus ideis animarum intellectu divino ineſſe poſſunt (§. 198).

§. 275.

Quomodo Deus univerſalia cognoſcat.

Deus omnia univerſalia eorundemque nexum cognoſcit, dum ſingularia intuens, quæ ipſis inſunt, determinationes ad ſe invicem refert. Etenim omnes cognoſcit mundos poſſibiles (§. 141), & quidem intuitive (§. 207) atque prorſus diſtincte (§. 156). Quamobrem cum mundus quicunque poſſibilis ſit entium ſingularium congeries (§. 248), & qui ens ſingulare diſtincte cognoſcit, ſingula ſigillatim enuntiabilia in eodem diſtinguit (§. 38 *Pſychol. empir.*); Deus quoque omnes determinationes intrinſecas, quæ unicuique ſingularium inſunt, a ſe invicem diſcernit. Et quia ſimul cognoſcit omnia (§. 160); dum ea, quæ ſingulis inſunt, ad ſe invicem refert, non poteſt non perſpicere, quænam in pluribus eadem ſint, conſequenter omnem ſingularium ſimilitudinem partialem cognoſcit (§. 195 *Ontol.*). Similitudine partiali individuorum ſeu entium ſingularium conſtituuntur omnia univerſalia (§. 232 *Ontol.*). Deus igitur univerſalia omnia cognoſcit, dum determinationes, quæ ſingularibus inſunt, hæc intuens inter ſe confert. *Quod erat unum.*

Porro Deus ſingularia iſta cognoſcit tam abſolute ſpectata, quam in ſyſtemata redacta (§. 155). Jam ſi ſingularia in ſe ſpectantur, attributorum cum eſſentialibus (§. 143) & modorum ſingulorum quoad poſſibilitatem inexiſtendi intrinſecam cum eſſentialibus iiſdem (§. 143), quoad poſſibilitatem vero inexiſtendi extrinſecam cum determinationibus, quæ aliis ſingularibus inſunt, nexus cognoſcitur (§. 144 *Theol nat.* & §. 111 *Coſmol.*). Deus itaque diſtincte omnia cognoſcens, nihil vero confuſe (§. 156), omnem quoque hunc nexum perſpicere debet (§. 38 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum ſimul cognoſcat omnia (§. 160); dum ſingularia intuens (§. 247) eas, quæ ipſis inſunt, determinationes ad ſe invicem refert, quæ quoad hunc nexum attributorum cum eſſentialibus & modorum cum determinationibus intrinſecis ejuſdem entis atque entium aliorum in ſingularibus eadem ſunt, cognoſcit. Enimvero cum entia univerſalia ſimilitudine (§. 232 *Ontol.*), adeoque determinationibus communibus ſingularium conſtituantur (§. 195 *Ontol.*); quatenus idem nexus attributorum cum eſſentialibus & modorum cum determinationibus tum ejuſdem entis, cui modi iſti ineſſe poſſe intelliguntur, tum aliorum entium, unde eorundem extrinſeca pendet poſſibilitas, in pluribus ſingularibus deprehenditur, univerſalium omnino eſt. Deus igitur determinationes intrinſecas individuorum ſeu ſingularium, quæ intuetur, inter ſe conferens, omnem univerſalium nexum cognoſcit. *Quod erat alterum.*

Atque hoc pacto manifeſtam eſſe exiſtimo intuitivam omnium univerſalium atque nexus eorundem cognitionem, qualem Deo convenire in anterioribus evicimus, ut adeo ejuſdem poſſibilitas a priori evicta (§. 663 *Log.*) nihil amplius difficultatis faceſſat. Non tamen

incon-

inconſultum nobis videtur pro intellectus noſtri modulo admirandum iſtum modum univerſalia in ſingularibus intuendi exemplo quodam illuſtrare, ut eum quodammodo intelligamus. Serviunt huic inſtituto formulæ quædam algebraicæ, veluti eæ, quæ ſerviunt pro numeris polygonis (§. 210. 212 *Analyſ. finit.*), quibus jam uſi ſumus in notione univerſalium & ſingularium illuſtranda (§. *not.* §. 72. 73. & 74 *Log.*). Etenim ſi formulam generalem pro omnibus numeris polygonis determinate explices per numeros omnes poſſibiles; prodibunt omnes numeri polygoni ſingulares in infinitum, quibus ſingulis ineſt, quod ad notionem generis pertinet, eorum vero diverſis ſeriebus ineſt, quod ad ſpeciem, ſub qua ſinguli cujuslibet ſpeciei numeri continentur, pertinet. Attentione vero in omnes ſimul converſa & ſingulas determinationes intrinſecas a ſe invicem diſcretas inter ſe conferendo innoteſcit, quomodo intueri detur genus cum ſuis ſpeciebus in ſingularibus. Si n ſit latus numeri polygoni & a numerus angulorum, formula generalis pro omni numero polygono eſt $\frac{n^2(a-2)-n(a-4)}{2}$. Conſtat n determinari poſſe per quemlibet numerum in ſerie naturali ab unitate incipiente; a vero per quemlibet numerum in eadem ſerie, ſed incipiente a ternario (§. 208 *Analyſ. finit.*). Quamobrem ſi n explices ſucceſſive per 1, 2, 3, 4, 5 &c. in infinitum & a per 3, 4, 5, 6, 7 &c. in infinitum, ita ut ſumantur continuo termini correſpondentes in utraque ſerie, veluti pro numero primo 1 & 3, pro ſecundo 2 & 4, & pro tertio 3 & 5 &c. prodibit ſeries omnium numerorum triangularium. Et eodem modo determinantur ſinguli quadrati, ſinguli pentagoni &c. in infinitum. Nobis ſufficit exhibere partem ſeriei triangularium, partem ſimilem ſeriei quadratorum ſimilemque ſeriei pentagonorum.

Numeri triangulares.	*Numeri quadrati.*	*Numeri pentagoni.*
$\frac{1^2(3-2)-1(3-4)}{2}$	$\frac{1^2(4-2)-1(4-4)}{2}$	$\frac{1^2(5-2)-1(5-4)}{2}$
$\frac{2^2(3-2)-2(3-4)}{2}$	$\frac{2^2(4-2)-2(4-4)}{2}$	$\frac{2^2(5-2)-2(5-4)}{2}$
$\frac{3^2(3-2)-3(3-4)}{2}$	$\frac{3^2(4-2)-3(4-4)}{2}$	$\frac{3^2(5-2)-3(5-4)}{2}$
$\frac{4^2(3-2)-4(3-4)}{2}$	$\frac{4^2(4-2)-4(4-4)}{2}$	$\frac{4^2(5-2)-4(5-4)}{2}$
$\frac{5^2(3-2)-5(3-4)}{2}$	$\frac{5^2(4-2)-5(4-4)}{2}$	$\frac{5^2(5-2)-5(5-4)}{2}$
&c. in infinitum.	&c. in infinitum.	&c. in infinitum.

Quodſi oculum convertas in ſeriem triangularium, ſtatim vides factores parentheſibus incluſos in numeris ſingulis eſſe eoſdem & diviſorem pariter eundem. Si numeros parentheſibus incluſos ad ſe invicem refers, poſitivum in utroque factore eundem eſſe, negativum vero in priore binarium, in poſteriore quaternarium cernis. Si vero factores extra vinculum ad ſe invicem refers, in facto poſitivo factorem extra vinculum eſſe quadratum, in privativo aut, ſi mavis, ſubtractivo radicem ejuſdem quadrati oculis, patet. Nec minus hiſce obvium eſt, ubi ſingulos ſeriei terminos inter ſe conferre volueris, radices progredi in ſerie numerorum naturalium ab unitate incipiente & quadratos eſſe numeros quadratos eorundem numerorum. Quod igitur ineſt univerſali notioni omnium numerorum triangularium, ſolo cognoſcitur intuitu, quia ſingulares determinationes, quæ inſunt numeris ſingulis ſeu entibus ſingularibus a ſe invicem diſtinguuntur, adeoque ſingularia diſtincte percipiuntur, & determinationes a ſe invicem diſcretæ, tum quatenus eidem inſunt ſingulari, tum quatenus inſunt omnibus, inter ſe conferuntur. Quodſi jam ſingularia ad diverſas ſeries aut, ſi mavis, diverſas ſpecies ſpectantia inter ſe conferas; eodem modo, ſolo intuitu cognoſcis, intra vinculum numeros privativos ubivis eſſe eoſdem, eundem quoque eſſe diviſorem, & qui extra vinculum ſunt, eodem modo variari, quo in ſerie triangularium variantur. Unde denuo patet, quod ineſt univerſali notioni omnium numerorum polygonorum, ſeu notioni generis, ſolo intuitu cognoſci, quia ſingularia diſtincte percipis & determinationes a ſe invicem diſcretas inter ſe confers, tum quatenus eidem ſingulari, tum quate-

quatenus omnibus ſingularibus ejuſdem ſpeciei, tum denique quatenus omnibus ſingularibus diverſarum ſpecierum inſunt. Atque hoc pacto clariſſime patere arbitror, quomodo univerſalia intuitive cognoſcantur in ſingularibus, ita ut in ipſo modo cognoſcendi nil admittatur, niſi quod Deo convenire in ſuperioribus evictum eſt. Etenim ſubſtitue numeris polygonis omnia entia ſingularia, quæ omnes ingrediuntur mundos poſſibiles (§. 248), pone eadem ita repræſentari, ut omnes determinationes intrinſecæ a cognoſcente diſcernantur, adde cognoſcentem uno intuitu ſimul complecti omnia ſingularia in ſeries ſuas relata, eo ordine, quem in ſingulis mundis tenent; cognitio intuitiva univerſalium in ſingularibus, quam de numeris polygonis poſſibilem declaravimus, degenerabit in immenſam illam, quæ Deo intellectu immenſo prædito (§. 276) competit. Ceterum hinc elucet novus quidam Matheſeos uſus in eruendis ideis eorum, quæ ad modum cognoſcendi Deo tributum ſpectant. Etenim non difficile foret, cetera quoque, quæ de eodem demonſtrata ſunt, exceptis iis, quæ ab infinitudine pendent, ad ſpeciem quandam intuitivæ cognitionis reducere, ut nobis inſint ideæ, quales differentia facultatis cognoſcendi finitæ ac infinitæ admittit. Si Metaphyſicæ imperitis uſus hic exigui momenti videatur, & Mathematum ignaris eodem clara obſcuritati involvi exiſtimentur; nos tamen, quibus & mathematica & metaphyſica perſpecta ſunt & qui ab idololatrico Dianæ cultu alieni nullo cœco in eundem amore ferimur, & uſum iſtum maximi facimus, & eundem iis, quæ tenebris involuta ſunt, in apricum producendis, ut ea pleniſſima luce fulgeant, oppido inſervire cognoſcimus. Mirum vero videri non debet, formulas algebraicas habere poſſe hunc uſum, ad quem eas transferimus. Reducunt enim ad cognitionem intuitivam, quæ abſtracta ſunt, & alias eidem ſubducerentur, eamque diſtinctam, ſi per numeros determinatos explicentur notiones univerſales & reducantur ad ſingulares, ut præter determinationes, quæ univerſalibus inſunt, inſint ſimul ſingulares: quamobrem ſi eadem formula per plures numeros explicetur, earundem collatione univerſale a ſingulari dignoſcitur. Hoc obſervaſſe uſui quoque eſt in inveniendo: pendet enim hinc artificium heuriſticum, quo non infeliciter uſus ſum in Matheſi, præſertim Arithmetica, ut, quæ alias captu difficillima ſunt tironibus, facillime comprehenderentur. Exemplum habes in extractionibus radicum (§. 261. 277 *Arithm.*). Etſi vulgo qui Matheſi ſe conſecrant, a metaphyſicis procul abſint & per Matheſin ab iis, removeri exiſtimentur; hoc tamen non obſtante Matheſeos inſignis ac prorſus egregius uſus eſt ad notiones metaphyſicas diſtinctas, determinatas & fœcundas venandas, rectificandas & confirmandas: id quod experientia & ratione convictus affirmo. Sit ita, quod hic uſus non pateat cuivis. Non latet mihi ratio, cur non pateat; ſed ea non eſt hujus loci.

§. 276.

Cognitio univerſalis Dei non eſt ſymbolica. Etenim Deus omnes veritates univerſales intuitive cognoſcit (§. 270), ipſum etiam veritatum univerſalium nexum (§. 272), adeoque ipſo idearum intuitu abſolvitur (§. 286 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque diſtincte cognoſcit omnia, nihil confuſe (§. 156); eo ipſo actu, quo ſibi conſcius eſt illarum determinationum, quæ ad notionem univerſalem ſpectant, a ceteris eaſdem ſeparat. Non igitur demum opus habet vocabulis vel aliis ſignis, quibus tanquam ſejuncta a ſingularibus vel minus univerſalibus ſibi repræſentet, quæ ſingularibus inſunt, conſequenter non opus habet ad univerſalia ſingularibus immerſa (*per demonſtrata in* §. 260) diſtincte ſibi repræſentanda, ſymbolis aut vocabulis, quemadmodum nobis accidit (§. 284 *Pſychol. empir.*). Et quoniam Deus non demum unum ex altero colligit (§. 274), conſequenter in cognitione univerſalium ratiociniis nullis opus habet (§. 366 *Pſychol. empir.*): nec neceſſe eſt, ut vocabulorum vel aliorum ſignorum uſu ratiocinia diſtincta efficiat, quemadmodum denuo nobis accidit (§. 369 *Pſychol. empir.*), atque hinc ea, quæ Deo competit, cognitio univerſalis ſymbolica non eſt (§. 289 *Pſychol. empir.*).

Cognitio univerſalium in Deo cur non ſit ſymbolica.

Ceſſant

Digitized by Google

Ceſſant penes Deum rationes cognitionis ſymbolicæ: quid ergo mirum, quod *ipſa* etiam cognitio univerſalium, qua gaudet, ſymbolica non ſit? Quodſi nos omnia ſimul & diſtincte intueremur, quemadmodum Deus (§. 160. 156), neque univerſalia remotioris gradus in iis, quæ percipiuntur, quaſi ſepulta eſſent, ut ſingulari quodam acumine, quod acumen pervidendi abſtracta in concretis appellare ſoleo (*not.* §. 450 *Ontol.*) nonniſi ſingulari ſtudio acquirendum, ad ea pervidenda opus ſit, nec ad ea, quæ in perceptionibus noſtris confunduntur, evolvenda longa ſæpius ratiociniorum concatenatione opus eſſet, ut diſtincte percipiantur; univerſalium cognitio nobis quoque eſſet tota intuitiva neque ſymbolis haberemus opus, niſi ad eam cum aliis communicandam (§. 36 *Log.*). Limitationibus adeo intellectus noſtri tribuendum, quod cognitio univerſalium ſymbolica eſſe debeat, aſt intuitiva intra arctos admodum limites coerceatur & valde imperfecta ſit.

§. 277.

Cognitio ſymbolica cur Deo perſpecta.

Deo perſpecta eſt omnis cognitio ſymbolica poſſibilis. Etenim Deus cognoſcit omnia poſſibilia (§. 155). Quamobrem cum ſymbolica cognitio, qua nos utimur, poſſibilium numero comprehendatur (§. 170 *Ontol.*); omnis quoque cognitio ſymbolica eidem perſpecta eſſe debet.

Idem etiam ſic oſtenditur. In cognitione ſymbolica verbis enuntiantur, quæ in ideis continentur, vel aliis ſignis repræſentantur (§. 289 *Pſychol. empir.*), & voces ſive vocabula, quibus notiones ſignificantur (§. 36 *Log.*), in ſignorum numero ſunt (§. 958 *Ontol.*). Quamobrem cum Deus cognoſcat omnia, quæcunque cognoſcibilia ſunt (§. 154); cognoſcere etiam debet, quibusnam ſignis ea, quæ in ideis rei continentur, denotari queant. Omnem adeo cognitionem ſymbolicam perſpectam habet.

Equidem cum in ſuperioribus oſtenderimus, Deum confuſas rerum ideas perſpectas habere, quatenus eas intuetur in ideis animarum (§. 198); eodem modo probari poſſe videtur, quod omnem quoque habeat cognitionem ſymbolicam. Enimvero cum cognitio ſymbolica in ſe nulla laboret imperfectione, aut, ſi mavis, citra imperfectionem intellectua cognoſci poſſit, quomodo ſymbolice repræſententur omnia, quæ cognitu poſſibilia ſunt; non opus eſt ut huc recurramus. Et ſi quis huc recurrere vellet, is aut minus probaret, quam probari debebat, cum nondum evictum ſit, omnem poſſibilem cognitionem ſymbolicam in ideis animarum contineri, aut admittere deberet, quod unum ex altero colligat, quatenus ſcilicet ex ea, quæ in animabus hominum continetur, infert reliquam cognitionem ſymbolicam non minus poſſibilem in ipſis deſideratam.

§. 278.

Cur perſpecta ſit ea, quæ hominibus ſingulis eſt.

Deo omnis cognitio ſymbolica perſpecta eſt, quæ in hominibus datur ſingulis. Cognitio ſymbolica, quæ datur in ſingulis hominibus, res facti eſt (§. 249). Quare cum Deus res facti omnes cognoſcat (§. 251); omnis quoque cognitio ſymbolica, quæ in ſingulis datur hominibus, ei perſpecta eſſe debet.

Pertinet cognitio, quæ hic Deo tribuitur, ad cognitionem hiſtoricam (§. 252), cujus nihil Deo denegari poteſt (§. 253).

§. 279.

Ratio Dei quanta ſit.

Deo ratio abſolute ſumma ſeu maxima competit. Deus enim omnes veritates univerſales earundemque nexum intuitive & ſimul cognoſcit (§. 270. 272. 273). Quoniam itaque ratio major ei eſt, qui plurium veritatum univerſalium nexum perſpicit, quam illi, qui pauciorum nexum perſpicit (§. 488 *Pſychol. empir.*), nec minus ei ratio major eſt, qui nexum veritatum univerſalium inter ſe in ſerie longiori continuare valet, quam qui

eundem in ſerie breviori producere poteſt (§. 489 *Pſychol. empir.*); major ratio enti cuidam competere nequit, quam ſi ipſum omnium veritatum univerſalium nexum ſimul ſeu actu unico perſpicit. Ratio igitur Deo abſolute ſumma ſeu maxima competit.

Probavimus jam ſupra (§. 140), Deum eſſe ratione præditum, ex natura ipſius ſpirituali. Jam vero idem probari poteſt ex ipſa rationis definitione: quæ probatio cum ſua utilitate non deſtituatur, eam hic ſubnectere lubet. Nimirum Deus nexum veritatum univerſalium intuitive cognoſcit (§. 272). Quamobrem cum facultas nexum veritatum univerſalium intuendi ſeu perſpiciendi ratio ſit (§. 483 *Pſychol. empir.*); qui veritatum univerſalium nexum intuetur, ratione præditus ſit neceſſe eſt. Deus itaque ratione præditus eſt. Atque hoc modo clariſſime patet, Deo tribui rationem eodem ſenſu, quo homini tribuitur. Cum abſonum ſit, ne quid gravius dicam, reprehendere quidpiam, quod Deo convenit; rationem humanam reprehendi minime poſſe, nec recte tanquam noxiam traduci, liquido conſtat.

§. 280.

Ratio divina illimitata eſt. Quoniam ratio eſt facultas intuendi ſeu perſpiciendi nexum veritatum univerſalium (§. 483 *Pſychol. empir.*); ratio limitari nequit, niſi quatenus non extenditur ad veritates univerſales omnes, & quatenus earum a ſe invicem nexum non uno obtutu comprehendit. Quamobrem cum Deus & nexum veritatum univerſalium omnium intuitive cognoſcat (§. 272), & quidem ſimul (§. 273); ratio, quæ ipſi eſt (§. 140), nullos prorſus recipit limites ſeu prorſus illimitata eſt. *Ratio divina illimitata.*

Atque in eo differt ratio humana a divina, quod illa valde limitata ſit, hæc vero limites omnes prorſus reſpuat.

§. 281.

Ratio divina infinita eſt. Deus enim omnium veritatum univerſalium nexum ſimul intuetur (§. 272. 273), ut adeo nihil concipi poſſit, quod ad rationem pertinens (§. 483 *Pſychol. empir.*) non continuo ſit in Deo. Quoniam itaque Deus actu cognoſcit omnia, quæ vi rationis cognoſcere poteſt, infinitum vero ſit ens, cui inſunt omnia ſimul, quæ eidem actu ineſſe poſſunt (§. 838 *Ontol.*); ratio divina infinita eſt. *Infinitudo rationis divinæ.*

Repetenda hic ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 167), cum infinitudinem intellectus divini evinceremus, ne duæ propoſitiones de excluſione limitum ex ratione divina & infinitudine ejuſdem præter neceſſitatem diſtingui exiſtimentur.

§. 282.

Ratio divina omni enti rationali finito incomprehenſibilis. Ens enim rationale finitum non omnium veritatum univerſalium nexum, quem actu perſpicere valet (§. 483 *Pſychol. empir.*), ſimul perſpicit (§. 837 *Ontol.*). Quamobrem cum non habeat ideam rationis, niſi quatenus ſibi conſcium eſt ſui ipſius (§. 12 *Pſychol. rat.*); ideam non habet claram niſi actus ſucceſſivi perſpiciendi nexum veritatum univerſalium. Enimvero Deus omnes veritates univerſales ſimul cognoſcit (§. 273), adeoque unico actu & nexum earundem intuetur (§. 272). Ens adeo rationale finitum non habet ideam iſtiuſmodi actus, quo ratio Deo tribuenda abſolvitur (§. 483 *Pſychol. empir.*), conſequenter rationem divinam ſibi repræſentare nequit *Incomprehenſibilitas rationis divinæ.*

 clare,

clare, nedum diſtincte (§. 48 *Pſychol. empir.*). Ratio igitur divina omni enti rationali finito incomprehenſibilis (§. 170).

Idem etiam ſic oſtenditur. Quoniam ens rationale finitum non habet ideam rationis, niſi quatenus ſui conſcium eſt (§. 12 *Pſychol. rat.*); non aliam niſi rationis finitæ ideam habet. Jam vero ratio divina infinita eſt (§. 281). Ens adeo rationale finitum non habet ideam rationis, qualis in Deo datur, conſequenter eandem ſibi repræſentare minime valet (§. 48 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque enti intelligenti incomprehenſibile eſt cognoſcibile, ſi modum, quo eſſe poteſt, ſibi minime repræſentare valet (§. 170); ratio divina omni enti rationali finito incomprehenſibilis.

Quæ ſupra de incomprehenſibilitate intellectus divini annotavimus (*not.* §. 172), ea etiam ad rationis divinæ incomprehenſibilitatem applicari poſſunt ac debent, ne quis ex incomprehenſibilitate rationis divinæ perperam inferat, quaſi ens rationale finitum nullam prorſus habeat rationis divinæ ideam. Eam enim habet, quæ ſufficit ut intelligat rationem divinam non eſſe terminum inanem, nec Deo tribui, quod impoſſibile, dum ratio infinita & illimitata ipſi vindicatur.

§. 283.

Cur ratio divina homini incomprehenſibilis.

Ratio divina homini incomprehenſibilis. Nemo non novit, impoſſibile eſſe, ut veritatum omnium univerſalium nexum perſpiciat, multo minus autem fieri poſſe, ut eundem uno obtutu comprehendat. Quamobrem cum ratio ſit facultas veritatum univerſalium nexum perſpiciendi (§. 483 *Pſychol. empir.*), & Deo veritatum univerſalium nexum omnem ſimul intuenti (§. 272. 273), ratio multo major ſit; ratio humana admodum limitata eſt (§. 825 *Ontol.*), adeoque finita (§. 173). Enimvero ratio divina omni enti rationali finito incomprehenſibilis (§. 282). Ratio igitur divina homini incomprehenſibilis.

Quæ de incomprehenſibilitate intellectus divini ſupra annotavimus (*not.* §. 174); ea quoque ad incomprehenſibilitatem rationis divinæ applicanda veniunt. Ceterum ex hac ipſa incomprehenſibilitate rationis divinæ ſequitur, ex eo, quod quid rationi conforme a nobis demonſtrari nequit, inferri minime poſſe, id ſupra rationem eſſe. Sit enim quod noſtram rationis ſphæram tranſcendat; non tamen ideo rationem omnem ſuperat.

§. 284.

Qualis ſit ratio divina.

Ratio divina actus eſt, non facultas. Etenim Deus veritates omnes univerſales ſimul cognoſcit (§. 273), earundemque nexum intuetur (§. 272). Quamobrem cum ratio entis intelligentis in eo conſiſtat, quod nexum veritatum univerſalium perſpiciat ſeu intueatur (§. 483 *Pſychol. empir.*); nihil vi rationis in Deo poſſibile eſt, quod non actu in eodem conſtanter detur. Quamobrem cum facultas ſit potentia activa (§. 716 *Ontol.*), adeoque de ratione ſumta nonniſi nexum veritatum univerſalium perſpiciendi poſſibilitatem denotet (§. *cit.*); ratio divina non eſt facultas, ſed actus purus.

Dici etiam ſolet, rationem in Deo concipi non per modum potentiæ, ſed per modum actus. Id vero ab infinitudine rationis divinæ paulo ante (§. 281) evicta pendet (§. 838 *Ontol.*), quemadmodum ex adverſo finitudini rationis humanæ tribuendum, quod animæ inſit per modum potentiæ (§. 837 *Ontol.*), adeoque inter facultates referatur (§. 29 *Pſychol. empir.*). Ea igitur differentia inter rationem divinam atque humanam intercedit, quam diſcrimen inter ens finitum & infinitum poſtulat.

§. 285.

§. 285.

Immenſitas rationis divinæ.

Ratio divina immenſa eſt. Ratio enim divina illimitata eſt (§. 280) eademque abſolute maxima (§. 279). Quamobrem cum non poſſit concipi ratio illimitata, quæ non ſit eadem cum divina, conſequenter omni enti rationali finito incomprehenſibilis (§. 282); ratio illimitata pro menſura illimitatæ, hoc eſt, ſui ipſius aſſumi nequit, ubi eam metiri volueris (§. 438 *Ontol.*), nihil omnino acturus. Quoniam vero præter rationem illimitatam non datur alia niſi limitata (§. 53 *Ontol.*); pro menſura accipienda foret ratio limitata. Enimvero impoſſibile eſt, ut ratio limitata, quotieſcunque ſumatur, tandem degeneret in illimitatam (§. 175), ſeu divinam (§. 280), vel eandem ſuperet (§. 279). Ratio igitur limitata illimitatæ prorſus heterogenea eſt (§. 364 *Ontol.*). Quamobrem nec ratio limitata pro menſura illimitatæ aſſumi poteſt (§. 441 *Ontol.*). Ratio igitur divina menſuram omnem reſpuit, conſequenter immenſa eſt (§. 41).

Quodſi magnitudinem rationis divinæ ejuſque incomprehenſibilitatem, non obſtante immenſitate, tibi quodammodo intelligibilem efficere volueris; eodem modo id fieri poterit, quo ſupra (§. 177) docuimus magnitudinem intellectus divini ejuſdemque incomprehenſibilitatem quodammodo intelligibilem efficere. Etenim cum objectum rationis ſit mundus rationalis, utpote omnes veritates univerſales (§. 263) eaſdemque inter ſe connexas continens (§. 271), quarum nexum ens rationale qua tale perſpicit (§. 483 *Pſychol. empir.*); quæ ibidem de mundo adſpectabili dicta ſunt, ad rationalem tantummodo transferenda veniunt: cujus ab eo differentiam (§. 257. 258) & modum, quo eidem immergitur (§. 260), cum ſatis expoſuerimus, propriæ uniuſcujuſque meditationi totum hoc, quod eſt, relinquimus.

§. 286.

Quandonam ratio ſit pura.

Si nexus veritatum univerſalium omnium per ea, quæ entibus inſunt, diſtincte cognita perſpicitur; ratio pura eſt. Si enim nexus veritatum univerſalium omnium per ea, quæ entibus inſunt, diſtincte cognita perſpicitur; nulla ſpecies ſuo ſubordinatur generi, nec ullum genus inferius ſuo ſuperiori, niſi quia ſpeciei inſunt determinationes, quæ notionem generis ingrediuntur (§. 241 *Ontol.*), & notioni generis inferioris inſunt determinationes, quæ ingrediuntur notionem generis ſuperioris (§. 242 *Ontol.*). Et ſimiliter in eadem hypotheſi non tribuitur ſpeciei vel generi inferiori aliquod prædicatum, ſive abſolutum, ſive conditionatum, niſi quia generi ſuperiori vel inferiori iſtiuſmodi prædicatum convenit abſolutum quidem per ea, quæ generi ſuperiori vel inferiori ſimul inſunt (§. 157 *Ontol.*), conditionatum vero per ea, quæ & generi ſuperiori vel inferiori, ſub quo genus inferius vel ſpecies ſubſtant, & enti cuidam alii univerſali vel pluribus inſunt (§. 160 *Ontol.*). Quamobrem nexus veritatum univerſalium explicabilis eſt per dictum de omni & nullo (§. 346 & ſeqq. *Log.*), ſeu per ratiocinia (§. 48. 49 *Log.*), neque in hiſce ratiociniis admittuntur niſi definitiones generum & ſpecierum & propoſitiones, & hæ quidem a priori cognitæ (§. 434 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum ratio pura ſit, ſi in ratiocinando non admittendæ niſi definitiones ac propoſitiones a priori cognitæ (§. 495 *Pſychol. empir.*); ubi nexus veritatum univerſalium

Digitized by Google

omnium per ea, quæ entibus inſunt, diſtincte cognita perſpicitur, ratio omnino pura eſt.

Probe notandum eſt, ut ratio data prorſus pura ſit requiri, ut nexus veritatum omnium perſpiciatur: alias enim ratiociniorum analyſis, per quæ nexus explicatur, terminatur in propoſitionibus a priori non cognitis, quod rationi puræ adverſatur.

§. 287.

Quænã ratio ſit pura.

Ratio limitata prorſus pura eſſe nequit, ſola illimitata pura eſt. Etenim cum ratio conſiſtat in eo, quod ens intelligens nexum veritatum univerſalium perſpicere poſſit (§. 483 *Pſychol. empir.*); ratio limitata non ad omnes veritates univerſales exporrigitur, illimitata vero ad omnes extendenda (§. 825 *Ontol.*). Jam vero ratio pura eſſe nequit, niſi veritatum univerſalium omnium nexus perſpiciatur (§. 286). Ratio igitur limitata prorſus pura eſſe nequit, ſola illimitata pura eſt.

§. 288.

Puritas rationis Divinæ, & cur humanæ repugnet.

Ratio Dei prorſus pura eſt; humana prorſus pura eſſe nequit. Ratio enim divina prorſus illimitata eſt (§. 280), aſt humanam valde limitatam eſſe nemo non novit, qui ſeipſum novit. Eſt vero ratio illimitata ſola pura, limitata pura eſſe nequit (§. 287). Quare ratio divina prorſus pura eſt, humana prorſus pura eſſe nequit.

Differentia hæc probe notanda eſt, ut quantum ratio divina humanam præſtet intelligatur: tanto enim ratio excellentior, quanto purior.

§. 289.

Cognitio univerſalium omnium in uno.

Deus ex qualibet veritate univerſali cognoſcit veritates ceteras omnes in univerſum, atque totum mundum rationalem. Cum enim in mundo rationali entia omnia univerſalia inter ſe connectantur (§. 257. 258); nihil in eo prorſus diſtincte cognoſcitur, niſi ejus nexus cum ceteris perſpiciatur. Quamobrem cum Deus omnia univerſalia eorundemque nexum cognoſcat, dum ſingularia intuens, quæ ipſis inſunt, determinationes ad ſe invicem refert (§. 275); quin totum mundum rationalem diſtincte cognoſcat dubitari nequit (§. 38 *Pſychol. empir.*). Neceſſe igitur eſt, ut Deus unius univerſalis nexum cum ceteris omnibus perſpiciat, atque adeo mundum totum rationalem in qualibet veritate univerſali cognoſcat. *Quod erat unum.*

Jam veritates univerſales non ſunt niſi propoſitionum determinatarum, quibus ea enuntiantur, quæ univerſalibus tribui poſſunt, prædicata. Neceſſe igitur eſt, ut Deus diſtincte cognoſcens omnia (§. 156), nexum veritatis cujuſvis univerſalis cum ceteris omnibus diſtincte cognoſcat. Conſiſtit vero nexus veritatum univerſalium in eo, quod ex veritate propoſitionis unius univerſalis vel plurium univerſalium cognoſcatur propoſitionis univerſalis alterius veritas (§. 271). Deus itaque ex veritate univerſali una cognoſcit ceteras omnes. *Quod erat alterum.*

Quæ hic de mundi rationali quoad Deum demonſtrantur, analoga ſunt iis, quæ de mundo intelligibili, quem Deus ſibi repræſentat (§. 200. 203), ſupra demonſtravimus (§. 161). Et ſane quia in mundo intelligibili Deus in quolibet minimo intuetur totum; ideo quoque in rationali in quolibet univerſali totum intuetur rationalem, propterea quod

idea

Digitized by Google

idea mundi intelligibilis ideam rationalis includit (§. 261) & Deus univerſalia eorundemque nexum, quibus rationalis conſtituitur (§. 258), in ſingularibus, quæ mundus intelligibilis complectitur (§. 248), intuetur (§. 275). Nihil in propoſitione præſente difficultatis occurrit, modo nexum veritatum univerſalium omnium cum omnibus rite percipias, ut intelligas poſſibilitatem ea qualibet inferendi ceteras omnes, etſi per infinitas ſæpiſſime ambages, nobis minime ſuperabiles. Conducunt huc, quæ in demonſtratione nexus veritatum univerſalium (§. 271), in demonſtratione realitatis mundi rationalis (§. 257) & tandem in demonſtratione inexiſtentiæ veritatum omnium univerſalium in mundo rationali (§. 263) de ſubordinatione entium univerſalium & dependentia eorundem quoad prædicata conſtantia a ſeipſis, quoad mutabilia a ceteris dicta & ad nauſeam uſque inculcata ſunt. Ceterum cum abſurdum non ſit de Deo affirmari, quod ex veritate univerſali una cognoſcat ceteras omnes, propterea quod ea una ceteræ colligi poſſint, Deus vero norit, quomodo hoc fieri queat (§. 274); ideo nec abſurdum videri poteſt, quod Deo quoad ſingularia ſeu facta eadem tribuatur cognitio, quæ ipſi quoad univerſalia ſeu veritates univerſales denegari non poteſt, niſi in ſummam rationis divinæ perfectionem injurius eſſe velis. Et ſane quemadmodum in ceteris omnibus, quæ de Deo dicentur, ſimilitudo quædam inter animam noſtram & Deum elucet, qualis ſalva differentia inter ens finitum & infinitum dari poteſt; ita in his quoque animæ & Dei ſimilitudo ſubſiſtit.

§. 290.

Veritas omnis a Deo eſt. Mundus enim rationalis veritates univerſales *Veritatis omnis*
omnes continet (§. 263). Enimvero cum idea mundi intelligibilis, quæ *quinam*
datur in Deo, ideam rationalis includat (§. 261), adeoque ipſe eandem *Auctor.*
una cum iſta producat vi intellectus ſui (§. 164); Deus omnino auctor eſt omnium veritatum univerſalium, ſeu, quod perinde eſt, veritas omnis a Deo eſt.

Probe hæc notanda propoſitio eſt, ne veritatem, quam rationis lumine aſſequimur, vilipendamus, vel prorſus criminemur. Etſi enim negari non poſſit, veritates, quæ in Sacra Scriptura revelatæ rationis humanæ ſphæram tranſcendunt, eſſe magis momentoſas, quam quæ rationi patent; non tamen magis ſunt divinæ originis, quam naturales, quas recto facultatum uſu aſſequimur. Quoniam philoſophia circa mundum rationalem verſatur (§. 265) &, niſi nubem pro Junone amplectaris, veritates univerſales, quas is continet (§. 263), patefacit; philoſophia veri nominis non minus a Deo eſt, quam Scriptura Sacra. Unde jam *Gaſſendus* in Oratione inaugurali, cum profeſſionem Mathematum auſpicaretur, bene obſervat, veritates naturales a Deo nobis revelari via demonſtrationis, perinde ac eas nobis revelavit per Prophetas ſeu viros divino ſpiritu afflatos, quæ in Scriptura Sacra continentur. Atque hinc eſt, quod Theologi graves principiis philoſophicis in Theologia revelata uti eademque cum principiis Sacræ Scripturæ combinare ad eliciendas concluſiones nulli dubitaverint, a connubio rationis ac fidei minime abhorrentes, quemadmodum in philoſophia experientiæ ac rationis connubium minime faſtidimus.

§. 291.

Omnes veritates univerſales ab æterno fuere in Deo. Etenim integra idea *Quando*
mundi unico actu a Deo producitur (§. 201), conſequenter cum Deus ſit *cœperint*
æternus (§. 74), ab æterno in eodem fuit. Enimvero idea mundi, quæ *& ubinā*
datur in Deo, atque mundi intelligibilis eſt (*per demonſtrata in* §. 205), *fuerint.*
ideam mundi rationalis continet (§. 261). Quamobrem idea quoque mundi rationalis ab æterno fuit in Deo. Continet autem idea mundi rationalis omnes veritates univerſales (§. 263). In Deo igitur veritates omnes univerſales fuere ab æterno.

Non eſt quod excipias, eſſe quædam adeo vilia & levia, ut eorum cognitio Deum dedeceat: imo occurrere vel in Matheſi pura veritates quaſdam univerſales, quibus id nominis dege-

denegari non poteſt, quæ tamen pro tricis habentur a viris cordatis. Etenim ſuperius jam demonſtravimus, nihil videri debere adeo abjectum, ut non invita Scriptura Sacra cognitioni Dei ſubducatur (§. 209). Nos veritatibus pretium ſtatuimus ex uſu, quem habent, & ſteriles appellamus, quarum uſum ignoramus, atque tricis prorſus annumeramus, quas nulli nobis uſui eſſe poſſe exiſtimamus. Nullum vero hinc argumentum peti poteſt adverſus divinam veritatum omnium originem. Agnovit hoc *Plato*, qui Deo ſemper cum Geometria negotium eſſe pronuntiavit.

§. 292.

Inventoribus circa veritatem quid tribuendũ.

Inventores veritatem non efficiunt, ſed tantummodo in cognitionem ejus penetrant & aliis tectam revelant. Etenim ſolus Deus eſt auctor omnis veritatis (§. 290), quæ in eo extitit ab æterno (§. 291). Quoniam itaque veritas non tunc demum incipit eſſe talis, quando inventor in eam incidit (§. 39); fieri haud quaquam poteſt, ut ipſe veritatem aliquam efficiat. *Quod erat primum.*

Quoniam veritas, quam, ſibi antea incognitam, ex definitionibus ac propoſitionibus cognitis ratiocinando colligit inventor (§. 461 *Pſychol. empir.*), non tunc demum ab eo efficitur *per demonſtrata*, ſed Deum potius auctorem habet (§. 290); inventor tantummodo in cognitionem ejus, quod ſibi tectum erat, penetrat. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi veritatem a ſe detectam, quæ perinde aliis ac ipſi latebat, cum aliis communicat, ut eandem cognoſcant; quod ipſis erat tectum, revelat. *Quod erat tertium.*

Inventores comparari poſſunt cum Prophetis, quemadmodum *Gaſſendus* hoc nomine cum iiſdem confert Mathematicos, quos ipſius adhuc ævo ſolos via demonſtrationis in cognitionem veritatis latentis penetraſſe conſtat. Nimirum veritas, quam Prophetæ notam reddidere hominibus, ab ipſis minime conficta, ſed ab æterno in Deo fuit eundemque ſolum auctorem habet: Deus vero inſpiratione notam fecit ipſis, & deinde per eoſdem revelavit aliis. Similiter Inventores veritatum fabri non ſunt, ſed eædem ab æterno fuere in Deo & Deum auctorem habent unicum. Inventoribus igitur in eas incidere licet via demonſtrationis, & ſic Deus per eos hominibus revelat veritates naturales. Abſit igitur, ut quis ſibi veritatis inventionem tribuat tanquam auctori! Quemadmodum vero præter Prophetas veros fuere etiam falſi, & inter hos, qui ſibi viſi ſunt veraces, alioſque bona fide deceperunt; ita pſeudoprophetis annumerandi ſunt errorum fabri, qui ſibi inventores videntur, cum non ſint, procul adhuc remoti a veritate, quam ſibi deprehendiſſe videntur. Abſit itaque, ut comparationem *Gaſſendianam* non ineptam Inventorum cum Prophetis, ſua utilitate non carentem, ubi Inventoribus tribuere volueris quod ipſorum eſt, Deo autem, quod Dei eſt, hoc nomine ſuggilles, quod Inventores veritatum naturalium loco veritatis protrudant haud raro errores! Cum in hac comparatione ſalva maneat differentia inter veritates naturales & revelatas, tam objectiva, quam ſubjectiva, hoc eſt, ſive conſideres objectum, quod concernunt, ſive uſum, quem hominibus præſtant; metuendum non eſt, ut hac comparatione auctoritati Prophetarum quid decedat, vel etiam faſtus inſpiretur Inventoribus. Non male faciunt homines, quod veritatibus pretium ſtatuant ex utilitate, in propria enim commoda & generis humani felicitatem peccat, qui, veritatibus cognitu ſibi & aliis utilibus neglectis, nonniſi talibus inhiat, quarum nulla perſpicitur utilitas. Enimvero pretium hoc non valet niſi ad veritates alias aliis præferendas, quando omnium cognitioni minime ſufficis; nequaquam vero veritates contemnendæ, quod earum nullus adhuc perſpicitur uſus, vel nullus prorſus datur. Habent enim veritates in ſe, quod delectent, præſertim ubi ad earundem inter ſe nexum, & ad ſimilitudines in univerſalibus obvias animum advertis, quemadmodum alias monui, cum de voluptate ex cognitione veritatis percipienda agerem in Horis ſubſecivis A. 1729 Trim. Æſtiv. num. 1.

§. 293.

§. 293.

Quo ſenſu Deus ſit inventor.

Si inventor denotet auctorem veritatis ſeu ejus fabrum; ſolus Deus eſt inventor. Etenim veritas omnis a Deo eſt (§. 290) & ab æterno in eodem fuit (§. 291), cum præter ipſum non exiſteret ens aliud (§. 92). Non igitur præter ipſum datur, qui poſſit dici auctor veritatis ſeu ejus quaſi faber, cujus ſcilicet veritas ſpectari poteſt tanquam proprium opus. Deus adeo ſolus inventor eſt, ſi inventor denotet auctorem veritatis.

Equidem jam ſuperius (*not.* §. 291) removimus dubium, quaſi Deum dedeceat, quod veritatum levium ac ſterilium dicatur auctor; ne tamen idem hic majore ſpecie recurrat, ubi Deus omnium veritatum inventor proprio ſibi ſignificatu dicitur, quo enti alii nomen hoc convenire nequit, propterea quod inventoris notio quoad nos involvat actus arbitrarios, aliqua adhuc moneri non inconſultum duximus. Repetendum enim omnes veritates univerſales, qualeſcunque tandem fuerint, contineri in idea mundi rationalis (§. 263), quæ cum incluſa ſit in idea mundi intelligibilis (§. 261), ab intellectu divino per eſſentiam Numinis non removenda (§. 188 *Theol.* & §. 144 *Ontol.*); omnes veritates, qualeſcunque tandem fuerint, ſimul inſunt, nec perinde ac in hominibus una ab altera abeſſe poteſt. Cumque Deus rerum nullarum extra ſe indigeat, quoad ipſum veritas una dici nequit utilior altera. Et quoniam omnes veritates univerſales in una perſpicit (§. 289), ipſa quoque veritatis cujuslibet univerſalis cognitio alio prorſus modo ſeſe habet quoad Deum, quam quoad nos. Cavendum itaque ne obliti eorum, quæ de Deo demonſtrata ſunt, Deum ex nobis judicemus.

§. 294.

Cur Deus errare neſcius.

Deus ab omni errore prorſus immunis eſt. Etenim veritates omnes univerſales cognoſcit (§. 264) & quidem intuitive (§. 270), non vero demum unam colligit ex altera (§. 274), earundemque ſibi ſimul conſcius eſt (§. 273). Nullo igitur modo fieri poteſt, ut pro vero habeat quod non eſt. Quamobrem cum erret, qui propoſitionem falſam pro vera habet (§. 623 *Log.*), conſequenter qui pro vera habet propoſitionem, quæ non eſt (§. 505 *Log.*); fieri haud quaquam ullo modo poteſt, ut Deus erret, adeoque ab omni prorſus errore immunis eſt.

Quodſi inquiras in rationem, cur nobis errare contingat, eam in Deo non habere locum, ſemper oſtendi poterit. Etenim Deus non errare poteſt in cognitione intuitiva, diverſa habens pro iiſdem: id enim nobis accidit, quatenus confuſe res percipimus (§. 631 *Log.*), Deus vero omnia cognoſcit diſtincte, nihil confuſe (§. 536). Neque lapſu memoriæ errare poteſt, quemadmodum homines ſolent (§. 634 *Log.*), cum omnia cognoſcat ſimul (§. 273). Neque etiam male ratiocinando ut erret fieri poteſt, quemadmodum a nobis non uno modo erratur (§. 638 & ſeqq. *Log.*), quia veritates univerſales intuitive cognoſcit (§. 270), non vero, quemadmodum nobis moris eſt, unam ex aliis colligit (§. 274). Hæc probe perpendenda ſunt, ut evidentius conſtet, cur Deus ab omni prorſus errore immunis ſit, & cur privilegium ſolius Dei ſit hæc ab errore immunitas.

§. 295.

Qualis cognitio Deo tribuenda juxta Sacram Scripturam.

Juxta Scripturam Sacram Deo tribuenda eſt cognitio eorum, quorum cognoſcendorum facultas in homine datur. Ab eo enim, quod Deus homini aures & oculos dedit, infert Davides *Pſalm.* CXIV. 91, Deum ſibi conſcium eſſe eorum, quæ auditu & viſu percipiuntur. *Qui plantavit*, inquit, ***aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?*** ſeu *Caſtallione* vertente: ***Aurium ſator non audiet? aut oculorum formator non cernet?*** Deus nimirum juxta Sacram Scripturam corporeus eſſe nequit (§. 102), nec organa

Digitized by Google

organa corporea, qualia ſunt oculi & aures, tribui ipſi poſſunt. Jam cum porro experientia edoceamur, non modo nos videre non poſſe ſine oculis, nec audire ſine auribus, verum etiam animantia non videre abſque oculis, nec audire abſque auribus; facile hinc naturæ divinæ non ſatis gnarus inferre poterat, Deum non poſſe videre, nec audire. Imo cum abſurditatis redarguat Davides tam turpiter errantes, & hunc ipſis errorem interrogando exprobret; dubitandum vix videtur, fuiſſe ipſius tempore forſan haud paucos, qui ſibi perſuaſere, Deum non conſcium ſibi eſſe eorum, quæ homines loquuntur vel agunt. Oſtendit itaque, quod hæc argumentatio in Deo fallat, quæ in hominum & omni animantium genere rite procedit. Nimirum concedendum eſt, Deum, qui creavit hominem *Gen.* II. 7, eſſe factorem oculorum & aurium, conſequenter homini dediſſe facultatem videndi objecta, quæ oculos feriunt, & facultatem audiendi ſonos, qui in aurem illabuntur. Quoniam itaque Deus condere potuit homines ſibi præſentia cognoſcentes beneficio viſus, & ſonos percipientes auxilio auditus; quin ipſemet quoque viſibilium & audibilium ſibi conſcius eſſe debeat, dubitandum non eſſe videtur Davidi. Etenim ſi Deo perſpectum fuit, quomodo efficere poſſit, ut alii videant viſibilia & audiant ſonos quoſcunque; modus quoque non impoſſibilis cenſeri debet, quo ipſemet ea cognoſcit, quæ viſu atque auditu ab homine percipiuntur. Ab eo igitur, quod homini videndi facultatem conceſſit Deus, juxta Sacram Scripturam infertur, Deo competere cognitionem viſibilium, & ab eo, quod homini dedit facultatem audiendi, juxta eandem recte colligitur, Deum cognoſcere ea, quæ auditu percipiuntur. Quamobrem quia nulla homini eſt cognoſcendi facultas, quam, docente Scriptura I. *Cor.* IV. 7, non habeat a Deo; in genere dicendum eſt tribuendam eſſe Deo juxta Sacram Scripturam eorum cognitionem, quorum cognoſcendi facultas in homine datur.

Hanc propoſitionem inſtar lemmatis præmittimus, ut demonſtrare valeamus, juxta Sacram Scripturam Deo tribuendam eſſe rationem, qualem huc uſque eidem vindicavimus. Nullibi in Sacra Scriptura legitur, Deo competere rationem vel eundem eſſe ratione præditum, ut nobis tantummodo evincendum eſſet, rationis vocabulum in Sacra Scriptura eodem ſumi ſenſu, quo idem de Deo accepimus in anterioribus. Nec ullibi diſertis verbis docetur, Deum veritates univerſales cognoſcere omnes earundemque nexum intime perſpicere, ut hinc inferre liceret, juxta Sacram Scripturam Deo eſſe tribuendam rationem, qualem ipſi tribuimus in anterioribus (§. 349 *Log.*). Per conſequentiam igitur ex Scripturæ principiis reſtabat ut demonſtraretur, rationem Deo competere.

§. 296.

Ratio Deo juxta Sacrã Scripturam tribuenda.

Deo juxta Sacram Scripturam competit ratio in eo ſignificatu, quo ipſi eandem vindicavimus. Anima per eſſentiam & naturam ſuam rationalis eſt (§. 454 *Pſychol. rat.*), adeoque ad nexum veritatum univerſalium perſpiciendum apta (§. 451 *Pſychol. rat.*). Imo a poſteriori conſtat, hominem nexum veritatum univerſalium perſpicere poſſe: id quod vel ſola probat Matheſis, probat philoſophia noſtra, ubi veritates univerſales inter ſe concatenantur. Jam vero Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda eſt cognitio

gnitio eorum, quorum cognoſcendorum facultas homini competit (§.295). De Deo igitur juxta Sacram Scripturam affirmandum, quod veritates univerſales cognoſcat earundemque nexum perſpiciat. Quamobrem cum facultas perſpiciendi nexum veritatum univerſalium ſit ratio (§. 483 *Pſychol. empir.*) & nos non alio ſenſu Deo rationem vindicaverimus in anterioribus; evidens eſt juxta Sacram Sacripturam Deo tribuendam eſſe rationem eo ſenſu, quo nos eandem ipſi vindicavimus.

Poterat idem hoc quoque modo oſtendi. Deus juxta Sacram Scripturam totum ſibi repræſentavit mundum ab æterno & quidem omnia, quæ in eo ſunt, diſtincte, nihil confuſe (§ 208). Quamobrem cum mundus rationalis intelligibili & ſenſibili totus ſit immerſus (§. 260); Deus quoque Sacra Scriptura non invita ab æterno ſibi repræſentaſſe dicendus eſt omnem mundum rationalem & omnia, quæ in eo ſunt, diſtincte, nihil confuſe. Jam vero mundus rationalis omnes veritates univerſales continet (§.263) & hæ inter ſe connexæ ſunt (§. 271). Deus itaque juxta Sacram Scripturam ab æterno cognovit omnes veritates univerſales earundemque nexum intime perſpicit, conſequenter, quoniam facultas perſpiciendi nexum veritatum univerſalium ratio eſt (§. 483 *Pſychol. empir.*), & nos vocabulum hic in eodem ſignificatu ſumimus, quando Deo rationem tribuimus, juxta Sacram Scripturam Deo tribuenda eſt ratio eodem prorſus ſenſu, quo eandem ipſi vindicavimus.

Demonſtrationem propoſitionis præſentis tentavimus variis modis aliis; ſed nobis potior viſa eſt, quam priori loco collocavimus, propterea quod modus argumentandi ex ipſa Sacra Scriptura deſumtus. Quemadmodum enim in Sacra Scriptura dicitur, qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non cernet? ita quoque eidem convenienter dicendum: qui rationis auctor eſt., nonne veritatum univerſalium nexum perſpiciet? Omnes iſtæ, & ſi quæ his geminæ ſunt, collectiones continentur ſub lemmate generali, quod præmiſimus (§. 295). Ipſum vero lemma & ejus ad rationem Deo vindicandam applicatio ſingulare exemplum interpretationis extenſivæ eſt. Quodſi vero quis fuerit ſcrupuloſior, quam ut interpretationem extenſivam verborum Davidis admittere velit; in ejus gratiam addidimus demonſtrationem alteram, qua communi argumentandi more, ex principiis antea demonſtratis infertur concluſio.

§. 297.

Magnitudo rationis divinæ juxta Sacram Scripturam.

Juxta Sacram Scripturam Deo competit ratio abſolute ſumma. Etenim juxta Sacram Scripturam Deus totum ſibi repræſentat mundum ab æterno & quidem omnia, quæ in eo ſunt, diſtincte, nihil vero confuſe (§.208). Quamobrem cum mundus rationalis mundo intelligibili, quem Deus ſibi repræſentat (*per demonſtrata in* §.205), totus ſit immerſus (§. 260), adeoque eidem inexiſtat (§.259); Scripturæ Sacræ conforme eſt, quod Deus totum mundum rationalem ab æterno cognoſcat prorſusque diſtincte, eo quidem ſenſu, quo vocabulum mundi rationalis accipimus (§. 258), Deoque ejus cognitionem vindicavimus (§. 262). Enimvero mundus rationalis omnes veritates univerſales continet (§. 263) & hæ inter ſe connexæ ſunt (§.271). Deus itaque omnium veritatum univerſalium nexum perſpi-

Digitized by Google

perſpicit juxta Sacram Scripturam. Quoniam itaque ratio major concipi nequit, quam cujus vi omnium veritatum univerſalium nexus perſpicitur, ſi objectum ſpectes (§. 488 *Pſychol. empir.*); objective quoque juxta Sacram Scripturam ratio major concipi nequit, quam quæ Deo eſt. Porro juxta Sacram Scripturam Deus omnia cognoſcit ſimul (§. 216), quæ ſcilicet ipſi cognitu poſſibilia ſunt. Quamobrem juxta eandem veritatum quoque omnium univerſalium nexum uno obtutu comprehendere debet (§. 275). Quoniam vero ratio major concipi nequit, quam cujus vi veritatum omnium univerſalium nexus ſimul ſeu actu unico perſpicitur, ſi eam formaliter conſideres, ſeu quoad cognoſcendi modum (§. 489 *Pſychol. empir.*); formaliter quoque major juxta Sacram Scripturam concipi nequit ratio, quam quæ Deo eſt. Ratio ſpectari nequit niſi quoad objectum & modum conſiderandi objectum, ſeu objective atque formaliter. Quamobrem cum Sacræ Scripturæ convenienter Deo tribuenda ſit ratio abſolute maxima, ſive eam objective, ſive formaliter ſpectes *per demonſtrata*; quin eidem juxta eandem tribuenda ſit ſimpliciter ratio abſolute maxima dubitari nequit.

Nemo miretur, nos in probanda conformitate magnitudinis rationis divinæ cum Sacra Scriptura ad nullum Sacræ Scripturæ locum provocare. Diximus enim paulo ante, in Sacra Scriptura nullibi rationem expreſſis verbis Deo tribui. Quamobrem per conſequentiam ex aliis, quæ in Sacra Scriptura leguntur, probanda veniunt, quæ ad rationem divinam ſpectant. Sufficit itaque, ut in demonſtrationibus rationem divinam attingentibus aſſumatur aliquod principium, quod auctoritate divina nititur, quemadmodum a nobis in propoſitionis præſentis demonſtratione factum. Reddetur autem deinceps ſuo loco ratio, cur Deus non revelaverit, quæ ex iis, quæ revelata ſunt, per conſequentiam deduci poſſunt.

§. 298.

Limitum remotio a ratione divina & ejus infinitudo.

Ratio divina juxta Sacram Scripturam illimitata & infinita eſt. Etenim juxta Sacram Scripturam ratio divina eſt abſolute maxima, ſeu maxima, quæ concipi poteſt (§. 297). Jam cum ratio illimitata omnes reſpuat limites, ſive quoad objectum, ſive quoad modum conſiderandi objectum: & ratione infinita omnium veritatum nexus perſpiciantur ſimul (§. 838 *Ontol.*); nemo negaverit, rationem prorſus illimitatam & infinitam eſſe eam, qua major dari nequit. Quoniam itaque ratio illimitata & infinita, quam ex natura Dei fluere demonſtravimus, poſſibilis eſt (§. 280. 281); major utique ratio illimitata & infinita concipi nequit. Deo igitur juxta Sacram Scripturam ratio illimitata & infinita tribuenda venit.

Idem etiam ſic oſtenditur. Juxta Sacram Scripturam intellectus divinus illimitatus eſt & infinitus (§ 215). Enimvero intellectus infinitus & illimitatus omnia poſſibilia diſtincte & ſimul repræſentat, utpote omnes reſpuens limites tum quoad objectum, tum quoad modum repræſentandi objectum (§. 796. 838 *Ontol.*), univerſalia vero eorundemque nexus cognoſcitur, dum ſingularibus inexiſtentes determinationes ad ſe invicem referuntur (§. 275); intellectus divinus ſufficit ad univerſa-

lium omnium eorundemque nexum perſpiciendum unico actu. Quoniam itaque ratio nec quoad objectum, nec quoad modum cognoſcendi limitatur, ac unico actu abſolvitur; utique & illimitata (§. 796 *Ontol.*), & infinita eſt (§. 838 *Ontol.*).

Imo poterat propoſitio præſens etiam hoc modo probari, quod ex demonſtratione, qua Deo juxta Sacram Scripturam vindicavimus rationem abſolute maximam (§. 297), pateat, rationem abſolute maximam omnem reſpuere limitem & unico abſolvi actu, conſequenter eſſe illimitatam (§. 796 *Ontol.*), & infinitam (§. 838 *Ontol.*).

Notandum in genere eſt, quando quid ex Sacra Scriptura per conſequentiam deducendum, idem non uno modo fieri poſſe, quando varia proſtant de eo, quod inde colligendum, principia, quemadmodum in præſente caſu obtinet. Ceterum cum Deo Sacræ Scripturæ convenienter tribui queat ratio prorſus illimitata & infinita eo ſenſu, quo erat ipſi evicta; cetera quoque, quæ de eadem demonſtrata, juxta Sacram Scripturam eidem convenire debent.

§. 299.

Cognitio ſymbolica Deo juxta Sacram Scripturam perſpecta.

Deo juxta Sacram Scripturam perſpecta eſt cognitio rerum ſymbolica. Etenim in Sacra Scriptura multoties legitur, Deum locutum eſſe ad Patriarchas & Prophetas, veluti ad Abrahamum *Gen.* XII. 1 & ſeqq. Iſaacum, *Gen.* XXVI. 2 & ſeqq. & Jacobum *Gen.* XXX. 1 & ſeqq. ad Moſen, *Exod.* III. 4 & ſeqq. Samuelem, 1. *Sam.* VIII. 22 Nathanem, 2. *Sam.* VII. 4 alioſque. Locutus eſt Deus cum ſeipſo, & quidem de eſſentia ſua, *Exod.* III. 14, *Jeſ.* XLVI. 9 de attributis ſuis, *Gen.* XVII. 1, *Jeſ.* XLVI. 10 de operibus ſuis, *Jeſ.* XLV. 12. Locutus eſt de rebus naturalibus, veluti de ſtellis, corporibus mundi totalibus, *Gen.* XV. 5 de pulvere terræ, *Gen.* XIII. 16 de arena maris *Gen.* XXII. 17. Locutus eſt de rebus moralibus, veluti de malitia hominum, *Gen.* VI. 5, & de virtutibus, *Gen.* VII. 1. Locutus eſt de rebus artificialibus, *Gen.* VI. 14 & ſeqq. *Exod.* XXV. 10 & ſeqq. Conſtat itaque, fide Sacræ Scripturæ nihil poſſe concipi rerum, quod non nomine aliquo indigitare poſſit, eumque, quæ cogitat, verbis exprimere valere aliis. Jam vero ſymbolica dicitur cognitio, ſi terminatur actu, quo verbis tantum enuntiamus, quæ in ideis continentur, vel aliis ſignis eadem repræſentantur, ideas vero ipſas verbis aut ſignis aliis indigitatas non intuemur (§. 289 *Pſychol. empir.*). Deo igitur perſpecta ſunt, quæ ad cognitionem ſymbolicam pertinent. Enimvero cum juxta Sacram Scripturam ideæ rerum Deo eſſentiales ſint (§. 219), adeoque ab eodem nunquam abeſſe poſſint (§. 144 *Ontol.*), cumque nihil juxta eandem cognoſcat confuſe, ſed omnia diſtincte (§. 208), illorumque ſibi ſemper conſcius eſſe debeat (§. 11 *Pſychol. rat.*); fieri non poteſt, ut cognitio ejus ſymbolica ſit, quemadmodum nobis eſt ob finitudinem facultatis cognoſcendi. Quamobrem Deo cognitio ſymbolica juxta Sacram Scripturam tantummodo perſpecta eſt.

Digitized by Google

Cognitio ſymbolica arguit in cognoſcente imperfectionem intellectus, quatenus ea habet opus ad univerſalia diſtincte percipienda (§. 328 *Pſychol. empir.*), judicia magis diſtincta efficienda (§. 351 *Pſychol. empir.*) & ratiocinia magis manifeſta reddenda (§. 369 *Pſychol. empir.*). Deus igitur, cui etiam juxta Sacram Scripturam intellectus omnibus poſſibilium perfectiſſimus competit (§. 218), cognitione ſymbolica non indiget, imo ne tribui quidem poteſt eo ſenſu, quo nobis competit (§. 289 *Pſychol. empir.*). Enimvero cum in ſe nihil imperfectionis in cognoſcente arguat ſymbolica idearum repræſentatio, ſed potius ad intellectus perfectionem referri debeat; Deo quoque indignum non eſt, quod omnis cognitionis ſymbolicæ ambitum perſpiciat, & quidem non demum in ideis animarum noſtrarum, ſed per ſe. Quodſi nos intellectus ſufficiente perfectione inſtrueremur, cognitione ſymbolica non haberemus opus, niſi ad intuitivam cum aliis communicandam, qualem uſum loquitur Sacra Scriptura de ipſo Deo in iis locis, ubi ad homines locutus Deus dicitur, & verba, quæ effatus eſt, in medium proferuntur. Enimvero cum intuitus ideæ univerſi, quæ in nobis eſt, admodum limitatus ſit (§. 184); cognitione ſymbolica carere minime poſſumus, ubi in cognitione univerſali proficere ſtudemus. Hæc quidem ideo probe notanda ſunt, ut intelligatur, cur in propoſitione non dicatur Deum habere cognitionem ſymbolicam, ſed tantummodo affirmetur, omnem ipſi perſpectam eſſe cognitionem ſymbolicam.

§. 300.

Objectũ ſcientiæ divinæ. *Deo eſt per eminentiam ſcientia omnium univerſalium & ſingularium.* Etenim Deus univerſalia eorundemque nexum (§. 275), atque omnia ſingularia cognoſcit (§. 251) & tamen qualibet veritate univerſali cognoſcit veritates ceteras omnes in univerſum, ſeu totum mundum rationalem (§. 289), quam in quolibet minimo, quod eſt in univerſo, totum cognoſcit univerſum (§. 161). Videt adeo, quomodo veritas unius, quod cognoſcit, ſive in univerſalium, ſive in ſingularium numero ſit, determinetur per veritatem alterius: quod cum æquipolleat demonſtrationi (§. 551 *Log.*), analyſi perfecta ad ſua principia veritatem quamlibet reducenti (§. 562 *Log.*); idcirco in eo eminenti quodam modo ineſt is intellectus actus, quo veritas cujuſvis, quod affirmatur, vel negatur, demonſtratur (§. 845 *Ontol.*). Quamobrem cum ſcientia dicatur in nobis habitus demonſtrandi, quod affirmamus, vel negamus (§. 594 *Log.*); patet in Deo per eminentiam ineſſe ſcientiam omnium univerſalium & ſingularium.

Quando nos aliquid ſcimus, ex notione ſubjecti, hoc eſt, iis, quæ de eodem aſſumuntur, beneficio aliarum propoſitionum antea cognitarum, ratiocinando colligimus, ipſi convenire prædicatum (§. 551 & ſeqq. *Log.*), nititurque evidentia aſſenſus evidentia principiorum demonſtrationis, cujus antea compotes facti ſumus, adeoque per demonſtrationes, quibus oſtenduntur omnes veritates, a quibus datæ propoſitionis veritas pendet, ſucceſſive generatur (§. 992 *Log.*). Quodſi jam ponas ea, quæ non modo ad demonſtrationem pertinent, verum etiam ad omnem aſſenſum ſucceſſive in nobis gignendum requiruntur, uno obtutu a nobis comprehendi, ſeu, quod perinde eſt, ſi unico actu intellectus producerentur, quæ actibus ſucceſſivis debentur, & eorum omnium ſimul eadem claritate nobis eſſemus conſcii, qua nobis conſcii jam ſumus ſucceſſivæ judiciorum in demonſtratione aliqua concatenationis; demonſtratio in nobis foret eminenti quodam modo, quatenus intuitive cognoſceremus veritatem propoſitionis datæ per nexum cum aliis, abſque actu ratiocinandi, ſed qui in ratiocinia reſolvitur, ubi ens finitum eundem diſtincte percipere valet. Et hoc modo intelligitur, quo ſenſu Deo tribuenda ſit ſcientia, ut non recedatur a ſignificatu vocabuli, niſi quatenus inexiſtentia per eminentiam differentiam aliquam infert. Etſi autem in nobis non detur ſingularium ſcientia, ſed tantummodo univerſalium; id non inde eſſe intelligitur, quaſi ſingularium veritas in ſe ſit indemonſtrabilis, ſeu talis, ut per demonſtrationem ejus veritas agnoſci minime poſſit; ſed quia nos nexum ſingularium in univerſo, vi cujus veritas unius a veritate alterius pendet, non ſufficienter perſpicimus, ut

adeo

adeo nonniſi conjectando, ob inſufficientem nexus inſpectionem, ſubinde veritatem cujuſdam facti conſequamur. Quamobrem in Deo cum removeatur hoc impedimentum, quod demonſtrativæ cognitioni ſingularium obſtat; ipſi quoque perinde ſingularium, ac univerſalium eſt ſcientia perfectiſſima, ſed eminenter talis, quemadmodum exigit differentia intellectus infiniti ac finiti.

§. 301.

Omniſcientiæ definitio.

Omniſcius dicitur, qui ſcit omnia, quæcunque cognitu poſſibilia ſunt, ſive ſingularia fuerint, ſive univerſalia. Unde *Omniſcientia* eſt ſcientia omnium cognitu poſſibilium, tam ſingularium, quam univerſalium, ſeu, quæ in ſe talia ſunt, ut cognoſci poſſint.

Quoniam nos non ſcimus omnia, quæ cognoſcimus, ideo ejus memores facile arbitramur, omniſcientiæ ſignificatum in definitione reſtringi, cum tamen ex communi loquendi uſu in Scholis Theologorum & Philoſophorum recepto omnem actum intellectus divini deſignet, quo quicquid poſſibile cognoſcit, ſive aliquando exiſtat, ſive non. Enimvero cum actus ſciendi, quatenus eminenter ineſt in intellectu divino per ea, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, involvat inſpectionem omnium in uno, ſive de ſingularibus, ſive de univerſalibus ſermo fuerit, hæc vero ſupponat ſimultaneam poſſibilium omnium inter ſe connexorum, tum quatenus in ſe, tum quatenus tanquam connexa ſpectantur, eandemque prorſus diſtinctam cognitionem; eorum recordatus, quæ de amplitudine cognitionis divinæ tam quoad objectum materiale, quam quoad formale demonſtrata ſunt, facile perſpicies omniſcientiam divinam, prouti a nobis definitur, omnem intellectus divini actum deſignare, quo rei cognitio abſolvitur, conſequenter vocabulum omniſcientiæ in eo ſumi ſignificatu, quem ipſi hactenus tribuere Theologi & Philoſophi, etſi ſignificatus iſte clarior fiat, propterea quod a nobis diſtinctius explicetur, ob terminos, qui definitionem ingrediuntur, antea & alibi diſtincte expoſitos, aut, ſi mavis, accurate definitos, quemadmodum noſtræ philoſophiæ proprium.

§. 302.

Omniſcientia Deo vindicata.

Deus eſt omniſcius. Etenim Deus ſcit omnia univerſalia & ſingularia, quæ cognitu poſſibilia ſunt (§. 300), cognoſcit etiam ſeipſum (§. 141). Quamobrem cum nihil ſit, quod cognoſci poſſit, quam Deus & quæ præter ipſum poſſibilia ſunt, ſive ſingularia, ſive univerſalia; evidens omnino eſt, Deum eſſe omniſcium (§. 301).

Equidem ex ipſa omniſcientiæ notione deduci poterant ea omnia, quæ ad actum intellectus divini, quo quicquid poſſibile, cognoſcit, ſpectant: quoniam tamen in antecedentibus jam ſufficienter fuere demonſtrata, quæ huc pertinent, & ex iis, quæ modo ad definitionem omniſcientiæ annotavimus, patet, quod ea omnem cognitionis divinæ actum complectatur; non opus eſt, ut abſque neceſſitate ſimus prolixiores, præſertim cum quæ hic a ſciendi cupidis deſiderari poterant, in parte altera tradituri ſimus, oſtenſuri quomodo ex notionibus aſſumtis, evicta earundem realitate, a priori deducantur Dei exiſtentia & attributa. Obiter obſervo, ex iis, quæ hic dicuntur, intelligi, demonſtrationem exiſtentiæ divinæ a priori, quam in parte altera tradituri ſumus, non eſſe nudam jam cognitorum repetitionem, ſed iſto demonſtrandi modo quædam intelligi, quæ per ea, quæ demonſtrata ſunt, nondum ſatis clare perſpiciuntur, etſi ex iis deduci poſſint.

§. 303.

Omniſcientia Sacræ Scripturæ conformis.

Deus juxta Sacram Scripturam omniſcius eſt, ſeu omniſcientia eidem tribuenda. Cum ea ſciamus, quæ demonſtrare valemus (§. 598 *Log.*), nobis vero perſpecta ſit demonſtrationis forma genuina (§. 551 & ſeqq. *Log.*); vi hujus facile convincimur, ſi vel ad Matheſin ſolam animum advertamus, cadere in hominem ſcientiam: ſit ita, eam eſſe admodum limitatam & nonniſi ad pauca extendi, eidemque miſceri, quæ ab experientia pendent.

Digitized by Google

dent (§. 562 *Log.*). Quoniam itaque juxta Sacram Scripturam Deo tribuenda cognitio eorum, quorum cognoſcendorum facultas in homine datur (§. 295); quin Deo etiam, eadem non invita, tribuenda ſit ſcientia, dubitari nequit. Scientia cum nitatur demonſtratione (§. 594 *Log.*), adeoque nos ſucceſſiva ratiociniorum concatenatione ad eandem perveniamus (§. 551 & ſeqq. *Log.*), Deus vero juxta Sacram Scripturam omnia cognoſcat ſimul, ſeu actu unico (§. 216), neque is demum opus habeat, ut unum ex altero colligat (§. 274); ſcientia eminenter eidem ineſt (§. 845 *Ontol.*). Et quia non minus intellectus ipſius juxta Sacram Scripturam (§. 215), quam ratio quoque, qua univerſalium veritatum nexum perſpicit (§. 483 *Pſychol. empir.*), illimitata eſt (§. 298); ſcientia ejus ad omnia extenditur, ut adeo ipſi, Sacra Scriptura non invita, tribuenda ſit ſcientia omnium univerſalium & ſingularium per eminentiam (§. 300). Quamobrem cum omniſcientia non ſit niſi ſcientia omnium cognitu poſſibilium, tam ſingularium, quam univerſalium (§. 301); Deum eſſe etiam juxta Sacram Scripturam omniſcium eodem prorſus ſenſu, quo ipſi paulo ante omniſcientiam vindicavimus (§. 302), palam eſt.

Terminus omniſcientiæ *ἄγραφος* eſt, hoc eſt, in Sacra Scriptura nullibi legitur, neque enim alicubi Deus dicitur omniſcius, vel eidem tribuitur omniſcientia, tanquam attributum. Quamobrem arbitrarium eſt, quemnam vocabulo huic ſignificatum tribuamus, modo oſtendamus hoc ſignificatu per ea, quæ de Deo affirmantur in Sacra Scriptura, omniſcientiam eidem tribui poſſe: id quod in demonſtratione præſentis propoſitionis factum eſt. Quoniam tamen terminus omniſcientiæ in Scholis Theologorum & Philoſophorum jam dudum receptus, neque adeo temere ab eodem recedendum (§. 142 *Diſc. prælim.*); ideo jam ante monuimus, ſignificatum a nobis non mutari. Per propoſitionem adeo præſentem patet, nos omniſcientiam Deo in eadem auctoritate Sacræ Scripturæ in ſignificatu recepto vindicaſſe. Abſit autem, ut quis exiſtimet, eandem citra iſtiuſmodi ambages probari potuiſſe exinde, quod Deus 1. *Joh.* III. 20 dicatur noſſe omnia! Etſi enim admittatur, per omnia ſine ulla reſtrictione ibidem intelligi, quæcunque cognitu poſſibilia ſunt, ſive ſingularia fuerint, ſive univerſalia; non tamen abſque ulteriori probatione patet, num vocabulo *γινώσκει*, quo utitur Apoſtolus, ea cognitionis forma indigitetur, quæ ad ſcientiam requiritur in eo ſignificatu, quo ſcientiæ vocabulum a nobis ſumitur (§. 594 *Log.*), & in quo ingreditur ſignificatus omniſcientiæ (§. 301), quod ſcilicet Deo, etſi non unum demum ex altero colligat, quemadmodum a nobis fieri ſolet (§. 551 & ſeqq. *Log.*), perſpectum tamen ſit, quomodo unum ex altero colligatur (§. 274). Non exiſtimandum eſt probationes evidentes tam facili negotio confici.

§. 304.

Quod Deus norit quid ſub data cõditione fieri debeat.

Novit Deus, quid poſito uno ponatur, ſeu quid certis circumſtantiis poſitis, aut ſub data conditione futurum eſſet. Deo enim eſt ſcientia omnium univerſalium & ſingularium (§. 300). Scitur vero, quod demonſtrari poteſt (§. 598 *Log.*). Quamobrem cum in demonſtratione ex notione ſubjecti colligatur, prædicatum eidem convenire (§. 549 *Log.*), conſequenter poſita determinatione ſubjecti poni hoc prædicatum, Deus vero etſi non demum unum ex altero colligat, quomodo tamen ex altero colligatur norit (§. 274), habitu demonſtrandi per eminentiam inexiſtente (§. 845 *Ontol.*); Deus novit, quid poſitis hiſce determinationibus ſubjecti ponatur,

tur, ſeu quid ſub data conditione aut ſub certis quibuſdam circumſtantiis futurum eſſet.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus cognoſcit omnia poſſibilia tam abſolute ſpectata, quam in certa ſyſtemata redacta (§.155). Enimvero ſi quod poſſibile ſpectatur ut in ſyſtema cum aliis relatum; cauſarum cognoſcitur ſeries, per quas exiſtentia determinatur; modorum ſeries, qui ſucceſſive toto durationis tempore eidem inexiſtunt; dependentia a coexiſtentibus quoad modos ſingulos; influxuſque in modificationem coexiſtentium & in exiſtentiam ſucceſſivorum (§. 144), conſequenter quicquid ſub poſitis quibuſcunque circumſtantiis poſſibilibus futurum eſſet. Imo ſi poſſibilia tum in ſe, tum tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur, omnes ſpecies ac genera omnia eorundemque ſubordinationes cognoſcuntur una cum prædicatis tam abſolutis, quam hypotheticis ſpeciei ac generi cuicunque convenientibus (§. 147), conſequenter quicquid ſub datis circumſtantiis in genere fieri poſſit. Patet adeo, noſſe Deum tam in ſingulari, quam univerſali, quid ſub datis quibuſdam circumſtantiis futurum eſſet, ſeu poſito uno vel poſita hac conditione ponatur.

Poterat idem multis adhuc aliis modis oſtendi. Probe autem notandum eſt, conditionem, ſub qua Deum quid cognoſcere ſupponitur, hic ſpectari tanquam nude poſſibilem, nondum vero tanquam exituram, vel non exituram.

§. 305.

Idem juxta Sacram Scripturam evincitur.

Juxta Sacram Scripturam Deus novit, quæ ſub datis quibuſdam circumſtantiis futura ſunt, aut quid poſito uno ponatur. Narratur 1 *Sam.* XXIII. 10 & ſeqq. Davidem Ceilæ commorantem quæſiviſſe ex Deo, num incolæ iſtius urbis cum ſint Saulo dedituri, ſi quidem uſque ad hujus adventum in eadem manſerit, Deumque reſpondiſſe, quod ſint dedituri, ac ideo Davidem fuga ſibi conſuluiſſe. Noverat itaque Deus, quod incolæ Ceilæ Davidem ſint Saulo dedituri, ſi in urbe maneret, conſequenter quid ſub aliqua conditione futurum eſſet. Quoniam vero libera hominum decreta ſunt in ſe & Deo præſcibilia (§. 233), hoc eſt, talia, ut ſpectari poſſint tanquam futura (§. 231), atque recordabilia (§. 241), ut ſpectari poſſint tanquam præterita (§. 238), antequam quicquam ſpectetur tanquam exiturum; patet omnino juxta Sacram Scripturam Deum noſſe, quid ſub datis quibuſdam circumſtantiis futurum eſſet, aut quid poſito uno ponatur.

Notandum eſt Theologos communiter hoc Sacræ Scripturæ loco probare, quod Deus novit etiam ea, quæ ſub conditione non adimplenda futura ſint; nos vero hic conditionem, ſub qua quid futurum Deus cognoviſſe refertur, nondum ſpectare ut non exituram, ſed tantummodo ut talem, quam exiſtere non repugnat. Suo enim demum loco diſpiciemus, quid dicendum ſit, ſi conditio aliqua ſpectetur ut non exitura. Etſi autem dictum Sacræ Scripturæ probet, ad quod probandum adducitur; non tamen minus probat, ad quod probandum nos eodem utimur. Quamvis enim conditio ſpectetur ut non exitura, ſpectatur tamen ut ea, quæ exiſtere poſſit. Et inferius patebit noſtro concipiendi modo conditionem aliquam ante ſpectari debere tanquam poſſibilem, quam ſpectetur tanquam exitura, vel non exitura.

§. 306.

Conditionate quæ eſſe poſſunt, qua ſcientia a Deo cognoſcantur.

Si conditio aliqua, ſub qua quid futurum eſſe poſſe intelligitur, tantummodo ut poſſibilis ſpectetur, non vero ut extitura, vel non extitura; quid ſub ea futurum eſſet, Deus cognoſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Etenim ſi conditio aliqua, ſub qua quid futurum eſſe poſſe intelligitur, tantummodo ut poſſibilis ſpectetur, non vero ut extitura, vel non extitura; nondum intelligitur, num, quod ſub ea extiturum eſſe debere intelligitur, extiturum ſit, nec ne, conſequenter tantummodo patet, ſi conditio iſta exiſtat, hoc etiam exiſtere debere, ſi illa non exiſtat, nec hoc exiſtere poſſe, ſeu, quod perinde eſt, ſub conditione iſta poſſibile eſſe, ut quid ſit. Enimvero per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ Deus intelligit, quod quid poſſibile ſit & exiſtere poſſit (§. 221). Quamobrem per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ agnoſcit, quid ſub ea conditione futurum eſſe debeat, quod tanquam poſſibile agnoſcitur.

Patebit inferius principium hoc habere uſum in definiendis controverſiis circa Dei omniſcientiam inter Theologos & Philoſophos agitatis. Noſtrum igitur eſt, ſcrutari omnem cognitionis, quæ Deo attribuenda venit, differentiam, ne confundantur a ſe invicem ſeparanda, quo pateat, quinam iſtiuſmodi confuſione in errorem inciderint.

§. 307.

Cognitio impoſſibilium quæ Deo tribuenda.

Deus etiam novit omnia impoſſibilia, ſive abſolute, ſive ſub certa conditione talia. Ideo quid poſſibile eſt, quod ejus idea in intellectu divino detur (§. 192). Quamobrem cum Deus ſibi eorum ſit conſcius, quæ in ideis iſtis continentur (§. 187); eum fugere nequit impoſſibilia prodire, ſi determinationes, quæ continentur in ideis ſuis, alio modo combinentur, quam in iiſdem conjunguntur. Et quia quoque novit, quid uno poſito ponatur (§. 304); nec ipſum fugere poteſt, quod eodem poſito, aliud ab hoc diverſum poni poſſit. Quoniam itaque in priori caſu impoſſibilia prodeunt, quæ abſolute ſpectantur, in poſteriore, quæ ſub certa conditione talia deprehenduntur; Deus utique novit impoſſibilia omnia, ſive abſolute, ſive ſub certa conditione talia.

Impoſſibilium cognitio non arguit imperfectionem in Deo, ſed ad ſummam potius perfectionem ejuſdem pertinet. Id demum imperfectioni intellectus tribuendum, quod impoſſibile pro poſſibili amplectamur, & viciſſim ſubinde poſſibile in numerum impoſſibilium referamus. Quamobrem ut clarius appareat, quanta intellectus perfectio ad omnem impoſſibilitatem pervidendam requiratur; non tædet addere propoſitionem ſequentem de modo cognoſcendi poſſibilia, qui convenit Deo.

§. 308.

Modus, quo Deus impoſſibilia cognoſcit.

Deus omnia impoſſibilia cognoſcit, dum poſſibilia in certa ſyſtemata relata intuens, determinationes entibus intrinſecas & entium in ſerie rerum loca variat. Etenim dum intuetur omnia poſſibilia in ſua ſyſtemata relata, & quæ entibus ſingulis inſunt determinationes ad ſe invicem refert; quod hæ alio modo combinatæ contradictionem involvant, conſequenter quod eſt impoſſibile ſic prodeat (§. 79 *Ontol.*), non poteſt non agnoſcere. Similiter dum totam rerum ſeriem, qua eædem inter ſe connexæ ſiſtuntur, intel-

lectui

lectui præſentes, intuens, eas alio ordine poni ſumit, ſeu loca eatum variat; quod ſic denuo prodeant, quæ quoad modificationes ſuas & dependentiam ab aliis contradictionem involvant, agnoſcere itidem debet. Quamobrem cum in priori caſu agnoſcit impoſſibilia abſolute talia, in poſteriori quæ nonniſi ſub data conditione talia ſunt; patet Deum omnia impoſſibilia cognoſcere, dum poſſibilia in certa ſyſtemata relata intuens, determinationes entibus intrinſecas & entium in ſerie rerum loca variat.

Etſi a nobis ea, quæ de modo impoſſibilia cognoſcendi docentur, fieri non poſſint niſi ſucceſſive; in Deo tamen eodem actu abſolvuntur, quo cetera cognoſcuntur, quæ poſſibilia ſunt. Neque enim hic major quam in reliqua cognitione, difficultas occurrit. Habet modus cognoſcendi impoſſibilia beneficio poſſibilium aliquid affinitatis cum modo cognoſcendi univerſalia beneficio ſingularium, de quo diximus ſupra (§. 275). Quamobrem eodem, quo ille, modo illuſtrari poteſt. Hinc vero patet tantam requiri intellectus perfectionem ad omnia impoſſibilia cognoſcenda, quanta requiritur ad omnia univerſalia perſpicenda: imo cum univerſalium cognitio non præſupponat niſi intuitum ſimultaneum omnium ſingularium diſtincte repræſentatorum (§. *cit.*); impoſſibilium cognitio præterea præſupponit intuitum ſimultaneum omnium univerſalium inter ſe connexorum. Nimirum impoſſibilia non cognoſcuntur niſi ope poſſibilium, quatenus intelligitur, ſi determinationes rebus intrinſecæ, quibus entia tam univerſalia, quam ſingularia conſtituuntur, aliis quotcunque modis combinentur & entia in rerum ſeriebus contenta aliis quotcunque modis ordinentur, non prodire niſi contradictoria. Intimius in notionem cognitionis impoſſibilium a priori penetrabit, qui ex arte combinatoria perſpecta habet, quæ de permutatione ſeu variatione ordinis (§. 129 *Analyſ. fin.*) & variatione combinationis docentur (§. 222 *Analyſ. fin.*); unde agnoſcet cognitionem impoſſibilium reſpondere ſeparationi combinationum utilium ab inutilibus, conſtabitque ratio a priori, cur, cum veritas nonniſi una ſit, error variari poſſit in infinitum.

§. 309.

Poſſibilium cum impoſſibilibus confuſio ab intelligente finito quomodo a Deo cognoſcatur.

Novit Deus, quænam impoſſibilia ens unumquodque finitum intelligens pro poſſibilibus amplectatur. Etenim Deus, cum omnia præter ipſum cognitu poſſibilia diſtincte cognoſcat (§. 156), ſeriem quoque perceptionum & appetitionum ac averſationum, quæ animæ unicuique ineſt (§. 524 *Pſychol. rat.*), aut enti intelligenti finito alteri cuicunque poſſibili ineſſe debet (§. 657 *Pſychol. rat.*), diſtincte cognoſcere tenetur. Jam in iſta ſerie etiam continentur omnia judicia, quibus ſingulis ſuæ reſpondent perceptiones (§. 520. 521 *Log.*), & in judiciorum numero ſunt ea, quibus impoſſibilia pro poſſibilibus amplectitur judicans (§. 505 *Log.*). Deo igitur omnino perſpectum eſſe debet, quænam impoſſibilia ens unumquodque intelligens finitum pro poſſibilibus habeat.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus facta omnia ſeu res facti cognoſcit (§. 251). Quoniam facta dicuntur omnia ſingularia, quatenus ſpectantur ut exiſtentia, ſit ita quod ad actum nunquam perducantur (§. 249); in eorum numerum referri quoque debent omnia judicia falſa entis intelligentis finiti cujuſcunque. Enimvero ſingulis hujuſmodi judiciis pro poſſibili habetur, quod impoſſibile (§. 526 *Log.*). Deus igitur novit, quænam impoſſibilia ens unumquodque intelligens finitum pro poſſibilibus amplectatur.

Ex propoſitione præſente ac præcedente intelligitur, erroris tam intrinſeca, quam extrinſeca poſſibilitas. Etenim intrinſeca erroris poſſibilitas, quæ ex parte objecti eſt, conſiſtit in eo, quod determinationes rebus intrinſecæ & combinationes ipſarum rerum in aliqua ſerie ita variari poſſint, ut inde oriantur contradictiones. Aſt extrinſeca poſſibilitas ab imperfectione intellectus entium intelligentium finitorum manat, vi cujus contradictiones iſtas in determinationum intrinſecarum & ipſorum entium combinatione non advertunt: quod quomodo accidat, ex iis perſpicitur, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 294), cum Deum ab omni errore immunem eſſe demonſtraremus.

§. 310.

Errores quomodo a Deo cognoſcantur.

Deus cognoſcit omnes errores, qui admitti poſſunt, ab intellectu finito, & a quonam ente intelligente unuſquiſque admitti poſſit. Etenim Deus novit, quænam impoſſibilia ens unumquodque finitum intelligens pro poſſibili amplectatur (§. 309). Enimvero quando poſſibile pro poſſibili, & impoſſibile pro impoſſibili habemus, judicium verum eſt, ſcilicet in caſu priori affirmativum (§. 520 *Log.*), in poſteriori negativum (§. 521 *Log.*). Falſum igitur eſſe nequit, niſi in eo caſu, quo impoſſibile pro poſſibili habetur, vel contra. Quamobrem Deus novit omnia judicia falſa, quæ vi intellectus finiti admitti poſſunt & a quonam ente intelligente quodlibet admitti poſſit. Enimvero ſi falſum judicium pro vero habetur, error committitur (§. 623 *Log.*). Patet igitur, Deum cognoſcere omnes errores, qui admitti poſſunt ab intellectu finito, & a quonam ente intelligente unuſquiſque admitti debeat.

Errare imperfecti intellectus eſt; errores aliorum cognoſcere perfecti: ſit ita, quod inter homines ſubinde accidat, ut error ab eo admiſſus, qui intellectu multo perfectiore gaudet, agnoſcatur ab eo, qui multo imperfectiore inſtructus. Hoc enim ex accidente eſt. Intellectus adeo perfectiſſimi eſt cognoſcere errores omnes, qui admitti poſſunt, & ad omniſcientiam ſpectat, ut cognoſcatur, a quonam ente unuſquiſque error committi poſſit (§. 301), quatenus ſcilicet ea comprehendit omnium factorum ſeu ſingularium ſcientiam. Abunde itaque perſpicitur nihil hic tribui Deo, quod ipſum dedeceat.

§. 311.

Neceſſitas cognitionis in Deo.

Deus omnia cognoſcit neceſſario. Ideæ rerum Deo eſſentiales ſunt (§. 188), conſequenter, cum in eodem continuo exiſtat idea non modo hujus, qui exiſtit, mundi, ſed ceterorum quoque omnium poſſibilium (§. 181), ideæ omnium mundorum poſſibilium Deo eſſentiales ſunt. Enimvero quicquid ad eſſentiam rei pertinet, illud abſolute neceſſarium eſt (§. 303 *Ontol.*). Quamobrem abſolute neceſſarium eſt, ut Deo inſint ideæ mundorum omnium poſſibilium, ſeu ut Deus ſibi repræſentet omnes mundos poſſibiles (§. 48 *Pſychol. empir.*). Omnes mundi poſſibiles omnia ſingularia atque poſſibilia continent (§. 248. 152). Quamobrem cum Deus omnium eorum, quæ ſibi repræſentat, ſit ſibi conſcius (§. 187); Deus omnia ſingularia & poſſibilia omnia neceſſario cognoſcit. Enimvero dum ſingularia intuetur, omnia ſimul univerſalia eorundemque nexum cognoſcit (§. 275), & dum ſingularia & univerſalia intuetur, ſimul omnia cognoſcit impoſſibilia (§. 308). Neceſſario igitur etiam cognoſcit omnia univerſalia & impoſſibilia. Præter ſingularia & univerſalia, poſſibilia atque impoſſibilia

nihil

Digitized by Google

nihil datur, quod cognitu poſſibile ſit. Deus itaque neceſſario cognoſcit omnia.

Quod in hominibus libertas influat in cognitionem, inde eſt, quod non omnia ſimul cognoſcere valeamus, & res confuſe percipiatur, antequam diſtincte cognoſcantur, quæ ipſi inſunt, aut quasnam ad res alias habere poſſit relationes, vel etiam nomen ab aliis eidem tributum innoteſcat, ubi ejus adhuc nihil nobis innotuit, atque præterea rerum externarum egentes aliisque rationibus adducti, cognitionem hujus potius rei eligamus, quam alterius. Imperfectioni adeo intellectus, quatenus ſcilicet is limitatus eſt, tribuendum, quod ad actum cognitionis libere nos determinare valeamus. Quamobrem cum intellectus divinus prorſus illimitatus ſit (§. 166); nec libera ad aliquem cognitionis actum in eodem determinatio locum habere poteſt. Agnovere hoc Theologi, qui Deum neceſſario intelligere, ſed libere ſtatuere ac velle pronuntiant. *Poiretus* liberam in Deo facit creaturarum cognitionem, & nonniſi neceſſariam ſui cognitionem, ita ut nec illa ſemper detur in Deo, ſed eam pro arbitrio admittere poſſit, quando viſum fuerit. Enimvero cum ſententiam probatam ſufficienter probaverimus, nos parum movet viri auctoritas, qui præjudiciis nonnullis partim in juventute ex philoſophia *Carteſianorum* hauſtis, partim in ætate virili abuſu pietatis contractis adductus defendit, quæ his conformia ſunt.

CAPUT III.

De Potentia & Voluntate Dei.

§. 312.

Cur Deus non velit ſine motivis.

D*Eus ut quid velit, vel nolit, motivum aliquod adeſſe debet.* Etenim cum nihil ſit ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70 *Ontol.*); ſi quid Deus vult aut non vult, ratio quoque ſufficiens adeſſe debet, cur idem potius velit, quam nolit, vel ex adverſo cur idem potius nolit, quam velit. Jam vero ratio ſufficiens actuum nolitionis ac volitionis motivum eſt (§. 887 *Pſychol. empir.*). Deus igitur ut quid velit, vel nolit, motivum aliquod adeſſe debet.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus mundum hunc ex ceteris poſſibilibus elegit, ut exiſteret (§. 121), & quidem ob rationem objectivam (§. 119). Quamobrem patet dari rationem ſufficientem, cur Deus voluerit ut hic potius mundus exiſtat, quam alius. Jam cum mundus complectatur ea omnia, quæ præter Deum exiſtunt (§. 48 *Coſmol.*); nihil eorum, quæ ad res creatas pertinent, Deum voluiſſe conſtat abſque ratione ab ipſo objecto deſumta. Quamobrem cum ratio ſufficiens volitionis & nolitionis ſit motivum (§. 887 *Pſychol. empir.*); Dei voluntatem in eo convenire cum humana intelligitur, quod detur actus volitionis ac nolitionis aliquod motivum (§. 889 *Pſychol. empir.*). Enimvero quoniam in anima abſque motivis nulla concipi poteſt volitio vel nolitio (§. *cit.*), atque adeo naturæ voluntatis qua tali convenire colligatur, quod abſque motivis non eliciatur actus; Deum quoque non velle vel nolle quidpiam intelligitur, niſi detur aliquod motivum, cur id potius velit, quam nolit, aut cur id potius nolit, quam velit.

Digitized by Google

Demonſtratio prior magis convincit eos, qui ſenſum evidentiæ habent, quam poſterior, propterea quod in poſteriori non ſatis aperta videtur propoſitionis univerſalitas, quemadmodum in priori. Non autem eſt quod in priori diſpliceat principium rationis ſufficientis ad Deum applicari. Etenim duo illa principia ſumma, principium ſcilicet contradictionis & principium rationis ſufficientis, quibus nititur omnis veritas, non minus ad ea pertinent, quæ in Deo ſunt, quam ad ea, quæ a Deo ſunt. Nimirum quæ in Deo neceſſaria ſunt, quoad cognoſcendi modum a principio contradictionis; quæ vero libera ſunt, a principio rationis ſufficientis pendent, quemadmodum in rebus finitis principium contradictionis dicitur fons veritatum neceſſariarum, principium rationis ſufficientis contingentium. Deinde in demonſtratione altera ſupponimus, tantummodo rationem objectivam volitionis & nolitionis, nondum autem evidenter patet, num ea ſola ſit ſufficiens: cum enim homini quæ ſunt motiva, in repræſentatione boni atque mali conſiſtant (§. 890 *Pſychol. empir.*), adeoque relationem ad ipſum volentem involvant (§. 554. 565 *Pſychol. empir.*); rationi objectivæ accedit ſubjectiva, ut ſufficiens fiat. Dubitari igitur poterat, an ex ratione objectiva recte colligatur motivum, quod vi definitionis ratio volitionis ac nolitionis ſufficiens eſſe debet (§. 887 *Pſychol. empir.*). Atque ideo provocavimus ad convenientiam voluntatis divinæ cum humana, quatenus utraque non determinatur abſque aliqua ratione. Enimvero robur omne nanciſcetur poſterior quoque demonſtratio ex ſequentibus, quam etſi imperfectam addere viſum eſt in eorum gratiam, qui cum eo acumine deſtituantur, quod ad evidentiam penitus pervidendam requiritur, facilius ad aſſenſum permoventur ratione ſpeciali quam generali, ſit ita quod nondum plena luce gaudeat. Neque hoc bonæ methodi legibus adverſatur, ut probatione inſufficiente eliciatur aſſenſus, donec ea, quæ tacite præſupponuntur, probentur, ubi ſufficiens acumen fuerit acquiſitum. Sane in gratiam tironum Geometriæ ſumimus quædam, quæ demonſtrari ulterius debebant, ne nimia ſcrupuloſitate offendantur, antequam acuminis ad omnem evidentiam penitus pervidendam neceſſarii compotes facti fuerint. Sufficit non aſſumi, niſi vera, nec tacite ſupponi, niſi quod independenter ab eo, quod probatur, demonſtrari poteſt. Ceterum dubitari non poteſt, quin probatione poſteriori probabiliter evincatur, Deum non velle, nec nolle abſque motivis (§. 578 *Log.*). Quamobrem qui demonſtrationem priorem difficulter admittit, univerſalitatem principii rationis ſufficientis nondum quantum ſatis percipiens; is probabiliter admittat vi pobationis poſterioris veritatem propoſitionis præſentis, donec de eadem per ſequentia reddatur certus.

§. 313.

Cur Deus non velit impoſſibilia.

Quæ impoſſibilia ſunt, Deus velle nequit. Satis ſuperque conſtat, nec nos velle, quæ impoſſibilia ſunt, niſi quatenus nobis poſſibilia videntur, quæ non ſunt. Jam vero Deus novit omnia impoſſibilia (§. 307), conſequenter fieri nequit ut poſſibilia videantur, quæ non ſunt. Quamobrem nec fieri poteſt, ut velit, quod impoſſibile.

Imperfectioni intellectus humani tribuendum, quod ſubinde velimus, quæ impoſſibilia ſunt, propterea quod pro poſſibili habentes, quod non eſt, erramus (§. 623 *Log.*). Quamobrem cum intellectus divinus ſit omnium perfectiſſimus, ita ut majorem perfectionem intellectus ea, quæ divini eſt, concipi repugnet (§. 168), Deuſque ideo ab omni prorſus errore immunis ſit (§. 294); mirum profecto non eſt, quod Deus velle nequeat, quod impoſſibile. Ceterum hæc propoſitio ſterilis videri haud quaquam debet, neque enim ſolummodo inferius patebit, pendere ab ea ſolutionem difficultatum, quæ tantum non inſuperabiles viſæ plurimis; verum etiam ſuo tempore in philoſophia morali inſignis ejus eluceſcet uſus in praxi officiorum erga Deum.

§. 314.

Objectū generale voluntatis divinæ.

Quoniam poſſibile, quod impoſſibile non eſt (§. 85 *Ontol.*), Deus vero velle nequit, quod impoſſibile (§. 313); ***quicquid Deus vult, poſſibile eſt.***

Hujus quoque principii uſus eſt non minus in theoria, quam in praxi. Quoniam tamen nondum ex eo, quod quid poſſibile, intelligitur, cur Deus id potius velit, quam non velit; in eo ratio ſufficiens nondum continetur, cur Deus id velit, quod ſit poſſibile

(§. 56

(§. 56 *Ontol.*). Poſſibile eſt, quod nullam contradictionem involvit (§. 85 *Ontol.*). Ecquis vero non videt, ſi ponat, quædam non involvere contradictionem, ſe nondum intelligere, cur Deus id velle debeat?

§. 315.

Cur ſola poſſibilitas non ſufficiat, ut Deus quid velit.

Sola poſſibilitas non ſufficit, ut Deus quid velit, ſeu Deus non ideo quid vult, quia poſſibile. Plures mundi poſſibiles ſunt (§. 101 *Coſmol.*): exiſtit tamen non niſi unus (§. 117), propterea quod Deus hunc ex ceteris elegit (§. 121), conſequenter voluit, ut hic potius mundus exiſtat, quam alius etſi æque poſſibilis, conſequenter qui perinde ac hic exiſtere poterat (§. 133 *Ontol.*). Sola igitur poſſibilitas non ſufficit, ut Deus quid velit.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus hunc mundum ex ceteris elegit (§. 121), daturque electionis ratio objectiva (§. 119). Enimvero ratio objectiva deſumta eſt ab eo, quo hic mundus, qui exiſtit, a ceteris poſſibilibus differt (§. 120). Quamobrem cum mundi omnes poſſibiles ſint, ſola poſſibilitas non eſt ratio iſta objectiva electionis, adeoque Deus ideo nondum quid vult, quia poſſibile.

Demonſtrationem poſteriorem addimus inprimis eo fine, ut in eadem acquieſcant, quibus dubium circa priorem oriri poterat, quaſi ſumamus, quod nondum probatum eſt, ſcilicet quod Deus ceteros mundos poſſibiles perinde producere potuiſſet, quemadmodum hunc produxit, ſiquidem voluiſſet. Etſi enim dubium hoc haud difficulter tollatur, non inconſultum tamen fuit addere probationem alteram, quæ eodem caret. Quomodo tollatur dubium, paucis accipe. Sermo hic nobis potiſſimum eſt de poſſibilitate intrinſeca, non extrinſeca, conſequenter nobis ſufficit noſſe, quod mundis ceteris exiſtentia non repugnet, utut eoſdem nondum referamus ad potentiam Dei, quo conſtet, num ea ipſis ad actum perducendis ſufficiat. Quodſi vero quis poſſibilitatem, de qua loquimur, etiam ad extrinſecam trahere velit; hoc tamen non obſtante, veritatem propoſitionis in hac etiam hypotheſi tueri licet provocando ad ea, quæ inferius independenter ab eadem demonſtrabuntur: id quod bonæ methodo non repugnat, præſertim ubi ordinem mixtum elegeris (§. 830 *Log.*).

§. 316.

Intelligentia eorum, quæ Deus vult.

Deus quicquid vult penitus intelligit, ut ſcilicet nihil quoad ejus cognitionem deſiderari poſſit. Etenim quicquid Deus vult, poſſibile eſt (§. 314). Jam vero Deus cognoſcit omnia poſſibilia (§. 155), tam quæ ſunt res facti (§. 251), ſive ſingularia (§. 249), quam univerſalia (§. 275). Quicquid ergo vult, illud cognoſcit. Enimvero cognoſcit omnia diſtincte, quæ præter ipſum cognitu poſſibilia ſunt (§. 156), & tam in quolibet minimo, quod eſt in univerſo, cognoſcit totum univerſum (§. 161), quam ex qualibet veritate univerſali veritates ceteras omnes in univerſum (§. 289): ac præterea ſeipſum quoque cognoſcit (§. 141). Quamobrem fieri haud quaquam poteſt, ut quicquam ejus cognitioni ſubducatur, quod rei cuicunque vel in ſe ſpectatæ, vel ad alias quaſcunque omni poſſibili modo relatæ, convenire poteſt. Cum adeo nihil quoad cognitionem ejus, quod vult, deſiderari poſſit; patet Deum penitus intelligere, quicquid vult.

Plurimum intereſt, ut norimus, Deo penitus perſpecta eſſe, quæ vult. Hinc enim plurima conſequuntur, quæ voluntatem divinam ab humana diſtinguunt; imo hæc voliti intelligentia fons eſt omnis differentiæ, quæ inter voluntatem divinam & voluntatem noſtram intercedit, quemadmodum ex iis, quæ ſequuntur, clarius eluceſcet.

§. 317.

Digitized by Google

§. 317.

Voluntas divina cur non feratur in incognitū.

Quoniam Deus penitus intelligit, quicquid vult (§. 316); *voluntas ejus nullo modo fertur in incognitum*.

Hoc commune quidem eſt voluntati divinæ cum voluntate noſtra, quam ſimiliter non ferri niſi in cognitum conſtat (§. 588 *Pſychol. empir.*), ſed cum tanta tamen differentia, quæ inter ens illimitatum & limitatum intercedit. Etenim cum Deus penitus intelligat, quicquid vult (§. 316), nihil quoque objecto appetibili ineſt, quod volitioni obſtitiſſet, ubi perſpectum fuiſſet: aſt quoniam nos non intelligimus penitus, quod volumus, haud raro accidit, ut imperfecte cognitum appetamus, quod averſati fuiſſemus, ſiquidem fuiſſet penitus perſpectum, propterea quod eidem vel inſint vel ab eodem dependeant plura averſabilia, quam appetibilia, ut adeo averſatio fortior adverſus appetitionem minus fortem prævaluiſſet. Unde patet voluntatem noſtram, dum in cognitum fertur, ſimul ferri in incognitum, etſi nunquam fieri poſſit, ut in incognitum feratur per ſe, ſed tantummodo dependenter a cognito, quatenus cognitum appeti nequit, niſi ſimul appetantur, quæ inde pendent, ſed a nobis minime prævidentur. Nimirum quatenus novimus, quod alia ab eo, quod appetimus, dependeant, ea tamen non cognoſcimus, atque hoc non obſtante idem appetimus; voluntas una fertur in id, quod nobis incognitum eſt, ſed non per ſe.

§. 318.

Quandonam actus volitionis & nolitionis oriatur.

Quamprimum appetibile vel averſabile qua tale cognoſcitur, illud quoque cognoſcens appetit vel averſatur. Etenim quamprimum appetibile vel averſabile qua tale cognoſcitur; cognoſcens intelligit ipſum eſſe tale, ut idem potius appetat, quam averſetur, vel in caſu altero potius averſetur, quam appetat. Adeſt igitur ratio ſufficiens appetitionis in caſu uno, averſationis in altero (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum poſita ratione ſufficiente, cur quid potius ſit, quam non ſit, ponatur etiam id, quod per eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); quamprimum appetibile vel averſabile cognoſcitur qua tale, ſeu tanquam appetibile vel averſabile, in caſu priori cognoſcens idem appetere, in poſteriori averſari debet.

Propoſitio hæc generalis reipſa non differt ab illa ſpeciali, quam quoad nos evicimus alias (§. 589. 590 *Pſychol. empir.*), ſcilicet quod rem appetamus, quamprimum eam repræſentamus tanquam bonam, aſt averſemur, quamprimum eam nobis repræſentamus tanquam malam. Ubi tamen cum voluntate divina nobis eſt negotium, præſtat idem generaliter enuntiari, quemadmodum ex ſequentibus patebit.

§. 319.

Æternitas cognitionis & volūtatis divinæ.

Deus omnia cognoſcit & vult ac non vult ab æterno. Etenim Deus cognoſcit omnia ſimul & neceſſario (§. 160. 311), ut adeo nihil ſit ipſi cognoſcibile, quod non ſemper actu cognoſcat. Enimvero Deus eſt æternus (§. 74). Quamobrem ab æterno cognoſcit, quod ipſi cognoſcibile, conſequenter cum omnia tam poſſibilia (§. 155), quam impoſſibilia (§. 307), ſive ſingularia (§. 247), ſive univerſalia (§. 275) cognoſcat; ab æterno omnia cognoſcit. *Quod erat unum.*

Quoniam Deus omnia cognoſcit diſtincte, nihil prorſus confuſe (§. 156), cognoſcit etiam ſemetipſum (§. 141), ab æterno vero cognoſcit, quicquid cognoſcit *per demonſtrata*; quod tanquam ſibi appetibile vel averſabile cognoſcit, ab æterno tanquam tale cognoſcere debet. Enimvero quamprimum quod tanquam appetibile vel averſabile cognoſcitur, illud quoque cogno-

Digitized by Google

cognoſcens appetit, vel averſatur (§. 318). Neceſſe igitur eſt ut, quod Deus vult, ab æterno velit; quod non vult, ab æterno nolit. *Quod erat alterum.*

Non obſtat contingentia nonnullorum, nec libertas voluntatis humanæ, quo minus Deus ab æterno cognoſcat, conſequenter & velit omnia. Etenim nihil concipi poteſt neque in mundo materiali (§. 232), neque in ſerie perceptionum ac appetitionum & averſationum, quæ in unaquaque anima datur (§. 234), quod ipſi præſcibile non ſit, nec in ſe tale ſit, ut tanquam præſcibile agnoſcatur, quamprimum cognoſcatur, non obſtante libertate hominum in decernendo (§. 233).

§. 320.

Impoſſibile eſt, ut Deus quid demum in tempore velit, hoc eſt, ut velit, quod ante mondum volebat, & ut in poſterum ipſum velle contingat, quod nondum vult. Etenim Deus, quicquid vult, ab æterno vult (§. 319). Quamobrem cum quid æternum non ſit, ſi quod aſſignari poteſt tempus, quo actu eſſe cœpit & actu eſſe iterum deſinet (§. 39); impoſſibile eſt, ut ullum aſſignetur tempus, quo Deus quid velle cœpit, & quo idem velle iterum deſinet. Impoſſibile igitur eſt, ut Deus quid nunc velit, quod ante nondum volebat, vel ut in poſterum ipſum quid velle contingat, quod nondum vult, conſequenter ut quid demum in tempore velit. *Impoſſibilitas volitionis temporariæ.*

Cur hoc demum inculcemus, cum propoſitio præcedens ſufficere videbatur, ut Deum nil in tempore velle agnoſcatur, inferius patebit, ubi decreta temporaria evertenda erunt.

§. 321.

Deus in volendo liber eſt ab omni coactione externa, ſeu nulla vi externa adigi potuit, ut quid vellet. Etenim Deus quicquid vult, ab æterno vult (§. 319). Quamobrem cum ipſe æternus ſit (§. 74), ſeu, quod perinde eſt, ab æterno exiſtat (§. 39); quicquid vult, id vult dum exiſtit. Eſt vero ens omnium primum & independenter præexiſtit omnibus entibus ceteris (§. 92). Quamobrem fieri non potuit, ut vi quadam externa adigeretur, ut quid vellet, conſequenter in volendo ab omni coactione externa liber eſt. *Libertas voluntatis divinæ ab omni coactione externa.*

Equidem & voluntas noſtra cogi nequit (§. 927 *Pſychol. empir.*), adeoque vi externa ad volendum adigi nequit (§. 926 *Pſychol. empir.*); fieri tamen poteſt, ut nolens vel volens vi motivi ipſi ſuppeditati nolitionem vel volitionem mutet in gratiam vi utentis (§. 928 *Pſychol. empir.*). Atat! in Deo ne poſterius quidem locum habet, atque adeo libertas ab omni coactione externa latius patet, quam in homine.

§. 322.

Deus ſemet ipſum determinat ad volendum & nolendum. Etenim impoſſibile, ut Deus vi quacunque externa adigatur ad quid volendum, vel nolendum (§. 321). Neceſſe igitur eſt, ut ſemetipſum ad volendum vel nolendum determinet. *Quomodo Deus ad volẽdum determinetur.*

Nimirum aut determinat ſemetipſum ad volendum, aut determinatur ab alio. Ab alio determinari nequit (§. 321). Ergo ſemetipſum determinat. Non eſt quod fingas determinationem voluntatis minus violentam, & propoſitionem præcedentem de violenta eſſe objicias. Quæ enim ad demonſtrandum eandem adduximus, etiam velent ad evertendum determinationem, quam fingis minus violentam, ſed cui Deus ſeſe non invitus ſubjiciat.

§. 323.

Digitized by Google

§. 323.

Spontaneitas voluntatis divinæ.

Deus ſponte vult, quicquid vult, & ſponte non vult, quicquid non vult. Etenim Deus ſemetipſum determinat ad volendum & nolendum (*§. 322*). Quamobrem cum ſponte ſeſe determinet agens, ſi ſine principio determinandi extrinſeco ſeſe determinat (*§. 933 Pſychol. empir.*); quicquid Deus vult vel non vult, id ſponte vult, vel non vult.

Eſt vero hæc ſpontaneitas vera, non tantummodo apparens, qualis gravi cadenti in deſcenſu tribui ſolet, quemadmodum apparet, ſi cogites demonſtrationem reſolvi in libertatem a coactione externa, qualis datur in caſu ſpontaneitatis apparentis, veluti in ſpontaneo deſcenſu gravis, ubi idem a cauſa gravifica continuo ad motum ſollicitatur.

§. 324.

Differentia mundorum.

Mundus unus ab altero non differt niſi gradu perfectionis. Omnes enim mundi, qui præter hunc adſpectabilem poſſibiles ſunt (§. 101 *Coſmol.*), perinde ac hic adſpectabilis (§. 55 *Coſmol.*), ſunt ſeries entium finitorum ſucceſſivorum ac ſimultaneorum inter ſe connexorum (§. 48 *Coſmol.*), adeoque differre nequeunt niſi entium multitudine ac varietate & modo connexionis ſeu ipſo nexu. Enimvero res in mundo connectuntur, quatenus una continet rationem ſufficientem coexiſtentiæ vel ſucceſſionis alterius (§. 10 *Coſmol.*). Quamobrem in modo connectendi non poteſt concipi differentia, niſi rationum particularium in univerſales reſolutione. Qualiſcunque tandem ſit hæc differentia, cum perfectio mundi conſiſtat in eo, quod rationes particulares ſimultaneorum & ſucceſſivorum tandem in aliquam generalem reſolvantur (*§. 540 Coſmol.*); mundus unus ab altero non differt quoad nexum niſi gradu perfectionis. Cumque mundus itidem perfectior ſit, ſi major in eo eſt rerum conſentientium varietas (§. 552 *Coſmol.*); nec quoad entia, quæ mundum ingrediuntur, alia obtinet differentia, quam quæ in gradu perfectionis conſiſtit. Patet itaque mundum unum ab altero non differre niſi perfectionis gradu.

Non licet in mundo concipere multitudinem abſque varietate: etenim multitudo abſque varietate ſupponit exiſtentiam ſimilium in eadem ſerie (§. 195 *Ontol.*), quam rationi adverſam eſſe evicimus (§. 195. 246 *Coſmol.*).

§. 325.

Ratio objectiva electionis mundi.

Deus hunc mundum ex ceteris elegit ob majorem perfectionem, quæ ipſi quam ceteris ineſt. Etenim datur ratio objectiva, cur Deus hunc potius mundum elegerit, quam alium (*§. 121. 119*). Quoniam vero hæc in eo conſiſtit, quo mundus, quem elegit, a ceteris differt (§. 120), a ceteris autem is non differt niſi gradu perfectionis (*§. 324*); ratio objectiva electionis conſiſtere debet in gradu perfectionis mundo, quem Deus elegit, proprio. Jam cum intuitus perfectionis ſit voluptas (§. 511 *Pſychol. empir.*), ob quam quid enti intelligenti, qualis eſt anima noſtra, placet (*§. 542 Pſychol. empir.*); quin Deo magis placeat mundus perfectior imperfectiore, dubitari haud quaquam poteſt. Competit vero Deo voluntas libera (§. 123). Quamobrem cum libera voluntate ex pluribus poſſibilibus eligatur, quod placet

(§. 941

Digitized by Google

(§. 941 *Pſychol. empir.*); Deus utique hunc mundum elegit ob majorem, quæ ipſi præ ceteris ineſt, perfectionem.

Patet itaque rationem objectivam electionis adeo parum contrariari libertati, ut potius ſine ea libertas concipi non poſſit.

§. 326.

Qualis ſit mundi hujus perfectio.

Mundus, qui exiſtit, eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus. Etenim Deus mundum hunc ex omnibus poſſibilibus elegit, ob majorem perfectionem, quæ ipſi præ ceteris ineſt (§. 325). Quoniam adeo in mundis ceteris judicio intellectus omnium perfectiſſimi (§. 168) & abſolute ſummi (§. 169), errare prorſus neſcii (§. 294), minor perfectio deprehenditur, quam in eo, qui exiſtit; quin omnium poſſibilium ſit perfectiſſimus dubitari nequit.

Nemo a nobis requiſiverit, ut ex ipſa notione mundi demonſtremus majorem ejus præ ceteris perfectionem. Dudum enim oſtendimus neminem mortalium perfectionem totius univerſi comprehendere atque diſtincte explicare valere (§. 541 *Coſmol.*). Multo minus igitur perfectionem omnium mundorum poſſibilium comprehendere atque diſtincte explicare quiſquam mortalium valet, ut perfectionem mundi hujus cum perfectione ceterorum conferre ac inde colligere poſſit, quod ceterorum perfectione illa major ſit. Deficit hic philoſophia, cujus homines fieri poſſunt compotes: divinæ philoſophiæ proprium eſt ex ipſa notione mundorum poſſibilium de hujus ſumma perfectione ſtatuere. Ceterum quando hic mundus dicitur perfectiſſimus, per ſe patet, nobis non eſſe ſermonem niſi de perfectione, quæ cadit in mundum. Quamobrem etſi hic, qui exiſtit, mundus dicatur *mundus omnium perfectiſſimus*, non tamen inde concluditur legitima illatione, mundum hunc, qui exiſtit, eſſe *ens omnium perfectiſſimum*, quod enim in ſuo genere perfectiſſimum eſt, ita ut perfectio a differentia ſpecifica manet, id non abſolute tale eſt, ſeu in omni entium genere. Talia moneri oportet, ut cavillationes conſequentiariorum elidamus.

§. 327.

Quænam objectiones contra perfectionem mundi nullæ ſunt.

Adverſus perfectionem mundi maximam ab iis, quæ in mundo obſervamus, nulla fieri poteſt objectio. Cum enim nemo mortalium perfectionem totius univerſi comprehendere ac eam diſtincte explicare valeat (§. 541 *Coſmol.*), ſi qua ab iis, quæ in mundo obſervamus, petitur objectio; de perfectione totius mundi ſtatuitur ex imperfectione partis in ſe ſpectatæ. Enimvero ſi quid in re in ſe ſpectata imperfectionem arguit; id ideo in ea non arguit imperfectionem, quatenus ad aliam refertur (§. 542 *Coſmol.*), ſed apparens tantummodo eſſe poteſt (§. 543 *Coſmol.*). Quamobrem cum imperfectiones apparentes in parte non tollant perfectionem in toto, ſed cum majore perfectione totius cohæreant (§. 547 *Coſmol.*), ac ideo admittendæ, ut major in toto obtineatur perfectio (§. 548. *Coſmol.*); adverſus perfectionem mundi maximam ex iis, quæ in mundo obſervamus, nulla peti poteſt objectio.

Corruunt adeo uno ictu objectiones omnes, quæ contra perfectionem hujus univerſi fieri ſolent ab hominibus; qui hebetudini ingenii ſui nimium tribuentes ex parte judicium ferunt de toto & id, quod apparet, confundunt cum eo, quod eſt.

§. 328.

Electio mundi omnium perfe-

Electio mundi in ſuo genere perfectiſſimi eſt ſignum naturale intellectus omnium abſolute perfectiſſimi. Si enim Deus mundum hunc ex ceteris non minus poſſibilibus elegit ob majorem perfectionem, quæ ipſi quam ceteris ineſt: ne-

colligi nequit eligentem omnia diſtincte ſibi repræſentaſſe (§. 38 *Pſychol. empir.*), conſequenter eidem intellectum abſolute perfectiſſimum competere (§. 647 *Pſychol. rat.*). Quoniam itaque ex electione mundi in ſuo genere minime perfectiſſimi non colligitur in eligente intellectus abſolute perfectiſſimus, ex ſigno autem colligitur præſentia ejus, quod ſignificat (§. 952 *Ontol.*); electio mundi in ſuo genere minime perfectiſſimi non eſt ſignum intellectus abſolute perfectiſſimi.

Non eſt, quod excipias, agi hic de electione a Deo facta, cui intellectum eſſe abſolute perfectiſſimum conſtet (§. 168). Neque enim hic quæritur, quinam eligat mundum A potius, quam alterum B illo perfectiorem, & quænam de eligente aliunde nobis jam innotuerint; ſed de eo diſquiritur, quidnam ex electione ſuppoſita animum non advertendo niſi ad ea, quæ de eadem ſumuntur, neceſſario colligatur. Et in propoſitione præſente negatur ex electione mundi minime perfectiſſimi in ſuo genere neceſſaria conſequentia inferri poſſe intellectum eligentis abſolute perfectiſſimum. Quid ex electione minus perfecti inferri non poſſit, ex iis patet, quæ inter homines accidunt. Etenim pone plures nummos aureos non differentes niſi pondere, ita ut eorum nonniſi unus juſto pondere gaudeat, & Titium ex iis eligendi poteſtatem dum habet, quemcunque voluerit, eligere eum, qui a vero pondere omnium maxime deficit. Quis, quæſo, ſibi perſuadebit, hinc neceſſaria conſequentia inferri poſſe, quod Titius pondera omnium nummorum aureorum habuerit perſpecta & quantum unuſquiſque eorum a vero pondere abſit, quod nonniſi uni eſt, intellexerit? Quodſi aliunde noveris, quæ Titio fuerint rationes extrinſecæ, ab objecto minime petitæ, cur eum potius elegerit, qui a vero pondere maxime abeſt, quam qui vero pondere gaudet, etſi omnium pondera habuerit perſpecta, ſeu, cur ſtudio, non ignorantia illum minimi ponderis elegerit; eidem pondera omnia perſpecta fuiſſe, non ex electione intelligis. Similiter hic non quæritur, quid de Deo eligente aliunde nobis conſtet, ſed quid ex ejus electione in ſe ſpectata neceſſario conſequatur. Ex inferioribus autem conſtabit, hanc diſquiſitionem non eſſe inutilem, ſed maximi utique momenti.

§. 330.

Quid Deo maxime placeat in quolibet genere.

Quicquid eſt perfectiſſimum in ſuo genere, id Deo in eo genere maxime placet. Deus mundum hunc elegit ex ceteris æque poſſibilibus ob majorem perfectionem, quæ ipſi ineſt (§. 325). Quamobrem cum penitus intelligat, quicquid vult (§. 316); omnem rerum perfectionem intelligere & gradum perfectionis entis cujuslibet in quolibet genere determinate cognoſcere debet. Cognoſcit autem omnia intuitive (§. 207. 272), adeoque etiam rerum perfectionem cognoſcit intuitive. Enimvero in cognitione intuitiva perfectionis voluptas conſiſtit (§. 511 *Pſychol. empir.*), tantoque major ea eſt, quo major fuerit perfectio (§. 516 *Pſychol. empir.*). Deus igitur ex perfectione rerum voluptatem percipit, eamque tanto majorem, quanto illa major eſt, conſequenter ex eo, quod perfectiſſimum eſt in ſuo genere, maximam, quæ in eo genere percipi poteſt. Placet vero enti intelligenti id, ex quo voluptatem percipit (§. 542 *Pſychol. empir.*), adeoque tanto magis, quanto major fuerit voluptas inde percepta. Quare Deo, quicquid in ſuo genere perfectiſſimum eſt, maxime placet.

Non Deo indignum exiſtimari debet, quod ipſi placeant res finitæ, etſi infinito intervallo a ſumma ipſius perfectione diſtent. Etenim ideæ rerum ſunt actus intellectus ipſius: quidni ergo ipſi placeat, quod ſuum eſt? Cave vero hinc inferas, Deo placere malum morale, quod in hominibus obſervamus. Paulo enim poſt oſtendemus, id non eſſe a Deo, ſed ab ipſis hominibus, evicturi quod ipſum diſpliceat eidem maxime. Placent enim entia,

quatenus perfectionis ſunt capacia, quæ a Deo eſt. Ad hanc vero perfectionem minimè ſpectat malum morale. Deinde probe notandum eſt in propoſitione præſente non affirmari abſolute, quod Deo placeat maxime, quod in ſuo genere perfectiſſimum; ſed tantummodo, quod idem maxime placeat inter ea, quæ ad iſtud rerum genus ſpectant.

§. 331.

Quinam mundus Deo maxime placeat.

Mundus, qui exiſtit, inter omnes poſſibiles Deo maxime placet. Etenim mundus, qui exiſtit, eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 326). Enimvero quicquid perfectiſſimum eſt in ſuo genere, id Deo maxime placet (§. 330.). Ergo hic mundus, qui exiſtit, inter omnes poſſibiles Deo maxime placet.

Mundum ſumimus pro ſerie entium finitorum, tam ſimultaneorum, quam ſucceſſivorum, inter ſe connexorum (§. 48 *Coſmol.*), qualem etiam eſſe mundum hunc adſpectabilem, qui exiſtit (§. 49 *Coſmol.*), conſtat (§. 55 *Coſmol.*). De tota igitur hac rerum ſerie prædicatur, quod Deo magis placeat, quam ceteræ iſtiuſmodi rerum ſeries. Cavendum itaque, ne, quæ de toto dicuntur, ad partem applicentur, vel etiam ad id, quod in aliqua ejus eaque valde exigua parte deprehenditur, v. gr. ad homines, quatenus eorum actiones malæ ſunt. Nulla ſane argumentatio eſt: in mundo hoc datur malum morale. Ergo ſi is Deo maxime placet, maxime eidem placet, quod malum eſt. Ecquis enim eſt adeo hoſpes in omni Logica, ut vitioſam argumentandi formam me non monente non videat?

§. 332.

Ens liberum quid deceat.

Ens liberum decere dicitur, ſi in iis, quæ ipſi inſunt, contineatur aliqua ratio, cur hoc potius velle debeat, quam aliud. Quamobrem cum Deus præditus ſit voluntate libera (§. 123); *Deum decet, cujus aliqua in iis, quæ ipſi inſunt, ſeu in eſſentia vel attributis ipſius continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud.*

Definitionem ejus, quod decet agens, generalem dare libuit, propterea quod eadem etiam alio in loco habeamus opus, ubi doceri debet, quid hominem agere deceat. Ecquis enim eſt, qui neſciat, neminem non affirmare, dedecere hominem dignitate conſpicuum, ſi quid agat, quod per dignitatem, qua fulget, ipſi potius non agendum eſſe intelligitur?

§. 333.

Electio mundi perfectiſsimi cur Deū deceat.

Electio mundi omnium poſſibilium perfectiſſimi Deum decet. Etenim Deus omniſcius eſt (§. 302), adeoque ſcit omnia, quæ cognitu poſſibilia ſunt, ſive ſingularia, ſive univerſalia (§. 301). Novit igitur etiam, quinam mundus ſit omnium perfectiſſimus. Enimvero quod minus perfectum eſt, ab eo etiam eligi poteſt, qui, quid eligibilium perfectius ſit, non intelligit: & perfectiſſimum, qui ſummam eligibilis perfectionem non agnoſcit, non niſi cœco quodam caſu eligit, ex ſcientia eligere nequit. Quamobrem cum hinc pateat, ſolius Dei omniſcii eſſe, ut eligat mundum omnium poſſibilium perfectiſſimum; per ipſius omniſcientiam utique intelligitur, quod mundum potius perfectiſſimum eligere debeat intellectus ſui perfectiſſimi ſpecimen editurus (§. 328), quam imperfectiorem. Quoniam itaque in omniſcientia Dei aut, quod perinde eſt, in ſumma intellectus divini perfectione continetur aliqua ratio electionis mundi omnium poſſibilium perfectiſſimi (§. 56 *Ontol.*); quin hæc ipſum deceat electio dubitari nequit.

Quod decet, non abſolute neceſſarium eſt agenti, qui idem libere vult. Quamobrem nemo deſideret, ut in illatione ejus, quod decet, ex iis, per quæ decere intelligitur, ea neceſſitas ſit, quæ in veritatibus neceſſariis deprehenditur.

§. 334.

Digitized by Google

§. 334.

Deus elegit mundum, quia ipſum decet. Etenim elegit mundum omnium poſſibilium perfectiſſimum, quia talis (§. 326. 325). Enimvero electio mundi omnium poſſibilium perfectiſſimi Deum decet (§. 333). Deus igitur mundum elegit, quia ipſum decet.

Deus decenter elegit mundũ.

Propoſitio hæc probe notanda eſt, ne ſomniemus Deum non agere, quod ipſum decet, male de perfectione hujus univerſi judicantes (§. 327). Quamobrem conſultum judicamus ſequentem addere propoſitionem.

§. 335.

Deus vult, quod ipſum decet. Etenim Deus elegit mundum, quia mundi electio ipſum decet (§. 334). Enimvero electio eſt actus voluntatis liberæ (§. 941 *Pſychol. empir.*), adeoque per electionem mundi patet, Deum velle, quod ſe deceat.

Quid Deus velit reſpectu ſui.

Nemo exiſtimet, quod a ſingulari ad univerſale argumentemur, dum ex electione mundi perfectiſſimi, quæ Deum decet, inferimus Deum velle quod ipſum deceat. Etenim cum mundus noſtra phraſi complectatur totam rerum finitarum a Deo creatarum ſeriem; actus ille voluntatis divinæ, quo mundum hunc ex ceteris poſſibilibus elegit, complectitur ea omnia, quæ Deus de rebus extra ſe exiſtentibus voluit. Quicquid ergo Deus vult extra ſe, illud ipſum decet. Deinde conſtat in omni ſingulari ineſſe, quod ad univerſale ſpectat. Quamobrem cum ex lege appetitus, a qua recedere anima noſtra nequit, appareat, objecta appetibilia ad ſe volentem referre (§. 904. 555 *Pſychol. empir.*), & Deus ea, quæ extra ipſum ſunt, dum vult, idem faciat; quin hoc ipſum quoque ſit conveniens voluntati divinæ in genere dubitari nequit. Enimvero dum Deus ad ſemetipſum refert quod vult; id vult, quod ipſum decet. Quamobrem patet generaliter dicendum eſſe, Deum non velle niſi ea, quæ ipſum decent.

§. 336.

Ratio ſubjectiva dicitur, quæ deſumitur a ſubjecto, ſeu agente.

Ratio ſubjectiva quænam dicatur.

Ita ratio ſubjectiva electionis mundi eſt, quæ deſumitur a Deo eligente.

§. 337.

Datur ratio ſubjectiva, cur hunc potius mundum elegerit Deus, quam alium. Etenim Deus elegit hunc mundum, quod eum maxime decet hunc potius mundum eligere, quam alium (§. 333 & ſeq.). Quoniam itaque per ea, quæ in Deo ſunt, intelligitur, cur hunc potius mundum eligere maluerit, quam alium: ratio aliqua electionis mundi deſumitur ab ipſo Deo eligente (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum ratio ſubjectiva appelletur, quæ a ſubjecto agente deſumitur (§. 336); dari rationem ſubjectivam, cur Deus hunc potius elegerit mundum, quam alium, patet.

An detur ratio ſubjectiva electionis mundi.

§. 338.

Quoniam in genere conſtat, Deum velle, quod ipſum decet: eodem, quo ante, modo in genere evincitur, *dari voluntatis divinæ rationem aliquam ſubjectivam*, conſequenter, cum Deus non agat, niſi quod vult, *rationem dari ſubjectivam, cur quid agat.*

An in genere detur ratio ſubjectiva voluntatis divinæ.

Ratio ſubjectiva & objectiva in determinatione actus volitionis probe a ſe invicem diſcernendæ, & ad utramque animum advertere tenemur, ſiquidem illum ſufficienter intelligere velimus.

§. 339.

§. 339.

Ratio ſufficiens voluntatis divinæ qualis ſit.

Ratio objectiva & ſubjectiva ſimul ſumtæ conſtituunt rationem ſufficientem, cur Deus quid velit. Deus enim elegit hunc mundum ex ceteris poſſibilibus, quia omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 325), adeoque electionis datur ratio objectiva (§. 118). Enimvero elegit quoque eundem mundum, quod eum maxime deceat ipſum eligere (§. 334), adeoque electionis datur ratio ſubjectiva (§. 336). Quamobrem patet, dari voluntatis divinæ & rationem objectivam & ſubjectivam. Enimvero rationes, cur Deus quid potius velit, quam nolit, aliunde quam ab ipſo & objecto deſumi nequeunt, quemadmodum per ſe patet, adeoque non datur alia ratio, quam objectiva & ſubjectiva volitionis (§. 118. 336). Quamobrem cum voluntatis divinæ ratio ſufficiens detur (§. 70 *Ontol.*); ratio objectiva & ſubjectiva ſimul conſtituunt rationem ſufficientem voluntatis divinæ.

Quoniam non ante intelligitur, cur quid potius ſit, quam non ſit, quam rationem ſufficientem penitus perſpexeris (§. 56 *Ontol.*); ideo patet, vi propoſitionis præſentis non minus rationem objectivam, quam ſubjectivam voluntatis divinæ expendendam eſſe, ut conſtet, cur hoc potius Deus voluerit, quam aliud.

§. 340.

Motiva voluntatis divinæ unde deſumātur.

Motiva voluntatis divinæ partim ab objecto, partim ab ipſo Deo volente deſumuntur. Etenim motiva voluntatis divinæ ſunt ratio ſufficiens actuum volitionis & nolitionis (§. 887 *Pſychol. empir.*). Enimvero ratio ſufficiens voluntatis divinæ conſtat ex ratione objectiva & ſubjectiva (§. 339), adeoque motiva voluntatis divinæ ex ratione objectiva & ſubjectiva conſtant. Quamobrem cum ratio objectiva ob objecto (§. 118), ſubjectiva a ſubjecto deſumatur (§. 336); motiva voluntatis divinæ partim ab objecto, partim ab ipſo Deo deſumuntur.

Abſit autem ut exiſtimes, voluntatem divinam, conſequenter Deum ipſum, hoc pacto effici dependentem a rebus aliis, creatorem a creaturis. Etenim Deus vult omnia ab æterno, antequam quicquam extra ipſum exiſtat (§. 319), adeoque nulla creatura influit in actum voluntatis divinæ. Ratio objectiva deſumitur ab ideis rerum, quæ ſunt in intellectu divino, imo quæ ipſum intellectus divini actum conſtituunt. Quodſi ergo inde petitur ratio objectiva voluntatis, divina tantummodo voluntas dependet ab intellectu ejus (§. 851 *Ontol.*), conſequenter a Deo ipſo. Abſurdum vero non eſt, Deum dependere a ſe ipſo, cum id ſit libertati ejus ſummæque, qua gaudet, perfectioni minime inimicum. Quodſi Deus demum quid in tempore vellet, quod ideo velle non potuiſſet, quia objectum, circa quod verſatur, nondum exiſtebat, atque adeo actus volitionis in Deo dari non potuiſſet, niſi exiſteret creatura; tum demum aliqua veritatis ſpecie dici poterat, ratione objectiva Deum fieri dependentem a creatura: aſt ubi ab æterno quid velle ponitur, quatenus intuetur ideas in intellectu ſuo, aut, verius loquendo, quatenus ſibi conſcius eſt actus intellectus ſui; nulla ſpecie fingitur Dei a re quadam alia, ab ipſo diverſa, dependentia.

§. 341.

Lubentia voluntatis divinæ.

Deus lubentiſſime vult, quicquid vult. Etenim Deus quod vult, ideo vult, quia ipſi placet, quemadmodum patet ex iis, quæ ſupra demonſtravimus, cum evinceremus, mundum, qui exiſtit, inter omnes poſſibiles Deo maxime placere. Quodſi id ſupponere nolis, hoc modo argumentandum. Deus elegit hunc mundum ex ceteris poſſibilibus ob majorem, quæ ipſi ineſt,

ineſt, perfectionem (§. 325), adeoque cum id ipſi maxime placeat, quod in ſuo genere perfectiſſimum eſt (§. 330), ideo quia ipſi maxime placet. Quamobrem cum electio ſit actus liberæ voluntatis (§. 941 *Pſychol. empir.*); ideo vult, quod vult, quia ipſi placet. Enimvero quia volens vult lubenter, quando vult, quod ipſi placet (§. 938 *Pſychol. empir.*); Deus utique lubentiſſime vult, quicquid vult.

§. 342.

An Deus omnes mundos poſsibiles producere potuerit.

Deus poteſt mundos ceteros poſſibiles non minus ad actum perducere, quam hunc produxit. Etenim mundus hic, quem Deus ad actualitatem perduxit, eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 326). Quamobrem cum potentia Dei perfectiſſimo actuando ſufficiat, & præterea conſtet, quod eundem actuet, quia ipſi maxime placet (§. 331); quin mundis ceteris poſſibilibus actuandis, cum ad hoc non major potentia requiratur, quod per ſe patet, ſufficiat, dubitari nequit.

Idem etiam ſic oſtenditur. Ceteri, qui non exiſtunt mundi (§. 117), non minus poſſibiles ſunt, quam hic adſpectabilis (§. 101 *Coſmol.*). Enimvero nihil datur in quolibet mundo, quod rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ habeat in ipſo mundo, ſed omnium ratio ſufficiens continetur in ente a mundo diverſo eoque neceſſario (§. 90 *Coſmol.*), conſequenter in Deo (§. 67). In nullo adeo mundo quicquam ineſt, quod ad actualitatem ejuſdem conferre quicquam poterat. Quamobrem ſi mundos omnes ad potentiam Dei referas, nullum quoad eam diſcrimen deprehenditur, cum ubivis ad actualitatem perducendum ſit, quod per ſe nihil ad eandem conferre valet; quin potentia Dei omnibus mundis poſſibilibus ad actualitatem perducendis ſufficiat, dubitandum non eſt.

Quodſi quæſiveris, num potentia Dei omnibus ſimul actuandis ſufficiat, an vero ad unum actuandum tantummodo reſtricta ſit, ita tamen ut ſalva libertas eligendi eidem fuerit, quem actuare mallet: hoc equidem, quicquid eſt dubii, tolli poterat per rationem, quam ſupra reddidimus (§. 117), exiſtentiæ unius tantummodo mundi; ex ſequentibus tamen clarius adhuc conſtabit, ubi ſapientia Dei fuerit explicata.

§. 343.

Potentiæ divinæ objectũ.

Deus omnia poſſibilia ad actualitatem perducere poteſt. Etenim Deus omnes mundos poſſibiles ad actum perducere poteſt (§. 342). Sed mundi omnes poſſibiles omnia poſſibilia continent (§. 152). Ergo Deus omnia poſſibilia ad actualitatem perducere poteſt.

Atque hoc pacto patet, quodnam ſit potentiæ divinæ objectum, unde ejus æſtimanda magnitudo.

§. 344.

Quænã ab eodẽ removenda.

Deus non poteſt facere ſeu ad actum perducere impoſſibilia. Quæ enim impoſſibilia ſunt, illa exiſtere minime poſſunt (§. 132 *Ontol.*). Quamobrem cum ad actualitatem perduci minime poſſit, quod in ſe tale eſt, ut exiſtere nequeat (§. 28 *Ontol.*); Deus impoſſibila ad actum perducere non poteſt, ſeu facere nequit.

Agnovare

Digitized by Google

Agnovere hoc jam dudum Theologi potentiam Dei non eſſe extendendam ad impoſſibilia; Unde patet poſſibilitatem non eſſe derivandam a potentia Dei, cum ante ut poſſibile ſpectetur, quam ad potentiam Dei referatur; ſed ab ipſius intellectu, quemadmodum ſupra eandem derivavimus (§. 192). Atque adeo patet, quam ſint vera, quæ D. *Thomas* oppoſuit poſſibile definientibus per id, cui producendo cauſa aliqua ſuppetit, rei & actus ſeu exiſtentiæ ejuſdem poſſibilitatem, ſeu poſſibilitatem intrinſecam & extrinſecam (§. 111 *Coſmol.*) pro eo, quod ipſi erat, acumine diſtinguens (*not.* §. 99 *Ontol.*).

§. 345.

Quænam Deus velle & facere non poſſit.

Deus nec velle, nec facere poteſt contradictoria. Etenim Deus nec velle (§. 313), nec facere poteſt impoſsibilia (§. 344), ſed quicquid vult & facere poteſt, poſsibile eſt (§. 314. 343). Quamobrem cum impoſsibilia contradictionem involvant (§. 79 *Ontol.*), poſsibilia ab eadem libera ſint (§. 85 *Ontol.*); Deus contradictoria nec velle, nec facere poteſt.

Propoſitionis hujus & in theoria, & in praxi multus eſt uſus, qui ſuis in locis eluceſcet.

§. 346.

Cur impoſsibilitas faciendi impoſsibilia non ſit defectus potentiæ.

Impoſſibilitas faciendi impoſſibilia non arguit defectum potentiæ. Etenim impoſsibilia in ſe talia ſunt, ut exiſtere nequeant (§. 132 *Ontol.*). Quamobrem quæ fingitur potentia eadem producendi, contradictionem involvit (§. 28 *Ontol.*), adeoque impoſsibilis (§. 79 *Ontol.*), conſequenter non ens eſt (§. 138 *Ontol.*). Cum adeo potentiam ad impoſsibilia extendi implicet; impoſsibilitas faciendi impoſsibilia non arguit defectum potentiæ.

Cavendum nobis eſt a notionibus deceptricibus, ne qua appareant, quæ non ſunt.

§. 347.

Omnipotentiæ definitio.

Omnipotens dicitur, qui poteſt facere omnia poſsibilia. Unde *Omnipotentia* ea eſt, quæ extenditur ad omnia poſsibilia.

Qui omnipotentem dicunt, qui omnia facere poteſt, aut tacite ſupponunt, aut ſupponere debent vi demonſtrationis propoſitionis præcedentis, non intelligi per omnia niſi ea, quæ poſſibilia ſunt, & quibus adeo in ſe ſpectatis non repugnat ut exiſtant (§. 133 *Ontol.*). Præſtat tamen id in definitione exprimi, ne quis eadem abutatur, cum ſic appareat, nihil poſſe tribui omnipotentiæ, antequam id poſſibile eſſe fuerit evictum: quod cum ſubinde fiat, præter neceſſitatem finguntur difficultates habenturque pro nodis inſolubilibus, quæ tamen revera nullæ ſunt. Exempla occurrent in ſequentibus.

§. 348.

Omnipotentiæ magnitudo.

Omnipotentia eſt potentia abſolute maxima. Etenim omnipotentia extenditur ad omnia poſsibilia (§. 347). Quamobrem cum impoſsibilitas faciendi impoſsibilia minime arguat defectum potentiæ (§. 346); major potentia concipi haud quaquam poteſt, quam quæ ad omnia omnino poſsibilia extenditur. Eſt igitur omnipotentia maxima, quæ concipi poteſt, adeoque abſolute citra ullam relationem ad potentiam aliam maxima.

Si cui major videtur potentia, quæ ad omnia etiam impoſſibilia extendatur; is dat ſine mente ſonos, contradictorii ingenii homo.

§. 349.

Omnipotentia Dei evicta.

Deus eſt omnipotens. Etenim Deus omnia poſsibilia ad actum perducere valet (§. 343). Enimvero qui omnia poſsibilia ad actum perducere valet, omnipotens eſt (§. 347). Deus igitur omnipotens eſt.

§. 349.

§. 350.

Magnitudo potentiæ divinæ.

Quoniam omnipotentia eſt potentia abſolute maxima (§. 348), Deus vero omnipotens eſt (§. 349); *potentia Dei eſt abſolute maxima*, conſequenter *Deus*, cui hæc eſt potentia, *omnium abſolute potentiſſimus*.

Probe notandum eſt, quod jam in caſu ſimili inculcavimus, Deum non dici ens omnium, quotquot exiſtunt, potentiſſimum; ſed omnium abſolute potentiſſimum. Etſi enim prius ſit verum, cum poſito poſteriore idem ſimul ponatur; minus tamen dicit, quam debebat, quoniam ex eo, quod ens quodpiam omnium exiſtentium potentiſſimum, nondum ſequitur, quod ſit tanta potentia præditum, quanta major concipi nequit, niſi ante conſtiterit, potentiam abſolute maximam eſſe poſſibilem & ens eadem inſtructum exiſtere.

§. 351.

Electio mundi a coactione interna libera.

Deus in electione hujus, qui exiſtit, mundi, liber eſt ab omni coactione interna. Etenim Deus non minus mundos ceteros quoſcunque, quos perinde ac hunc cognoſcit (§. 141), ad actum perducere valet, quam hunc adſpectabilem produxit (§. 342), nec minus ſeipſum (§. 141), adeoque omnipotentiam ſuam cognoſcit (§. 349). Quamobrem cum ad hoc, ut fieri poſſit mundum aliquem a Deo produci, ſufficiat, ut mundum penitus cognoſcat & producere poſſit, ac potentiæ ſuæ ſibi ſit conſcius, quod per ſe patet; nulla ex parte Dei fuit neceſſitas abſoluta, cur hunc potius elegerit mundum, quam alium (§. 279. 301 *Ontol.*). Patet igitur Deum fuiſſe liberum in electione mundi ab omni coactione interna.

Nondum evincimus in genere, Deum liberum eſſe ab omni coactione interna in electione mundi; ſed tantummodo, eum fuiſſe liberum in electione hujus mundi, poſito quod aliquem producere voluerit. Neque enim hæc duo a ſe invicem pendent. Per ſe utique neceſſe non eſt, ut, ſi nulla neceſſitate interna adducatur Deus ad mundi hujus electionem, nulla neceſſitate adducatur ad aliquem eligendum, cum in ſe non repugnet, ut Deus neceſſitate interna impulſus ad mundum aliquem producendum, nulla neceſſitate interna hunc potius eligat, quam alium. Quamobrem quod nulla Deo fuerit neceſſitas mundum aliquem producendi, deinceps demum demonſtraturi ſumus. Probe hæc notanda veniunt, ne hebetiores plus probatum ſumant, quam revera probavimus; acutiores vero minus probatum exiſtiment, quam probari debebat. Non piget in re tam ardua, qualis eſt cognitio divina, juvare & excitare acumen lectoris, ne ejus certitudo culpa noſtra labefactetur.

§. 352.

Potentia Dei ad voluntatem relata.

Deus poteſt facere, quicquid vult. Quicquid enim Deus vult, id poſſibile eſt (§. 314). Enimvero quicquid poſſibile eſt, Deus facere poteſt (§. 343). Facere igitur poteſt, quicquid vult.

In eo differt potentia Dei a potentia humana: etenim nos facere non poſſumus, quicquid volumus. Sæpe nimirum volumus, quod impoſſibile, adeoque nec a Deo quidem (§. 344), nedum a nobis fieri poteſt. Sæpe volumus, quod equidem impoſſibile non eſt, cui tamen ad actum producendo vires noſtræ minime ſufficiunt. Defectu igitur ſcientiæ vel potentiæ noſtræ accidit, ut facere non poſſimus, quod volumus. Quamobrem cum Deus & omniſcius ſit (§. 302), & omnipotens (§. 349), fieri nullo poteſt modo, ut vel velit, quod facere non poteſt, vel facere non poſſit, quod vult. Notanda eſt non modo differentia, quæ inter voluntatem noſtram & divinam ad potentiam relatam intercedit; ſed animum quoque advertere debemus ad rationes, cur ea differentia intercedat, ne quid affirmetur quod dedeceat philoſophum (§. 49 *Diſc. prælim.* & §. 332 *Theol. nat.*).

§. 353.

Idem ulterius expenditur.

Deus plura facere poteſt, quam vult. Deus enim omnes mundos poſſibiles producere poteſt (§. 342), cum tamen nonniſi unum elegerit (§. 121),

quem produceret, adeoque eum electio liberæ voluntatis actio ſit (§. 941 *Pſychol. empir.*), nonniſi unum exiſtere velit; patet utique eum plura facere poſſe, quam vult.

Idem etiam ſic oſtenditur. Cum Deus mundum elegerit ob majorem, quæ ipſi eſt, perfectionem (§. 325), quicquid vero eſt in ſuo genere perfectiſſimum, id Deo in eo genere maxime placeat (§. 330); Deum eligere, conſequenter velle patet (§ 941 *Pſychol. empir.*), quod ipſi maxime placet, adeoque non omnia poſsibilia, ſed tantummodo aliqua. Enimvero poſsibilia omnia facere poteſt (§. 343). Ergo plura poteſt facere, quam vult.

Convenit libertati quædam non velle, quæ agens facere poteſt. Unde & nos quædam non volumus, quæ facere poſſumus. Quod vero Deus plura facere ideo poſſit, quam vult, idem omnipotentiæ tribuendum. In ente libero finitæ potentiæ fieri poteſt, & plerumque fit, ut plura velit, ſaltem velle poſſit, quam facere poteſt. Pendet veritas propoſitionis præſentis a libertate & potentia ſimul.

§. 354.

Potentiæ divinæ libertas ab omni limitatione.

Potentia Dei prorſus illimitata eſt. Etenim Deus facere poteſt omnia poſſibilia (§. 343). Jam cum impoſsibile in ſe tale ſit, ut exiſtere nequeat (§. 132 *Ontol.*); potentia, quæ in eo conſiſtit, ut poſſibilia ad actum perducantur (§. 222), limitari aliter nequit, quam ſi quædam poſsibilia eidem ſubducantur (§. 468 *Ontol.*). Patet itaque potentiam divinam prorſus illimitatam eſſe.

Idem etiam ſic oſtendi poterat. Deus eſt omnipotens (§. 349), adeoque potentia ejus eſt omnium abſolute maxima (§. 348), conſequenter aliam eadem majorem concipi repugnat. Enimvero eo, quod limitatum eſt, majus vel minus concipi poteſt (§. 826 *Ontol.*). Potentia igitur Dei limitata eſſe nequit.

Potentiam hominum eſſe valde limitatam nemo non novit. Atque in eo manifeſta conſiſtit differentia, quæ inter potentiam Dei atque potentiam noſtram intercedit, quod illa illimitata ſit, hæc vero limitata. Præter hanc vero differentiam datur alia, quæ non eodem modo manifeſta eſt, ſuo loco, quando de creatione agemus, annotanda.

§. 355.

Ratio formalis voluntatis divinæ.

Deus omnia vult ſimul, ſeu unico voluntatis actu. Etenim Deus cognoſcit omnia ſimul (§. 160). Quamobrem eum cognoſcens aliquid appetat, quamprimum appetibile vel averſabile ut tale cognoſcit (§. 318); Deus quicquid vult, unico voluntatis actu, ſeu omnia ſimul velle debet.

Hoc prorſus proprium eſt voluntatis divinæ. Nos enim ſucceſſive volumus, omnia ſimul velle non poſſumus. Ratio manifeſta eſt. Non omnia cognoſcimus ſimul, quæ nobis per omnem vitam appetibilia vel averſabilia occurrent: imo omni tempore de appetibili vel averſabili eodem non judicamus modo. Fieri adeo nequit, ut unico voluntatis actu ſtatuamus de iis, quæ per omnem vitam vel appetenda, vel averſanda. Atque hinc uberius liquet, unitatem actus voluntatis pendere ab unitate actus intellectus.

§. 356.

Voluntas Dei qualis ſit.

Voluntas Dei eſt purus actus, non facultas. Deus enim vult omnia ſimul (§. 355), adeoque nulla ipſi poſsibilis eſt volitio, quæ non actu in eodem detur. Quoniam itaque facultas eſt potentia activa (§. 716 *Ontol.*), atque adeo

adeo nonniſi agendi poſsibilitatem denotat (*§ cit.*); in Deo nulla datur facultas volendi, ſed voluntas ejus purus actus eſt.

Dici etiam ſolet voluntatem in Deo concipi non per modum potentiæ, ſed per modum actus, in quo voluntas divina ab humana formaliter differt.

§. 357.

Infinitudo voluntatis divinæ.

Voluntas divina infinita eſt. Etenim Deus vult omnia ſimul ſeu unico voluntatis actu (§. 355), ut adeo fieri non poſsit, quin Deus aliquid velit, vel nolit, quod non actu velit, vel nolit. Quicquid adeo per voluntatem Dei poſsibile concipi poteſt, id actu in Deo datur. Quoniam itaque ens infinitum eſt, in quo ſunt omnia ſimul, quæ eidem ineſſe poſſunt (§. 838 *Ontol.*); voluntas divina infinita eſt.

Equidem non memini infinitudinem ab auctore aliquo de voluntate divina prædicari, imo vereor, ne ſint qui id fieri poſſe negent: enimvero cum vulgo infinitum reale ab imaginario, quod in magnitudinum & numerorum, ſeu quantitatum genere conſiderant Mathematici, non diſtinguatur; infinitudo voluntati divinæ non tribuitur, quod illa imaginarii infiniti notio eidem minime conveniat. Enimvero cum definitio infiniti realis eodem modo quadret in voluntatem divinam, ac in intellectum Numinis (*§. præf.* & §. 167); eodem jure infinitudo de voluntate prædicatur, quo de intellectu (§. 349 *Log.*). Ceterum qui admittit Deum non velle ſucceſſive, ſed omnia ſimul unico voluntatis actu, concipiens voluntatem divinam tanquam purum actum, non vero per modum facultatis, is rem admittit. Quodſi ergo nomen rejiciat, per nos id faciat, qui de vocabulis nemini litem movemus.

§. 358.

Incomprehenſibilitas voluntatis divinæ.

Voluntas divina omni enti intelligenti finito incomprehenſibilis. Ens enim intelligens finitum ſucceſsive intelligit & vult, quæ vi ſua actu cognoſcere & velle poteſt (§. 837 *Ontol.*). Quamobrem cum ens intelligens finitum, quale eſt anima noſtra, non habeat ideam voluntatis, niſi quatenus ſibi ſui conſcium eſt (*§. 12 Pſychol rat.*); non aliam niſi ſucceſsivæ volitionis ac nolitionis ideam habere poteſt. Non igitur habet ideam niſi voluntatis, quæ per modum potentiæ ineſt. Enimvero Dei voluntas eſt actus purus (§. 356), quo ſimul vult, quicquid ut velit fieri poteſt (§. 355). Ens igitur intelligens finitum non habet ideam voluntatis, qualis eſt in Deo, conſequenter eandem ſibi clare repræſentare nequit (§. 48 *Pſychol. empir.*), atque adeo voluntas divina ipſi incomprehenſibilis eſt (§. 170).

Quando de incomprehenſibilitate voluntatis divinæ hic loquimur, eandem non conſideramus niſi ut actum eſſentiæ divinæ, animum minime advertentes ad objectum voluntatis: id quod probe notandum eſt, ne incomprehenſibilitatem cum imperſcrutabilitate confundamus, de qua deinceps dicendum.

§. 359.

Cur voluntas Dei nobis incõprehenſibilis.

Quoniam homo eſt ens intellectus admodum limitati (§. 654 *Pſychol. rat.*), adeoque finiti (§. 173); *voluntas Dei omni homini incomprehenſibilis.*

Repetenda hic ſunt, quæ de intellectu divino nobis incomprehenſibili dicta ſunt ſuperius (*not.* §. 174).

§. 360.

Immenſitas potentiæ Dei.

Potentia Dei immenſa eſt. Potentia Dei prorſus illimitata eſt (§. 354), eademque abſolute maxima (§. 350). Quamobrem cum quid metiamur, ſi magnitudinem aliquam pro unitate aſſumamus & alterius ad eam rationem

determinemus (§. 438 *Ontol.*), menſura autem menſurato homogenea eſſe debet (§. 441 *Ontol.*); potentiam aliter metiri non licet, quam ſi entis cujuſdam potentia pro unitate aſſumatur, & ratio potentiæ entis alterius ad eandem determinetur. Enimvero cum potentia illimitata & abſolute maxima quæcunque ad omnia ſeſe extendat poſsibilia; cum divina eadem eſt *per demonſtrata*, adeoque pro menſura potentiæ divinæ aſſumi nequit. Jam cum porro quantitas limitata quotieſcunque ſumatur, degenerare nequeat in illimitatam (§. 175); nec fieri poteſt, ut potentia limitata degeneret in illimitatam, quotieſcunque ſumatur, conſequenter nec potentia limitata pro menſura illimitatæ ſeu divinæ aſſumi poteſt, neque per eandem potentiam divinam metiri licet. Quoniam itaque potentia divina menſuram omnem reſpuit *per demonſtrata*; immenſa utique eſſe debet (§. 41).

Conſideramus hic potentiam divinam tanquam immenſam in ſe; non vero tantummodo negatur fieri poſſe, ut ens quoddam præter Deum ipſam metiatur. Unde & Deus ipſe potentiam ſuam cognoſcit tanquam immenſam, hoc eſt, eam, quæ menſuram omnem reſpuit. Quoniam tamen diſtincte novit omnia, ad quænam ſeſe potentia ſua extendit, eorumque ſibi ſimul conſcius eſt; adæquatam potentiæ ſuæ cognitionem habet. Cumque ipſum minime lateat, quid facere poſſit ens quodcunque aliud; diſtinctiſſime quoque perſpicit, quam longo intervallo potentia ipſius poſt ſe relinquat creaturæ cujuslibet ſeu entis finiti cujuſcunque potentiam, nec opus habet, ut metiendo potentiam ſuam per potentiam creaturarum ad diſtinctam utriuſque cognitionem perveniat, quemadmodum in magnitudinibus finitis accidit (§. 440 *Ontol.*).

§. 361.

Potentiā Dei homo metiri nequit.

Quoniam potentia Dei in ſe immenſa eſt (§. 360), ut adeo nec Deus, qui ſemetipſum cognoſcit (§. 141), eandem aliter quam immenſam cognoſcat; *fieri non poteſt, ut homo potentiam divinam metiatur.*

Sunt qui exinde inferunt immenſitatem potentiæ divinæ, quod ſe eandem metiri non poſſe deprehendant. Sed quam parum hoc pacto probetur, quod erat probandum, ſupra jam monuimus (*not.* §. 176).

§. 362.

Cur potentia divina captum hominis tranſcēdat.

Deus plura facere poteſt, quam quæ homo intelligere valet. Etenim Deus facere poteſt quicquid poſsibile (§. 343). Enimvero per ſe patet, neminem hominum intelligere valere omnia, quæ poſsibilia ſunt, quin multa potius poſsibilia eſſe, quæ ab ipſo ignorantur. Quamobrem liquet Deum plura facere poſse, quam quæ homo intelligere valet.

Ex eo igitur, quod non videamus, quomodo quid a Deo fieri poſſit, inferri nequit, eum id facere non poſſe. Quoniam enim Deus tantummodo facere non poteſt, quæ impoſſibilia ſunt; a Deo quid fieri non poſſe non ante pronunciandum, quam ubi demonſtraveris, eſſe idem impoſſibile. Evidens itaque potentiam divinam captum non modo hominis, ſed omnem etiam intellectum finitum tranſcendere. Uſum habet hæc propoſitio in praxi morali, quemadmodum ſuo loco conſtabit.

§. 363.

Miraculorum poſsibilitas extrinſeca.

Deus poteſt facere miracula, quotieſcunque vult. Etenim miraculum in eo corpore, in quo contingit, poſsibile (§. 517 *Coſmol.*). Enimvero Deus ad actum perducere valet quicquid poſsibile (§. 343), & facere poteſt, quicquid vult (§. 352). Miracula igitur facere poteſt, quotieſcunque vult.

In Coſmo-

In Coſmologia evicimus miraculorum poſſibilitatem intrinſecam: hic vero extrinſecam probavimus, quatenus evincitur, dari aliquam cauſam, cujus potentia miraculo producendo ſufficit. Quoniam vero cauſa hæc Deus eſt, ens a mundo diverſum nec ad eum ſpectans per modum partis (§. 62. 64), hoc ipſo patet, poſſibilitatem extrinſecam miraculorum non a mundo pendere (§. 511 *Coſmol.*). Atque adeo patet, quod in Coſmologia nos in Theologia naturali demonſtraturos eſſe promiſimus (*not.* §. 524 *Coſmol.*), dari ens a mundo diverſum, quod miracula patrare poſſit. Ceterum probe notandum eſt, quod additur in propoſitione, Deum poſſe facere miracula, quotieſcunque voluerit, conſequenter nondum probatum eſſe, quod miracula in mundo vel hoc tempore fiant, vel olim facta fuerint. Antequam igitur probaveris, velle Deum patrare miracula, eorum exiſtentia ex principiis rationis demonſtrari nequit. Ad defendendam vero religionem revelatam ſufficit demonſtraſſe, quod Deus ea facere poſſit, ſi velit.

§. 364.

Deus facere poteſt, quæ vim naturæ univerſæ excedunt. Deus enim miracula facere poteſt, quotieſcunqne vult (§. 363). Enimvero miraculum omne vim naturæ univerſæ excedit (§. 523 *Coſmol.*). Deus igitur facere poteſt, quæ vim naturæ univerſæ excedunt.

Potentia Dei natura omni ſuperior.

Atque hoc modo patet, quo ſenſu Deus natura ſuperior dicatur, & natura ejus imperio ſubjecta pronuntietur. Idem uberius per ſequentes propoſitiones confirmatur.

§. 365.

Deus producere poteſt motus legibus motus contrarios. Etenim Deus miracula facere poteſt, quando voluerit (§. 363). Sunt vero motus legibus motus contrarii miracula (§. 526 *Coſmol.*), iidemque non impoſſibiles (§. 528 *Coſmol.*). Deus igitur producere valet motus legibus motus contrarios.

Motus quales a Deo produci poſſint.

Patet adeo, ad miraculorum poſſibilitatem extrinſecam evincendam opus eſſe, ut conſtet leges motus non eſſe abſolute neceſſarias & naturam rerum ab abſoluta neceſſitate eſſe liberam: ut adeo utilitas principiorum coſmologicorum in Theologia naturali eluceſcat, in cujus gratiam omnem Coſmologiam condidimus (§. 6 *Coſmol.*).

§. 366.

Deus ordinem naturæ turbare poteſt, quando & quotieſcunque vult. Etenim Deus producere poteſt motus legibus motus contrarios (§. 365). Quamobrem cum regulis motus ordo naturæ contineatur (§. 559 *Coſmol.*); Deus producere poteſt motus ordini naturæ contrarios, adeoque facere, quæ ſunt contra naturæ ordinem. Quoniam itaque naturæ ordo turbatur, ſi quid fit, quod eſt contra eundem; patet Deum naturæ ordinem turbare poſſe, quando & quotieſcunque voluerit.

Ordo naturæ num a Deo turbari poſſit.

Apparet hinc, quanta ſit Deo in naturam potentia. An vero velit ordinem naturæ turbare & quibus de cauſis id velit, altioris eſt diſquiſitionis.

§. 367.

Deus ſequentem mundi partem immutare valet, ut non ſit eadem, quæ ad ipſum in idea ejuſdem ſpectat. Etenim Deus facere poteſt miracula quotieſcunque vult (§. 363). Enimvero ſi miraculum in mundo contingit, nec aliqua ulterius mutatio accidit; ſequens mundi pars non amplius eadem eſt, quæ alias futura erat (§. 531 *Coſmol.*), cum ea in coexiſtentibus mutatio accidat & ea in futuram rerum ſeriem diverſitas introducatur, quæ, poſita iſta mutatione miraculoſa, in ceteris per naturam & eſſentiam corporum conſequi debet (§. 532 *Coſmol.*). Deus igitur ſequentem mundi partem immuta-

Quomodo Deus mundũ immutare poſſit.

re va-

re valet, ut non ſit eadem, quæ in idea mundi, qualis in intellectu ipſius continetur, ad eundem ſpectabat.

Ne quæ de Dei in naturam potentiæ hic demonſtrantur, quidpiam obſcuritatis habeant, probe perpendenda ſunt ea, quæ locis citatis in Coſmologia de miraculis tradidimus: neque enim ea alio fine adduximus, quam ut hæc divinæ omnipotentiæ pars clariſſime nobis eluceſceret.

§. 368.

Immutabilitas voluntatis divinæ. *Voluntas Dei immutabilis eſt*. Ponamus ſi fieri poteſt, voluntatem Dei eſſe mutabilem. Cum quid actu mutetur, dum non amplius idem manet (§. 290 *Ontol.*); quod Deus ante voluit, nunc non volet, ſed aliud ab eo diverſum, & quod nunc vult, non volet in poſterum, ſed aliud potius ab hoc diverſum. Quamobrem quia porro æternum non eſt, quod eſt cum antea non eſſet, vel futurum eſt, cum nunc non ſit (§. 39); Deus non vult omnia ab æterno: quod cum ſit abſurdum (§. 319), impoſſibile eſt voluntatem divinam mutari.

Idem etiam directe oſtenditur hoc modo. Deus vult omnia ſimul, unico voluntatis actu (§. 355). Fieri adeo non poteſt, ut pro aliqua volitione particulari, quæ a nobis ſpectatur tanquam pars illius (§. 341 *Ontol.*), ſubſtituatur alia, ceteris volitionibus particularibus manentibus iiſdem, quæ actui iſti unico inſunt, vel ut quædam eidem accedat, quæ non inerat, aut etiam eſſe deſinat, quæ inerat, non ſuccedente alia in ejus locum. Quamobrem cum immutabile ſit, & id, cui nihil aliud ſubſtitui poteſt, & ea res, in qua manentibus ceteris iiſdem nihil uni vel alteri ſubſtitui, nec iiſdem non repugnantibus aliquid accedere queat (§. 291 *Ontol.*); voluntas divina prorſus immutabilis eſt.

Oſtenditur idem etiam hoc modo. Deus cognoſcit omnia ab æterno (§. 319) atque neceſſario (§. 311). Quamobrem cum immutabile ſit, quod neceſſarium eſt (§. 292 *Ontol.*); Dei de appetibilibus & averſabilibus judicium immutabile eſt, adeoque idem ab omni æternitate, ſeu ab æterno in æternum. Enimvero cum cognoſcens appetibile appetat, averſabile averſetur, quando appetibile vel averſabile tale cognoſcitur (§. 318); quod Deus ab æterno vult, vel non vult, in æternum velle & non velle debet. Quamobrem impoſſibile eſt, ut in unico iſto voluntatis actu, quo vult omnia (§. 355) ab æterno (§. 319), pro volitione quadam particulari ſubſtituatur alia, vel quædam etiam ſuperaccedat, quæ ante non inerat, aut deficiat, quæ ante inerat. Voluntas igitur divina prorſus immutabilis eſt (§. 291 *Ontol.*).

Imo idem hoc etiam modo evincitur. Deus ut quid velit, vel nolit, motivum aliquod adeſſe debet (§. 312). Enimvero motiva voluntatis divinæ partim ab objecto, partim a ſubjecto deſumuntur (§. 340). Quamobrem cum Deus, & ſemetipſum, & omnes mundos poſſibiles (§. 141), conſequenter quicquid præter ipſum cognitu poſſibile (§. 153), ab æterno (§. 319) & neceſſario cognoſcat (§. 311); ſive objectum, ſive ſubjectum

ctum ſpectes, motiva voluntatis divinæ immutabilia ſunt (*§.* 292 ***Ontol.***). Quamobrem cum motiva ſint ratio ſufficiens, cur Deus quid velit, vel nolit (§. 887 ***Pſychol. empir.***), eadem ſemper voluntatis ponitur ſufficiens ratio, conſequenter cum poſita ratione ſufficiente ponatur etiam id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 ***Ontol.***); idem ſemper ponendus eſt actus voluntatis, adeoque cum voluntas Dei ſit purus actus (§. 356); eadem ſemper eſt voluntas Dei. Voluntas igitur divina prorſus immutabilis (*§.* 291 ***Ontol.***).

Maximi momenti eſt non modo in theoria Theologiæ naturalis, verum etiam in praxi morali divinæ voluntatis immutabilitas. Quare non piget pluribus modis veritatem propoſitionis præſentis ſtabiliviſſe. Imo nec piget ea addere, quæ ad eandem uberius confirmandam & immutabilitatem voluntatis divinæ clariorem reddendam requiruntur. Perpendendæ itaque nobis ſunt rationes, ob quas voluntas noſtra mutabilis. Eodem manente motivo voluntas noſtra non mutatur, quemadmodum unuſquiſque in ſeipſo experitur. Quodſi vero contingat, ut nunc habeatur malum, quod antea videbatur bonum; appetitus mutatur in averſationem: ſi quod antea malum videbatur, nunc bonum habeatur; averſatio mutatur in appetitum (§. 605 *Pſychol. empir.*). Similiter ſi quid nobis nec tanquam bonum, nec tanquam malum videtur, quod antea vel bonum, vel malum videbatur; quod antea volueramus, vel nolueramus, non amplius volumus, vel nolumus (§. 587 *Pſychol. empir.*). Quamobrem apparet, ignorantiam noſtram in cauſa eſſe, cur voluntas mutetur, ſcilicet quod nobis ignota ſit vel principiorum veritas, quibus tanquam norma utimur in bono & malo dijudicando, ſive quod objectum, quod ad appetendum vel averſandum proponitur, non ſatis fuerit perſpectum, ſive quod non prævideriмus quaſdam circumſtantias, quæ mentem noſtram mutari cogunt. Ecquis vero non videt in Deo omniſcio, qui veritates omnes univerſales (§. 162) & omnia ſingularia perſpecta habet (§. 247), iſtiuſmodi ignorantiam locum habere minime poſſe. Quamobrem cum ceſſet ratio, cur voluntas ipſius mutetur; fieri quoque nullo modo poteſt, ut mutetur.

§. 369.

Deum nunquam pœnitere poteſt ejus, quod fecit. Etenim voluntas Dei nunquam mutatur (§. 368), conſequenter quod ſemel voluit, ut poſtea non velit, fieri haud quaquam poteſt. Enimvero quem facti pœnitet, is ipſum infectum reddere mallet (*§.* 761 ***Pſychol. empir.***), conſequenter quod antea volebat, nunc non vult. Deum igitur ejus nunquam pœnitere poteſt, quod fecit. *Cur Deum non pœniteat facti.*

Idem etiam indirecte oſtendi poterat hoc modo. Ponamus Deum pœnitere ejus, quod fecit. Quoniam is, quem pœnitet, factum infectum reddere vellet (*§.* 761 ***Pſychol. empir.***); ubi quid fecit, non vult, quod antea voluerat. Voluntas igitur ipſius mutabilis eſt (§. 290 ***Ontol.***): quod cum de Deo ſit abſurdum (§. 368), impoſſibile eſt, ut Deum unquam pœniteat ejus, quod fecit.

Quodſi animum ad noſmetipſos advertamus obſervaturi rationes, cur facti pœniteat, eaſdem eſſe deprehendemus, ob quas voluntatem mutari ante annotavimus (*not.* §. 368). Nimirum pœnitemus, ſi, quæ a nobis facta ſunt, male vel minus recte facta judicamus (§. 756. 755 *Pſychol. empir.*), antequam vero feceramus, ea nobis repræſentaveramus tanquam bona. Reſolvitur adeo in ignorantiam pœnitentia: ab ignorantia autem omni immunis cum ſit Deus omniſcius (§. 301, 302), ab omni quoque pœnitentia immunis eſſe debet.

§. 370.

§. 370.

Bonum quid dicatur.

Bonum in ſe quid dicitur, quatenus ſuam habet perfectionem tam eſſentialem, quam accidentalem. ***Bonum*** vero ***in relatione ad aliud*** vocatur, quod ad perfectionem alterius quid confert, ſeu in eandem quomodocunque influit, vel ejuſdem ſignum eſt.

In Pſychologia bonum tantummodo definivimus quoad nos, dum diximus (§. 554 *Pſychol. empir.*), bonum eſſe, quod nos ſtatumque noſtrum perficit ſeu perfectiorem reddit, propterea quod nobis ibidem cum illa ſpecie boni tantummodo negotium fuit, quatenus actiones liberæ ſub eadem comprehenduntur. Aſt hic, quemadmodum mox patebit, notio boni nobis perſpecta eſſe debet in omni ſua latitudine. Bonum autem quid dici vel in ſe, vel in relatione ad alia, ex communi loquendi uſu manifeſtum eſt. Etenim dicimus horologium bene factum ab artifice, & ipſummet bonum, *eine gute Uhr*, ſi quam accuratiſſime indicet minutiſſimas particulas temporis, veluti ſcrupula ſecunda, ita ut intra plures revolutiones fixæ alicujus diurnas ne unico quidem ſcrupulo ſecundo aberret. In eo vero caſu horologium eſſe perfectum patet per ea, quæ olim diximus, cum notionem perfectionis generalem illuſtraremus (§. 503 *Ontol.*). Nec minus liquet, idem dici bonum, quatenus ſpectatur in ſe. Quodſi horologio ad obſervationes aſtronomicas opus habuerimus, idem bonum dicimus, quatenus nobis in dimetiendo & accurate determinando tempore exoptatiſſimum affert uſum, adeoque ſtatum obſervatoris Aſtronomi reddit perfectiorem: id quod patet ex ratione, quam reddimus quærenti, cur idem bonum dicamus. Tunc vero bonum vocatur in relatione ad aliud.

§. 371.

Malum quid dicatur.

Ex adverſo jam *Malum* (quippe quod ita dicitur in oppoſitione ad bonum) appellari debet aliquid *in ſe*, quatenus quædam imperfectio ipſi inhæret. Aſt *Malum* erit *in relatione ad aliud*, quod ad imperfectionem alterius quid confert, vel ejuſdem ſignum eſt.

Quæ de boni notione modo annotavimus, eadem quoque de notione mali tenenda ſunt. Nimirum malum (§. 565 *Pſychol. empir.*) tantummodo definivimus quoad nos, quando malum diximus, quod nos ſtatumque noſtrum ſive internum, ſive externum imperfectiores reddit, propterea quod nobis cum illa ſpecie mali tantummodo negotium fuit, quatenus actiones liberæ ſub eadem comprehenduntur. Hic vero, quemadmodum mox pleniſſime conſtabit, notio mali perſpecta nobis eſſe debet in omni ſua latitudine. Patet autem ſimiliter malum quid dici vel in ſe, vel in relatione ad aliud ex communi loquendi uſu. Ita horologium male ab artifice factum ipſummetque malum, *eine böſe Uhr*, dicimus, quatenus intra 24 horas pluribus ſcrupulis primis a vero aberrare tempore deprehenditur. Tum vero horologium eſt imperfectum, quemadmodum alias explicavimus, cum notionem generalem imperfectionis illuſtraremus (*not.* §. 504 *Ontol.*). Enimvero obſervator Aſtronomus horologium malum vocat, quatenus ejus beneficio tempus accurate ſatis determinare nequit: id quod denuo ex ratione innoteſcit, quam reddit quærenti, cur malum appellet. Tunc vero utique malum dicitur in relatione ad aliud.

§. 372.

Malum metaphyſicum quid dicatur.

Malum Methaphyſicum dicitur, quod per eſſentiam & naturam ſuam rem imperfectiorem reddere cenſetur, quam foret ſi abeſſet, adeoque in limitatione determinationum eſſentialium conſiſtit.

Ita finitudo & limitatio originaria intellectus noſtri habetur pro malo metaphyſico, quia intellectus noſter longe foret perfectior, ſi ea finitudine & limitatione careret, quemadmodum ſuperius vidimus intellectum divinum eſſe perfectiſſimum, propterea quod infinitus & illimitatus (§. 166 & ſeqq.).

§. 373.

Malum & bonum phyſicum quid dicatur.

Malum phyſicum vocatur, quod ſtatum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem reddere cenſetur, quam foret, ſi alii eſſent. Unde ***Bonum***

phyſicum dicitur, quod ſtatum mundi quoad effectus naturales perfectiorem reddit, quam foret, ſi alii eſſent.

Ita tempeſtas, qua damnum infertur frugibus & ædibus, dicitur malum phyſicum, propterea quod ſtatus mundi hoc ipſo cenſetur imperfectior quoad effectus naturales, quam foret, ſi nullum unquam frugibus aut ædibus damnum a tempeſtate eſſet metuendum. Similiter innundationes ſunt malum phyſicum, quatenus per eas pereunt pecudes atque homines & agri deſtruuntur, propterea quod ſtatus mundi cenſeretur perfectior, ſi iſtiuſmodi inundationes inter effectus naturales locum non haberent.

§. 374.

Malum & Bonũ morale quid ſit,

Malum denique *morale* nuncupatur, quod inhæret actionibus liberis hominum, ſeu ob quod eædem dicuntur vitioſæ. *Bonum* contra *morale* eſt, quod inhæret actionibus liberis hominum.

Ita e. gr. nimius vini hauſtus, quo quis inebriatur, dicitur malum morale, quia actio illa in numero vitiorum eſt. Notio mali moralis diſtincte explicatur in Moralibus ſeu philoſophia practica univerſa. Quoniam diſtinctio mali in metaphyſicum, phyſicum & morale jam dudum recepta in Scholis Philoſophorum, & triplex hoc malum conſiderari debet in relatione ad Deum in Theologia naturali; noſtrum quoque fuit eandem diſtinctionem retinere (§. 147 *Diſc. prælim.*).

§. 375.

Mali metaphyſici neceſſitas.

Malum metaphyſicum eſt abſolute neceſſarium. Etenim malum metaphyſicum originarie rem per eſſentiam & naturam ſuam reddit imperfectiorem, quam abſque eodem foret (§. 372), adeoque in limitationibus originariis determinationum eſſentialium &, quatenus natura rei in vi activa conſiſtit (§. 145 *Coſmol.*), in limitationibus vis activæ ac inde pendentis potentiæ ſeu poſſibilitatis agendi in genere conſiſtit (§. 728. 170 *Ontol.*). Enimvero cum & vis illa agendi determinati gradus in numerum determinationum eſſentialium corporis in genere (§. 176. 180 *Coſmol.*) & animarum noſtrarum referatur (§. 68 *Pſychol. rat.*), determinationes autem eſſentiales ſint abſolute neceſſariæ (§. 303. *Ontol.*); quin malum metaphyſicum abſolute neceſſarium ſit, dubitari haud quaquam poteſt.

Si quis malum metaphyſicum ab entibus finitis, ſeu limitatis abeſſe velit, is idem ens finitum ſeu limitatum & infinitum ſeu illimitatum ſimul eſſe vult: quod quam ſit abſurdum, nemo non videt (§. 28 *Ontol.*). Nimirum malum metaphyſicum ſunt limitationes originariæ eſſentiæ ac naturæ rerum, quas a rebus limitatis arcere velle idem eſt, ac limitatum in illimitatum convertere.

§. 376.

Cur malum metaphyſicum ingrediatur omnes mundos.

Mundus nullus, etiamſi ſit omnium perfectiſſimus, abſque malo metaphyſico eſſe poteſt. Etenim omnis mundus, etiam omnium perfectiſſimus, eſt ſeries entium finitorum tam ſimultaneorum, quam ſucceſſivorum (§. 48 *Coſmol.*). Quamobrem, cum ens finitum ſit etiam limitatum (§. 173); omnis mundus, etiam omnium perfectiſſimus, ex entibus limitatis conſtare debet. Quoniam itaque fieri nequit, ut determinationes eſſentiales & vires entium limitatorum ſint illimitatæ, quippe ideo entia limitata ſunt, quia determinationes eſſentiales certo modo limitantur (§. 142. 143 & ſeqq. *Ontol.*); patet in omni mundo eſſentiæ ac naturæ rerum limitationes originariæ adhærere ab eis non ſeparabiles. Jam cum malum metaphyſicum, quod per eſſentiam

& naturam rerum mundum imperfectionem reddere cenſetur, quam abſque eodem foret, in limitationibus determinationum eſſentialium conſiſtat (§. 372); mundus nullus, etiamſi ſit omnium perfectiſſimus, abſque malo metaphyſico eſſe poteſt.

Idem etiam ſic oſtenditur. Malum metaphyſicum, ob quod ſcilicet mundus imperfectior cenſetur, quam abſque eodem foret (§. 372), eſt abſolute neceſſarium (§. 375). Abſolute neceſſarii in ſe ſpectati oppoſitum impoſſibile eſt (§. 302 *Ontol.*). Impoſſibile igitur eſt concipi mundum abſque malo metaphyſico, adeoque mundus nullus, etiamſi ſit omnium perfectiſſimus, abſque malo metaphyſico eſſe poteſt.

Etſi vix attentione dignum videatur, quod de abſoluta mali metaphyſici in omni mundo poſſibili neceſſitate demonſtratur; patebit tamen in ſequentibus, maxima attentione hanc eſſe perpendendam, ne circa mali phyſici ac moralis originem hæſites ac hallucineris, quemadmodum pleriſque accidere experientia loquitur.

§. 377.

An Deus mundum facere poſſit abſque malo metaphyſico.

Deus mundum facere nequit, in quo nullum ſit malum metaphyſicum. Etenim mundus nullus, etiamſi ſit omnium perfectiſſimus, abſque malo metaphyſico eſſe poteſt (§. 376), conſequenter mundus nullus abſque malo metaphyſico poſſibilis (§. 85 *Ontol.*). Enimvero Deus tantummodo facere poteſt, quod poſſibile (§. 343), impoſſibile non item (§. 344). Quamobrem Deus mundum facere nequit, in quo nullum ſit malum metaphyſicum.

Qui notione diſtincta omnipotentiæ divinæ deſtituti poſſibilitatem rerum ab eadem derivant, in verbis, quæ non intelligunt, fiduciam omnem collocantes, perfectiones rerum fingunt, quas non intelligunt: ex quibus fictionibus difficultates inſuperabiles emanant, quæ ſua veluti ſponte in auram abeunt, ubi ex notionibus determinatis ratiocineris.

§. 378.

An exiſtentia mali metaphyſici deroget omnipotentiæ.

Impoſſibilitas faciendi mundum abſque malo metaphyſico non minuit omnipotentiam. Etenim abſolute impoſſibile eſt, ut mundus, etiamſi ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus, malo metaphyſico careat (§. 375. 376), conſequenter mundus abſque malo metaphyſico in numero impoſſibilium eſt. Omnipotentia nec extenditur ultra ſphæram poſſibilium (§. 347), & hoc non obſtante, quod Deo conveniat omnipotentia (§. 349), potentia ejus eſt abſolute maxima (§. 350). Impoſſibilitas adeo faciendi mundum abſque malo metaphyſico non minuit omnipotentiam.

Idem etiam ſic oſtenditur. Mundus nullus abſque malo metaphyſico eſſe poteſt (§. 376), conſequenter dum Deus mundum abſque malo metaphyſico facere nequit (§. 377), impoſſibilia facere nequit. Sed impoſſibilitas faciendi impoſſibilia, non arguit defectum potentiæ (§. 346). Quamobrem impoſſibilitas faciendi mundum abſque malo metaphyſico non arguit defectum potentiæ divinæ, conſequenter cum Deo competat omnipotentia (§. 349), omnipotentiam nullo modo minuit.

Veritas propoſitionis luce notionum clariſſima radiat, ut ea facile percellatur animus, modo a notionibus, quæ terminis abſtractis, quamdiu eos familiares minime experiris, adhæret, obſcuritatem arceas: id quod aliter fieri nequit, quam ubi meditatione ſatis diuturna

turna & ſæpius repetita ſingulas expendas, donec lucem, quam diximus, in temetipſo percipias: id quod in omni caſu reliquo tenendum, ubi obſcuritatem obſtare ſentis, quo minus rationum evidentia convincaris.

§. 379.

Limitationes eſſentiæ & naturæ rerum inhærentes num a Deo enti cuidam auferri poſſint.

Deus ens finitum ſeu limitatum nullum abſque limitationibus eſſentiæ ac naturæ ipſius in ideis divinis inhærentibus producere poteſt. Etenim cum ideæ rerum ſint immutabiles (§. 190); quæ eſſentiæ ac naturæ rerum in ipſis inhærent limitationes, ab ipſis inſeparabiles ſunt (§. 291 *Ontol.*). Quamobrem cum ideo quid ſit poſſibile, quod ejus idea detur in intellectu divino (§. 192), nec aliter ens finitum ſeu limitatum quodcunque poſſibile eſt, quam idea iſta exhibetur. Enimvero Deus poſſibilia omnia (§. 343), non vero etiam impoſſibilia ad actum perducere poteſt (§. 344), conſequenter ens quodcunque finitum aliter producere nequit, niſi quemadmodum vi intellectus ipſius repræſentatur. Quamobrem fieri non poteſt, ut ens aliquod finitum ſeu limitatum producat abſque iis limitationibus, quæ eſſentiæ ac naturæ ipſius in ideis ipſius inhærent.

Equidem hæc propoſitio jam manifeſta videtur per ea, quæ de integro mundo demonſtravimus (§. 376. 377), cum de integro mundo non intelligatur impoſſibilitas inexiſtentiæ mali metaphyſici, niſi quod ea prædicanda ſit de ſingulis entibus finitis, ex quibus conſtat mundus univerſus (§. 48 *Coſmol.*). Conſultum tamen duximus idem ſeorſim demonſtrari, propterea quod propoſitione præſente in ſequentibus habebimus opus, & inprimis circa impoſſibilitatem inexiſtentiæ mali metaphyſici in mundo in caſibus ſpecialibus hæreant, qui difficultates contra religionem naturalem ab exiſtentia mali metaphyſici movere ſolent, ut taceam ſcrupulos inde ortos, quibus ſubinda anguntur acumine ſufficiente deſtituti.

§. 380.

Impoſſibilitas producendi creaturam abſque malo metaphyſico.

Deus creaturam nullam abſque malo metaphyſico producere valet. Demonſtratur eodem prorſus modo, quo ante demonſtravimus (§. 377), Deum non poſſe producere mundum, qui careat malo metaphyſico.

Poteramus quoque hanc propoſitionem inferre per modum corollarii ex præcedente, cum conſtet creaturam omnem eſſe ens finitum, adeoque partem univerſi mundi (§. 48 *Coſmol.*), & malum metaphyſicum conſiſtere in limitationibus, quæ jam in ideis rerum, quatenus ſunt in intellectu divino, eſſentiæ ac naturæ earundem adhærent (§. 372).

§. 381.

An malum metaphyſicum per miraculū tolli poſſit.

Malum metaphyſicum ne per miraculum quidem a mundo aut ente quocunque ſingulari auferri poteſt. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, Deum malum metaphyſicum a mundo aut ente quocunque ſingulari auferre poſſe.

Quoniam miraculum tale, quale contingit, in eo corpore, in quo contingit, poſſibile (§. 517 *Coſmol.*); fieri poteſt ut a mundo vel toto, vel ab ente quodam finito in ſingulari malum metaphyſicum auferatur, conſequenter ut abſque malo metaphyſico exiſtat, atque adeo malum metaphyſicum non erit abſolute neceſſarium (§. 375): quod cum ſit abſurdum, malum metaphyſicum ne per miraculum quidem a mundo univerſo vel ente quodam ſingulari in eodem auferri poteſt.

Idem etiam ſic oſtenditur. Simpliciter impoſſibile eſt, ut Deus mundum (§. 377) vel ens quodcunque finitum abſque malo metaphyſico producat

 (§. 380).

(§. 380). Quamobrem cum perinde ſit, ſive Deus mundum aut ens aliquod in eo abſque malo metaphyſico producat, ſive a producto idem auferat, ut eodem poſthac careat, nec per miraculum fieri poſſit, quod ſimpliciter fieri repugnat; Deus ne per miraculum quidem a mundo aut ente quodam in eo malum metaphyſicum auferre poteſt.

Qui per miraculum fieri poſſe ſomniat, quod in ſe impoſſibile; is utique omnipotentiam Dei ad impoſſibilia extendit, quæ tamen per ea, quæ de potentia Dei demonſtrata ſunt, ſphæram poſſibilium non excedit (§. 343. 344). Qui per miraculum ab aliquo ente finito, quod idem limitatum eſſe conſtat (§. 173), malum metaphyſicum auferri poſſe affirmat, is ens limitatum a limitationibus eſſentialibus liberari, conſequenter ex limitato illimitatum, adeoque ex finito infinitum fieri poſſe contendit: quod quam ſit abſurdum, nemo non videt, tum inprimis per eſſentiarum immutabilitatem (§. 300 *Ontol.*) & attributorum incommunicabilitatem intelligitur (§. 45 *Pſychol. rat.*).

§. 382.

Mundus adſpectabilis cur ſit optimus.

Mundus adſpectabilis eſt in ſe omnium poſſibilium optimus. Mundus enim, qui exiſtit, eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 326). Enimvero cum bonum in ſe quid dicatur, quatenus ſuam habet perfectionem (§. 370); in ſuo genere omnium optimum eſt, quod in eodem genere omnium perfectiſſimum. Mundus igirur adſpectabilis, ſeu is, qui exiſtit, eſt in ſe omnium poſſibilium optimus.

An etiam ſit omnium poſſibilium optimus in relatione ad Deum, poſthac demum diſcutere licebit. Mundum hunc eſſe omnium poſſibilium optimum agnovit *Auguſtinus*, & quantum in eo momentum poſitum, ut agnoſcatur, non ignoravit. Quod ſit rationi conſentaneum, evicimus hactenus: quod ſit Scripturæ Sacræ conforme oſtendemus deinceps. Quæ contra propoſitionem præſentem ab exiſtentia mali moralis petuntur objectiones, iis ſatisfiet in ſequentibus.

§. 383.

Voluntas Dei quo tendat.

Voluntas Dei tendit ad id, quod in ſe optimum. Etenim Deus hunc mundum ex ceteris elegit ob majorem, quæ ipſi, quam ceteris, ineſt, perfectionem (§. 325). Enimvero cum quid ſit bonum in ſe, quatenus ſua ipſi eſt perfectio (§. 370); mundus ideo in ſe optimus eſt, quia perfectiſſimus, in ſuo ſcilicet genere. Deus igitur hunc mundum ex ceteris æque poſſibilibus elegit, quia omnium poſſibilium optimus, conſequenter patet, voluntatem Dei tendere ad id, quod in ſe optimum, ſeu, quod perinde eſt, Deum velle, quod in ſe eſt oprimum.

Quodſi neges mundum hunc, qui exiſtit, eſſe omnium poſſibilium optimum; quod voluntas Dei tendat ad optimum, oſtendi minime poteſt, cum tamen id ſpiritui perfectiſſimo conveniat. Videant igitur, annon in ſummam Dei perfectionem injurii ſint, qui hoc negare audent.

§. 384.

Electio optimi cur Deū deceat.

Decet Deum eligere, quod in ſe optimum eſt. Etenim Deum decet eligere mundum omnium poſſibilium perfectiſſimum (§. 333), ſeu ideo, quia perfectiſſimus (§. 325), conſequenter cum ſit optimus, quatenus perfectiſſimus (§. 370), quia omnium poſſibilium optimus. Patet igitur decere Deum, eligere quod eſt optimum.

Quoniam

Digitized by Google

Quoniam Deus omnia vult unico voluntatis actu (§. 355), cavendum eſt ne motivum voluntatis divinæ judicetur ex particularibus, quæ mundo inſunt. Recolenda ſunt animo, quæ ſupra demonſtravimus (§. 327), adverſus perfectionem mundi maximam, conſequenter & adverſus id, quod ſit optimus omnium mundorum poſſibilium, non poſſe peti objectionem ab iis, quæ in mundo obſervamus. Quicquid enim in hoc mundo exiſtit, Deus abſolute voluiſſe dici nequit, cum ens nullum in hac rerum ſerie exiſtere voluerit, niſi quatenus in eadem continetur. Quanta vero differentia ſit in eo, utrum ens aliquod ut exiſtat Deus abſolute velit, an quatenus in hac, hoc eſt, optima rerum ſerie contineatur, mox diſtinctius expoſituri ſumus.

§. 385.

Quid Deus velit in relatione ad ſe.

Deus etiam vult, quod optimum eſt in relatione ad ſe. Deus enim quid vult, quia ipſum decet hoc potius velle quam aliud (§. 335). Enimvero decet Deum velle hoc potius quam aliud, quia in ipſius eſſentia & attributis continetur ratio, cur id potius velle debeat quam aliud (§. 332). Neceſſe igitur eſt, ut id quod vult ad ſe referat. Jam mundi perfectiſſimi electio eſt ſignum naturale intellectus omnium abſolute perfectiſſimi (§. 328), & electio mundi in ſuo genere minime perfectiſſimi non eſt ſignum intellectus abſolute perfectiſſimi (§. 329), conſequenter quia intellectus divinus eſt abſolute perfectiſſimus (*not.* §. 168), nonniſi electio mundi in ſuo genere perfectiſſimi, eſt ſignum intellectus divini. Quoniam adeo bonum in relatione ad Deum eſt, quod perfectionis divinæ ſignum eſt (§. 370), idque adeo in relatione ad ipſum optimum eſt, quod ſolum ejuſdem ſignum naturale eſt; mundus in ſuo genere perfectiſſimus optimus dici debet in relatione ad Deum. Quare cum Deus elegerit mundum in ſuo genere perfectiſſimum ob ipſam hanc perfectionem, qua ceteros mundos poſſibiles omnes vincit (§. 325), electio autem ſit actus liberæ voluntatis (§. 941 *Pſychol. empir.*); ex mundi electione patet, Deum etiam velle, quod in relatione ad ſe optimum eſt.

Quando poſthac finem creationis mundi expoſituri ſumus, clarius adhuc patebit, mundum hunc quoque eſſe optimum in relatione ad Deum. In præſente autem ſufficit veritatem propoſitionis nobis eſſe certam, ut, quæ de voluntate divina porro dicenda veniunt, demonſtrari queant.

§. 386.

Summa voluntatis divinæ perfectio.

Voluntas Dei eſt omnium perfectiſſima. Deus vult, quod optimum eſt, tum in ſe (§. 383), tum in relatione ad ipſum (§. 385), conſequenter cum bonum quid eſſe nequeat, niſi in ſe & in relatione ad aliud (§. 370); voluntas Dei fertur in id, quod quomodocunque ſpectatum eſt omnium optimum. Enimvero voluntas omnium perfectiſſima eſt, quæ non appetit niſi optimum (§. 650 *Pſychol. rat.*). Dei itaque voluntas eſt omnium perfectiſſima.

Cum Deum velle quod eſt optimum quomodocunque ſpectatum ex contemplatione mundi probari minime poſſe, niſi ſupponatur, mundum hunc eſſe omnium poſſibilium perfectiſſimum, adeoque optimum; quam arctus ſit nexus inter voluntatem Dei perfectiſſimam & electionem mundi optimi, ſatis ſuperque apparet. Vidimus vero jam ſuperius (§. 328 329 & *not.*), non minus arctum eſſe nexum inter eandem electionem & intellectus divini ſummam perfectionem.

§. 387.

§. 387.

Qualis ſpiritus ſit Deus.

Deus eſt ſpiritus perfectiſſimus. Gaudet enim intellectu abſolute perfectiſſimo (*not.* §. 168) & voluntate omnium perfectiſſima itidem abſolute tali (§. 386). Enimvero ſpiritus perfectiſſimus eſt, qui intellectu perfectiſſimo & voluntate perfectiſſima gaudet (§. 646 *Pſychol. rat.*). Deus igitur eſt Spiritus perfectiſſimus.

§. 388.

Voluntas Dei cur illimitata.

Voluntas divina illimitata eſt. Eſt enim Deus Spiritus perfectiſſimus (§. 387). Sed ſpiritus perfectiſſimi voluntas illimitata eſt (§. 653 *Pſychol. rat.*). Ergo voluntas divina illimitata eſt.

Intellectus duplici limitatur modo, materialiter quoad objectum; formaliter quoad modum repræſentandi objectum: aſt materialiter limitari nequit voluntas, cum naturæ ipſius repugnet appetere omnia poſſibilia, utpote generaliter determinata ad bonum. Reſtat igitur ut limitetur tantum formaliter, quatenus in electione bonum apparens præferre poteſt vero, & bonum minus majori, atque hinc illimitata eſt voluntas, quæ generaliter determinata ad optimum, & hinc accedente judicio intellectus perfectiſſimi non fertur niſi in optimum. Monuimus hoc jam alias (§. 653 *Pſychol. rat.*): nunc vero inculcandum fuit denuo, ut propoſitio præſens rite intelligatur.

§. 389.

Motivū voluntatis divinæ.

Motivum voluntatis divinæ eſt repræſentatio optimi. Voluntas Dei tendit ad optimum tum in ſe (§. 383), tum in relatione ad ſe ipſum (§. 385), adeoque Deus quid appetit, quia in ſuo genere optimum. Quamobrem cum ex eo intelligatur, cur Deus quid velit, quia optimum tum in ſe, tum in relatione ad ipſum; repræſentatio optimi eſt ratio, cur Deus quid potius velit, quam non velit (§. 56 *Ontol.*), eaque tam objectiva (§. 118), quam ſubjectiva (§. 336), conſequenter cum ratio objectiva & ſubjectiva ſimul ſumtæ conſtituant rationem ſufficientem, cur Deus quid velit; optimi repræſentatio eſt ratio ſufficiens voluntatis divinæ. Enimvero ratio ſufficiens actuum volitionis motivum eſt (§. 887 *Pſychol. empir.*). Repræſentatio igitur optimi motivum eſt voluntatis divinæ.

Motivum voluntatis noſtræ eſt repræſentatio boni diſtincta (§. 890 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum motivum voluntatis divinæ ſit repræſentatio optimi; patet inter voluntatem divinam atque humanam eam eſſe differentiam, quæ inter voluntatem limitatam & illimitatam intercedit.

§. 390.

Lex voluntatis divinæ.

Quoniam motivum voluntatis divinæ eſt optimi repræſentatio (§. 389), optimum vero tum in ſe (§. 383), tum in relatione ad Deum ſpectatur (§ 385); lex voluntatis divinæ eſt: *Quicquid Deus ſibi repræſentat tanquam optimum tum in ſe, tum in relatione ad ſemetipſum, illud vult*, (§. 903 *Pſychol. empir.*).

Neminem offendet vocabulum legis: ſumimus enim idem in eo ſignificatu, quem ipſi tribuimus in Pſychologia & Coſmologia & dudum receperunt & Mathematici, & Philoſophi. Abſit itaque, ut quis inde inferat dependentiam Dei a quodam ſuperiore, propterea quod lex poſitiva, qualis eſt civilis, ſuperiorem ſupponit, a cujus voluntate manat obligatio. Lex appetitus humani eſt: *Quicquid nobis repræſentamus tanquam bonum quoad nos, id appetimus* (§. 904 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ſi neges velle Deum, quod ſibi tanquam optimum

Digitized by Google

optimum repræſentat; eadem erit lex voluntatis divinæ & appetitus humani, non obſtante intellectus divini atque humani differentia: quod quam ſit abſonum, facile perſpicient, quotquot accurata mentis lance omnia ponderant.

§. 391.

Quomodo Deus æſtimet perfectionem rerum.

Deus perfectionem rerum æſtimat in relatione ad totum univerſum. Etenim Deus in quolibet minimo, quod eſt in univerſo, cognoſcit totum univerſum (§. 161), & ex qualibet veritate univerſali veritates ceteras omnes in univerſum, ſeu totum mundum rationalem cognoſcit (§. 289). Quamobrem ens ſingulare nullum ſibi repræſentat niſi cum relatione ad totum univerſum &, quod in eo eſt univerſale (§. 57 *Log.*), in relatione ad totum mundum rationalem. Quoniam itaque perfectio conſiſtit in conſenſu in varietate (§. 503 *Ontol.*); Deus perfectionem rerum æſtimat in relatione ad totum univerſum.

Probe notanda venit præſens propoſitio, ne in iis, quæ Deus vult, rationem cum experientia perperam committamus. Ceterum perfectionis æſtimatio, quæ in ea Deo tribuitur, notionibus rerum conformis eſt. Etenim ſingularia ſunt partes univerſi & ad illam rerum ſeriem, in qua ab intellectu divino repræſentantur (§. 201), referuntur tanquam pars ad totum, quemadmodum oculus in corpore noſtro tanquam ejuſdem pars ſpectatur. Perfectio vero partis æſtimari nequit, niſi in relatione ad totum: id quod jam alibi (*not.* §. 507 *Ontol.*) exemplis illuſtravimus.

§. 392.

Quid Deo perfectiſſimum in ſuo genere.

Deo perfectiſſimum cenſetur in ſuo genere, quod facit ad majorem perfectionem totius univerſi. Ponamus duo eſſe entia A & B, quorum illud ad majorem perfectionem totius univerſi facit, ſeu quo in ſerie rerum collocato major enaſcitur in eadem perfectio, quam ſi in ejus locum ſuccedat B: dico A eſſe judicio Dei perfectius in genere entium, cujus ſpecies ſunt A & B; & ubi plures hiſce duabus non dantur ſpecies, eſſe idem A omnium perfectiſſimum in ſuo genere. Etenim Deus æſtimat rerum perfectionem in relatione ad totum univerſum (§. 391), conſequenter ex eo, quod eædem conferunt ad perfectionem totius. Quamobrem utique perfectius cenſeri debet A in eo entium genere, ad quod ſpectat, quam B ad idem referendum, ubi A in ſerie entium collocato major in eadem naſcitur perfectio, quam ſi in ejus locum ſubſtitueretur B, & ubi præter A non datur aliud, quod in totam rerum ſeriem majorem perfectionem invehere poſſet, omnino A cenſeri debet in ſuo genere perfectiſſimum. Patet adeo Deum perfectiſſimum in ſuo genere judicare debere, quod facit ad majorem perfectionem totius univerſi, ſeu, quod perinde eſt, quo in ſerie rerum collocato, major in eadem naſcitur perfectio, quam ſi ens aliud in ejus locum ſubſtitueretur.

Deus hoc pacto æſtimans perfectionem rerum, eandem æſtimat, quemadmodum fieri debet, ubi partis æſtimanda perfectio. Pars enim omnis relationem ad totum habet (§. 341 855 *Ontol.*). Quamobrem nec perfecta cenſetur, niſi quatenus per eam efficitur perfectio totius.

§. 393.

Quomodo Deus dijudi-

Deus judicans quid ſit optimum in ſe, idem refert ad totum univerſum. Cum enim bonum in ſe quid dicatur, quatenus ſuam habet perfectionem tam eſſen-

Digitized by Google

cet, quid ſit optimum.

eſſentialem, quam accidentalem (§. 370); Deus optimum in ſe judicat, quod in ſuo genere perfectiſſimum agnoſcit. Enimvero Deus perfectionem rerum æſtimat in relatione ad totum univerſum (§. 391). Judicans itaque quid ſit optimum in ſe, idem refert ad totum univerſum.

Non licet excipere rem in ſe aut abſolute ſpectari, ſi nihil in ea ſupponimus niſi eſſentiam ejus (§. 301 *Ontol.*), conſequenter quamdiu in ſe ſpectatur, non poſſe referri ad alia. Cum enim mundus ſit ſeries entium finitorum inter ſe connexorum (§. 48 *Coſmol.*); ens unumquodque, quod in hoc mundo exiſtit, eſt pars quædam hujus univerſi ſeu mundi totius (§. 341 *Ontol.*). Quamobrem cum pars cognoſci non poſſit, niſi quatenus refertur ad totum (§. 855 *Ontol.*); relatio ad totum ad ipſam partis eſſentiam pertinet (§. 168 *Ontol.*). Quodſi ergo partem in ſe conſideres, neceſſe eſt, ut eam ſpectes in relatione ad totum: ſecus enim ens quoddam non conſideras tanquam alterius partem, ſed tanquam ens abſolutum. Ita oculum non conſideras tanquam partem corporis animalis, niſi quatenus eundem ad corpus animale refers. Hac vero relatione ſepoſita oculum conſideras tanquam inſtrumentum opticum ad repræſentanda objecta factum, quale eſt camera obſcura. Quantum vero interſit in æſtimanda perfectione partis, ut tanquam pars ſpectetur, non vero tanquam pars abſoluta, alibi jam ſatis inculcavimus (*not.* §. 507 *Ontol.*).

§. 394.

Quid bonum dicatur in relatione ad Deum.

In relatione ad Deum nil quicquam dici poteſt bonum, niſi quatenus ſummæ Dei perfectionis ſignum eſt. Etenim Deus eſt ſpiritus perfectiſſimus (§. 387), idemque independens (§. 125). Quamobrem cum independens ſit, cui nihil tribui poteſt, cujus ratio extra ipſum in alio continetur (§. 851 *Ontol.*); nihil in ſumma Dei perfectione concipi poteſt, cujus ratio in ente alio ab ipſo diverſo continetur, adeoque ens nullum ab ipſo diverſum quicquam ad perfectionem ipſius conferre poteſt (§. 883 *Ontol.*). Quoniam itaque bonum quid dicitur in relatione ad aliud, quatenus quid ad hujus perfectionem confert, vel ejuſdem ſignum eſt (§. 370), ut vero quid ſit ſignum perfectionis divinæ, quod ab ipſo diverſum eſt, fieri omnino poſſit (§. 328); in relatione ad Deum nil quicquam dici poteſt bonum, niſi quatenus ſummæ Dei perfectionis ſignum eſt.

Atque in eo differt Deus a rebus finitis, quales homines ſumus. Etenim ad noſtram perfectionem conferri quid a rebus aliis poteſt, conſequenter in relatione ad nos bonum dici poteſt, quod nos perfectiores reddit; aſt in relatione ad Deum bonum eodem reſpectu dici minime poteſt.

§. 395.

Quomodo Deus judicat quid ſit optimum in relatione ad ſe ipſum.

Deus judicans quid ſit optimum in relatione ad ſe ipſum, idem refert ad omnia ſua attributa. Etenim cum bonum in relatione ad aliud dicatur, quod ad perfectionem alterius quid confert, vel ejuſdem ſignum eſt (§. 370); Deus judicat aliquid eſſe optimum in relatione ad ſeipſum, vel quatenus id ad perfectionem quandam ſui quid confert, vel quatenus id ipſius perfectionem ſignificat. Jam vero Dei reſpectu nihil dici poteſt bonum, niſi quatenus perfectionis ejus ſignum eſt (§. 394). Ergo Deus non judicat optimum, niſi quod ſummam, quæ ipſi eſt, perfectionem indicat. Quamobrem judicans quid ſit optimum, idem ad omnia ſua attributa referre debet.

Nimirum ſumma Dei perfectio non intelligitur niſi per omnem Divinitatis plenitudinem, quæ in complexu omnium attributorum conſiſtit. Neque enim ſufficit eſſe quid ſignum perfectionis unius, quæ Deo competit reſpectu alicujus attributi, ſi contrarietur

attributo

attributo. Exemplum evidentiſſimum occurret paulo inferius, ubi de juſtitia Dei ſumus acturi. Probe autem notandum eſt, quomodo Deus æſtimet optimum in relatione ad ſe; ne nos nobis judicium de eo ſumentes, a veritate aberremus & veritates evidentiſſimas difficultatibus inſolubilibus intricemus. Id enim vulgo fieri ex ſequentibus ſatis ſuperque patebit. Voluntatis divinæ notionem ea, qua fieri debet, diligentia hactenus non ſcrutati ſunt philoſophi. Quid ergo mirum, ſi in multis, quæ ab eodem pendent, cœcutiant?

§. 396.

Cur homo divino more perfectionem rerum & optimum æſtimare nequit.

Homo rerum perfectionem & quid ſit, tam in ſe, quam in relatione ad Deum ipſum, optimum eodem, quo Deus, modo dijudicare nequit. Etenim Deus perfectionem rerum & quid in ſe optimum ſit, æſtimat in relatione ad totum univerſum (§. 391. 393), quid vero ſit optimum in relatione ad ſe ipſum, idem referendo ad omnia ſua attributa (§. 395), ſeu ad omnem Divinitatis plenitudinem (*not.* §. *cit.*). Enimvero nemo mortalium ideam integram univerſi ſimul intueri poteſt (§. 194 *Pſychol. rat.*), adeoque rei perfectionem & quid in ſuo genere optimum ſit in relatione ad totum univerſum æſtimare nequit. Similiter quæ Deo inſunt, homini incomprehenſibilia deprehenduntur, quo diſtinctius eadem cognoſcere nititur, quemadmodum exemplo intellectus divini (§. 174), rationis (§. 283) & voluntatis divinæ conſtat, conſequenter eorum, quæ notionem ſpiritus perfectiſſimi, qui eſt Deus (§. 387), ingrediuntur (§. 646 *Pſychol. rat.*) tanquam determinationes eſſentiales (§. 142. 143 *Ontol.*), unde cetera, quæ eidem inſunt, conſequuntur (§. 168 *Ontol.*). Et quis præterea eſt mortalium, qui ſibi perſuadere auſit, nihil eſſe in Deo, quod non aliquo modo ſibi ſit perſpectum, ita ut nullum cognitionem ipſius effugiat attributum divinum? Patet itaque nec homini datum eſſe, ut quid ſit optimum in ſuo genere, quid perfectiſſimum in relatione ad omnia attributa divina, æſtimet. Nequaquam igitur homo eodem, quo Deus, modo perfectionem rerum & quid in unoquoque rerum genere optimum ſit ſive in ſe, ſive in relatione ad Deum, æſtimare poteſt.

Ex propoſitione præſente liquet, quam ſit imperfectum noſtrum de perfectione rerum & de eo, quid ſit in ſuo genere optimum, judicium. Huic adeo non fidendum, quotieſcunque quid nobis apparet imperfectum & melius fieri potuiſſe videtur: in eo caſu autem, quo quid perfectiſſimum & optimum in ſuo genere agnoſcere nobis videmur, idem pro probabili tenendum, propterea quod in genere demonſtratum ſit, mundum hunc eſſe omnium poſſibilium perfectiſſimum (§. 326), eundemque optimum (§. 382).

§. 397.

Imperſcrutabilitas voluntatis in quo conſiſtat.

Voluntas dicitur *imperſcrutabilis*, ſi motiva ejuſdem nobis non fuerint penitus perſpecta, nec eadem certo prorſus cognoſcere valeamus.

Non dubitamus imperſcrutabilitatem voluntatis per definitionem nominalem explicare in ſignificatu communi. Neque enim quid velit alter aut cur voluerit, aliter ſcrutari poſſumus, niſi inquirendo in rationem, cur voluerit, tum quatenus animum advertimus ad objectum, ut pateat ratio objectiva (§. 118), tum quatenus objectum referimus ad ea, quæ inſunt volenti, ut ratio ſubjectiva eluceſcat (§. 336), ſicque actus volitionis ratio ſufficiens perſpiciatur (§. 339). Jam vero nemo non novit, rationem ſufficientem actus volitionis eſſe motivum ejuſdem (§. 887 *Pſychol. empir.*). Scrutamur itaque voluntatem alterius inquirendo in motiva ejuſdem. Quamobrem ſi contingat, nos hæc certo cognoſcere non poſſe, aut non penitus perſpicere, finem ſcrutationis minime conſequimur, adeoque voluntas imperſcrutabilis ipſa vi vocis dicitur.

§. 398.

Imperſcrutabilitas voluntatis divinæ.

Voluntas divina omni homini imperſcrutabilis. Etenim nemo hominum quid ſit in ſuo genere optimum, ſive in ſe, ſive in relatione ad Deum ſpectetur, eodem, quo Deus, modo judicare valet (§. 396). Quamobrem cum motivum voluntatis divinæ ſit, quod optimum eſt (§. 389); nemo hominum motivum voluntatis divinæ penitus perſpicere ac certo cognoſcere valet. Enimvero voluntas nobis imperſcrutabilis eſt, ſi motiva ejuſdem nobis non fuerint penitus perſpecta, nec eadem certo prorſus cognoſcere valeamus (§. 397). Patet igitur voluntatem divinam homini omni imperſcrutabilem eſſe.

Imperſcrutabilitatem voluntatis divinæ non obſtare debere, quo minus eandem ſcrutemur, quantum datur, ex iis intelligitur, quæ ad definitionem ejuſdem modo annotavimus (*not.* §. 397). Etenim quo magis eandem ſcrutamur, eo evidentius, quam ſit imperſcrutabilis, cognoſcimus. Neque verendum, ut judicio noſtro plus tribuamus, quam fieri debebat, ut obſervamus cautiones, de quibus ibidem diximus. Præterea non alio, quam hoc modo conſtabit luculentius, Scripturam Sacram ſufficienter defendi adverſus Antiſcripturarios, ſi aliquas ſaltem probabiles rationes voluntatis divinæ in medium afferre valeamus in iis, quæ eidem tribuuntur in Scriptura Sacra. Ipſa autem imperſcrutabilitas voluntatis divinæ argumentum præbet ad ſtabiliendam revelationis neceſſitatem & in divinitatis Sacræ Scripturæ probationem influit: imo ſubinde ad defendendam Sacræ Scripturæ veritatem in iis, quæ Deus voluiſſe vel velle dicitur, conducit: de quibus ſingulis apertius dicere hujus loci non eſt. Sufficit excitari attentionem eorum, quorum eſt hæc facere.

§. 399.

Cur Deus velle poſſit, cujus ratio homini ignota.

Deus velle poteſt, quæ cur velit, homo intelligere nequit. Voluntas enim Dei homini imperſcrutabilis eſt (§. 398). Quamobrem cum ea ſit imperſcrutabilis, quatenus motivum ejuſdem certo cognoſcere ac penitus perſpicere non valemus (§. 397), motivum vero ſit actus voluntatis ſeu volitionis ratio ſufficiens (§. 887 *Pſychol. empir.*); fieri omnino poteſt, ut rationem ſufficientem ejus, quod Deus vult, non cognoſcamus. Quoniam itaque ex ratione ſufficiente intelligi debet, cur quid Deus potius velit, quam non velit (§. 56 *Ontol.*); fieri poſſe patet, ut non intelligamus, cur quid Deus velit, conſequenter Deus velle poteſt, quæ cur velit, homo intelligere nequit.

Equidem ſuperflua videri poterat hæc propoſitio, propterea quod in ipſa imperſcrutabilitate voluntatis divinæ modo aſſerta (§. 398) jam contineatur: diſtinctius tamen eandem enuntiari conſultum viſum, quia eadem in probandis aliis habebimus opus. Ac inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut, quæ in notionibus rerum involvuntur, a nobis evolvantur.

§. 400.

Electio mundi optimi in ſe quale ſit ſignū.

Electio mundi in ſe optimi eſt ſignum naturale voluntatis abſolute perfectiſſimæ. Etenim ſi Deus elegit mundum in ſe optimum, patet voluntatem ejus tendere ad optimum, quemadmodum quoque idem inde intulimus (§. 383). Enimvero voluntas non tendens niſi ad optimum eſt abſolute perfectiſſima (§. 650 *Pſychol. rat.*). Quamobrem ex eo, quod Deus elegit mundum in ſe optimum, colligitur Deo eſſe voluntatem perfectiſſimam. Eſt vero id ſignum alterius, ex quo colligitur adeſſe alterum (§. 952 *Ontol.*). Electio

itaque mundi in ſe optimi eſt ſignum voluntaris perfectiſſimæ. Quamobrem cum naturale ſit ſignum, ubi ratio ſignificatus in ipſis rerum notionibus continetur (§. 956 *Ontol.*); electio mundi optimi eſt ſignum naturale voluntatis abſolute perfectiſſimæ *per demonſtrata*.

Atque adeo apparet, quam arctus ſit nexus inter electionem mundi optimi & voluntatem abſolute perfectiſſimam.

§. 401.

Electio mundi minime perfectiſſimi cur tale ſignum eſſe nequeat.

Electio mundi in ſe non optimi non eſt ſignum naturale voluntatis abſolute perfectiſſimæ. Si enim ponamus Deum elegiſſe mundum, qui in ſe optimus non ſit; ex eo non patet voluntatem ejus tendere ad optimum. Quamobrem cum voluntas abſolute perfectiſſima non ſit niſi ea, quæ ad optimum tendit (§. 650 *Pſychol. rat.*); ex eo, quod Deus elegit mundum, qui in ſe optimus non eſt, non colligitur voluntatem ipſi eſſe abſolute perfectiſſimam. Quamobrem cum quid non ſit ſignum alterius, ex quo hoc alterum adeſſe colligi nequit (§. 952 *Ontol.*); nec electio mundi, qui in ſe optimus non eſt, ſignum voluntatis abſolute perfectiſſimæ eſſe poteſt, conſequenter nec naturale.

Quodſi excipias, agi de electione a Deo facta, cujus voluntatem perfectiſſimam eſſe conſtet; eadem repono, quæ ſupra ad geminam exceptionem repoſui (*not.* §. 329), ſcilicet hic non quæſtionem eſſe de eo, qualis ſit voluntas Dei mundum hunc præ ceteris eligentis; ſed qualis ea ex electione mundi ab ipſo facta colligatur, nec quæri quid de voluntate Dei eligentis nobis aliunde conſtet, ſed quid ex electione ab ipſo facta, quatenus in ſe ſpectatur, neceſſario conſequatur. Talia moneri ſuperfluum foret, niſi iſtiuſmodi exceptiones comminiſcentes ſibi reperiſſe viderentur non quod pueri in faba.

§. 402.

Electio mundi optimi in ſe cujuſnam Spiritus ſit ſignum.

Electio mundi in ſe optimi eſt ſignum naturale ſpiritus perfectiſſimi, nec electio mundi in ſe non optimi tale eſſe poteſt. Electio mundi optimi in ſe eſt ſignum naturale tam intellectus abſolute perfectiſſimi (§. 328), quam voluntatis abſolute perfectiſſimæ (§. 400), nec electio mundi non optimi tale intellectus (§. 329) ac voluntatis ſignum eſſe poteſt (§. 401). Eſt vero ſpiritus perfectiſſimus, qui intellectu perfectiſſimo ac voluntate perfectiſſima gaudet (§. 646 *Pſychol. rat.*). Quare electio mundi in ſe optimi eſt ſignum naturale ſpiritus perfectiſſimi, nec electio mundi in ſe non optimi tale eſſe poteſt.

Ex eo igitur, quod mundus hic ſupponitur in ſe omnium poſſibilium optimus, neceſſaria conſequentia infertur, auctorem ejus eſſe ſpiritum omnium perfectiſſimum, qui eſt Deus (§. 387); ex contraria autem hypotheſi idem inferri nequit: id quod probe notandum eſt ob ea, quæ ſequuntur.

§. 403.

Productio mundi perfectiſſimi qnale ſignum.

Productio mundi omnium perfectiſſimi eſt ſignum naturale omnipotentiæ. Etenim ſi Deus produxit mundum omnium perfectiſſimum, cum in mundo perfectiore ſit major rerum conſentientium varietas (§. 552 *Coſmol.*); non ideo hunc mundum produxiſſe intelligitur, quod potentia ipſius alii actuando non ſuffecerit, conſequenter nulla ratio eſt, cur non colligatur, eandem potentiam, quæ perfectiſſimo in ſuo genere ad actum perducendo ſufficit,

quod minus in eodem perfectum eſt non minus facere poſſe. Unde cum omnes mundi poſſibiles omnia poſſibilia contineant (§. 152), ac omnipotens ſit, qui poſſibilia omnia facere poteſt (§. 347); ex productione mundi omnium perfectiſſimi colligitur omnipotentia divina, quemadmodum quoque factum a nobis in ſuperioribus (§. 342. 343. 349). Jam vero id ſignum eſt rei alterius, ex quo colligitur alterum adeſſe (§. 952 *Ontol.*); productio itaque mundi omnium perfectiſſimi eſt ſignum omnipotentiæ. Quamobrem cum naturale ſit ſignum, ubi ratio ſignificatus in ipſis rerum notionibus continetur (§. 956 *Ontol.*); productio mundi omnium perfectiſſimi eſt ſignum naturale omnipotentiæ.

Magni momenti eſt noſſe, quorumnam attributorum divinorum ſignum mundus in ſuo genere perfectiſſimus, ac ideo optimus, eſſe poſſit, non modo ut tanto certius conſtet, Deum non aliam quam optimam rerum ſeriem elegiſſe & ad actum perduxiſſe; verum ut & finem creationis intimius perſpicere liceat, ac inprimis pleniſſima luce radiet illius propoſitionis veritas, quod Deus agat, quod ipſum maxime decet. Quantum vero interſit ſingularum harum veritatum convictum habere animum, non minus ex ſequentibus, quam ſuo tempore ex philoſophia morali abunde conſtabit.

§. 404.

Productio mundi minime perfectiſſimi non eſt ſignum naturale omnipotentiæ.

Productio mundi minime perfectiſſimi omnium non eſt ſignum naturale omnipotentiæ. In notionum communium numero eſt, ex eo, quod quid fecit imperfectius, non poſſe colligi, quod facere etiam poſſit perfectius, adeoque multo minus quod facere poſſit in iſto genere perfectiſſimum. Ex horologio male conſtructo nemo colligit, fabrum idem potuiſſe conſtruere eo modo, ut nihil in ejus ſtructura a peritiſſimo artifice deſiderari poſſit. Quamobrem ſi ponamus Deum produxiſſe mundum imperfectiorem, cum eſſent alii perfectiores, quibus non minus, quam iſti exiſtentia non repugnabat, inde colligere non licet, Deum quoque producere potuiſſe omnium perfectiſſimum, adeoque quemcunque alium, conſequenter poſſibilia facere poſſe omnia (§. 343). Unde liquet ex eo, quod Deus ponatur produxiſſe mundum minime perfectiſſimum, neceſſaria conſequentia inferri minime poſſe, quod Deo competat omnipotentia (§. 347). Quoniam itaque id ſignum rei alterius eſſe nequit, ex quo alterum adeſſe non colligitur ulla conſequentia (§. 952 *Ontol.*), adeoque multo minus naturale ſignum eſſe poteſt (§. 956 *Ontol.*); productio mundi minime perfectiſſimi ſignum naturale omnipotentiæ eſſe nequit.

Canonem hunc, *qui poteſt majus, poteſt etiam minus, ſed qui minus poteſt, non ideo poteſt majus*, eſſe inter notiones communes, quibus utimur homines communiter judicaturi de rebus obviis, nemo ignorare poteſt, modo didicerit generalibus terminis efferre, quæ in caſu ſingulari enuntiare valet. Sane in caſu particulari rideretur, qui ex eo, quod quis poſſet facere minus, inferret eundem quoque poſſe facere majus, veluti videns elevantem pondus viginti librarum affirmaret, eum pondus ducentarum librarum elevare poſſe, propterea quod elevare poſſit pondus librarum viginti.

§. 405.

Cur optimum in ſe ſit

Quod eſt optimum in ſe, id etiam optimum eſt in relatione ad Deum. Deus enim elegit hunc mundum, qui exiſtit, ex ceteris poſſibilibus ob majorem,

quæ

Digitized by Google

quæ ipſi ineſt, perfectionem (§. 325), conſequenter, cum ideo in ſe optimus ſit, quia perfectiſſimus (§. 370), propterea quod omnium poſſibilium optimus in ſe eſt. Mundus in relatione ad Deum non eſt optimus, niſi quatenus ſignum eſt perfectionis ſummæ, quale mundus quicunque alius eſſe nequit (§. 394). Quamobrem cum electio & productio mundi in ſe optimi ſit ſignum naturale ſpiritus perfectiſſimi (§. 402) atque potentiſſimi (§. 403), quale eſſe nequit electio & productio minus perfecti (§. 402. 404), Deus vero ſit Spiritus perfectiſſimus (§. 387) idemque omnium potentiſſimus (§. 349); electio & productio mundi in ſe optimi eſt ſignum naturale Dei veri, ejuſdem auctoris. Enimvero in relatione ad Deum optimum dici nequit, niſi quod eſt ſignum perfectionis ſummæ, quæ eidem convenit (§. 394). Quod igitur eſt optimum in ſe, id etiam optimum eſt in relatione ad Deum.

etiam optimum in relatione ad Deum.

Unde patet ex eo, quod quid ſit optimum in ſe, inferri poſſe idem etiam eſſe optimum in relatione ad Deum, & viciſſim ſi demonſtrari poſſit, eſſe quid optimum in relatione ad Deum, inde recte colligi, quod idem ſit optimum in ſe.

§. 406.

Electio mundi optimi Sacræ Scripturæ conformis.

Juxta Sacram Scripturam Deus elegit & produxit mundum omnium optimum. Abſoluta creatione, referente Moſe *Gen.* I. 31, vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Vulgatus interpres, cujus verba recitamus, juxta literam vertit verba Moſis, qui affirmat fuiſſe omnia טוב מאד bona valde. Conſtat ex genio linguæ Hebrææ, in qua comparatio non diverſis graduum terminationibus, ſed periphraſi fieri ſolet, particulam מאד ſive *valde* eſſe ſignum ſuperlativi, atque adeo *valde bonum* idem denotat, quod Latino idiomate optimum dicitur; quemadmodum etiam vulgo a Grammaticis hoc ipſum vocabulum exempli loco adducitur, ubi de adjectivorum gradibus agunt. *Vid. Watmuthus* in Grammatica Hebræa cap. 3. reg. 19. membr. 5. Hebraiſmi reſtituti pag. 67. Narrat igitur Moſes, Deum intuentem ea omnia, quæ fecerat, ea deprehendiſſe optima. Fecerat autem cælum atque terram *Gen.* I. 1, hoc eſt, totum mundum ſeu integrum univerſum, vi eorum, quæ ſupra jam monuimus (§. 68). Deus adeo mundum, quem fecerat, contemplatus, judicavit eſſe optimum. Dum vero mundum, quem fecerat, contemplabatur, cuncta intuebatur, ita ut nihil eſſet in eo, cujus ſibi non erat conſcius. Quoniam vero ſingula fuere optima, hoc ipſo Moſes innuit, judicio Dei nihil repertum fuiſſe in toto hoc univerſo, quod non fuerit optimum. In textu Hebræo lectoris attentio excitatur particula הנה, *ecce*, quæ ipſa ſimul certitudinis nota eſſe ſolet. Ita nimirum habent verba Moſis, ſi in verſione genium linguæ Latinæ obſervans a litera tamen textus authentici minime recedas: Et intuitus eſt Deus omne, quod fecerat, & ecce! optimum erat. Non ſine ratione excitatur attentio audituri, quale fuerit Dei de mundo, quem fecerat, judicium, propterea quod viro divino ſpiritu afflato perſpectum erat, quam facile ſit, ut homo de re,

de qua

de qua ipſi judicare non datum (§. 541 *Coſmol.*), judicium ſuum præcipitet. Unde etiam monet, Deum omne, quod fecerat, intuitum eſse, antequam judicium tulerit, qualia a ſe facta fuerint, ne ipſum hoc judicium præcipitatum videri poſſit & hoc pacto avertat præcipitantiam judicii noſtri. Judicium præcipitatur, quod ex parte judicemus de toto, nec de parte in relatione ad totum. Moſes igitur diſerte monet, Deum intuitum eſse omne, quod fecerat, conſequenter de perfectione mundi non judicaſse ex parte, nec de parte una ſigillatim ſpectata tuliſse judicium, ſed in relatione ad cetera omnia, quæ ſimul fecerat: ſecus enim non fuiſset opus ut omne, quod fecerat, ſimul intueretur. Judicio itaque Dei unumquodque, quod fecerat, erat optimum, quatenus ſimul factum fuerat cum ceteris, nec quicquam reperiri poterat, ob quod affirmare licebat, potuiſse mundum meliori fieri modo. Porro cum Moſes narret Deum finita creatione contemplatum fuiſse opus ſuum, quod fecerat, ut quale a ſe factum ſit, judicaret; hoc ipſo innuit, mundum quoque fieri potuiſse alio, quam Deus eundem fecit, modo, conſequenter hunc, qui exiſtit, mundum non eſse unicum poſſibilem, ſed præter eum adhuc poſſibiles eſſe alios. Scripturæ igitur Sacræ conveniens eſt, Deum elegiſse mundum optimum ex pluribus poſſibilibus, adeoque libere. Ecquis jam dubitet, juxta Sacram Scripturam affirmandum eſse, quod Deus elegerit libere mundum optimum ex pluribus poſſibilibus & ſingula in eo ſint optima in relatione ad totum univerſum ſpectata? Ut vero verba Moſis penitus intelligamus, ad ſingula animum probe advertere tenemur, ne quid attentionem noſtram effugiat, quod ad probandam propoſitionem præſentem conducit. Probe igitur notandum, quod Moſes dicat, Deum intuitum eſse omne, *quod fecerat*, cum dicere potuiſſet, intuitum ipſum eſse cælos atque terram & omnem ornatum eorum, quemadmodum mox addit hæc verba cap. II. 1: Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Etenim hoc ipſo monemur, Deum de perfectione mundi atque omnium, quæ in eo ſunt, judicaturum mundum & quæ in eo ſunt, conſideraſse tanquam opus ſuum, conſequenter in relatione ad ſe ipſum. Unde intelligitur juxta Sacram Scripturam, mundum hunc eſse optimum etiam in relatione ad Deum opificem, ut, ſi quæſiveris, quemnam omnium mundorum poſſibilium maxime deceat a Deo fieri, reſpondere tenearis, non eſse alium præter eum, quem fecerat, qui magis conveniat ſummæ ipſius perfectioni. In anterioribus probavimus mundum hunc adſpectabilem eſse in ſe omnium poſſibilium optimum (§. 382) & decere Deum, ut eundem eligat, quia optimus (§. 384), imo eſse etiam in relatione ad ipſum optimum (§. 405). Probavimus præterea, Deum judicantem, quid ſit optimum in ſe, idem referre ad totum univerſum (§. 393) & ut conſtet, quid optimum ſit in relatione ad ſeipſum, idem referre ad omnia ſua attributa (§. 395). Quodſi jam attenta mente pervolvas omnia,

quæ

Digitized by Google

quæ modo dicta ſunt, nihil horum reperies, quod non per verba Moſis æque probari poſſit, ut adeo, quam nos animo concepimus mundi optimi & liberæ electionis a Deo factæ ideam ac in anterioribus ſtabilivimus, non ſit diverſa ab ea, quæ menti Moſis obverſata fuit narraturi, quale fuerit Dei de mundi perfectione judicium.

In interpretatione verborum Moſis nihil eſt coacti. Inhæremus proprietati verborum juxta genium linguæ authenticæ & vocabulis ſingulis proprium tribuimus ſignificatum. Expendimus autem verba ſingula & in rationem inquirimus, cur hiſce potius verbis uſus fuerit auctor divinus quam aliis, quibus idem dixiſſe primo intuitu videri poterat, ut ex comparatione intelligatur, ipſum plus dixiſſe ſuo modo, quam quocunque alio. Verba denique ſigillatim intellecta ad ſe invicem referimus, ut eorum, quæ iiſdem ſignificantur, vi notionum ipſis reſpondentium eluceſcat nexus. Hiſce vero regulis, quas nemo reprehendere poteſt, qui admittit divinam Sacræ Scripturæ auctoritatem, conceſſis, non aliud prodit Dei de mundi & eorum, quæ in ipſo ſunt, perfectione judicium, quam quod operoſe in anterioribus adſtruximus. Mundum, qui exiſtit, eſſe omnium poſſibilium optimum agnovere jam dudum & Theologi, & Philoſophi, etſi communiter animum ad perfectionem hujus univerſi non advertant, qui, quomodo rite æſtimanda ſit, non perpendunt. Nominavimus ſuperius *Auguſtinum*, & nunc nominaſſe ſufficiat *Sebaſtianum Isquierdum* Tom. 2. de Deo Diſp. 32. q. 3. prop. 6. num. 111 & prop. 9. num. 125, *Antonium Perez* de voluntate Dei Diſp. 6. cap. 6. num. 52 & ſeqq. atque *Maurum* Tom. I. quæſt. 51. num. 22. Imo a notione mundi optimi, qualem in ſuperioribus ſtabilivimus, & hic Sacræ Scripturæ conformem evicimus, non prorſus diſſentanea ſunt, quæ docet *D. Thomas* in Summa Theologiæ primæ partis quæſt. 25. art. 6, ubi diſputat, utrum Deus poſſit meliora facere ea, quæ fecit, nec ne. Etſi enim certo reſpectu concedat mundum a Deo fieri potuiſſe meliorem; non concedit tamen Deum non poſſe facere aliquam rem meliorem ſubſtantialiter, aut, ſi mavis, eſſentialiter, quam ipſa ſit, nec ſi mundum ſpectes ex parte facientis, poſſe facere melius quam facit, & univerſum ſuppoſitis iſtis rebus non poſſe eſſe melius, propter decentiſſimum ordinem his rebus a Deo attributum, in quo perfectio univerſi conſiſtat.

§. 407.

Quoniam juxta Sacram Scripturam mundum optimum elegit Deus (§. 406); juxta eandem ratio ſufficiens, cur Deus quid velit, eſt, quia in ſuo genere optimum (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum ratio ſufficiens volitionis ſit motivum (§. 887 *Pſychol. empir.*); *juxta Sacram Scripturam motivum voluntatis divinæ eſt id, quod optimum eſt.* *Motivū voluntatis divinæ juxta Sacram Scripturam.*

Poteramus hinc deducere alia tanquam Scripturæ Sacræ conformia, quæ ex eo fluunt, quod Deus optimum mundum elegiſſe ponatur, & quod voluntas ipſius tendat ad optimum. Enimvero cum ex anterioribus ſatis ſuperque conſtet, quænam cum hac hypotheſi neceſſario connectantur, ſuperfluum foret ea denuo repetere.

§. 408.

Motiva voluntatis divinæ juxta Sacram Scripturam partim ab objecto, partim ab ipſo volente Deo deſumuntur. Patet hoc ex iis, quæ diximus probantes (§. 406) Deum juxta Sacram Scripturam elegiſse mundum optimum. Etenim oſtendimus, Deum judicaturum de perfectione mundi, quem creaverat, non modo inſpexiſse res ipſas, quas fecerat, ſed eas quoque conſideraſse tanquam a ſe factas, adeoque ad ſe ipſum retuliſse: id quod vero Moſes a Deo factum recenſet, creatione jam abſoluta, quin factum fuerit ab æterno, cum mundi creationem decerneret, dubitandum non eſt. *Motiva voluntatis divinæ unde deſumātur juxta Sacram Scripturam.*

Quando motiva explicanda ſunt per ea, quæ ab objecto deſumuntur, probe tenendum eſt, non minus reſpiciendum eſſe ad perfectionem accidentalem, quæ per ſe eidem non ineſt, ſed eſſentiali ſuperaccedere poteſt, quam ad eſſentialem, quæ cum eſſentiæ inhæreat, ab ea-

Digitized by Google

ab eadem inſeparabilis eſt, ipſa etiam Scriptura magiſtra. Ita enim Deus *Joann.* III. 16 filium ſuum unigenitum dicitur dediſſe mundo, quia eum dilexit. Quod fecit in tempore, id ab æterno voluit: unde & dicitur nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem *Eph.* I. 4, adeoque cum præter Deum nihil adhuc eſſet, propterea quod mundus creatus eſt in principio *Gen.* I. 1, quando ſcilicet primum quid extra Deum exiſtere cœpit. Deus itaque ab æterno voluit mundo dare filium ſuum, quia eum dilexit. Voluit autem dare eum in finem, ut homines non pereant, ſed habeant vitam æternam *Joann.* III. 16, adeoque homines ſibi repræſentavit peccato obnoxios & pœnæ æternæ reos. Hic igitur Deus judicans quid ſit pro hoc rerum ſtatu optimum, non tantummodo reſpexit ad perfectionem hominis eſſentialem, unde cognoſcitur poſſibilitas accidentalis; ſed inprimis ad accidentalem, cujus per fidem in Chriſtum particeps fieri poterat homo a miſeria liberandus. Noſtrum non eſt hæc latius diducere: ſufficit excitaſſe attentionem eorum, qui principiis de voluntate divina traditis in explicandis Sacræ Scripturæ locis de eadem agentibus uti voluerint.

§. 409.

Æternitas voluntatis divinæ.

Deus juxta Sacram Scripturam voluit omnia ab æterno. Etenim elegiſse nos dicitur *Eph.* I. 4. πρὸ καταβολῆς κόσμου ante jacta fundamenta mundi, & 2. Tim. I. 9. πρὸ χρόνων αἰωνίων ante tempora ſecularia ſeu æterna. Nimirum antequam mundus a Deo produceretur, nihil extra ipſum exiſtebat, aut, ſi mavis, præter ipſum, adeoque creatura nulla finita, conſequenter nulla erat rerum ſucceſſio (§. 835 *Ontol.*). Quamobrem cum tempus non detur niſi exiſtentibus ſucceſſivis in continua ſerie (§. 574 *Ontol.*); antequam mundi fundamenta jacerentur, hoc eſt, quicquam præter Deum exiſtere inciperet, nullum erat tempus. Deus igitur nos elegit in Chriſto, antequam tempus erat. Imo finge tempora quantæcunque durationis, dicendum tamen ſemper erit, Deum nos elegiſse ante hoc tempus. Enimvero æternum eſt, cujus nullum aſſignari poteſt initium, quemadmodum exiſtentiæ hujus univerſi datur, & quod quanto tempore duraverit dici nequit, quantacunque etiam tempora ponas. Patet igitur Deum nos elegiſse in Chriſto ab æterno juxta Sacram Scripturam. Electio hæc eſt actus liberrimæ voluntatis divinæ (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quamobrem liquet, juxta Sacram Scripturam Deum velle ab æterno, quod vult.

Deus nos eligens in Chriſto conſideravit tanquam in peccatum prolapſos & pœnæ æternæ obnoxios *Joann.* III. 16. Homo demum lapſus eſt poſt creationem, integer a Deo creatus *Gen.* III. 1. & ſeqq. Quamobrem cum ratio objectiva electionis involvat lapſum hominis (§. 118); videri poterat, Deum demum elegiſſe nos in Chriſto, quando lapſus fuerat Adamus, conſequenter Deum demum humano more in tempore velle invitantibus objectis. Hunc ergo errorem ut præcaveret Apoſtolus, Deum nos elegiſſe aſſerit ante jacta mundi fundamenta, hoc eſt, cum nihil adhuc rerum finitarum exiſteret, quod Deo anſam volendi ſuppeditare potuiſſet. Unde apparet Scripturam æternitatem actus volitionis divinæ ita urgere, ut præcludantur omnes volitiones temporariæ. Quodſi vero Deus ea ab æterno voluit, quæ facta in tempore ſupponunt; nullum profecto dubium ſupereſse poteſt, quin Deus multo magis cetera ab æterno voluerit, quæ nihil in tempore

Digitized by Google

poſe factum ſupponunt, conſequenter palam eſt, juxta Sacram Scripturam Deum omnia voluiſſe ab æterno.

Hinc etiam patet juxta Sacram Scripturam pronuntiandum eſſe, Deum omnia velle actu unico ſive ſimul: id enim ex eo ſequitur, quod voluerit omnia ab æterno (§. 319. 359). Et in genere patet, Scripturæ Sacræ convenienter Deo tribui, quæcunque exinde ſive mediate, ſive immediate deducantur, quod is ab æterno voluerit omnia.

§. 410.

Libertas voluntatis divinæ a coactione externa juxta Sacram Scripturam.

Deus juxta Sacram Scripturam liber eſt in volendo ab omni coactione externa, & voluntas ejus ab omni ente alio extra ipſum independens. *Dan.* c. IV. 32. omnes, inquit Nabuchodonoſor, habitatores terræ apud Deum in nihilum reputati ſunt: juxta voluntatem enim ſuam facit, tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ, & non eſt, qui reſiſtat manui ejus & dicat ei: quare feciſti? Refert Daniel Nabuchodonoſorem a Deo graviter punitum ex hominum conſortio depulſum fuiſse, herbas more boum comediſse ejusque corpus cæleſti rore tinctum fuiſse; exacto autem temporis ſpatio in mentem rediiſse & Dei in omnes creaturas dominium atque imperium agnoviſſe: quo facto in ea erupit verba, quæ modo recenſuimus. Patet adeo Danielem narrantem, quomodo a cultu idololatrico ad cultum veri ac ſupremi Numinis fuerit converſus, probare tanquam vera, quæ dixit Nabuchodonoſor Deum verum laudaturus, conſequenter Scripturæ Sacræ dogmatis eadem conformia eſse, quæ menti Nabuchodonoſoris conformia probari poſsunt. Agnoſcit Nabuchodonoſor Deum facere ſecundum voluntatem ſuam in univerſo mundo, nec in toto mundo reperiri quenquam, qui ei reſiſtere poſſit. Qui poteſt facere quæ vult & cui nemo reſiſtere valet, quo minus id faciat: is nulla vi externa adigi poteſt, ut quid velit, quod ea ſepoſita minime voluiſset. Quamobrem patet juxta Sacram Scripturam Deum nulla vi externa adigi poſse, ut quid velit, quod hac ſepoſita, minime voluiſset, conſequenter eum liberum eſse ab omni coactione externa eo prorſus ſenſu, quo ſupra eundem liberum eſse evicimus (§. 321). *Quod erat primum.*

Porro affirmat Nabuchodonoſor Deum facere ſecundum voluntatem ſuam, nec in toto univerſo eſse quenquam qui ei dicat: quare feciſti? Nemo dicere poteſt ad alterum, qui ſuo arbitratu agit, quid agis? niſi qui jus habet exigendi ab eo, ut ad nutum ſuum componat actiones ſuas. Quamobrem fatetur Nabuchodonoſor neminem eſse, qui rationem facti a Deo exigere poſſit, quando ſuo arbitratu agit, quemadmodum vertit *Caſtalio.* Enimvero ſi Deus non tenetur rationem reddere ejus, quod ſuo arbitratu facit, alteri; nec ideo quid velle tenetur, quia ut hoc velit, vult alter, conſequenter voluntatis ipſius ratio nulla eſt in voluntate alterius (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem eum ens omne independens ſit ab alio, quatenus ejus, quod ipſi tribuitur, ratio extra ipſum in alio non continetur (§. 851 *Ontol.*); patet ex mente Nabuchodonoſoris voluntatem Dei eſse independentem ab

omni ente alio extra ipſum, conſequenter cum evicerimus, quod menti Nabuchodonoſoris conforme eſt, idem conforme eſse Scripturæ Sacræ; juxta Sacram Scripturam voluntas Dei independens eſt ab omni ente alio extra ipſum.

Nimirum de ea dependentia hic ſermo eſt, quæ officit libertati, quemadmodum coactio externa eidem inimica.

§. 411.

Quænā Deus velit juxta Sacram Scripturam.

Deus juxta Sacram Scripturam vult, quod ipſi placet. Diſertis verbis non uno in loco hoc aſſeritur in Scriptura Sacra. Affirmat hoc Chriſtus *Matth.* XI. 26. Etenim cum doceret, Deum myſterium ſaluris abſcondiſſe ſapientibus & prudentibus ac revelaſſe parvulis, mox addit: Ita, pater: quoniam ſic fuit placitum ante te, ſeu ut *Caſtalio* vertit, quoniam ſic tibi placitum eſt. Vocabulum εὐδοκία, quod in textu Græco extat, exprimere ſolet illum animi actum, quo quid nobis repræſentamus tanquam delectabile, ſeu tale, unde voluptatem percipimus. Patet hoc ex *Matth.* III. 17, ubi refertur vox Dei cælitus demiſſa, cum Chriſtus baptizaretur in Jordane, quæ erat hujuſmodi: Hic eſt filius meus dilectus, ἐν ᾧ εὐδόκησα, in quo mihi complacui, ſeu, in quo delector, ex quo voluptatem percipio. Nimirum quem amamus, in eo quid nobis repræſentamus, quod nobis placet, ita ut hæc repræſentatio ſit amoris cauſa (*§. 649 Pſychol. empir.*). Unde liquet εὐδοκεῖν deſignare illum animi actum, quo quid nobis placet. Quamobrem ſi quid facit Deus, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθεν αὐτοῦ; Deus id ideo facit, quia id ipſum ipſi placet. Jam vero quod Deus facit, id etiam facere vult, de quo nemo dubitat. Quare ex eo, quod Deus facit, quod ipſi placet, & quia quid ipſi placet, recte omnino colligitur, eum quoque velle quod ipſi placet & quia ipſi placet. Chriſto igitur Doctore Deum facere, quod ipſi placet, manifeſtum eſt.

Idem vero, quod a Chriſto acceperunt, tradiderunt etiam Apoſtoli. Hinc de iis verba facientes, quæ ad œconomiam ſalutis ſive gratiæ pertinent, omnia referunt ad εὐδοκίαν τοῦ θελήματος τοῦ Θεοῦ, ſeu ad beneplacitum voluntatis divinæ. Ita *Eph.* I. 5 Deus nos dicitur prædeſtinaſſe in adoptionem filiorum Dei per Chriſtum κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, conſequenter per ea, quæ modo uberius dicta, quia ſic Deo placuit ac ideo ipſe idem voluit. Similiter idem Apoſtolus 1. *Corinth.* I. 21 monet, placuiſſe Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Nemo dubitare poteſt, Deum hoc loco dici feciſſe, quod ipſi placuit, adeoque etiam voluiſſe, quod ipſi placuit, conſequenter hinc manifeſtum eſſe, juxta Sacram Scripturam dicendum omnino eſſe, velle Deum, quod ipſi placet. Enimvero in textu Græco legitur: εὐδόκησεν ὁ Θεὸς, ut adeo appareat, εὐδοκίαν eſſe ſumendam de eo actu, quo quid nobis placet, & quando de voluntate accipitur, hoc ipſo vocabulo ſignificari, placuiſſe quid volenti, & ideo ipſum hoc voluiſse, quia placuit.

Equidem

Equidem non ignoro εὐδοκεῖν vi originis idem denotare, ac aliquid pro bono reputare, ſeu quid cenſere bonum, ut adeo ſi Deus quid velit κατὰ τὴν εὐδοκίαν, id vi originis vocabuli ideo velle dicendus ſit, quia ipſi videtur bonum: non tamen hæc me animum tenet, multo minus efficit, ut a facta in probatione propoſitionis præſentis interpretatione diſcedam. Etenim primum abunde notum eſt, ſignificatum vocabulorum non eſſe determinandum ex etymologia, ſed ex uſu loquendi. Puto autem uſum loquendi Scripturæ probatum ſufficienter a nobis fuiſſe. Nec ſecundo ultra Lexica in lingua Græca ſapere debet, quin ipſi ſit perſpectum εὐδοκεῖν ſignificare aliquo delectari, quem ſane ſignificatum contextus clariſſime inſinuat *Matth.* III. 17 in voce Dei cælitus delapſa. Etſi autem ea accedente ſit, favet tamen quoque tertio interpretationi origo vocabuli. Si quid enim exiſtimatur bonum, ex eo voluptatem percipimus (§. 558 *Pſychol. empir.*). Ea quo voluptatem percipimus, id nobis placet (§. 542 *Pſychol. empir.*). Placet igitur, quod cenſetur bonum. Quamobrem ſi quis vult aliquid, quia cenſet bonum, ut hoc potius velit, quam non velit, aut velit hoc potius, quam aliud; is ideo quid vult, quod ipſi placet hoc potius velle, quam non velle, vel hoc potius velle, quam aliud.

§. 412.

***Juxta Sacram Scripturam Deus vult**, quod ipſum decet, eodem prorſus ſenſu, quo idem ſupra evicimus.* Etenim Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum: ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam, *Rom.* IX. 22 23. Non jam ſollicito tenemur animo circa objectum voluntatis divinæ in hoc loco Scripturæ, nec diſquirimus, quid Deus de eodem voluerit ex mente Apoſtoli. Ea enim nihil prorſus faciunt ad ſcopum præſentem. Sufficit itaque obſervaſſe, Deum quædam voluiſſe ex mente Apoſtoli, ut hoc ipſo doceret, quænam ipſi ſint attributa. Etenim vaſa iræ ad exitium compoſita multa cum patientia tulit, ut oſtenderet iram ſuam & potentiam declararet. Iraſcimur alteri ob malefacta (§. 862 *Pſychol. empir.*), quæ cum nobis diſpliceant (§. 569. 542 *Pſychol. empir.*), odio digna habemus (§. 674 *Pſychol. empir.*). Deus itaque iram ſuam oſtenſurus perinde odium mali declarare intendit, quemadmodum potentiam ſuam oſtendere voluiſſe dicitur. Cum Chriſtus miraculum primum patraſſet in nuptiis aqua in vinum mutata, diſcipulis gloriam ſuam manifeſtaſſe dicitur *Joann.* III. 11. Ex hoc autem facto non poterat colligi niſi omniſcientia & potentia divina ac poteſtas in naturam. Cum enim miraculum ſit poſſibile in eo corpore per eſſentiam ipſius, in quo contingit (§. 517 *Coſmol.*); Chriſto eſsentias rerum, quæque inde pendent, intime eſse perſpecta patebat. Nimirum quia nunquam eſſentiæ aquæ ac vini inveſtigandæ operam impenderat Chriſtus, ſed hæc ipſi ſcientia natura ineſse debebat; quod rei cujuſcunque alterius eſſentiam atque naturam eodem modo perſpicere deberet, quo ipſi aquæ & vini eſsentia atque natura perſpecta fuit, palam erat. Quoniam vero deficiebant cauſæ naturales, quibus ad actum deduci poterat, quod in aqua fieri poſse, per eſsentiam ipſius erat manifeſtum (§. 518 *Coſmol.*); Chriſtus aquam in vinum mutans declaravit, ſe poſse facere quod vult. Cum denique miraculum fieri nequeat, niſi motu legibus motus contrario (§. 526 *Coſmol.*), conſequenter qui fit contra naturæ ordinem (§. 559 *Coſmol.*), ac

Deus quod decenter velit juxta Sacram Scripturam.

Digitized by Google

præterea miraculum vim naturæ omnem ſuperet (*§. 523 Coſmol.*); Chriſtus miraculum patrans oſtendit, ſibi eſſe aliquod jus in naturam rerum & facere poſſe, quæ vim univerſam ipſius excedunt. Manifeſtavit itaque gloriam ſuam, dum declaravit, ſibi competere attributa divina. Hinc jam liquet Deum oſtendiſſe divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quatenus declaravit hoc ipſo, quænam ipſi inſint attributa. Unde jam porro patet, Deum aliquid potius velle, quam non velle, & velle hoc potius, quam aliud, quatenus ad ea, quæ ipſi ſunt, ſeu eſſentiam & attributa ſua reſpiciens, hæc ſibi ineſſe deprehendit, non alia attributa. Quoniam itaque ex iis, quæ Deo inſunt, ſeu ex eſſentia & attributis divinis intelligitur, cur quid potius velit, quam non velit, & cur hoc potius velit, quam aliud; in iis, quæ Deo inſunt, ſeu in eſſentia & attributis ejuſdem continetur ratio, cur quid potius velit, quam non velit, & cur hoc potius velit, quam aliud (§. 56 *Ontol.*). Quare cum Deum deceat, cujus aliqua in eſſentia vel attributis ipſius continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud, aut ſi mavis, cur conveniat ipſum potius quid velle, quam non velle, vel potius hoc velle, quam aliud (§. 332); juxta Sacram Scripturam Deus vult, quod ipſum decet, eo ſane ſenſu, quo ſupra (§. 335) Deum velle, quod ipſum decet, oſtendimus.

Cum Deus velit, quod ſe decet, quatenus rationem, cur quid velit, a ſeipſo petit, conſequenter quatenus motivum voluntatis ipſius ingreditur ratio ſubjectiva (§. 336), paulo ante vero oſtenderimus (§. 408), motiva voluntatis divinæ in Sacra Scriptura etiam deſumi ab iis, quæ Deo inſunt, ac inprimis interpretantes judicium Dei, quod ab ipſo de perfectione mundi latum refert Moſes, oſtenderimus, Deum non tuliſſe de eodem judicium niſi habito ejuſdem ad ſemetipſum reſpectu (§. 406); ex his jam conſtare poterat velle Deum, quod ipſum decet. Non tamen probatio, quam dedimus, ſuperflua cenſeri debet, propterea quod per conſequentiam ex aliis, quæ Scripturæ Sacræ conformia eſſe demonſtravimus, inferri minime debent, quæ ex ejus dictis majore veritatis luce deduci poſſunt.

§. 413.

Quidnã Deus juxta Sacrã Scripturam facere poſſit.

Deus poteſt facere, quicquid vult juxta Sacram Scripturam. Diſertis verbis hoc affirmat *Pſaltes*. Etenim *Pſalm.* CXV. 3 leguntur hæc verba: Deus noſter in cælis: omnia, quæcunque voluit, fecit. Verbum nimirum חפץ, quod in textu Hebræo extat, proprie ſignificat velle. Nec obſtat, quod *Caſtalio* vertat: quicquid ei libet faciens, & *Martinius*, eximius Philologus, teſte ipſius Lexico philologico, in Epitome Theologiæ methodice diſpoſitæ (quæ noviſſimæ editioni Marburgenſi Inſtitutionum theologicarum *Gürtleri* ſubjuncta eſt) lib. 1. cap. 4. pag. 22 citans hæc verba, eadem ſic reddat: quicquid placet, facit. Etenim modo oſtendimus (§. 411), Deum velle, quicquid ipſi placet, ipſa Scriptura Sacra magiſtra, adeoque ſi Deus facit, quicquid placet; facit utique, quicquid vult. Et nemo ignorat, facere quod quis velit & facere quod libeat, eſſe unum idemque. Nullum adeo dubium ſupereſſe poteſt, quin juxta Sacram Scripturam Deus facere poſſit, quicquid vult.

Ceterum ex contextu apparet, Deum dici facere poſſe, quæcunque vult, ut evincatur illimitata ejuſdem potentia & hoc pacto magnitudo potentiæ divinæ animis noſtris inſinuetur.

Digitized by Google

tur. Etenim dicitur facere poſſe, quæ vult, in oppoſitione ad idola gentilium, quæ omni prorſus potentia activa deſtituta ſunt. Conveniens adeo erat exaggerare potentiam divinam: quod quoad homines rectius fieri haud quaquam poterat, quam ſi potentia voluntati coextenderetur, cum nemo non potentiſſimum concipiat eum, qui quicquid vult, facere poteſt.

§. 414.

An Deũ juxta Sacram Scripturam pœnitere poſſit ejus quod vult.

Deum juxta Sacram Scripturam pœnitere ejus nequit, quod facit ac vult. Extat hæc propoſitio quoad verba in Sacra Scriptura. Ita enim legitur *Num.* XXIII. 19. 20. Non eſt Deus, quaſi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis ut mutetur. Dixit ergo & non faciet? Locutus eſt, & non implebit? ubi in textu Hebræo extat verbum נחם, quod idem ſignificare ac pœnitere, pervulgatum eſt & a vulgato interprete ipſo per Latinum pœnitere redditur 1 *Sam.* I. 35, ubi Deum pœnituiſse legitur, quod conſtituiſset regem Saul ſuper Iſrael. Unde & *Caſtalio* vertit in loco præſente: Deus non eſt homo, ut mentiatur; non homine natus, *ut eum pœniteat*. Ex contextu autem liquet, verbum pœnitere hic ſumi in ſignificatu communi, quem ex uſu loquendi habet, & in quo ſuperius oſtendimus (§. 369), Deum nunquam pœnitere poſse ejus quod fecit, conſequenter quod vult. Etenim Balaamus juſſu Dei certum reddere debebat Balaacum, quod fieri haud quaquam poſſit, ut Deus non ſtet promiſſis. Removet igitur rationes, quæ impediunt, cur homines iiſdem ſtare minime ſoleant. Id ipſum vero duplici de cauſa accidere ſolet, vel quod non habeant animum faciendi, quæ promittunt, dum quid alteri promittunt, adeoque mentiuntur; vel quod poſtea mutent animum, quod eos promiſſi pœniteat. Dum vero in poſteriori caſu animum mutant, triſtitiam vel ſaltem tædium percipiunt ex eo, quod promiſerint, male hoc a ſe factum arbitrantes. Quamobrem cum pœnitentia dicat triſtitiam ex eo ortam, quod a nobis male vel minus recte factum exiſtimamus, vel ſaltem tædium inde perceptum (§. 755 *Pſychol. empir.*); verbum pœnitere hic ſumi in ſignificatu recepto, ſatis ſuperque patet. Mutatio adeo animi eſt effectus pœnitentiæ, qui in præſenti caſu menti loquentis convenienter eidem ſubſtitui poteſt, quemadmodum ab interprete vulgato factum. Evidens adeo eſt juxta Sacram Scripturam Deum non poſse pœnitere ejus, quod vult, quemadmodum hominibus accidere ſolet, propterea quod natura & eſsentia Dei prorſus diverſa ab humana, cui adeo repugnat, quod huic convenit.

Vidimus Sacram Scripturam eodem vocabulo uti, quando negat Deum pœnitere poſſe ejus, quod voluit vel promiſit, & quando narrat, Deum pœnituiſſe ejus quod fecerat, adeoque alia de Deo docere, alia de eodem narrare videtur, factis, quæ de Deo recenſet, dogmatis, quæ de eodem inculcat, contrariis. Et ſane plura occurrunt in Sacris loca, ubi Deum pœnituiſſe dicitur ejus, quod fecerat, veluti *Gen.* VI. 6 quod feciſſet hominem, ubi in textu authentico idem verbum נחם extat. Conſtat ex ſuperioribus (§. 303), Scripturam Sacram de Deo ſæpius loqui humano more, veluti ipſi tribuendo membra corporis humani. Quoniam vero ea, ſi proprie acciperentur, contradicerent aliis, quæ aperte de ejus eſſentia & natura docet; quin ita interpretanda ſint, ut cum his conſentiant, nemo non videt. Quando itaque dicitur Deum pœnitere facti, hoc ita accipiendum eſt, quod ea, quæ præter ipſius intentionem inde fuere conſecuta, ab ipſo improbentur, & quod ob ea non feciſ-

ſet,

ſet, quod fecerat, niſi aliæ fuiſſent rationes in doctrina de permiſſione mali paulo poſt diſtinctius exponendæ. Enimvero quia deinceps paulo diſtinctius expoſituri ſumus, quo ſenſu Deo tribui poſſint affectus in genere, tum etiam pœnitentia in ſpecie; ea hic anticipare non lubet.

§. 415.

Omnipotentia Deo in Sacra Scriptura tributa.

*Deus juxta Sacram Scripturam eſt omnipotens eodem ſenſu, quo ſupra omnipotentiam ejuſdem evincimus**. Deus ſemetipſum vocat omnipotentem *Gen.* XVII. 1, promittens Abrahamo centenario ex Sara nonagenaria filium: cui ut fidem haberet Abrahamus, convictus eſſe debebat de omnipotentia divina. Extat in textu Hebræo vocabulum שדי, quod ſoli Deo, nulli unquam creaturæ, neque idolis in Sacra Scriptura tribui conſtat, manifeſto indicio, denotari eodem aliquod attributum, quod non convenit, niſi Deo vero, ac creaturæ nulli communicari poteſt. Quamobrem cum Deus, quemadmodum modo vidimus, ſe dicat omnipotentem, ubi ea promittit, quibus fides haberi non poterat ſine cogitatione omnipotentiæ; dubio profecto caret, quod ipſo illo nomine omnipotentia Dei indigitetur, quicquid de ejus etymologia ſentiant Grammatici. Nimirum ſi ad ea reſpicias, quæ ordinarie fieri ſolent, contra naturæ conſuetudinem eſſe videtur, ut mas centenarius generet & fœmina nonagenaria pariat, adeoque id fieri poſſe improbabile eſt. Quæ improbabilia ſunt, non tamen ideo ſunt impoſſibilia. Quamobrem Abrahamus non poterat promittenti Deo credere, niſi perpendens poſſibilia eſſe poſſe, quæ an fieri poſſint ipſi perſpectum non erat, Deum vero poſſe facere, quæ impoſſibilia abſolute talia non ſunt, conſequenter quicquid poſſibile eſt (§. 85 *Ontol.*), ſeu tale, ut exiſtentia eidem minime repugnet (§. 133 *Ontol.*), atque adeo cogitans omnipotentiam Dei eodem prorſus ſenſu, quo nos eandem accipimus (§. 347) Deoque vindicavimus (§. 349). Ceterum vocabuli Hebræi non alium fuiſſe ſignificatum, quam quem eidem tribuunt Sacræ Scripturæ interpretes & quem eidem modo vindicavimus, ex Græca quoque verſione LXX interpretum liquet. Etenim ipſis Deus dicitur παντοκράτωρ, quando in textu Hebræo vocatur שדי: vocabulum vero Græcum & vi originis, & ex uſu loquendi ſignificat omnipotentem, perinde ac vocabulum Latinum & Germanorum *allmächtig*. In novo fœdere Deus quoque παντοκράτωρ appellatur, veluti 2 *Cor.* VI. 18, ubi Apoſtolus recenſet promiſſiones fidelibus a Deo factas, adeoque eodem prorſus in caſu, quo Deus ſibimetipſi tribuerat omnipotentis nomen.

* Vocabulum Hebræum non perinde ac Græcum, Latinum atque Germanicum, originem habet adeo evidentem, ut vi ejuſdem inſinuet potentiam Dei ad omnia poſſibilia extenſam. Nec negari poteſt, contortam eſſe etymologiam, qua שדי derivatur a שדד, quod vaſtare ſignificat, quaſi Deus ea potentia, qua ex nihilo eduxit omnia, eadem denuo in nihilum redigere poſſit: ratio enim denominandi e longinquo petita. Rectius utique vocabulum derivatur a nomine די, quod idem ac ſufficiens ſignificat, cum præfixo ש. Ita enim vi originis omnipotens is dicitur, qui omnibus faciendis ſufficit, quæcunque ſcilicet poſſibilia ſunt. Unde apparet, non opus eſſe, ut vi etymologiæ Deus dicendus ſit ſibi ipſi ſufficiens ac nullius indigus. Etenim hæc ratio etymologica nec cum contextu, nec cum uſu loquendi, quem verſio LXX interpretum comprobat, conſpirat, quemadmodum noſtra.

§. 416.

Digitized by Google

§. 416.

Magnitudo potentiæ divinæ juxta Sacram Scripturam.

Juxta Sacram Scripturam potentia Dei abſolute maxima eſt, & Deus eſt abſolute omnium potentiſſimus. Tribuit Deo potentiam abſolute maximam *Jeremias* c. XXXII. 17, ubi preces ad Deum fundens ita eundem alloquitur: Ecce tu feciſti cælum & terram *in fortitudine tua magna* & in brachio tuo extento: *non erit tibi difficile omne verbum*. Etenim in textu authentico extat בכחך. Vocabulum vero כח ſignificare potentiam activam ex aliis Sacræ Scripturæ locis ſatis conſtat. Ita Jacobus aſſeverans ſe ſerviviſſe Labano totis viribus ſuis *Gen.* XXXI. 6, eodem utitur vocabulo ſignificaturus, quod ſervitia præſtans fecerit, quicquid a ſe fieri poterat. Unde liquet כח ſignificare potentiam activam. Hæc vero potentia activa Dei dicitur הגדול illa magna. Notum vero eſt ה demonſtrativum ſeu emphaticum poſitivum convertere in ſuperlativum, ubi contextus, quemadmodum hic, idem innuat. Senſus adeo verborum Jeremiæ eſt, quod Deus fecerit cælum & terram maxima, quæ ipſi eſt, potentia, conſequenter eidem diſertis verbis maxima ab eodem tribuitur potentia. Addit vero; non eſſe ipſi difficile omne verbum, ſeu quemadmodum *Caſtalio* vertit, non eſſe ipſi arduam rem ullam. Hebræum enim דבר ſignificat ſtylo Hebræorum omne id, quod nominari poteſt, adeoque ſtylo philoſophorum, quicquid poſſibile. Juxta literam textus nihil horum, quod nominari poteſt, a Deo ſeparari poteſt, hoc eſt, non poteſt nominari quicquam, quod potentiam Dei maximam excedat, conſequenter ex mente Jeremiæ hæc ſeſe extendit ad omnia poſſibilia. Nemo non novit majorem potentiam ea minime concipi poſſe, quæ ad omnia poſſibilia extenditur. Vates igitur divinus Deo tribuit potentiam abſolute maximam.

Similiter Angelus Mariam convicturus, quod abſque viro concipere poſſit in utero, affirmat *Luc.* I. 37, non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum. Hebraiſmos in textu Græco novi fœderis occurrere, pervulgatum eſt. Quemadmodum itaque ſtylo Hebræorum דבר ſignificat, quicquid nominari poteſt; ita quoque ibidem πᾶν ῥῆμα, omne verbum, idem prorſus denotat, ut adeo ſenſus verborum Angeli hic ſit: nihil eorum, quæ nominari poſſunt, Deo eſſe impoſſibile. Unde manifeſtum eſt, ex mente ejuſdem Deum facere poſſe, quicquid poſſibile, conſequenter Deo ab eodem tribui potentiam abſolute maximam per antea demonſtrata.

Sponte ſua hinc fluit, Deum juxta Sacram Scripturam omnium abſolute potentiſſimum eſſe, quemadmodum quoque ſupra idem inde intulimus (§. 350). Ipſe vero etiam Propheta *loc. cit. v.* 18. Deum vocat הגביר potentem illum, ſeu illum potentia excellentem, hoc eſt, potentiſſimum, quemadmodum ex anterioribus conſtat.

Quoniam omnipotens eſt, qui facere poteſt, quicquid poſſibile (§. 347), per ea Sacræ Scripturæ loca, quibus evicimus, Deo competere juxta eandem potentiam abſolute maximam, etiam probatur, eundem eſſe omnipotentem: id quod paulo ante per alia evicimus (§. 415).

Digitized by Google

(§. 415). Et quoniam verba Angeli, non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum, verbis Prophetæ, non eſſe Deo difficile omne verbum, æquipollent; quin Hebraiſmus in illis lateat, tanto minus dubitari poteſt. Imo forſan nec a vero aberraveris, ſi Angelum verba Prophetæ, quæ Mariæ virgini pie non ignota ſupponere licet, citaſſe ſtatuas: id quod tamen ad præſens negotium nullum momentum affert.

§. 417.

Juxta Sacram Scripturam Dei potentia captum hominis tranſcēdit.

Deus juxta Sacram Scripturam plura facere poteſt, quam quæ homo intelligere valet. Diſertis verbis hoc affirmat Apoſtolus *Epheſ.* III. 20, Deus, inquiens, poteſt omnia facere ſuperabundanter quam petimus aut intelligimus. In textu Græco legitur ὑπὲρ πάντα, ſuper omnia. Unde *Hammondus* in paraphraſi: Deus, inquit, multo plura & majora facere poteſt, quam animo aſſequi poſſumus: quæ ipſa eſt propoſitio noſtra.

Atque adeo patet, juxta Sacram Scripturam potentiam divinam captum humanum tranſcendere, nec poſſe nos eam modulo rationis noſtræ metiri.

§. 418.

Potentia Dei miraculoſa juxta Sacram Scripturam.

Juxta Sacram Scripturam Deus poteſt facere miracula. Etenim in Sacris legitur, Deum patraſſe miracula per Prophetas in veteri, per Apoſtolos in novo teſtamento. Exemplo eſt *Moſes* miracula patrans in Ægipto Pharaonem permoturus, ut populum Judaicum, quem educturus erat, dimitteret *Exod.* IV. & ſeqq. Et Chriſtus ipſe recenſet miracula ab Apoſtolis patranda *Marc.* XVI. 17. 18, & *Marcus* diſerte monet *verſ.* 20, Deum patraſſe eadem, ad nutum ſcilicet Apoſtolorum. Quoniam itaque Deus miracula patravit, quin ea patrare poſſit, dubitandum non eſt (§. 170 *Ontol.*). Enimvero miracula, in Sacris relata, eſſe veri nominis miracula, extra controverſiam eſt. E. gr. jubente *Joſua* cap. X. 12. 13, Sol & Luna ſtetere, hoc eſt, ſitum ſuum erga Tellurem intervallo plurium horarum non mutarunt, quemadmodum idem explicavimus alibi (§. 626 *Aſtron.*). Defecere igitur cauſæ naturales, quibus effectus hic tribui poterat: cum enim ex eo, quod Joſua ſtare juſſerit Solem & Lunam, creaturas ſenſu deſtitutas, nec ipſius imperio ſubjectas, non intelligatur, cur ſitum erga tellurem minime mutaverint; nec id ratio ſufficiens hujus effectus eſse poterat, conſequenter nec Joſua cauſa ejuſdem efficiens (§. 886 *Ontol.*). Enimvero ex eo potiſſimum agnoſcitur miraculum, quod deficiant cauſæ naturales ſufficientes, quando exiſtit (§. 520 *Coſmol.*); ſtatio Lunæ & Solis tempore Joſuæ facta veri utique nominis miraculum eſt, eo ſcilicet ſenſu, quo miraculum a nobis accipitur (§. 510 *Coſmol.*), & quo ſuperius Deo potentiam faciendi miracula vindicavimus (§. 363). Eodem modo probantur miracula, quæ in Sacris narrantur, reliqua eſse veri nominis miracula, hoc eſt, eo ſenſu, quo a nobis accipitur vocabulum. Unde jam colligitur juxta Sacram Scripturam Deum poſse facere miracula eodem ſenſu, quo potentiam eadem patrandi ipſi ſupra vindicavimus.

Hinc porro conſequuntur, Scripturæ Sacræ conformia eſſe, quæ ſuperius (§. 364 & ſeqq.) ex potentia Dei miraculoſa deduximus, veluti quod facere poſſit, quæ vim naturæ univerſæ excedunt & quod naturæ ordinem turbare poſſit, ut adeo non opus ſit, ea demum

ſigil-

ſigillatim per ea, quæ in Sacris de miraculis leguntur, probari, quamvis id fieri poterat. Sane dum ſitus Solis & Lunæ erga Terram plurium horarum intervallo non mutabatur; ordinem naturæ turbatum fuiſſe abunde intelligitur ex iis, quæ de miraculi hujus effectibus diximus (*not.* §. 531 *Coſmol.*), atque adeo dictis pleniſſimam faciunt fidem.

§. 419.

Voluntas Dei juxta Sacram Scripturam imperſcrutabilis eſt. Etenim Paulus *Rom.* XI. 33 judicia Dei vocat ἀνεξερεύνητα, imperſcrutabilia. Qualia ſint hæc judicia, de quibus loquitur Apoſtolus, ex contextu apparet. Diſſeruerat nimirum de rejectione Judæorum, qui ante fuerant populus Dei electus, & vocatione gentilium, quos ante deſeruerat, ad ſalutem, nec non de ſpe Judæis relicta ad communionem cum Deo redeundi: de quibus omnibus rationes non ſunt ſatis apertæ, cur Deus hoc potius procedere voluerit, quam alio modo. Ac propterea exclamat: quam imperſcrutabilia ſunt judicia Dei! Ipſo igitur Doctore ea, quæ Deus ſtatuit, imperſcrutabilia ſunt, quia rationes, cur Deus hoc potius velit quam aliud, non ſatis perſpicere valemus. Quoniam rationes ſufficientes, cur hoc Deus potius velit, quam aliud, ſunt motiva voluntatis divinæ (§. 887 *Pſychol. empir.*); ſi Paulo fidem habemus, motiva voluntatis divinæ penitus perſpicere minime valemus. Quamobrem cum voluntas dicatur imperſcrutabilis, quatenus motiva ejuſdem nobis penitus perſpecta non ſunt, nec eadem certo cognoſcere valemus (§. 397); voluntas Dei juxta Sacram Scripturam imperſcrutabilis eſt, eodem prorſus ſenſu, quo ſupra eandem imperſcrutabilem eſſe demonſtravimus (§. 398).

Voluntas Dei juxta Sacram Scripturam imperſcrutabilis.

Equidem vulgatus interpres judicia Dei incomprehenſibilia vocat, quem etiam ſequitur *Lutherus* in vernacula, *Wie gar unbegreiflich ſind ſeine Gerichte*: enimvero pervulgatum eſt proprio vocabulum ἀνεξερεύνητον ſignificatu imperſcrutabile denotare. Unde & *Hammondus* in Periphraſi: Quam imperſcrutabilia, inquit, ſunt Dei decreta & quam mirandis rationibus ea exequitur! Ceterum cum ex contextu colligenda ſit notio, quæ verbis Pauli reſpondet, quemadmodum fecimus; eadem prodit, ſi vel maxime verſionem vulgatam reſpicias, quæ in mente Apoſtoli nihil prorſus mutat, conſequenter ea verſione quoque iſta colligitur voluntatem Dei eſſe imperſcrutabilem eo ſenſu, quo ſupra eandem talem evicimus.

§. 420.

Juxta Sacram Scripturam electio mundi optimi eſt ſignum naturale veri Dei. Affirmat enim Apoſtolus *Rom.* I. 20, inviſibilia Dei, veluti ſempiternam ejus virtutem & divinitatem, quem Deus fecit mundum conſiderando conſpici. Quoniam itaque ex iis, quæ de mundo cognoſcuntur, colligitur, qualis ſit verus Deus, ejuſdem opifex, idem vero alterius ſignum ſit, ex quo alterum adeſſe colligitur (§. 952 *Ontol.*), idque naturale, ſi ſignificatus in ipſis rerum notionibus continetur (§. 956 *Ontol.*); mundi hujus, qui exiſtit, a Deo facta electio utique veri Dei ſignum naturale eſſe debet. Enimvero conſtat ex ſuperioribus ipſa auctoritate Sacræ Scripturæ Deum elegiſſe mundum omnium optimum (§. 406). Quamobrem eadem auctoritate aſſerendum, electionem mundi omnium optimi eſſe ſignum naturale veri Dei.

Mundus optimus quale ſit ſignum juxta Sacram Scripturam.

Digitized by Google

Cum verus Deus ſit Spiritus perfectiſſimus (§. 387); dum evicimus electionem mundi optimi eſſe ſignum naturale veri Dei, hoc ipſo probavimus juxta Sacram Scripturam eandem eſſe ſignum ſpiritus perfectiſſimi. Ne tamen quidea in re deſiderari poſſit, oſtendere adhuc libet, Deum eſſe juxta Scripturam quoque Sacram Spiritum perfectiſſimum.

§. 421.

Summa perfectio voluntatis divinæ Sacræ Scripturæ cōveniens.

Voluntas Dei juxta Sacram Scripturam perfectiſſima eſt eodem prorſus ſenſu, quo ſupra eandem talem probavimus. Auctoritate Sacræ Scripturæ motivum voluntatis divinæ eſt id, quod optimum (§. 407), adeoque voluntas Dei non tendit niſi ad optimum (§. 888 *Pſychol. empir.*). Eſt vero voluntas omnium perfectiſſima, quæ non fertur niſi in optimum (§. 650 *Pſychol. rat.*). Voluntas igitur Dei juxta Sacram Scripturam perfectiſſima eſt eo ſenſu, quo ſupra eam perfectiſſimam eſse probavimus (§. 386).

§. 422.

Qualis Deus ſit Spiritus juxta Sacram Scripturam.

Deus juxta Sacram Scripturam eſt Spiritus perfectiſſimus. Eſt enim juxta eandem Spiritus eodem ſenſu, quo a nobis vocabulum Spiritus accipitur (§. 132): competit eidem intellectus omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 218) & voluntas perfectiſſima eodem ſenſu, quo nos eidem non minus hanc, quam illum vindicamus (§. 421). Quamobrem, cum Spiritus perfectiſſimus ſit, qui intellectu perfectiſſimo & voluntate perfectiſſima gaudet (§. 646 *Pſychol. rat.*); Deus juxta Sacram Scripturam Spiritus perfectiſſimus eſt eodem prorſus ſenſu, quo nos eundem Spiritum perfectiſſimum eſse probavimus (§. 387).

Divinitas adeo Dei juxta Sacram Scripturam in eo conſiſtit, quod ſit Spiritus perfectiſſimus. Quamobrem cum electio mundi, qui exiſtit, hoc eſt optimi, ipſius auctoritate Scripturæ (§. 420), ſit divinitatis naturale ſignum *Rom.* I. 20; ſufficienter jam probatum eſt, quod eadem auctoritate idem ſit naturale ſignum perfectiſſimi Spiritus. Multa influunt in demonſtrationem hanc principia, quemadmodum patere poteſt, ſi analyſin rite inſtituere volueris, hoc eſt eo, quem alibi (§. 992 *log.*) explicavimus & illuſtravimus, modo. Quamobrem judicium laturus, cave ne idem præcipites, antequam principia ſingula fuerint expenſa, quantum ad aſſenſum generandum ſufficit. Non adeo facile eſt, quemadmodum plurimis videtur, dogmatum philoſophicorum cum Sacra Scriptura æſtimare conſenſum vel diſſenſum. Puto tamen ea, quæ hanc in rem tradimus, acutioribus & cordatioribus profutura, ut in arduo hoc negotio circumſpectos ſe præbeant: id quod multiplices pollicetur fructus generi humano. Vigebit connubium rationis & Scripturæ Sacræ ſeu revelationis, nec præter neceſſitatem committentur cum Theologis philoſophi: quod quanti ſit, noſtrum jam non eſt exponere uberius.

§. 423.

Mundus quinam ſignificet omnipotentiam Dei juxta Sacrā Scripturam.

Productio mundi optimi etiam juxta Sacram Scripturam eſt ſignum naturale omnipotentiæ. Diſerte affirmat Paulus *Rom.* I. 20, Deum producendo hunc mundum adſpectabilem patefeciſſe eam, quæ ipſi ſemper competit, potentiam ἀΐδιον δύναμιν. Ea vero, quæ Deo competit potentia, judice Scriptura, eſt omnipotentia (§. 416). Demonſtravit ergo, creando hunc mundum, omnipotentiam ſuam, ut ſcilicet ex hoc ipſo actu conſiderando ea, quæ facta ſunt, quemadmodum docet Apoſtolus, colligi poſſit, Deo convenire omnipotentiam, conſequenter cum Deus, etiam Sacra Scriptura magiſtra, ſit Spiritus (§. 132), eundem eſse Spiritum potentiſſimum. Quamobrem cum id ſit alterius ſignum, unde

alterum

alterum adeſſe colligitur (§. 952 *Ontol.*), idque naturale, ſi idem ex ipſis rerum notionibus colligitur (§. 956 *Ontol.*); patet omnino productionem mundi optimi eſſe juxta Sacram Scripturam ſignum naturale omnipotentiæ.

Apoſtolus docturus mundum hunc eſſe ſignum naturale veri Dei, quatenus ab eodem electus & factus ſupponitur, in ſpecie mentionem facit Divinitatis & potentiæ ſempiternæ. Vidimus ſi Divinitatem interpretemur ex ipſa Sacra Scriptura, eadem denotari præſtiſſimam ſpiritualitatem, per ea quæ in evincenda veritate propoſitionis præcedentis in medium adduximus. Jam vero cetera, quæ de Deo cognoſci poſſunt, ex notione ſpiritualitatis, hoc eſt, intellectus atque voluntatis, & potentiæ deducuntur. Suffecerat adeo Paulo nominaſſe Divinitatem & potentiam, ut conſtaret, contemplantem ea, quæ in mundo exiſtunt, cognoſcere poſſe, qualis ſit Deus & quænam ipſi conveniant attributa.

§. 424.

Cur Deus re nulla alia indigeat ad ſui conſervationē & perfectionem.

Deus re nulla alia extra ſe indiget ad ſui conſervationem aut perfectionem. Deus enim eſt ens a ſe (§. 67). Quamobrem cum ens a ſe non indigeat vi entis alterius ad exiſtendum (§. 27), nec Deus re ulla alia extra ſe indiget ut exiſtat, vel exiſtere pergat, conſequenter ut conſervetur. *Quod erat unum.*

Porro idem eſt Spiritus abſolute perfectiſſimus (§. 387), adeoque nullo modo fieri poteſt, ut ſummæ ejus perfectioni quicquam ulterius accedat. Eſt præterea omnium abſolute potentiſſimus (§. 350), adeoque potentiæ ipſius nihil ulterius accedere poteſt. Quamobrem patet Deum ad augendam perfectionem atque potentiam ſuam re nulla alia extra ſe indigere. *Quod erat alterum.*

Corpus noſtrum multis indiget ad ſui conſervationem; anima vero indiget Deo, quemadmodum deinceps evincemus. Solius Dei proprium eſt, ut, quemadmodum actualitatem ſeu exiſtentiam non recipit aliunde, ita nec re alia extra ſe opus habeat ad eandem continuandam.

§. 425.

Cur Deus non indigeat aliena informatione vel auxilio ac opera.

Deus nemine opus habet, qui ipſum doceat, quod noſſe expedit, nec alterius indiget aut auxilio vel opera, ut faciat vel fiat, quod fierit vult. Etenim Deus omniſcius eſt (§. 302), adeoque ſcit omnia, quæcunque cognitu poſſibilia ſunt, ſive ſingularia fuerint, ſive univerſalia (§. 301). Quamobrem nemine opus habet, qui ipſum doceat, quod noſſe expedit. *Quod erat unum.*

Porro idem eſt omnipotens (§. 349), adeoque facere poteſt quicquid poſſibile (§. 347), ſeu quod fieri non repugnat (§. 85 *Ontol.*). Quamobrem nec auxilio alieno indiget, ut quid faciat, nec opera aliena opus habet, ut quod vult, fiat. *Quod erat alterum.*

Equidem hæc adeo evidentia ſunt ei, cui omnipotentia divina perſpecta eſt atque omniſcientia, ut ſuperfluum videri poſſit talia demum inculcari: quoniam tamen hiſce principiis ad alia probanda habemus opus, ea prætermittenda minime fuere. Sane ne hæſitemus circa ea, quæ inde deducuntur, conſultum omnino eſt, ut eorum evidentia ante cognoſcatur.

§. 426.

Cur Deus voluptatis

Deus nulla re extra ſe indiget voluptatis percipiendæ gratia. Deus enim omnia poſſibilia tam abſolute ſpectata, quam in certa ſyſtemata redacta co-

 gnoſcit

percipien-dæ gratia re nulla indigeat.

gnoſcit (§. 155), & quidem ab æterno (§. 319) atque neceſſario (§. 311). Cognoſcit præterea ſemetipſum (§. 141), adeoque novit quod ea omnia ad actualitatem perducere poſſit (§. 343), ſi velit (§ 352). Quamobrem ſiquam intuendo perfectionem rerum a ſe diverſarum, vel ex eo, quod quid facere poſſit, voluptatem percipere poteſt (§. 511 *Pſychol. empir.*); eam utique percipit, ſive res ipſæ extra eum exiſtant, ſive non exiſtant. Patet igitur ipſum re nulla extra ſe indigere voluptatis percipiendæ gratia.

Aliter ſeſe res habet in hominibus, qui demum quid a ſe fieri poſſit edocentur, ubi id faciunt, quantæ ſibi ſint vires experimento demum edocti, propterea quod haud raro quid a nobis fieri poſſe exiſtimamus, cum tamen vires noſtræ operi, quod meditamur, minime ſufficiant. Unde tum demum voluptate perfundimur, ubi opus abſolutum. Aſt in Deo longe diverſa eſt ratio.

§. 427.

Sibi ipſi quinam ſufficiat.

Sibi ipſi ſufficientiſſimus dicitur, qui nulla prorſus re extra ſe quomodocunque indiget.

Ita non indiget alterius conſilio, qui ipſemet dijudicare novit, quid in dato caſu fieri conveniat, adeoque ſibimetipſi ea in re ſufficit. Qui tantum roboris habet, ut pondus elevare poſſit, ad idem elevandum non indiget alieno auxilio, atque adeo ſibimetipſi ad hoc præſtandum ſufficit. Pone igitur jam caſum omnem, quo quis re quadam alia extra ſe indigere poteſt; pone autem in nullo eus aliquod eadem indigere; habebis eus iſtud, quod ſibi ipſummet ſufficientiſſimum.

§. 428.

Omni-ſufficientia Dei.

Deus ſibimetipſi eſt ſufficientiſſimus. Etenim Deus re nulla alia extra ſe indiget neque ad exiſtendum (§. 70), neque ad ſui conſervationem aut perfectionem (§. 424), neque alterius conſilio, neque auxilio vel opera opus habet (§. 425), nec re ulla eget extra ſe voluptatis percipiendæ gratia (§. 426). Patet igitur nullum fingi poſſe caſum, in quo re quadam extra ſe indegeat Deus. Quamobrem cum ſibi ipſi ſufficientiſſimus ſit, qui nulla prorſus re exrra ſe quomodocunque indiget (§. 427); Deus eſt ſibimetipſi ſufficientiſſimus.

Dico non fingi poſſe caſum alium, quo quis re alia extra ſe opus habeat, præter eos, quos recenſuimus. Etenim conſideremus noſmetipſos & perpendamus, quinam ſint illi caſus, ubi aliis rebus indigemus, & liquido conſtabit nos omnes enumeraſſe. Opus habemus parentibus, ut exiſtamus: opus habemus cibo ac potu, ut conſervemur: opus habemus præceptoribus & magiſtris, ut intellectus perficiatur atque voluntas, & artes manuarias diſcamus: opus habemus alieno conſilio & auxilio, ut quid faciamus: opus habemus aliena opera, ut per alios fiat, quod ipſimet facere non poſſumus, fieri tamen volumus: opus habemus denique rebus aliis, ut earum uſu ac ope delectemur. Indigemus adeo rebus aliis extra nos ad exiſtendum & ad noſtri conſervationem atque perfectionem, ad faciendum & agendum, quæ a nobis fieri & peragi debent, atque ad animum voluptate demulcendum. Plures non poſſe fingi caſus, ex ipſa generali notione entis & quidem intelligentis atque activi demonſtrari poterat, ſi quidem tantis ambagibus foret opus, nec in iis acquieſcere liceret, quæ experientia magiſtra docemur. Quamobrem puto ſufficienter demonſtratum eſſe, Deum ſibimetipſi eſſe ſufficientiſſimum: id quod nulli creaturæ convenit, quæ tanto plus indiget aliena opera & auxilio & externarum rerum uſu, quo eſt præſtantior. Sane homo pluribus indiget, quam animantia bruta, quibus tamen plurimum præſtat.

§. 429.

Eadem Sacra Scriptu-

Deus etiam in Sacra Scriptura perhibetur eſſe ſibimetipſi ſufficientiſſimus. Paulus *Actor.* XVII. 25 affirmat, Deum re nulla indigere, & hanc reddit rationem,

tionem, quod ipſemet omnibus vitam, flatum & omnia conferat, utpote univerſi auctor & conſervator. Jam cum ſibimetipſi ſufficientiſſimus ſit, qui re nulla alia extra ſe quomodocunque indiget (§. 427); Deus juxta Sacram Scripturam eſt ſibimetipſi ſufficientiſſimus.

ra conveniens.

Non difficile foret in ſingulis caſibus, quos ante enumeravimus, ſigillatim oſtendere juxta Sacram Scripturam Deum re nulla alia indigere, ſi quidem prolixiores eſſe velimus: enimvero cum probatio generalis, quam in medium attulimus, abunde ſufficiat, & ipſa illa *αὐταρκείας* ſeu omniſufficientiæ principia, quæ ad eam evincendam ſtabilivimus, pendeant ab attributis divinis, quæ Deo etiam auctoritate Sacræ Scripturæ vindicavimus, ambagibus iſtis minime videtur opus.

§. 430.

Voluntas divina libera a coactione interna.

Deus mundum aliquem exiſtere voluit citra omnem coactionem internam. Etenim Deus ſibi ſufficientiſſimus eſt (§. 428), atque adeo nulla prorſus re extra ſe quomodocunque indiget (§. 427), ne voluptatis ullius quidem inde percipiendæ cauſa (§. 426). Quamobrem quoad ipſum indifferens eſt, ſive mundus aliquis exiſtat, ſive non exiſtat. Nulla igitur neceſſitate inductus fuit Deus, ut mundum aliquem exiſtere vellet. Quoniam tamen aliquod eſſe debet motivum, cur Deus potius mundum aliquem producere voluerit, quam nullum (§. 312), hocque ſit ratio partim a ſeipſo, partim ab objecto ſeu mundi perfectione, deſumta (§. 340), qua non ſibi *per demonſtrata*, adeoque tantummodo aliis prodeſſe poterat; non ſane relinquitur aliud, quam quod attributis ſuis convenientius judicaverit mundum aliquem potius producere, quam nullum. Voluit itaque mundum aliquem exiſtere, quia hoc ſeſe decere arbitratur (§. 332). Adeſt adeo tantummodo ratio quædam convenientiæ, quæ cum ſaltem efficiat, ut, cur Deus voluerit mundum aliquem producere, intelligibili modo explicari poſſit, minime autem ipſi actui volitionis neceſſitatem inferat (§. 321 *Ontol.*); evidens omnino eſt, quod Deus voluerit mundum aliquem exiſtere citra omnem coactionem intrinſecam.

Probe notandum eſt principium ontologicum, ad quod in demonſtratione propoſitionis præſentis provocavimus: etenim per ipſum omnium evidentiſſime patet, cur motiva, volitionis ratio ſufficiens (§. 887 *Pſychol. empir.*), minime neceſſitent, etſi volens, determinans actum voluntatis, ad eadem reſpiciat.

§. 431.

Libertas voluntatis divinæ.

Voluntas Dei liberrima eſt. Etenim Deus, quicquid vult, penitus intelligit, ut quoad ejus cognitionem nihil deſiderari poſſit (§. 316), quodque ipſi maxime placet (§. 330. 331), ſponte (§. 323) ac libentiſſime eligit (§. 341), citra omnem coactionem externam (§. 321) atque internam (§. 351. 430). Quamobrem cum libertas animæ conſiſtat in facultate ex pluribus poſſibilibus ſponte eligendi, quod ipſi placet, cum ad nullum eorum per eſſentiam determinata ſit (§. 941 *Pſychol. empir.*), adeoque citra coactionem internam; major utique libertas voluntatis concipi nequit, quam ubi volens penitus intelligit, quod vult, & citra omnem coactionem inter-

nam

nam atque externam ſponte eligit, quod ipſi maxime placet. Voluntas igitur Dei liberrima eſt.

Equidem jam ſuperius (§. 123) evicimus, Deo competere voluntatem liberam: non tamen inconſultum duximus nunc uberius oſtendere, adeſſe omnia libertatis requiſita, poſtquam ſingula in anterioribus demonſtravimus, ut demonſtrationem libertatis voluntatis divinæ conformem efficeremus illi, qua noſtræ voluntatis libertatem ſtabilivimus (§. 942 *Pſychol. empir.*). Ita nimirum circa libertatem divinæ voluntatis nullum ſupereſſe poteſt dubium, quam quidam perperam in dubium vocant, aliis negare malentibus, Deum facere quod optimum eſt, ne videantur libertati ejus quicquam detrahere.

§. 432.

Actus voluntatis divinæ cur non ſit caſus purus.

Actus voluntatis divinæ non eſt caſus purus. Etenim ut Deus quid velit, motivum aliquod datur (§. 312), conſequenter cum motiva ſint ratio ſufficiens actus volitionis (§. 887 *Pſychol. empir.*); actus voluntatis divinæ ratio ſufficiens utique datur. Enimvero caſus purus eſt actualitas ratione ſufficiente deſtituta (§. 94 *Coſmol.*). Apparet itaque actum voluntatis divinæ non eſſe caſum purum.

Hinc vero liquet, quam abjecte de voluntate divina ſentiant, qui eidem motiva demunt, quaſi eadem neceſſitatem volendi abſolutam inducant. Ita vero volens tum demum erit vere liberum, quando quid vult temere, & temerariæ volitiones erunt liberrimæ.

§. 433.

Principium actualitatis rerum.

Actualitas rerum pendet a voluntate Dei. Cum enim Deus ceteros mundos poſſibiles non minus ad actum perducere potuerit, quam hunc, quem produxit (§. 342), hunc vero ex ceteris elegerit (§. 325), ut adeo hic potius exiſtat, quam alius, quia ipſum potius, quam alium exiſtere voluit; evidens eſt per naturam voluntatis divinæ intelligi, cur hic potius mundus & quæ in eo ſunt ad actualitatem perducta fuerint, quam alia, aut hodie ad eandem perducantur. Quamobrem cum quid ab altero dependeat, quatenus ejus, quod ipſi inexiſtit, ratio in hoc altero continetur (§. 851 *Ontol.*); actualitatem rerum a voluntate Dei pendere liquet.

Probe notanda eſt hæc propoſitio: etenim hinc intelligitur, actualitatis rerum, quæ ſunt in hoc univerſo, non poſſe dari rationem ſufficientem, niſi tandem pervenias ad voluntatem divinam. Per hujus enim naturam tandem penitus intelligitur, cur quid exiſtat potius, quam non exiſtat, analyſi rationum actualitatis ſemper in eadem terminanda.

§. 434.

Cur poſſibilitas non pendeat a voluntate Dei.

Poſſibilitas rerum non pendet a voluntate Dei. Etenim ideo quid poſſibile eſt, quod ejus idea detur in intellectu divino (§. 192). Quamobrem cum ideæ rerum neceſſariæ ſint (§. 189); non ideo quid poſſibile eſt, quia Deus id poſſibile eſſe voluit, conſequenter per naturam voluntatis ipſius non demum intelligitur, cur quid ſit poſſibile, adeoque ratio nulla poſſibilitatis in voluntate Dei continetur (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum id demum ab altero pendeat, cujus aliqua ratio in altero continetur, cur ſit (§. 851 *Ontol*); poſſibilitatem rerum non pendere a voluntate Dei, manifeſtum eſt.

Veritas hujus propoſitionis jam patet per ea, quæ de ideis rerum ſupra evicimus, cum oſtenderemus eas non eſſe tales, quod Deus eas voluerit eſſe tales; non tamen inconſultum fuit eandem hic eodem modo demonſtrare, quo dependentiam actualitatis a voluntate divina ſtabilivimus (§. 433). Etenim propoſitio præſens hoc modo, quo eandem efferimus,

enuntia-

enuntiata, non minus notanda eſt, quam præcedens, cum per eam intelligatur, poſſe abſque voluntate divina intelligi, cur quid poſſibile ſit.

§. 435.

Hypotheſes philoſophicæ quando non admittendæ.

In philoſophia nihil aſſumendum tanquam poſſibile, cujus non alia dari poteſt ratio, quam voluntas Dei. Pone enim in philoſophia ſumi quid tanquam poſſibile, cujus non alia dari poteſt ratio, quam voluntas Dei, per cujus naturam intelligi debet, cur id potius ſit poſſibile, quam impoſſibile (§. 56 *Ontol.*), adeoque poſſibilitas pendebit a voluntate Dei (§. 851 *Ontol.*): quod cum ſit abſurdum (§.434), in philoſophia tanquam poſſibile aſſumi nequit, cujus non alia dari poteſt ratio, quam voluntas Dei.

Sic uno quaſi ictu ex philoſophia profligantur omnia monſtra & omnes hypotheſes precariæ, quæ ſcientiarum progreſſum remorantur: id quod ut clarius appareat, ſequentem adhuc addere lubet propoſitionem.

§. 436.

Qualitates occultæ quænam ſint.

Qualitates occultæ ſunt, quarum nulla reddi poteſt ratio præter voluntatem divinam. Etenim ideo quid poſſibile, quia ejus idea datur in intellectu divino (§. 192), conſequenter quatenus in eodem repræſentatur, tum abſolute ſpectatum, tum cum aliis in ſyſtema redactum (§. 155 *Theol. natur.* & §. 48 *Pſychol. empir.*). Jam quatenus abſolute ſpectatur, poſſibilitas intrinſeca adſtruenda per principium contradictionis (§.193), & inde porro explicandum, quænam enti conveniant attributa, quinam in eodem modi ſint poſſibiles (§.143): quatenus vero ſpectatur ut in ſyſtema cum aliis relatum, ex iis, quæ abſolute ſpectato inſunt, explicari debet, per quaſnam cauſas determinentur modi, & quomodo quoad modificationem res a ſe invicem dependeant (§. 144). Patet igitur aliunde, quam per voluntatem Dei intelligi, cur quid ſive intrinſece, ſive extrinſece poſſibile ſit (§.111 *Coſmol.*), quæ quid poſſibile eſſe ſupponit (§. 313). Voluntas igitur divina non eſt ratio ſufficiens poſſibilitatis rerum (§.56 *Ontol*). Quamobrem ea, quorum nulla reddi poteſt ratio, præterquam quod Deus ea voluiſſe dicatur, ratione ſufficiente deſtituuntur. Enimvero qualitates occultæ ſunt, quæ ſufficiente ratione deſtituuntur, cur ſubjecto inſint, vel ſaltem ineſſe poſſint (§.189 *Coſmol.*). Occultæ igitur ſunt qualitates, quarum nulla reddi poteſt ratio præter voluntatem divinam.

Ita qualitatibus occultis annumerandæ veniunt vires primitivæ ſcholaſticorum, qualis eſt vis attractiva magnetis, quæ cum per ea, quæ rebus inſunt, ex ipſorum mente ſint inexplicabiles, præter voluntatem Dei rationem aliam non agnoſcunt, hoc eſt, ideo ineſſe ſumuntur, quod Deus eas ineſſe voluerit. Talis eſt vis gravitatis, ſi ſumatur tanquam vis primitiva a Deo in prima rerum creatione impreſſa atque ideo mechanice inexplicabilis. Similiter qualitas occulta eſt tranſcreatus ex ſubjecto uno in aliud motus *Carteſianorum*, quippe cujus non alia redditur ratio, quam quod Deus velit motum in uno ſubjecto deſinere ſeu annihilari & in altero incipere ſeu ex nihilo oriri. Et alibi (§. 582 *Pſychol. rat.*) jam oſtendimus, influxum phyſicum animæ in corpus & corporis in animam, tanquam rationem commercii inter mentem atque corpus allegatum, eſſe qualitatem occultam. Imo cum oſtenderimus (§. 660 *Pſychol. rat.*), ſyſtema cauſarum occaſionalium contrariari principio rationis ſufficientis, & conſtet ejus non aliam allegari rationem præter voluntatem Dei (§. 593 *Pſychol. empir.*); ipſum quoque in numerum qualitatum occultarum referendum eſſe patet.

Hæc

Digitized by Google

ferunturr, attentionem utique merentur, ad eas examinandum, & veram a ſpuriis ſeparandum, requiſitam.

§. 450.

Revelatio divina immediata cur actus miraculoſus.

Revelatio a Deo immediate homini fieri nequit abſque miraculo. Demonſtratio propoſitionis præſentis actu continetur in demonſtratione præcedentis. Etenim aut neceſſe eſt, ut Deus immediate in anima producat ideas earum rerum, quæ revelantur, aut vocabulorum, quibus enunciantur: aut ut in aere producat ſonos, quales vocibus iſtis reſpondent, quibus revelatio continetur: aut ut iſtiuſmodi motus in organo auditus producat, quales vi iſtorum ſonorum imprimi ſolent. In caſu primo oriuntur ideæ animæ, quarum ratio ſufficiens in vi repræſentativa univerſi, in qua eſſentia & natura animæ conſiſtit (§. *66. 67 Pſychol. rat.*), non continetur: in caſu ſecundo autem & tertio producuntur motus, quorum ratio ſufficiens in natura & eſſentia corporum non continetur, cum alias actione immediata Dei non eſſet opus (§. 118 *Ontol.*). Quamobrem cum miraculum in anima ſit, cujus ratio ſufficiens in vi repræſentativa univerſi, qualis in anima eſt, non continetur (*§. 70 Pſychol. rat.*), miraculum vero in mundo materiali, cujus ratio ſufficiens in eſſentia & natura corporum minime habetur (§. 510 *Coſmol.*); evidens omnino eſt, concipi non poſſe, quomodo Deus abſque miraculo homini quid immediate revelet.

Idem etiam ſic oſtenditur. Si Deus quid homini immediate revelat, quomodocunque tandem id fiat, indubium omnino eſt, deficere idearum in anima excitatarum cauſam naturalem ſufficientem ſive immediatam, ſive mediatam: ſecus enim ideæ in anima naſcerentur naturaliter, nec opus eſſet immediata revelatione divina. Enimvero omnis effectus, etiamſi alias ſit naturalis, miraculum eſt, ſi deficiente cauſa naturali ſufficiente exiſtit, non minus in mundo materiali (§. 519 *Coſmol.*), quam in anima humana (§. 74 *Pſychol. rat.*). Quamobrem neceſſe eſt, ideas rerum a Deo homini immediate revelandarum per miraculum excitari debere, conſequenter revelatio a Deo immediate homini fieri nequit abſque miraculo.

Propoſitionem hanc probe perpendi velim, propterea quod magni momenti eſt in revelationibus divinis veri nominis a ſpuriis ſecernendis, quemadmodum deinceps patebit, & fanaticorum ſomnia & deliramenta prima ſtatim fronte ſuſpecta reddit, præſertim ubi ad animum revocaverimus, quæ de effectu miraculorum demonſtrata ſunt (§. 531 *Coſmol.*). Quodſi ad hæc defendenda negare velis revelationem divinam immediatam eſſe actum miraculoſum; non ex notionibus determinatis, ſed vagis iiſdemque confuſis ratiocinaris: admittere tamen debes actum ſupernaturalem eumque non ordinarium, quem quomodo a miraculo diſtinguas, ipſe omnino ignoras.

§. 451.

Primum criterium revelationis ab objecto deſumtū.

Revelatio divina continere debet homini ſcitu neceſſaria, alio modo cognitu impoſſibilia. Etenim revelatio divina abſque miraculo fieri nequit (§. 450). Quamobrem cum miraculum magnam inducat tam in mundo materiali mutationem (§. 531 & ſeq. ac §. 573. & ſeqq. *Coſmol.*), quam etiam in ſerie perceptionum, quæ certis legibus aliæ ex aliis naſcuntur (*§. 219 Pſychol. rat.*); hinc

hinc nemo non intelligit, arduas Deo eſſe debere rationes, cur quid homini immediate revelet. Quamobrem ſi qua homini ſcitu neceſſaria non ſunt, vel ſi eorum cognitionem alio modo acquirere valet; ut Deus ea immediate ipſi revelet, nulla ratio ſuadet. Pro certo igitur habendum, revelationem divinam continere debere homini ſcitu neceſſaria, alio modo cognitu impoſſibilia.

Idem etiam ſic oſtendi poteſt. Inferius independenter ab his evincemus, Deum nihil facere fruſtra, nec facere ſuperflua. Suppone igitur in revelatione divina, quæ jactatur, talia non contineri, quæ homini ſcitu neceſſaria ſunt, aut, ſi talia ſint, eadem aliunde cognoſci poſſe, veluti beneficio rationis. In priori caſu fruſtranea eſt revelatio, cum homo eadem tuto carere poſſit; in altero autem ſupervacanea, cum abſque ea homo ad eorum notitiam pervenire poſſit, quæ revelata ſupponuntur. Quoniam adeo utrumque Deum minime decet (§. 332), Deus autem vult, quod ipſum decet (§. 335); nulla omnino ratio ſuadet Deum ea revelare, quæ vel homini ſcitu neceſſaria non ſunt, vel quæ abſque revelatione alio modo cognoſcere poterat. Affirmandum itaque revelationem divinam continere debere, quæ homini ſcitu neceſſaria, alio autem modo cognitu impoſſibilia ſunt.

Probe notandum eſt nobis hic eſſe ſermonem de tota revelatione, non de ſingulis ejus partibus: etenim fieri poteſt, ut revelationi quædam inſint, quæ vel ratione, vel experientia cognoſci poterant, quatenus ea cum ceteris cohærent, quæ eodem modo cognoſci minime poterant. Quamobrem & diximus in revelatione divina contineri, quæ homini ſcitu neceſſaria aliunde cognoſci nequeant; non vero defendimus, in ea præterea nihil contineri, quæ aliunde cognoſci poſſunt. Notandum præterea poſſe quædam, in ſe ſpectata, natura homini eſſe nota, ut demum ea revelari non ſit opus; aſt nota non ſunt eo reſpectu, quo in revelatione continentur. E. gr. natura notum eſt Deum feciſſe cælum & terram, eſſe omniſcium ac omnipotentem, ut ea demum revelari non ſit opus. Quodſi vero in revelatione divina contineantur promiſſiones, de quarum veritate citra eandem conſtare minime poterat, & in ea affirmetur, Deum promittentem eſſe omniſcium ac omnipotentem, & feciſſe cælum & terram; dici ſane non poteſt, Deum hæc ſua attributa & opus ſuum revelare nobis voluiſſe, cum ea nonniſi adducantur tanquam nobis ſatis explorata, ut fidem habeamus promiſſioni, de qua ſola revelatione nobis conſtat, præſertim cum ex circumſtantiis appareat ad ea tanquam nota vel aliunde cognoſcenda provocari, quod eorundem jam meminiſſe debeamus, ea vero non demum doceri explicatis notionibus, ſine quibus verba intelligi nequeunt (§. 903 *Log.*). Poteramus equidem hic criteria applicare ad Scripturam Sacram, quam Chriſtiani revelationem divinam confitemur; ſed cum id paucis fieri non poſſit, nec præſentis ſit inſtituti veritatem religionis Chriſtianæ tueri, ab ea abſtinere malumus, quam ea tradere, quæ vel exceptionibus obnoxia eſſe poterant, vel a noſtro foro aliena ſunt. Sufficit tradere principia, quæ defenſoribus religionis Chriſtianæ a philoſophia expectanda ſunt, ne qua in re induſtriam noſtram deſiderari patiamur.

§. 452.

Criteriũ ſecundũ petitum ab eo, quod Deum decet.

Quæ divinitus revelata ſunt, attributis divinis repugnare minime poſſunt. Deus enim vult, quod ipſum decet (§. 335), conſequenter in attributis ipſius contineri debet ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud (§. 332). Quamobrem fieri nequit, ut velit, quæ attributis ipſius repugnant, hoc eſt, quæ ſtantibus iſtis non velle poſſe intelligitur (§. 28 *Ontol.*). Quodſi

ergo

mum in ſe, quatenus ſtatuit de ejus perfectione (§. 370) in relatione ad totum mundum (§. 393), quid vero ſit optimum in relatione ad ſeipſum, quatenus idem refert ad omnia ſua attributa (§. 395); quod convenit cum perfectione univerſi, idem & cum attributis divinis convenire debet. Quamobrem ſi quis per principia præſentia definire velit, quid velit Deus, non opus eſt ut convenientiam & cum attributis divinis, & cum perfectione univerſi demonſtret, ſed ſufficit ut alterutram probet, probata enim una, altera ſimul probata cenſeri debet. In probabilibus tamen pondus accedit, ubi argumenta ex utroque fonte petuntur. Quoniam philoſophi eſt rationem, reddere eorum, quæ ſunt (§. 46 *Diſc. prælim.*); ipſius quoque eſt rationes inquirere eorum, quæ Deus vult, quando ea ipſum velle conſtat: unde hæc principia ſeſe eidem commendant. Et quemadmodum nemo reprehendit, ſi in probabilibus acquieſcat, præſertim ubi ex genuinis principiis derivantur; ita quoque ſufficerit, probabiles rationes voluntatis divinæ perſpicere, ubi eas principiis generalibus, ſeu naturæ voluntatis divinæ congruas deprehendimus. Imo hæc proderunt in moralibus, ubi imperſcrutabilitatis voluntatis divinæ memores (§. 398. 442), probabilibus rationibus idem obtinemus, quod certiſſimis obtineri poterat.

§. 447.

Quæcunque in mundo entia ad actum perduci obſervamus, & quæ vi nexus rerum quomodocunque in eodem conſequuntur; ea voluntati divinæ conformiter fieri in ea, quam ad ſe invicem habent, relatione, certum eſt. Quoniam actualitas rerum in hoc univerſo a voluntate Dei pendet (§. 433) & voluntas quidem divina ratio ultima actus contingentium in hoc univerſo eſt (§. 438); quicquid in mundo ad actum perduci obſervamus, id voluntate Dei exiſtere omnino dicendum, exemplo ipſius Scripturæ voluntatem Dei tanquam rationem ultimam actus contingentium allegantis (§. 440). Enimvero eorum, quæ in mundo fiunt, in particulari Deus nihil vult abſolute, hoc eſt, ſine relatione ad totum (§. 441). Quamobrem cum in mundo omnia ſint inter ſe connexa (§. 48 *Coſmol.*) & vi hujus nexus ſucceſſiva a ſe invicem dependeant ut effectus a ſua cauſa (§. 23 *Coſmol.*) & quælibet exiſtentia corpora in ſuis modificationibus ab aliis (§. 85 *Coſmol.*); quæ vi hujus nexus conſequuntur, quatenus vi ejuſdem conſequuntur, adeoque in ea, quam ad ſe invicem habent, relatione voluntati divinæ conformiter fieri, dubitandum non eſt.

Modus cognoſcendi voluntatem divinam a poſteriori.

Habemus hic modum cognoſcendi voluntatem Dei a poſteriori. E. gr. obſervamus fieri inundationem, qua multa dantur damna hominibus & pecoribus. Eam fieri Deo volente conſtat. Quodſi ponamus, damnum dari hominibus, qui ne moniti quidem a peccatis deſiſtere voluere, eſſeque in vicinia alios, qui non minus ſint in male agendo pertinaces; quin Deus velit damnum inferri iſtis ob pertinaciam, qua in peccando perſeverant, & hos illorum exemplo ſapere, dubitandum non eſt. Pertinent huc, quæ de legibus providentiæ divinæ ex hiſtoria derivandis alibi (§. 943 *Log.*) præcepimus. Quodſi dubium moveat malum morale, vel etiam circa ipſam mali phyſici diſtributionem difficultates quædam objiciantur, quicquid horum dubiorum & difficultatum eſt penitus evaneſcet per ea, quæ de utroque malo, quatenus a voluntate divina pendet, mox diſertius expoſituri ſumus. Præſens enim propoſitio propoſitionibus quoque univerſalibus de eo, quod Deus vult, inveniendis inſervit, præſertim ubi vi principiorum anteriorum inveſtigaveris rationes ex natura rerum atque voluntatis divinæ: quatenus enim a poſteriori erutæ hiſce principiis conſentiunt, quin pro veritatibus univerſalibus amplecti tuto eaſdem liceat, minime dubitandum. Et hoc pacto Scripturam quoque Sacram in iis, quæ voluntati divinæ tribuuntur, adverſus Antiſcripturarios defendere licet. Ceterum hæc a poſteriori voluntatem divinam cognoſcendi methodus in iis quoque locum habet, quæ ad œconomiam ſalutis ſpectant.

§. 448.

Modus cognoſcendi voluntatem Dei per revelationẽ.

Si Deus quid velit homini revelat, Deum hoc velle certiſſimum eſt. Etenim Deus, qui ſe netipſum cognoſcit (§. 141), voluntatem quoque ſuam cognoſcit, conſequenter cum hæc ſit actus, non mera facultas (§. 356), idemque æternus (§. 319), Deus novir quid ab æterno velit. Quamobrem cum quid velit homini revelat, ipſum eo, quo revelat, tempore id velle ecquis dubitet? Enimvero voluntas Dei prorſus immurabilis eſt (§. 368), nec eum unquam quod fecir, ſeu voluit, pœnitere poteſt (§. 369). Dubium adeo non eſt, quin Deus hoc ſemper velit, quod ſe velle revelavit. Atque adeo certiſſimum eſt, Deum hoc velle, quod ſe velle hominibus revelavit.

Non licet eacipere, fieri poſſe ut Deus homini perſuadeat ſe velle, quod tamen minime vult, ſimulando voluntatem, quam non habet: etenim hæc exceptio non ferit hypotheſin, quippe hic ſupponimus Deum voluntatem ſuam revelare, non vero eum ſimulare voluntatis revelationem, in dubio relinquentes, utrum hypotheſis vera ſit, nec ne. An vero Deus ſimulare poſſit revelationem, inferius diſquiremus. Num qua detur revelatio, a priori demonſtrari haud quaquam poteſt, ſed a poſteriori conſtare debet, inquirendo ſcilicet, num qua alicubi proſtet. Enimvero cum fieri poſſit, ut pro revelatione divina venditent homines vel impoſtores, vel imbecillitate judicii ſibimetipſis illudentes; noſtrum eſt inquirere in differentiam revelationis vere divinæ & ſpuriæ, quæ cum non ſit, pro tali venditatur.

§. 449.

Poſſibilitas abſoluta revelationis.

Ut Deus homini revelet, quid velit, impoſſibile non eſt. Deo perſpecta eſt omnis cognitio ſymbolica (§. 277). Quamobrem cum in cognitione ſymbolica verbis enuntientur, vel aliis ſignis repræſententur, quæ in ideis rerum continentur (§. 289 *Pſychol. empir.*); Deo quoque perſpectum eſt, quibus verbis ea, quæ vult, enuntiari debeant. Et quia ipſi perſpecta eſt omnis cognitio ſymbolica, quæ in hominibus datur ſingulis (§. 278): notum quoque ipſi eſt, quibus verbis ea, quæ vult, enuntiare, vel quibus ſignis aliis eadem repræſentare debeat, ut is, cui voluntatem ſuam revelat, intelligat, quid velit. Præterea Deus quoque facere poteſt, quæ vult (§. 352), imo miracula patrare, quotcunque vult (§. 363), adeoque ea facere, cujus ratio ſufficiens in eſſentia & natura corporum (§. 510 *Coſmol.*) atque animarum non continetur (§. 70 *Pſychol. rat.*). Quamobrem fieri poteſt, ut vel producat ſonos in aere, quales producuntur vi organorum vocis loquentis, ut, Deum loquentem ſibi audire videatur, cui voluntatem ſuam revelat, vel ut motus in organo auditus producat, quales voce loquentis producuntur, vel ut perceptiones in anima producantur, quales inexiſtunt cum loquentem audimus. Atque adeo patet, non impoſſibile eſſe, ut Deus homini revelet, quid velit.

Neceſſarium duximus poſſibilitatem abſolutam revelationis divinæ adſtruere, ne in explicandis criteriis ejuſdem inanem operam ſumamus. Etenim ſi abſolute repugnaret, Deum homini quidpiam revelare, ut adeo revelatio in eorum numerum referri deberet, quæ impoſſibilia ſunt; nullis quoque opus eſſet criteriis revelationis divinæ, quippe quæ nulla eſſet. Enimvero cum conſtet revelationes divinas non eſſe quid impoſſibile; ſi quæ circum-

ferun-

non arguit imperfectionem, quatenus ad aliam quandam refertur (§. 542 *Coſmol.*); nec rerum perfectionem eodem, quo Deus, modo dijudicare valemus (§. 396). Quamobrem fieri poteſt, ut quid nobis videatur repugnare perfectioni rerum, quod, ſi eodem modo ſpectentur, quo a Deo, perfectionem earum æſtimante, ſolent ſpectari, eidem minime repugnat, & viciſſim ut eidem convenire videatur, quod judicio Dei non convenit. Ex convenientia itaque cum ſumma rerum, quæ in eas cadit, perfectione judicaturi de voluntate Dei facile a veritate aberrare valemus. Inde adeo derivatum judicium pro certo ſemper haberi nequit.

Quodſi tamen nulla nobis appareat ratio, cur quid perfectioni rerum convenire minime debeat, quod eidem convenire videtur; patet ut ante, hinc voluntatem Dei a nobis probabiliter cognoſci poſſe.

Si ea eſſet intellectus noſtri perfectio, ut de totius univerſi & rerum ſingularum perfectione eodem, quo Deus, modo judicare poſſemus; non alia judicari poterat tutior via cognoſcendi voluntatem Numinis, quam convenientia cum perfectione mundi & rerum in ea contentarum: ſed cum intellectus noſter admodum limitatus ſit, ut noſtra de perfectione mundi & rerum in eo contentarum judicia non ſint eadem, quæ divina, maxima circumſpectione opus eſt, ne hac via incedentes in devia incidamus. Minus tamen fidendum judiciis negativis, quam affirmativis, propterea quod imperfectionem in re ad aliam relata non arguit, quod, ſi ea in ſe ſpectatur, eidem tribuendum (§. 542 *Coſmol.*); ad totam vero ſeriem rem quandam referre in poteſtate noſtra poſitum non eſt. Etſi autem difficile ſit voluntatem Numinis a priori ex convenientia ejus, quod vult, cum perfectione mundi & rerum in eodem contentarum cognoſcere; non tamen ſemper pro impoſſibili habendum: cum enim perfectio univerſi conſiſtat in eo, quod rationes particulares ſimultaneorum & ſucceſſivorum tandem in aliquam generalem reſolvantur (§. 540 *Coſmol.*), quin dentur perfectionis mundi principia generalia dubitandum non eſt. Quodſi ergo contingat aliqua ilthuſmodi principia nobis innoteſcere (id quod inter ea, quæ fieri haud quaquam poſſunt, minime referendum), & quædam hiſce adverſari demonſtrare detur; quin certo cognoſcatur hæc ut Deus velit fieri minime poſſe, dubitandum non eſt. Abſit ut noſtro modulo metiamur poſteros, qui noſtris uſi inventis longius progredi poterunt, quam nobis datur. Cognoſcendi difficultatem inculcari ſæpius utile; aſt impoſſibilitatem cognoſcendi temere crepare damnoſum.

§. 445.

Quod perfectionibus divinis convenit, id Deus vult: quod vero iiſdem repugnat, id ut velit, fieri nequit. Etenim Deus vult, quod judicat optimum in relatione ad ſeipſum (§. 390), conſequenter idem referendo ad omnia ſua attributa (§. 395). Fieri adeo nequit, ut quid velit, quod attributis ſeu perfectionibus ipſius repugnat. Quamobrem ſi demonſtrari poſſit, aliquid attributis divinis repugnare, certum eſt fieri haud quaquam poſſe, ut Deus idem velit. *Alter modus voluntatem Dei a priori cognoſcendi.*

Quoniam tamen vult, quod in relatione ad ſua attributa optimum (§. 385. 395); ex eo, quod quid attributis ipſius conveniat, utique intelligitur, Deum id velle, ſeu, quod perinde eſt, Deus vult, quod attributis ipſius convenit.

Quid convenire dicatur attributis divinis, ſatis patere arbitror ex antecedentibus. Etenim in relatione ad Deum nil quicquam dici poteſt bonum, niſi quatenus ſummæ Dei perfectionis, hoc eſt, attributorum divinorum, ſignum eſt (§. 394). Quamobrem id convenire dicendum eſt attributis divinis, quod eſt ſignum eorundem, adeoque ſi ex eo, quod

Ee 2 Deus

Digitized by Google

Deus ponatur hoc valle, ſequatur ipſum habere hæc attributa. Unde attributis divinis e contrario repugnat, ſi ex eo, quod Deum velle ponimus, ſequitur, eum iſta attributa habere minime poſſe, quæ eidem tamen convenire conſtat. Terminus convenientiæ ex ipſa Logica jam ſatis notus, ubi prædicatum dicitur convenire ſubjecto, perinde ac terminus repugnantiæ, ubi prædicatum dicitur repugnare ſuo ſubjecto. Non adeo opus fuit, ut hic demum definiretur.

§. 446.

Cur ſit difficilis. *Ex convenientia cum attributis divinis difficulter a nobis cognoſcitur, quid Deus velit, vel ex repugnantia, quid non velit; ſæpius tamen probabiliter cognoſci poteſt.* Etenim quomodo Deus judicat, quid ſit optimum in relatione ad ſe ipſum, homo judicare nequit (*§.* 396). Deus vero judicat quid ſit optimum in relatione ad ſe ipſum, quatenus idem refert ad ſua attributa (§. 395), conſequenter quatenus idem attributis ſuis convenire judicat. Homo igitur difficulter judicare valet, num quid attributis conveniat, conſequenter etiam difficulter ex convenientia cum attributis divinis cognoſcere valet, quid velit Deus.

Eodem modo intelligitur, quod difficulter quoque cognòſcamus, quid Deus nolit, ex repugnantia cum attributis ipſius.

Quodſi nobis quid attributis divinis, quatenus ea cognoſcimus, convenire videtur, nec ulla apparet ratio, cur repugnare debeat; probabile eſt, idem perfectioni Dei convenire (§. 578 *Log.*). Atque adeo probabile eſt, Deum hoc velle (§. 445). Probabiliter itaque voluntas Dei ex convenientia cum attributis ipſius cognoſci poteſt.

Quamvis convenientia cum perfectione rerum & attributis divinis non multum habere videtur uſum in cognoſcenda voluntate divina, præſertim ubi certam deſideraveris cognitionem; uſus tamen ejuſdem non contemnendus in iis præcipue caſibus elucet, ubi aliunde conſtat, Deum quid velit, ac ratio ſufficiens, cur hoc velit, conſequenter & objectiva, & ſubjectiva (§. 339) reddenda. Quemadmodum enim in phyſicis ratio admittitur tanquam genuina, ubi conſtat veritas phænomeni, & tantummodo indagatur ratio, non vero ex aſſumta ratione colligendum quid fieri debeat; ita quoque hic agnoſcimus rationem voluntatis divinæ eſſe genuinam, ubi jam aliunde novimus, quod Deus hoc velit. Et hoc inprimis uſui eſt in voluntate Dei explicanda, quam ex revelatione cognoſcimus in Scriptura Sacra nobis facta, tum ut eandem clarius cognoſcamus, tum ut contra objectiones Antiſcripturariorum & ſcrupulos, qui attente veritates revelatas meditantibus ſuboriuntur, ſufficienter defendamus. Præterea ipſa hæc convenientia uſui quoque eſt in diſcernendis iis, quæ probabilius Deum voluiſſe conſtat. Exemplo res erit manifeſta. In vulgus notum eſt, duo celebrari in Aſtronomia ſyſtemata mundi, alterum Tychonicum ſeu terræ quieſcentis, alterum Copernicanum ſeu terræ motæ. Quodſi ex natura voluntatis divinæ definire volueris, utrum horum ſit probabilius; convenientia cum perfectione rerum & attributis divinis uſui eſſe poteſt. Etenim cum Copernicanum, ſimplicitate ſua ſeſe commendans, non minus perfectioni mundi quam attributis divinis faveat, quoniam naturam via breviſſima agere & ambages vitare conſtat, & Deum ſapientiſſimum eligere media via breviſſima ad ſcopum ducentia, certum eſt; hinc Copernicanum Tychonico probabilius eſſe colligitur: nondum tamen hinc inferre licet, quod detur, quia lubricum de ſimplicitate judicium, cum omnem rerum nexum perſpicere nobis minime ſit conceſſum. Similiter ubi de incolis planetarum quæſtio incidit, & ex natura voluntatis divinæ decidendum, utrum probabilius ſit planetas habitari, nec ne; vi principiorum præſentium probabilitas affirmativæ haud difficulter adſtruitur. Ceterum circa applicationem principiorum præſentium quædam adhuc annotanda ſunt. Demonſtravimus in ſuperioribus (§. 405), quod eſt optimum in ſe, id etiam eſſe optimum in relatione ad Deum, conſequenter eum Deus judicet, quid ſit opti-

Digitized by Google

Deus, quod gramina pecudibus germinare faciat & herbas ad uſum hominum. Deo igitur tribuitur tanquam cauſæ graminum & herbarum actualitas. Quamobrem cum is faciat, quod vult (§. 413), & in cauſa contineatur effectus ratio (§. 886 *Ontol.*); ratio actus contingentium in Sacra Scriptura allegatur voluntas Dei. Allegatur autem eo in caſu, quo bonitas Dei laudibus extollitur, conſequenter ubi rationes deſumendæ a cauſis naturalibus non habere poterant locum. Allegatur itaque tanquam ratio ultima, non vero tanquam proxima (§. 437). *ra id faciat.*

Idem eodem modo patet in exemplis aliis, ut ſuperfluum foret plura in medium adduci. Neque difficulter patet ratio. Cum enim Sacra Scriptura non doceat rerum naturalium ſcientiam, ſed ab earum notitia officiorum erga Deum motiva tantummodo deſumat; ſcopo ipſius convenit ad cauſam rerum primam recurrere, adeoque a voluntate Dei actualitatem eorum etiam, quæ nunc fiunt, deducere.

Sane nec a philoſophia alienum eſt ad Deum cauſam rerum primam provocare, ubi motiva officiorum erga ipſum a rebus naturalibus deſumenda, quemadmodum ſuo loco conſtabit. Aſt ſi quis in Phyſica facere velit, quod nonniſi in Ethica permiſſum; is eandem reprehenſionem incurrit, cui obnoxii ſunt, quotquot ex notionibus philoſophiæ primæ rationes phænomenorum ſpecialium reddere volunt, ob *βαττολογίαν* dudum atro carbone notati. Quodſi enim quæſiveris, cur avis volat, piſcis natat? nihil ſane dicit, qui reſpondet, quia Deus avem creavit ad volandum, piſcem ad natandum, ſeu, quod perinde eſt, quia Deus voluit hunc natare, illam volare: explicandum enim, quomodo avis facta fuerit, ut volare poſſit; quomodo factus piſcis, ut natare poſſit. Non ab hac *βαττολογία* diverſa eſt illorum, qui quæſiti, cur gravia deſcendant, reſpondent: Deum omnem materiam ita feciſſe, ut adverſus aliquod centrum nitatur, ſeu ut particulæ materiales ſe mutuo attrahant. Explicandum enim quomodo Deus effecerit, ut materia centrum aliquod petat. Nimirum remotis cauſis & rationibus locus non eſt, multo minus ultimæ, ubi proximas ſcrutamur.

§. 441.

Deus eorum, quæ in mundo fiunt, nihil in particulari vult abſolute, hoc eſt, ſine relatione ad totum. Etenim Deus omnia vult ſimul, unico voluntatis actu (§. 355), & mundum hunc ex ceteris elegit ob majorem perfectionem, quæ ipſi quam ceteris ineſt (§. 325). Nihil igitur voluit in particulari, niſi quatenus ſpectatur tanquam in ſyſtema cum aliis relatum (§. 155), ſeu, quod perinde eſt, quatenus in hac rerum ſerie tanquam cum ceteris, quæ eidem inſunt, connexum conſideratur (§. 142). Patet igitur Deum nihil eorum, quæ in mundo fiunt, in particulari velle abſolute, ſeu quatenus in ſe ſpectatur, citra relationem ad totum univerſum. *Quomodo Deus quid velit in particulari.*

Propoſitio hæc probe notanda eſt, ne circa originem & permiſſionem mali oriantur difficultates inſuperabiles: quæcunque enim moveri ſolent, non aliunde proveniunt, quam quod res quædam in particulari referantur ad voluntatem divinam. Augentur difficultates, ſi eſſentiæ rerum tanquam arbitrariæ ſpectantur. Unde hunc errorem notavimus in ſuperioribus (§. 191).

§. 442.

Hinc denuo conſequitur, quod jam probavimus ſupra (§. 398), ***voluntatem Dei nobis eſſe imperſcrutabilem.*** Etenim Deus nihil eorum, quæ in mundo fiunt, in particulari vult abſolute, hoc eſt, ſine relatione ad to- *Imperſcrutabilitas voluntatis divinæ.*

ergo divinitus quædam revelata ſunt, fieri omnino nequit, ut attributis divinis repugnent.

Ponamus e. gr. pro divinitus revelato venditari, quod impotentiam in Deo arguit. Cum Deus ſit omnipotens (§. 349); fieri poteſt, ut quid velit, quod eidem adverſatur, adeoque pro divinitus revelato agnoſci nequit.

§. 453.

Cur in revelatione divina non ſit locus contradictoriis.

Quoniam Deus omniſcius eſt (§. 302), adeoque omnia ſcit, quæ cognitu poſſibilia ſunt ſive ſingularia, ſive univerſalia (§. 301); contradictoriorum affirmatio omniſcientiæ ejus repugnat. Quamobrem *in revelatione divina contradictiones locum habere minime poſſunt*.

Nemo non novit contradictiones arguere ignorantiam, quæ in Deum omniſcium minime cadit. Cavendum vero ne contradictiones apparentes confundantur cum veris: quo faciunt, quæ de contradictione proliae ſatis inculcavimus (§. 29 & ſeqq. *Ontol.*).

§. 454.

Quid ſit ſupra, quid contra rationem.

Supra rationem eſſe dicitur, quod ex principiis rationis indemonſtrabile: aſt *contra rationem eſſe* dicitur, quod principiis rationis repugnat, ſeu contradicit.

Quæ ſunt ſupra rationem non confundenda ſunt cum iis, quæ contra eandem ſunt: id quod vulgo faciunt, qui religionis myſteria in dubium vocant, vel prorſus rejiciunt. Quid ſit contra rationem, jam monuimus alibi (§. 485 *Pſychol. empir.*): hic vero repetitur, ut clarius intelligatur, quid ſit ſupra eandem.

§. 455.

Quæ ſunt ſupra rationẽ, cur in mundo rationali non contineantur.

Quod ſupra rationem eſt, in mundo rationali non continetur. Etenim quod ſupra rationem eſt, ex principiis rationis indemonſtrabile (§. 454), conſequenter vi principiorum rationis non colligitur ex notione ſubjecti, ipſi convenire prædicatum (§. 549 *Log.*), adeoque per ea intelligi nequit, propoſitionem eſſe veram (§. 568. 505 *Log.*). Quoniam itaque in principiis rationis non continetur ratio, cur propoſitio iſta vera ſit (§. 56 *Ontol.*); ea quoque eum principiis rationis minime connectitur (§. 10 *Coſmol.*). Quamobrem cum mundus rationalis ſit ſeries entium univerſalium inter ſe connexorum (§. 258), atque omnes veritates univerſales quomodo inter ſe connectuntur (§. 482 *Pſychol. empir.* & §. 271 *Theol. nat.*) exhibeat (§. 263); quod ſupra rationem eſt, in mundo rationali non continetur.

Quod ſupra rationem eſt, id veluti miraculum in mundo rationali eſt, ut adeo ea, quæ de miraculis demonſtravimus in Coſmologia, mirifice notionem ejus, quod ſupra rationem eſt, illuſtrent. Conſtat miraculum non poſſe explicari per ea, quæ inſunt cauſis naturalibus tunc quidem temporis, quando contingit, exiſtentibus (§. 518 *Coſmol.*); eodem modo, quod ſupra rationem eſt, non poteſt ſufficienter, explicari per ea, quæ notionibus univerſalibus generum ac ſpecierum inſunt. Patratur adeo quaſi miraculum in mundo rationali, quando quid, quod ſupra rationem eſt, in mundum rationalem invehitur: & quemadmodum patrato miraculo in mundo ſenſibili ſeu, quod perinde eſt, in intelligibili, in eodem poſtea conſequuntur naturaliter, quæ abſque iſto miraculo conſecuta minime fuiſſent (§. 531. 532. 574 *Coſmol.*); ita in mundum rationalem illato, quod ſupra rationem eſt, vi notionum entium univerſalium ad eundem pertinentium conſequuntur aliæ veritates univerſales & eum naturalibus connectuntur, ut ſequens mundi rationalis pars alia evadat, quam quæ alias futura fuiſſet. Merentur hæc, quæ diximus, ut ea profundius rimemur, cum non alio modo notionem ejus, quod ſupra rationem eſt, clariorem efficere liceat, ut lucis ſuæ radiis mentis aciem perſtringat. Cui nullum negotium faceſſunt miracula in mundo ſen-

ſibili vel intelligibili; eidem nec negotium faceſſere poterunt, quæ ſunt ſupra rationem in mundo rationali. Et qui hæc probe meditatur, is quoque intimius perſpiciet, quid ſibi velit ratio illuminata, quippe quod ea, quæ ſunt ſupra rationem, cum iis, quæ eidem conformia ſunt, connectit, ac inde veritates deducit ſoli rationi impervias, aut, ſi mavis, eam mundi rationalis partem intuetur, quæ per hoc, quod rationem ſuperat, variatur: tum etiam quid ſit rationis ac fidei connubium, quod connubio rationis ac experientiæ, de quo alias diximus (§. 497 *Pſychol. empir.*), illuſtrari poteſt. Hinc etiam plenius intelliguntur, quæ de uſu principiorum rationis in Theologia inculcantur a Theologis. Inprimis jam intelligitur, quid ſibi velit iſta locutio, ſphæram rationis tranſcendere. Nimirum rationis ſphæra eſt mundus rationalis, intra cujus ambitum ratio continetur. Quamobrem cum ea, quæ ſunt ſupra rationem, in mundo rationali non continentur, extra hanc ſphæram poſita intelliguntur, atque adeo eandem tranſcendunt.

§. 456.

An quæ ſunt ſupra rationem, ſint impoſſibilia.

Quæ ſunt ſupra rationem, ea non ſunt impoſſibilia. Sint enim, ſi fieri poteſt, impoſſibilia, hoc ſuppoſito, quod dentur. Cum impoſſibile contradictionem involvat (§.79 *Ontol.*), quæ ſupra rationem ſunt, contradictionem involvent. Quamobrem cum vi demonſtrationis apogogicæ detegatur, num, quod ſumitur, contradictionem involvat (§. 46 *Ontol.*); vi ejuſdem oſtendi poterit, ea, quæ ſunt ſupra rationem, contradictionem involvere. Enimvero vi demonſtrationis apogogicæ ex aſſumto colligitur, quod vel eidem, adeoque principio contradictionis (§. 28 *Ontol.*), vel propoſitioni alicui veræ contradicit (§. 550 *Log.*). Quæ igitur ſunt ſupra rationem, ea principiis rationis, in quorum quoque numero contradictionis principium eſt, contradicere debent. Erunt adeo, quæ ſunt ſupra rationem, contra eandem (§.454). Enimvero quæ ſunt ſupra rationem, non debent eſſe contra eandem (§. *cit.*); impoſſibilia igitur eſſe nequeunt.

An dentur veritates, quæ ſunt ſupra rationem, philoſophia in dubio relinquit, etſi explicet, quales eſſe debeant, ſi ſumantur, ne quæ ſunt ſupra rationem, ſi quæ dentur, confundantur cum iis, quæ contra eandem ſunt. Atque adeo, quæ hic traduntur, principia ad religionem Chriſtianam defendendam ſufficiunt, quæ jure ſuo pro eo, quod ſupra rationem eſt, etiam contra Antiſcripturarium tamdiu amplectitur, donec is demonſtret quod ſint contra rationem, conſequenter donec contradictionem, quam involvere debent, evidentiſſime probet ſeu demonſtret.

§. 457.

Cur quæ ſupra rationem poſſibilia eſſe debeant.

Quoniam quæ ſunt ſupra rationem, impoſſibilia eſſe nequeunt (§.456), quæ vero impoſſibilia non ſunt, poſſibilia eſſe debent (§. 85 *Ontol.*); *quæ ſupra rationem ſunt, ea poſſibilia eſſe debent*.

Unde ſi quis talia in medium afferat, quæ impoſſibilia eſſe demonſtrari poteſt, eaque pro talibus venditat, quæ ſunt ſupra rationem; erroris ſui hinc redarguitur. Atque adeo lapidem habemus Lydium, quo myſteria genuina a ſpuriis ſeparantur, neque opus eſt, ut quis vereatur, ne, ſi quæ ſunt ſupra rationem admittat, neſcio quas aniles fabulas ſub myſteriorum titulo ſibi obtrudere cogatur. Etenim ubi demonſtrare poteris, quod pro myſterio habetur contradictionem involvere, id in illorum numerum, quæ ſunt ſupra rationem, minus recte referri patet. Cavendum vero ne contradictionem apparentem cum vera & probationem qualemcunque cum demonſtratione confundas: quem in finem probe tenenda ſunt ea, quæ de contradictione in philoſophia prima (§. 30 & ſeqq. *Ontol.*) & de demonſtratione in philoſophia rationali (§. 551 & ſeqq. *Log.*) docuimus. Peccant ex utroque capite, qui veritatem religionis Chriſtianæ impugnant: etenim pro contradictoriis habent, quæ non ſunt, & probatiunculas qualcunque demonſtrationum loco habent, indolem veræ demonſtrationis ignorantes, ac multo minus demonſtrationem veri nominis contexere valentes.

Digitized by Google

lentes. Quamvis philoſophia non doceat, quæ ſunt ſupra rationem, quemadmodum mox oſtendemus, docere tamen debet, quomodo ea, ſi opus eſt, defendantur.

§. 458.

Myſteriũ quid ſit.

Quod ſupra rationem eſt uno nomine *Myſterium* dici ſolet.

Myſteria adeo in mundo rationali idem ſunt, quod miracula in mundo ſenſibili ſeu intelligibili. Unde non mirum, quod, qui miracula negant, myſteria quoque negare audent.

§. 459.

Myſteriorum indemonſtrabilitas.

Myſteria ex principiis rationis demonſtrari nequeunt. Sunt enim ſupra rationem (§. 458). Quamobrem cum ex principiis rationis demonſtrari non poſſit, quod ſupra rationem eſt (§. 454); myſteria ex principiis rationis demonſtrari nequeunt.

Abſonum igitur eſt, ſi quis myſteria non alia de cauſa rejicit, quam quod ea ex principiis rationis demonſtrari nequeant. Unde merito reprehenduntur, qui eadem rationis decempeda metiri volunt.

§. 460.

Myſteria num ſint poſſibilia.

Myſteria non ſunt impoſſibilia, ſed poſſibilia: quod vero impoſſibile, myſterium eſſe nequit. Etenim myſteria ſupra rationem ſunt (§. 458). Enimvero quicquid ſupra rationem eſt, id ideo non impoſſibile (§. 456), ſed in poſſibilium numero continetur (§. 457). Quamobrem nec myſteria impoſſibilia ſunt, ſed potius poſſibilia.

Porro quod impoſſibile eſt, contradictionem involvit (§. 79 *Ontol.*). Quoniam quod contradictionem involvit, principiis rationis repugnat, quemadmodum paulo ante (§. 456) uberius expoſuimus; patet quod impoſſibile eſt, illud eſſe contra rationem, adeoque non tantummodo ſupra rationem (§. 454). Quamobrem cum myſterium non ſit, quod non eſt ſupra rationem (458); quod impoſſibile eſt, myſterium eſſe nequit.

Hinc myſteria ſpuria detegere & a genuinis ſeparare licet, demonſtrata illorum impoſſibilitate, hoc eſt, oſtenſa contradictione, quam involvunt (§. 79 *Ontol.*). Requiritur autem veri nominis demonſtratio, qualem in Logica (§. 551 & ſeqq.) repræſentavimus. Præcipitant adeo judicium, qui allegando ratiunculas quaſcunque myſteriis contrarias, eorundem impoſſibilitatem ſibi demonſtraſſe videntur.

§. 461.

Cur quod ſupra rationem eſt, ideo non eſt contra eandem.

Quod ſupra rationem eſt, id non eſt contra eandem. Quod eſt ſupra rationem, illud ex principiis rationis demonſtrari nequit (§. 454). Enimvero etſi ex principiis rationis demonſtrari non poſſit, non tamen hinc ſequitur, quod principiis rationis repugnet, ſeu iiſdem contradicat: alias enim demonſtrari poſſet, quod contradictionem involvat (§. 553 *Log.*), conſequenter quod impoſſibile ſit (§. 79 *Ontol.*): quod fieri omnino nequit (§. 456). Patet igitur quod ſupra rationem eſt, id non eſſe contra eandem.

Confundunt hæc duo, eſſe ſupra rationem & eſſe contra eandem, qui myſteria rejiciunt, propterea quod ſibi perſuadeant, rationis principiis contrariari, quod ex iiſdem demonſtrari non poſſe intelligunt.

§. 462.

Num myſteria contra-

Myſteria non contradicunt principiis rationis. Etenim ſunt ſupra rationem (§. 458), adeoque non contra eandem (§. 461). Quamobrem cum prin-

dicant rationi.

ciпiis rationis repugnet ſive contradicat, quod contra eandem eſt (§.454), adeoque non contradicat, quod contra eandem non eſt; myſteria quoque principiis rationis non contradicunt.

Idem etiam ſic oſtenditur. Myſteria non ſunt impoſſibilia, ſed poſſibilia (§.460), adeoque cum poſſibile contradictionem non involvat (§.85 *Ontol.*), nec ipſa contradictionem involvunt. Quamobrem cum contradictionem involvat, quod principiis rationis contradicit (§.46 *Ontol.*); myſteria principiis rationis contradicere nequeunt.

§. 463.

An in revelatione divina myſteria contineri debeant.

In revelatione divina myſteriis locus eſt. Etenim revelatio divina continere debet, quæ alio modo, quam via revelationis, cognoſci minime poſſunt (§.451), conſequenter nec via demonſtrationis. Jam vero dogmata, quæ via demonſtrationis cognoſci nequeunt, ex principiis rationis indemonſtrabilia ſunt: quod per ſe patet. Revelatio itaque divina continere debet, quæ ex principiis rationis indemonſtrabilia ſunt, conſequenter, cum ſupra rationem ſit, quod ex principiis rationis indemonſtrabile (§.454), quæ ſupra rationem ſunt. Quamobrem cum myſterium ſit, quod ſupra rationem eſt (§.458); revelatio divina myſteria continere debet, adeoque in eadem ipſis locus eſt.

Probe notandum eſt, hic nobis eſſe ſermonem de revelatione dogmatum ſeu veritatum univerſalium, non tantummodo de revelatione factorum, veluti futurorum prædictione: quæ quod Deo non impoſſibilis, demonſtrabitur paulo inferius. Non minus probe notandum eſt, quod inter characteres revelationis divinæ contineantur myſteria, ut adeo abſonum ſit, ob eadem illam in dubium vocare vel prorſus impugnare velle, quemadmodum faciunt Antiſcripturarii, religionis Chriſtianæ ac revelatæ omnis hoſtes. Obiter vero notandum eſt, nec a veritate abhorrere ullamque vim vocabulo inferri, ſiquidem futura, quæ prædicuntur, in numerum myſteriorum referri velis, quamdiu non adimpletur prædictio: etenim indemonſtrabilis ſignificatus tantiſper extendendus, ut non modo ea, quæ in ſe ex principiis rationis indemonſtrabilia ſunt, verum etiam quæ a nullo hominum, quantocunque acuminis gradu polleat, demonſtrari, aut via demonſtrationis erui poſſunt, ſub ſe comprehendat. Præſtat tamen retinere ſignificatum reſtrictiorem, ut non niſi in ſe indemonſtrabile pro myſterio habeatur, atque adeo quod rationi in ſe ſpectatæ imperveſtigabile.

§. 464.

Criterium tertium defumtum a veritatibus præter revelationem cognoſcibilibus.

Revelatio divina continere nequit, quæ rationi, vel experientiæ contradicunt, ſeu, quod perinde eſt, in eadem contineri nequeunt, quæ contradicunt propoſitionibus, ex principiis rationis demonſtratis, aut factis, quæ certa experientiæ fide conſtant. Quæ enim ex principiis rationis demonſtrantur, ea certa ſunt (§.568 *Log.*), ut de eorum veritate dubitari minime poſſit (§.564 *Log.*). Similiter quæ facta eſſe, certa experientiæ fide conſtat, de eorum veritate dubitari minime poſſe, ex ipſa experientiæ notione manifeſtum eſt (§.664 *Log.*). Jam vero Deus omniſcius eſt (§.302), adeoque omnia tam ſingularia, quam univerſalia cognoſcit (§.301), nec fieri poteſt, ut ullo modo in errorem aliquem incidat (§.294). Quamobrem fieri nequit, ut, quæ in revelatione continentur, contradicant iis, quæ ex principiis rationis demonſtrantur, vel etiam factis, quæ certa experientiæ fide conſtant.

Cavendum

Cavendum in applicatione theorematis præſentis, ne vel facta, quorum fides a dubia auctoritate pendet, pro certis, vel ea, quæ ſufficienter probata non ſunt, pro demonſtratis habeantur. Cavendum præterea, ne pro contradictoriis habeamus, quæ non ſunt. Ceterum ne videamur denuo inculcare, quæ jam ante docuimus (§. 453), probe notandum eſt, ſuperius nos oſtendiſſe, quod ea, quæ in revelatione divina continentur, ſibi mutuo contradicere nequeant, conſequenter ſi vel maxime talia ſint, quæ rationis ſphæram tranſcendentia in numero myſteriorum locum habent (§. 463): hic vero contendimus, rationem & experientiam atque revelationem ſibi mutuo contradicere non poſſe, adeoque ea, quæ in revelatione continentur, opponimus aliunde cognitis. Ecquis vero non videt, aliam eſſe contradictionem, quæ in ipſa revelatione deprehenditur, aliam, quæ inter ipſam & philoſophiam atque hiſtoriam, ſeu ſcripta alia ab ipſa diverſa?

§. 465.

Veritates neceſſariæ ſunt, quarum oppoſitum ſimpliciter impoſſibile. *Veritates* vero *contingentes* ſunt, quarum oppoſitum in ſe non impoſſibile, ſed tantummodo ſub certa conditione.

Veritatũ neceſſariarum & contingentium diſcrimen.

Ita ſimpliciter impoſſibile eſt, ut tres in triangulo rectilineo anguli ſint duobus rectis majores vel minores (§. 240 *Geom.*), conſequenter veritas neceſſaria eſt, *tres in triangulo angulos ſimul eſſe duobus rectis æquales*. Et hujus generis ſunt, quæcunque de figuris & numeris in Matheſi demonſtrantur. Talia quoque ſunt, quæ de attributis rerum demonſtrantur, utpote abſolute neceſſariis (§. 304 *Ontol.*) & prorſus immutabilibus (§. 313 *Ontol.*), adeoque ab eſſentia rerum inſeparabilibus. Enimvero ſimpliciter impoſſibile non eſt, ut Sol per aliquod temporis ſpatium eundem erga tellurem retineat ſitum, etſi poſito hoc rerum ordine id fieri minime poſſit, deficiente nempe cauſa, quæ mutationem ſitus continuam impedire poſſit. Et hujus generis ſunt, quæ de factis naturæ demonſtrantur in Phyſica, utpote ad corporum exiſtentiam eorumque modificationes ſpectantia, quas eſſe in ſe contingentes, minime autem abſolute neceſſarias conſtat (§. 81 *Coſmol.* & §. 314 *Ontol.*). In præſente negotio duplex hoc veritatum genus probe diſcernendum, ne a veritatis tramite aberremus, & ut revelationem divinam tueri valeamus.

§. 466.

Revelatio divina contradicere nequit veritatibus neceſſariis; poteſt tamen contradicere apparenter veritatibus contingentibus abſolute ſpectatis. Etenim veritatum neceſſariarum oppoſitum ſimpliciter impoſſibile (§. 465), adeoque contradictionem involvit (§. 79 *Ontol.*), conſequenter falſum eſſe certo conſtat (§. 526 *Log.*). Quamobrem cum erret, qui propoſitionem falſam pro vera habet (§. 623 *Log.*), Deus vero ab omni errore prorſus ſit immunis (§. 294); evidens eſt Deum revelare non poſſe, quæ veritatibus neceſſariis contradicunt,

Contradictio apparẽs quando in revelatione locum habere poſſit.

Veritatum contingentium oppoſitum in ſe non impoſſibile, ſed tantummodo ſub certa conditione (§. 465). Quamobrem in ſe ſpectatum & affirmari poteſt, & negari, affirmari ſcilicet ſub hac conditione, negari ſub alia. Quamobrem fieri poteſt, ut revelatio divina neget, quod ratio vel experientia affirmat, & contra, ubi veritates contingentes in ſe ſpectantur. Quoniam tamen illa ſpectantur ſub alia conditione, hæc itidem ſub alia; idem affirmari & negari dicendum non eſt. Quamobrem cum contradictio non conſiſtat niſi in duabus propoſitionibus, in quarum una idem eſſe negatur, quod in altera affirmatur (§. 31 *Ontol.*); contradictio tantummodo apparens eſt, quæ in veritatibus contingentibus abſolute ſpectatis deprehenditur.

ditur. Nil igitur obſtat, quo minus revelatio divina veritatibus contingentibus apparenter contradicat.

Veritates geometricæ neceſſariæ ſunt, in revelatione adeo divina contineri nequeunt, quæ iisdem contradicunt. E. gr. in Geometria demonſtratur rationem diametri ad peripheriam circuli non poſſe eſſe minorem quam 100 ad 314: in revelatione adeo divina eadem minor aſſignari nequit. Veritates contingentes ſunt, quæ mutationes rerum naturalium concernunt: in revelatione adeo divina contineri poſſunt, quæ iisdem contrariantur, ita tamen ut re accuratius perpenſa contradictio nonniſi apparens ſit. E. gr. In Phyſica docemus, fœminam non poſſe concipere ſine mare, conſequenter virginem non poſſe parere, quæ virum nondum experta eſt. Sed id quidem ita ſeſe habet, quamdiu naturaliter fieri concipitur conceptio. Enimvero abſolute impoſſibile non eſt, ut per miraculum, hoc eſt, virtute Dei virgo concipiat abſque mare. Quamobrem ubi hoc factum affirmatur in revelatione divina; quod contrarium eſt veritati contingenti docetur, ſed contradictio tamen nonniſi apparens eſt. Etenim Phyſicus negat id fieri poſſe naturaliter, abſque miraculo, revelatio divina id factum eſſe perhibet ſupernaturaliter, per miraculum. Probe igitur obſervandum eſt diſcrimen inter veritates neceſſarias & contingentes, ut conſtet, in quibus contraria rationi & experientiæ inculcare poteſt revelatio divina, ſed abſque contradictione vera. Etenim abſolute neceſſaria, utpote in ſe immutabilia (§. 292 *Ontol.*), ne per omnipotentiam quidem divinam mutari poſſunt (§. 344), atque adeo miraculis in iis nullus eſt locus: aſt veritates contingentes, quæ nonniſi hypothetice neceſſariæ ſunt, tales nempe vi ordinis naturæ, in ſe immutabiles non ſunt, adeoque per miraculum a Deo contrarium fieri poteſt, quando Deus vult (§. 364). Quodſi ergo propoſitiones determinatæ in diſciplinis philoſophicis non minus, quam in Theologia revelata formentur; nullam adeſſe contradictionem veri nominis exemplo apparebit.

§. 467.

Criteriũ quartum ab agendis deſumtum.

Revelatio divina præcipere nequit, quæ legi naturæ & animæ eſſentiæ ac naturæ repugnant. Supponimus, quod alibi independenter ab hac propoſitione demonſtrabimus, quicquid juri naturæ conforme eſt, id eſſe rationi conforme. Quamobrem quod juri naturæ repugnat, id rationi contradicit. Oſtendimus vero paulo ante, fieri haud quaquam poſſe, ut revelatio divina contradicat rationi (§. 464). Quamobrem nec præcipere poteſt, quæ legi naturæ repugnant. *Quod erat unum.*

Porro natura animæ eadem cum eſſentia ipſius (§. 66. 67 *Pſychol. rat.*), ſit ita, quod in ſe idem eſt, alio reſpectu eſſentia, alio natura dicatur (§. 68 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum eſſentiæ rerum ſint immutabiles (§. 300 *Ontol.*); non minus eſſentia, quam natura animæ immutabilis eſt. Quodſi ergo præcipiatur, quod eidem repugnat; id ipſi impoſſibile eſt (§. 79 *Ontol.*). Enimvero Deus impoſſibilia velle nequit (§. 313), conſequenter nec fieri poteſt ut ea homini præcipiat, adeoque in revelatione divina præcipi nequeunt, quæ naturæ animæ repugnant. *Quod erat alterum.*

Apparet hinc, quam utile ſit jus naturæ ad certitudinem evehi, ne ad idem referatur, quod ab eo alienum, & quam non minus utile ſit Pſychologiam tam empiricam, quam rationalem excoli, ut quid eſſentiæ ac naturæ animæ conveniat, quid eidem repugnet, judicari poſſit. Quamvis enim præſens criterium, quod ab agendis deſumitur, ſit evidentiſſimum; in applicatione tamen maximopere cavendum, ne juri naturæ vel naturæ animæ perperam quid repugnare judicemus. E. gr. ponamus urgeri tanquam divinitus revelatum, ne homo voluptatem percipiat ex ſapore cibi vel potus; id naturæ animæ repugnare evidens eſt. Etenim in poteſtate noſtra poſitum non eſt efficere, ut ſapor aliquis nobis ſit gratus vel ingratus. Quamobrem impoſſibile eſt, ut Deus prohibeat, ne ex ſapore cibi ac potus voluptatem percipiat homo: quod multo ſignificantius in vernaculo nobis ſermone dicimus,

das er

das er ſich Speiſe und Tranck, die einen angenehmen Geſchmack hat, nicht wohl ſchmäcken laſſe. Enimvero in poteſtate noſtra poſitum eſt cibum ſolius percipiendæ voluptatis gratia non appetere. Quamobrem cum jure naturali cibus ac potus appetendus ſit ſanitatis ac vitæ conſervandæ gratia; eidem repugnat, ut ſolius voluptatis percipiendæ gratia appetatur. Revelatio adeo divina quin urgeat, ne homo ſolius voluptatis percipiendæ gratia cibum ac potum appetat & utriuſque uſu voluptatis cupiditatem expleat, nil ſane obſtat.

§. 468.

Criteriũ quintum deſumtũ a modo perveniendi ad cognitionem ejus, quod revelatur.

Si demonſtrari poſſit, quomodo is, qui ſibi divinitus quid revelatum affirmat, naturali facultatum animæ uſu ad iſtius cognitionem pervenire potuerit, quod pro divinitus ſibi revelato venditat; idem pro divinitus revelato haberi nequit. Etenim ſi demonſtrari poſſit, quomodo is, qui ſibi divinitus revelatum aliquid affirmat, naturali facultatum animæ uſu ad iſtius cognitionem pervenire potuerit; certum eſt, per uſum facultatum animæ naturalem intelligi poſſe, quomodo ad ejus cognitionem pervenire potuerit, quod pro divinitus revelato venditatur (§. 568 *Log.*), conſequenter in facultatibus animæ contineri rationem ſufficientem iſtius cognitionis (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum poſita ratione ſufficiente, cur quid potius ſit, quam non ſit, ponatur etiam id, quod per eam potius eſt quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); quin ſolo facultatum animæ naturali uſu ad cognitionem ejus pervenerit, quod pro divinitus ſibi revelato venditat, dubitandum non eſt. Quoniam itaque abſonum eſt, idem eodem tempore ab eodem homine ſimul naturaliter & per revelationem divinam cognoſci; quod in præſente caſu pro divinitus revelato venditatur, pro tali haberi nequit.

Non adeo multi elapſi ſunt anni, ex quo in Eccleſia Proteſtantium ſurrexere paſſim homines, qui ſe divinitus inſpirari profitebantur & in conventibus ſpiritu divino afflatos præſentibus voluntatem Dei revelare profitebantur. Enimvero quicquid homines iſti in medium proferebant, non erant niſi talia, quæ ex lectionibus codicis ſacri, præſertim Prophetarum, & ſubinde librorum myſticorum perſpecta erant, eo ordine prolata, quem imaginatio, ſequendo legem ſuam (§. 117 *Pſychol. empir.*), ipſis ſuggerebat. Legi non modo, quæ de effatis inſpiratorum (hoc enim nomine appellabantur illi, quibus Deus immediate voluntatem ſuam revelare dicebatur) in Batavia ſub titulo: *Diſcernement des tenebres avec la lumiere* prodiere, ſed ipſemet quoque eorum conventibus interfui, ut quid ſubeſſet teſtis oculatus experirer: nihil vero deprehendi, quod vi criterii præſentis pro divinitus revelato haberi potuiſſet. Unicum referre lubet exemplum. Cum filia famuli in Pædagogio Glauchenſi juxta Halam Magdeburgicam, quæ vulgo Saxonum dicitur, in numero inſpiratorum eſſet; effata ejus auditurus in conventum acceſſi, multis præſentibus, quos ſola curioſitas invitaverat. Canuntur hymni ex libro Hymnorum ſacrorum Glauchenſi, quem edidit *Freylinghauſenius*. Inter cantandum pſeudoprophetiſſa primum languore, deinde ſopore quodam corripitur, ut inſtar trunci immota appareret. Cantione indeſinenter continuata horrendis adſpectu agitationibus totum concutitur corpus, ut artus fracturæ proximi viderentur. Velamina capitis auſugiunt & capilli diſperguntur, oculis clauſis. Cum qui cantabant neſcio unde colligerent, inſpiratam verba prolaturam, ſubito a cantando deſiſtunt. Et ecce tibi pſeudoprophetiſſam inter agitationes continuas, ſudore totam faciem irrigante, voce rauca & inhumana ſyllabas quaſdam protrudentem, quas Medicinæ quidam Doctor calamo excipit & præſentibus in verba coactas prælegit. Nihil autem omni effato continebatur, quam præceptum de legendo textu quodam prophetico, quo nihil ſingulare continebatur. Textu igitur prælecto, cum jam ceſſarent agitationes & pſeudoprophetiſſa ad animum rediret, cantionem iterant, ſed irrito prorſus ſucceſſu: cujus hanc reddebant rationem aſſeclæ, quod adeſſent plurimi, qui Spiritum impedirent. Atque ſic tandem conventus finiebatur. Ecquis, quæſo, ſibi perſuaſerit, immediata revelatione divina opus eſſe, ut hominibus commendetur lectio textus cujuſdam ex ſacro codice, qui nihil tamen

habet

habet ſingulare, cur illo inprimis tempore ipſe potius legi debeat, quam alius quicunque? Et quis non perſpicit, fœminam lectionem ejus commendaſſe, quod caſu fortuito is potius memoriam ejus ſubierit, quam alius, alterius dubio procul lectionem præceptura ſuis, ſiquidem in mentem veniſſet alius? Ceterum hic denuo patet, quam utile ſit Pſychologiam excoli, ut, quid facultatum animæ naturali uſu cognoſci poſſit, demonſtrare valeamus, ne vel temeritati, vel impoſturæ aliorum obnoxiam habeamus fidem.

§. 469.

Revelatio divina per ſomnium facta quomodo dignoſcatur.

Quod per ſomnium naturale alicui innoteſcit, id pro divinitus revelato haberi nequit. Quod vero per ſomnium ſupernaturale innoteſcit, id divinitus revelatur. Etenim ſomnium naturale initium capit per legem ſenſationis & continuatur per legem imaginationis (§. 327 *Pſychol. rat.*), conſequenter naturali facultatum animæ uſu totum abſolvitur: ſunt enim ſenſus & imaginatio facultates animæ (§. 67. 92 *Pſychol. empir.*) & quæ per earum leges explicari poſſunt, ea naturaliter in eadem accidunt (§. 69. 76 *Pſychol. rat.*). Quamobrem ſi cui quid innotuit per ſomnium naturale, is naturali facultatum animæ uſu ad iſtius cognitionem pervenit. Quoniam itaque pro divinitus revelato haberi nequit, quod pro tali venditatur, ſi demonſtrari poſſit, quomodo is, qui ſibi divinitus quid revelatum affirmat, naturali facultatum animæ uſu ad iſtius cognitionem pervenerit (§. 468); quod per ſomnium naturale alicui innoteſcit, id pro divinitus revelato haberi nequit.

Quodſi per ſomnium beneficio operationum mentis in cognitionem rei alicujus penetraveris, quemadmodum meditando vigilantes in eam incidimus, cum anima etiam in ſomnio operationes intellectus edere poſſit (§. 419 *Pſychol. rat.*); nec hoc in caſu quicquam accidit, quod a naturali facultatum animæ uſu abhorreat. Quamobrem patet ut ante, pro divinitus revelato haberi non poſſe, quod ratiocinando per ſomnium eruimus.

Quoniam itaque per ſomnium naturale nobis innoteſcere nil quicquam poteſt, niſi opera imaginationis, & intellectus, cum ſenſu ceſſante aliæ in nobis non dentur facultates cognoſcendi, quemadmodum ex Pſychologia abunde conſtat & in vulgus etiam notum eſt; patet in omni caſu pro divinitus revelato haberi minime poſſe, quod per ſomnium naturale innoteſcit.

Somnium ſupernaturale vel initium non capit a ſenſatione, etſi per legem imaginationis continuetur (§. 328 *Pſychol. rat.*), vel per legem imaginationis non continuatur, ſi vel maxime a ſenſatione quadam incipiat (§. 329 *Pſychol. rat.*). Quicquid horum accidat, ſive etiam utrumque fiat; ſomnium naturali facultatum animæ uſu totum non abſolvitur, vel totum citra naturalem earundem uſum perficitur. Quamobrem cum iſtiuſmodi ſomnium miraculum ſit (§. 70. 71 *Pſychol. rat.*); per miraculum innoteſcit, quod per ſomnium ſupernaturale doceri ſumitur. Enimvero conſtat abſque miraculo divinitus quid revelari minime poſſe (§. 450) & ſolum Deum miracula poſſe patrare (§. 470). Quod itaque per ſomnium ſupernaturale innoteſcit, pro divinitus revelato recte habetur.

Noſtrum

Digitized by Google

Noſtrum non eſt definire, num ſomnia ſupernaturalia unquam fuerint facta & num Deus aliquando per ſomnium iſtiuſmodi alicui quid revelaverit. Hæc enim ſunt res facti, neque adeo ad forum philoſophi ſpectant. Sufficit tradere principia, quibus opus eſt ad facta dijudicanda, ſi nobis innoteſcunt.

§. 470.

Cur Deus ſolus miracula patrare poſſit.

Deus ſolus miracula patrare poteſt. Etenim ſi miraculum aliquod produci debet, ab ente quodam a mundo diverſo producendum (§. 524 *Coſmol.*), & ſimiliter ſi actus ſupernaturalis ſeu miraculum (§. 71 *Pſychol. rat.*) in anima produci debet, id ab ente quodam ab anima & a mundo materiali diverſo fieri debet (§. 75 *Pſychol. rat.*). Quamobrem ſi quod ens præter Deum miracula patrare debet, neceſſe eſt, ut præter eum adhuc ſit ens quoddam aliud ab animabus & mundo diverſum, cui potentia miraculoſa convenit. Miraculum equidem tale, quale contingit, in eo corpore, in quo contingit, poſſibile eſt (§. 517 *Coſmol.*), & ſimiliter miraculum ſeu mutatio ſupernaturalis, qualis contingit, in ea anima, in qua contingit, poſſibile eſt (§. 72 *Pſychol. rat.*), deficiunt tamen utrobique cauſæ naturales actum ejus, quod poſſibile eſt, determinantes (§. 518 *Coſmol.* & §. 73 *Pſychol. rat.*). Quamobrem nihil relinquitur, quam ut ens iſtud a mundo diverſum poſſit ad actum perducere, quicquid in ſe non impoſſibile, quemadmodum etiam ſuperius ex eo probavimus, Deum miracula patrare poſſe (§. 363), conſequenter neceſſe eſt, ut ipſi omnipotentia competat (§. 347). Enimvero ſi demonſtrationem, qua Deo omnipotentiam vindicavimus (§. 349), eo modo reſolvas, quem in Logica præſcripſimus & exemplo illuſtravimus (§. 992. *Log.*); evidenter admodum patebit rationem ſufficientem omnipotentiæ Deo attributæ in ejus definitione, conſequenter in eſſentia ipſius contineri (§. 180 & ſeqq. *Log.*). Quamobrem cum attributum entis ſit, cujus ſufficiens ratio in eſſentia ejuſdem continetur (§. 157 *Ontol.*); omnipotentia eſt attributum Dei, conſequenter quia attributa entis unius non poſſunt communicari enti alteri (§ 45 *Pſychol. rat.*), ſoli Deo convenit. Non datur igitur ens aliud a mundo diverſum præter Deum, quod miracula patrare poſſit, atque adeo Deus ſolus eſt, qui ea patrare valet.

Quodſi fingas potentiam limitatam patrandi miracula, quæ tantummodo ad aliqua ſeſe extendit, & hac fictione elidere velis omnipotentiam ad miracula patrandum requiſitam; tuum eſt probare limitatam iſtiuſmodi potentiam miracula patrandi eſſe poſſibilem. Nos in ſuperioribus abunde ſatis evicimus dari Deum & eum miracula facere poſſe, quoties vult, indeque intulimus, quod ipſi competat omnipotentia. Qui igitur affirmat dari etiam potentiam limitatam quibuſdam miraculis patrandis ſufficientem; is & limites iſtos diſtincte explicare & exiſtentiam entis, cui ea convenit, demonſtrare tenetur. Quæ enim precario aſſumuntur, eodem jure rejiciuntur, quo aſſumuntur.

§. 471.

An potentia miraculoſa a Deo enti ali-

Potentia patrandi miracula nulli enti a Deo communicari poteſt, ut ſcilicet id propria ſibi virtute, etſi aliunde accepta, miracula edat. Etenim cum Deus ſolus miracula patrare poſſit (§. 470); haud difficulter patet, rationem potentiæ miraculoſæ in eſſentia ipſius contineri, conſequenter eſſe attributum ipſius

cui communicari poſſit. ipſius (§. 157 *Ontol.*). Sunt vero attributa incommunicabilia (§.45 *Pſychol. rat.*). Quamobrem nec fieri poteſt, ut potentia miraculoſa a Deo enti cuidam alteri, cui per naturam ſuam convenire nequit, communicetur.

Non repugnant hæc iis, quæ de miraculis a Moſe, Joſua & Apoſtolis patratis dicta ſunt ſuperius (§. 418). Etenim ea edidere non propria virtute, ſed divina, ut adeo Deo auctori eadem tribuerimus: quod quomodo intelligendum ſit, noſtrum eſt docere.

§. 472.

Collatio doni miraculoſi in quo conſiſtat. *Deus facultatem patrandi miracula non aliter homini vel enti cuidam alteri conferre poteſt, quam ſi velit ad eorum nutum ipſemet miracula patrare.* Etenim Deus miraculum patrare poteſt, quotieſcunque vult (§. 363). Quamobrem ſi velit aliqua edere ad aliorum nutum, quin id fieri poſſit, dubitandum non eſt. Quando igitur is miraculum fieri vult, cujus nutum tanquam conditionem ſpectare viſum eſt Deo, ſub qua miracula facere velit; omnipotentia divina actus miraculoſus determinatur: unde ſpectantibus ab eo, qui idem fieri vult, fieri videtur, eidemque adeo tanquam cauſæ efficienti tribuitur (§. 886 *Ontol.*). Et quia Deus, cujus immutabilis eſt voluntas (§.368), miraculum ad iſtius nutum facit, perinde eſt, ac ſi hic potentiam miraculoſam propriam haberet, conſequenter hoc modo Deus facultatem patrandi miracula homini vel enti cuidam alteri conferre poteſt. Enimvero quoniam Deus ſolus miracula facere poteſt (§. 470) & potentia miraculoſa alteri cuidam enti ab ipſo communicari nequit (§. 471); facultas miracula patrandi modo alio conferri haud quaquam poteſt, quam ut Deus ad nutum entis alicujus ipſemet eadem edere velit.

Explicamus hic modum patrandi miracula, qui in creatura aliqua intelligitur, eodem modo, quo *Carteſius* commercium inter animam & corpus explicavit, motuſque communicationem in corporibus (§. 589 *Pſychol. rat.*). Quamobrem quæ de ſyſtemate cauſarum occaſionalium integro capite demonſtrata ſunt (§. 589 & ſeqq. *Pſychol. rat.*), ea facultatem patrandi miracula, quæ creaturæ alicui competit, egregie illuſtrant. Etſi autem ſyſtema iſtud minime probaverimus, ſed idem principio rationis ſufficientis adverſum (§. 606 *Pſychol. rat.*), ordini naturæ contrarium (§. 607 *Pſychol. rat.*) & minus probabile oſtenderimus (§. 608 *Pſychol. rat.*); id tamen de eodem in genere intelligendum non eſt, ſed tantummodo quatenus ad explicandum communicationem motuum & commercium animæ ac corporis transfertur. Etenim ibi quæſtio eſt de eo, quod per eſſentias & naturas corporum & animarum explicari debet, tanquam effectus naturalis; hic vero quæritur, quomodo ad nutum hominis vel entis cujuſdam alterius conſequi poſſit, quod a Deo ſolo, ab ipſo minime fieri poſſit. Atque in hoc poſteriori caſu dici nequit, quod ſyſtema cauſarum occaſionalium generaliter acceptum principio rationis ſufficientis adverſetur: etenim cum per ipſum pleniſſime intelligatur, quomodo ens quoddam a Deo diverſum facultatem patrandi miracula habere poſſit, rationem ejus ſufficientem continet (§. 56 *Ontol.*), atque adeo principio rationis ſufficientis adverſum non eſt (§. 70 *Ontol.*). Quod vero idem ordini naturæ contrarium ſit, hic quidem nihil vitii habet, propterea quod conſtet, miracula contra naturæ ordinem eſſe; quæ vero naturaliter fiunt, ſecundum naturæ ordinem fieri (§. 566 *Coſmol.*). Quamobrem cum ſyſtema cauſarum occaſionalium, quando ad explicandum commercium inter mentem ac corpus transfertur, probabilitatem ſuam amittit, quia ordini naturæ adverſum (§. 608 *Pſychol. rat.*); id minime obſtat, quo minus in præſente caſu plenaria certitudine gaudeat, ubi de eo agitur, quod contra naturæ ordinem fit. Syſtema adeo cauſarum occaſionalium egregium jam habet in philoſophia uſum, quatenus inſervit religioni Chriſtianæ adverſus Antiſcripturarios defendendæ; in theologia autem revelata ex iis, quæ tradit Scriptura Sacra, uberius explicandum convenienter iis, quæ de eodem docuimus in Pſychologia.

§. 473.

Digitized by Google

§. 473.

Qualis cauſa ſint entia, quibus facultas patrandi miracula a Deo collata.

Si Deus enti cuidam miracula patrandi facultatem confert, id nonniſi eorundem cauſa occaſionalis eſt. Etenim ſi Deus enti cuidam facultatem patrandi miracula confert, ad ejus nutum ipſemet miracula patrat (§. 472), adeoque ens iſtud deſtituitur vi omni activa eadem faciendi, Deoque tantummodo occaſionem ea patrandi præbet. Quamobrem cum cauſa occaſionalis ſit, quæ vi agendi propria deſtituitur, Deo tamen agendi occaſionem præbet (§. 590 *Pſychol. rat.*); patet ens iſtud, in quod Deus facultatem patrandi miracula confert, non eſſe niſi eorundem cauſam occaſionalem.

Conſentit hoc cum eo, quod dicunt Theologi, viros divinos non patraſſe miracula virtute propria, ſed virtute divina, potentiam miraculoſam ſoli Deo tribuentes, quemadmodum & nos eandem ipſi ſoli vindicavimus (§. 470).

§. 474.

Collatio facultatis patrandi miracula qualis Sacræ Scripturæ conveniat.

Juxta Sacram Scripturam facultas patrandi miracula viris divinis non aliter collata, quam quod Deus ad eorum nutum miracula patravit. Etenim cum Joſua Solem ſtare juſſiſſet & ejus juſſu ſtetiſſet, id factum eſſe dicitur Deo voci hominis obediente, *Joſ.* X. 14. Obedit alteri, qui voluntatem ſuam alterius voluntati ſubjicit, facturus ea quæ alter fieri vult. Deus igitur teſte Scriptura Sacra fecit ſolem ſtare ad nutum Joſuæ, conſequenter facultas patrandi miracula non aliter competebat Joſuæ, quam quatenus Deus ad ejus nutum miraculum facere volebat, ipſe vero juſſu ſuo ſolem in eo, quem habebat, ſitu retinere minime poterat. Similiter cum Chriſtus in cælum aſcenſurus facultatem patrandi miracula conferret in Apoſtolos, ut dæmonia ejicere, linguis, quas minime didicerant, loqui, ſerpentes citra periculum ullum tollere, venenum abſque nocumento bibere, manuum impoſitione ægrotos ſanare valerent, *Marc.* XVI. 17 & ſeqq. quinam fuerit eventus, commemoraturus hiſtoricus ſacer ſubjicit *verſ.* 20, Deum ſermonem Apoſtolorum Evangelium juſſu Magiſtri ſui ubivis terrarum prædicantium confirmaſſe ſignis ſeu, quod perinde eſt, miraculis ſequentibus. Deo igitur tribuuntur auctori miracula, quæ ab Apoſtolis fiebant, ita ut juxta Sacram Scripturam dicendum ſit, Deum ejeciſſe dæmonia & ſanaſſe ægrotos, quoties id ab Apoſtolis factum legitur. Quodſi ergo Deus fecir, quod de Apoſtolis refertur, id aliter intelligi nequit, quam quod ſtylo Sacræ Scripturæ, quemadmodum paulo ante commemoravimus, obedіverit voci Apoſtolorum faciens ea omnipotentia ſua, quæ ipſi fieri volebant. Atque adeo patet, Scriptura Sacra magiſtra facultatem patrandi miracula non aliter fuiſſe conceſſam, quam quatenus Deus ad eorum nutum eadem fecit, voluntatem ſuam quaſi ſubjiciens illorum voluntati. Cum adeo Apoſtoli non propria virture eadem patrarint, ſed tantummodo nutu ſuo Deo eadem patrandi occaſionem dedere; juxta Sacram Scripruram non fuere niſi cauſæ miraculorum occaſionales (§. 590 *Pſchol. rat.*).

Quoniam miracula ad nutum eorum ſecuta, ad quorum nutum Deus eadem fecit, actus vero volitionis ſive verbis, ſive alio actu externo, veluti imponendo manum ægrotis,

ſignificatus fuit; ideo adſtantibus ipſimet miracula patraſſe viſi ſunt, ut ea de cauſa potentiam miraculoſam ab Apoſtolis vendi poſſe exiſtimaverit Simon Magus *Act.* VIII. 18 & ſeqq. Patet tamen ex modo collationis, quem adſtruximus (§. 473) & in propoſitione præſente Sacræ Scripturæ conformem probavimus, neminem pro ſuo arbitratu facultatem patrandi miracula divinitus ſibi conceſſam in alium transferre potuiſſe.

§. 475.

Ecſtaſis quid dicatur.

Ecſtaſis dicitur is hominis ſtatus, in quo ſenſus ac motus voluntarii prorſus ceſſant, ſolis vitalibus ſuperſtitibus, & homo inſolita ſibi audire ac videre ſæpius videtur.

Ita certe *Sennertus* Medicinæ practicæ lib. 1. part. 2. cap. 3 Operum Tom. III. f. 153. 2. Uſus, inquit, vulgo obtinuit, ut ii, qui omnibus animæ ſentientis, moventis ac intelligentis functionibus privati & quaſi mortui jacent, & ſæpe, poſtquam evigilant, mira, quæ audiverint & viderint, narrant, ecſtatici nominentur. Latinis hic corporis ſtatus dici ſolet *Exceſſus*. Convenit cum ecſtaſi affectus, quem Medici *Catalepſin*, vel Latino vocabulo *Congelationem* vocant. Qui enim eodem corripiuntur, quemadmodum notat *Sennertus* loc. cit. rigidi in eo ſtatu, in quo prehenſi fuerunt, apertis ac immotis oculis, ſtatuæ alicujus inſtar manent, & nec ſentiunt, nec vident, nec audiunt, reſpiratione ſaltem & pulſu ſalvo manente. Refert iſtiusmodi exemplum ex *Henrici ab Heer* obſervatione idem *Sennertus*. Scilicet Frater Chriſtianus Inſulenſis, Capucinus, Leodii catalepticus factus, uno genu terræ innitebatur, alterum ceu ſleaurus incurvabat. Brachium ſiniſtrum pendebat ad genu, dexterum in aerem elevatum habebat, diductis digitis, ut viam prætereuntibus ſicut olim ſtatuæ Mercurii oſtentare videretur: utrumque omni marmore rigidius erat. Patebant oculi, ſed ita retorti, ut, licet ſudario perſtringerentur, non connìverent. Os hiabat cum reſpiratione ſatis libera. Pulſus in utroque brachio & temporibus ſat magni. Poſtquam poſt 20 horas ad ſe rediit, ſurrexit, & ambulavit, omnium præteritorum ignariſſimus. Hic monachus ſæpe paroxyſmis catalepticis, etiam in ſecundum & tertium diem durantibus correptus. Alia exempla refert *Foreſtus* Obſervationum *Lib.* X. obſerv. 42. f. 367 & ſeqq. quorum unum adhuc adjicere lubet. Catalepticus, cum eum inviſeret *Fernelius*, mortui ritu jacens neque cernebat, neque audiebat, neque compunctus ſentiebat quicquam: facilis tamen inerat ſpiratio &, quicquid in os inſerebatur, prompte vorabat. E lectulo ſublatus ſolus conſiſtebat impulſuſque incedebat, & quocunque vel manus, vel brachium vel crus inflecteretur, illic quaſi fixum vel ſtabile permanebat.

§. 476.

Viſio quid ſit.

Viſio dicitur repræſentatio vivida rerum, qualis a ſenſu fieri ſolet, vi imaginationis facta, ſive in ecſtaſi, ſive vigilantibus. Vocatur etiam *Viſus*, item *Viſum*.

Exempla viſionum in ecſtaſi referuntur in Sacris, veluti de Petro *Actor.* XI. 5, quæ ſane ratio eſt, cur ecſtaſeos & viſionum hic mentionem injiciamus, quod inter modos revelationum etiam commemorentur viſiones. In ecſtaſi ceſſant ſenſus, atque adeo patet non poſſe aliter res in anima repræſentari quam vi imaginationis. Quando vero etiam vigilantibus repræſentantur quæ præſentia non ſunt, ut ea veluti præſentia intueantur, non minus patet, repræſentationem aliter fieri minime poſſe, quam vi imaginationis (§. 92 *Pſychol. empir.*). Notandum vero hoc ipſo viſionem differre ab aliis repræſentationibus vi imaginationis communiter fieri ſolitis, quod tanta claritate animum percellat, ut objecta, quæ repræſentantur, coram intueri ſibi videatur is, cui viſum obtingit. Unde & nomen non modo Latinorum, verum etiam vernaculum *ein Geſichte* fluxit.

§. 477.

Idearū materialiums conditio in cerebro.

Quoniam idea materialis phantaſmati reſpondens eandem celeritatem habet, quam haberet, ubi ab objecto ſenſibili in organum ſenſorium agente produceretur, ſi quis ſibi ſenſu percipere videtur, quæ tantummodo imaginatur (§. 210 *Pſychol. rat.*), in viſionibus vero repræſentationes

rerum

rerum vi imaginationis factæ ita vividæ ſint, ut nobis videre videamur, quæ tantummodo imaginamur (§. 476); evidens eſt, quod *in viſionibus ideæ materiales, quæ phantaſmatis reſpondent, eandem celeritatem habeant, quam haberent, ubi ab objecto ſenſibili in organum ſenſorium agente producerentur.*

Notandus eſt ſtatus cerebri in viſionibus, ut rectius intelligatur, quid ad viſiones ſupernaturales requiratur & unde naturales dependeant.

§. 478.

Status cerebri in viſionibus.

Quoniam communiter ideæ materiales in motu minus celeri conſiſtunt, ſi phantaſmati, quam ſi ideæ ſenſuali reſpondent (§. 208 *Pſychol. rat.*), in viſionibus autem contrarium accidit (§. 476); *in viſionibus ſtatus cerebri*, in quo ſunt ideæ materiales (§. 206 *Pſychol. rat.*), *talis eſſe nequit, qualis communiter obtinet.*

Hinc apparet, cur in ecſtaſi communiter viſiones contingant: tum enim ex ſtatu præternaturali totius ſyſtematis nervoſi, quem quoad nervos ſenſorios ſentiendi, quoad motorios movendi impotentia loquitur (§. 475), ſtatum præternaturalem cerebri, unde nervi omnes propagantur, facile colligere licet. Hoc principio habemus opus, ut intelligatur viſionem vim corporis non ſtatim excedere, ſi vi imaginationis repræſententur talia, qualia tibi viſa nunquam recordaris, ſit ita quod communiter imaginatio nonniſi ante percepta reproducat (§. 92. 91 *Pſychol. empir.*) & dividat atque componat (§. 140. 143 *Pſychol. empir.*).

§. 479.

Cur viſiones in ecſtaſi vel quaſi contingat.

Quoniam denique actus imaginationis clariores ſunt, ſi ſint ſoli, quam ſi ſenſationibus coexiſtant (§. 101 *Pſychol. empir.*), in ecſtaſi vero ſenſationibus nullus prorſus ſit locus (§. 475); ideo patet ratio, *cur in ecſtaſi viſiones communiter contingant* & cur, ſi vigilantibus accidere debent, animus a ſenſationibus ſit abducendus, conſequenter *quæ vigilantibus obtingunt, quaſi in ecſtaſi fiant.*

Nimirum in ecſtaſi a cauſis præternaturalibus, quas vocant Medici, animus a ſenſu abducitur, ut adeo veluti ex corpore abreptus videatur, commercio cum eodem omni ad ſenſum ſublato: aſt quando vigilantibus obtingit viſio, viſionarius animum ſua ſponte a ſenſu abducere debet, quem habitum obſtetricante natura ſibi comparare debet, ſicuti in aliis accidit, atque adeo quaſi in ecſtaſi eſt, cum fieri non poſſit, ut ab omni ſenſatione abducat animum, neque ut motu voluntario ſeſe privet. Noſtrum jam non eſt theoriam de viſionibus proſequi ulterius, quam tantummodo delibamus, quantum inſtituto præſenti ſufficit, ne viſiones pro divinis amplectamur, quæ naturales ſunt, & ut divinas non eſſe impoſſibiles appareat.

§. 480.

Viſionis naturalis & ſupernaturalis differentia.

Viſio naturalis eſt, quæ per naturam imaginationis explicari poteſt. Aſt *Viſio ſupernaturalis* eſt, quæ per naturam imaginationis explicari nequit.

Viſiones pendent ab imaginatione, in cujus nempe ideis conſiſtunt (§. 476). Unde differentia naturalium & ſupernaturalium patet per differentiam generalem naturalis & ſupernaturalis (§. 510 *Coſmol.*).

§. 481.

Convenientia & differentia viſionum & ſomniorum.

Viſio eſt ſpecies ſomnii, ſed in qua repræſentationes ſunt multo clariores, quam in ſomniis ordinariis eſſe ſolent. Etenim in viſionibus res vi imaginationis admodum clare repræſentantur (§. 476), & ſi in ecſtaſi fiunt, nullius rei præſentis viſionarius ſibi conſcius eſt (§. 475). Quamobrem cum in ſomnio itidem nonniſi res abſentes clare percipiamus ſeu earum nobis conſcii ſi-

mus

mus (§. 121 *Pſychol. empir.*); viſio in ecſtaſi pro ſomnio quodam recte habetur.

Quodſi viſio vigilanti obtingit; vi imaginationis res abſens adeo clare repræſentatur, ut eum præſentibus, quarum nobis conſcii ſumus, ſimul ſenſu percipi videatur (§. 476), atque adeo perinde eſt, ac ſi ceteræ quoque, quæ præſentes ſunt, eadem vi imaginationis repræſentarentur, nobiſque nonniſi rerum abſentium conſcii eſſemus. Patet igitur ut ante, in hoc quoque caſu viſionem pro ſomnio quodam haberi poſſe.

Enimvero in viſione quæ repræſentantur, tanta claritate fulgent, ut pro ſenſu perceptis reputentur, atque adeo in caſu altero, quo inter ea, quæ ſenſu percipiuntur, apparent, quoad claritatem ab iiſdem minime diſtinguantur, & hinc cum ceteris una præſentia exiſtimentur (§. 476). Atat communiter phantaſmata, hoc eſt ideæ (§. 93 *Pſychol. empir.*) ſeu repræſentationes vi imaginationis factæ (§. 48 *Pſychol. empir.*), ideis ſenſualibus minus claræ ſunt (§. 96 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum in ſomnio ordinario phantaſmata nihil ſingulare habeant (§. 122 *Pſychol. empir.*); in viſionibus utique repræſentationes multo clariores ſunt, quam in ſomniis ordinariis eſſe ſolent.

Dum viſionem ſomnium quoddam eſſe probamus, dicto de omni ad definitiones extenſo, quod ei ſcilicet definitum competat, cui conveniunt notæ omnes in definitione enumeratæ ſimul, tota nititur vis argumentandi (§. 349 *Log.*). Quamobrem dubitari nequit, quin viſiones pro ſomnii quadam ſpecie haberi poſſint. Et in caſu altero, quo res abſens tanquam præſens una cum præſentibus percipitur; ſtatus mentis ſomnium quoddam mixtum eſt, quod non minus pro aliqua ſpecie haberi poteſt. Etenim quando alias vi imaginationis abſentia una cum ſenſu perceptis repræſentantur, illa ab iis diſtinguimus. Dari autem viſiones, quæ vigilantibus obtingunt, luculento exemplo docere poſſem, niſi rationes quædam prohiberent, quo minus ad idem provocarem. Nec deſunt in Sacris iſtiuſmodi exempla, utut viſionum ſupernaturalium. Vide Exod. III. 1 & ſeqq. collat. cum Actor. VII. 30. Ceterum propoſitionem præſentem non alio fine in medium afferimus, quam ut citra ambages inde deducere liceat, quæ ſequuntur.

§. 482.

Viſio ſupernaturalis qualis. Quoniam ſomnium ſupernaturale miraculum (§. 331 *Pſychol. rat.*), viſio vero ſomnii quædam ſpecies eſt (§. 481); *viſio etiam ſupernaturalis quin miraculum ſit, dubitari nequit.*

Quodſi propoſitionem præſentem inſtar corollarii ex præcedente inferre nolis, eodem modo eandem probare poteris, quo ſomnium ſupernaturale miraculum eſſe evicimus, præmiſſis præmittendis, adeoque non ſine ambagibus, quas vitare conſultum viſum.

§. 483.

Viſio quænam naturalis. Similiter ſi naturale ſomnium eſt, initium capere debet per ſenſationis legem & per legem imaginationis continuari (§. 327 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum viſio naturalis ſomnii quædam ſit ſpecies (§. 481); *viſio quoque naturalis initium capere debet per legem ſenſationis & continuari per legem imaginationis.*

Non eſt quod excipias in ecſtaſi ceſſare ſenſus omnes, adeoque viſionem in ea non poſſe initium capere a ſenſatione. Etenim fieri poteſt, ut ecſtaticus in ecſtaſin & viſionem incidat ſimul, adeoque viſio ab ultima ſenſatione clara, ad quam animum advertit, derivetur:

tur: neque repugnat, ut perinde ac in ſomno, ſubito ſenſatio quædam ſubobſcura vel tantillum claritatis habens ſuboriatur, quæ tamen non ſufficit ut ecſtaticus evigilet, & unde viſionis initium oritur. Quoniam vero imaginationis vi phantaſmata quoque combinantur & dividuntur, ut repræſententur objecta ficta (§. 146 *Pſychol. empir.*); ita quoque in viſionibus quo minus idem fiat, nil obſtat. Unde & ecſtatici ſæpe narrant ſibi viſa prorſus admiranda & entia ficta, qualia fuerint, nonnunquam deſcribunt.

§. 484.

Viſio ſupernaturalis qualis ſit.

Quoniam in ſomnio ſupernaturali initium non eſt a ſenſatione, utut per legem imaginationis continuetur (§. 328 *Pſychol. rat.*), aut integrum per legem imaginationis minime continuatur (§. 329 *Pſychol. rat.*); *viſio* etiam *ſupernaturalis initium capere non debet per legem ſenſationis, etſi poſtea per legem imaginationis continuetur, aut per legem imaginationis continuari non debet* (§. 481).

Patet igitur eodem modo viſiones naturales & ſupernaturales a ſe invicem diſtingui, quo ſomnia naturalia a ſupernaturalibus diſtinguuntur. Ad utrumque vero præſtandum quantum auxilii ferat Pſychologiæ tam empiricæ, quam rationalis ſtudium, non minus conſtat.

§. 485.

Status cerebri in viſionibus.

Quoniam non modo naturaliter ſeu ordinarie, adeoque & in ſomnio naturali ſingulis phantaſmatis ideæ materiales in cerebro reſpondent (§. 206 *Pſychol. rat.*), verum etiam in ſomnio ſupernaturali ſingulis phantaſmatis animæ ideæ materiales, ſupernaturales & ipſæ, coexiſtunt (§. 330 *Pſychol. rat.*); *in viſione* quoque *quacunque tam naturali, quam ſupernaturali ſingulis phantaſmatis ideæ materiales in cerebro reſpondent, in ſupernaturali quidem ſupernaturales & ipſæ* (§. 481).

Atque adeo jam intelligitur, cur ſit conveniens corpus in ecſtaſin incidere, quando viſio aliqua ſupernaturalis in homine excitanda virtute divina, cum ſic ſtatus ejus is ſit, in quo iſtiuſmodi ideæ materiales in cerebro facilius locum habere poſſunt, quam in cerebro vigilantis. Convenientiæ ratio plenius perſpicietur per notionem ſapientiæ divinæ deinceps explicandam.

§. 486.

An intellectus in viſione operari poſſit.

Anima etiam in viſione, quæ fit per ecſtaſin, operationes intellectus edere poteſt, veluti judicare & ratiocinari. Etenim viſio, quæ fit per ecſtaſin, propriiſſime citra ullam fictionem, ſomnii quædam ſpecies eſt (§. 481). Enimvero in ſomnio anima operationes intellectus edere valet, veluti judicare & ratiocinarii (§. 419 *Pſychol. rat.*). Quamobrem in viſione quoque, quæ fit per ecſtaſin, operationes intellectus edere, veluti judicare & ratiocinari, poteſt.

Dubium, quod ſuboriri poterat, quaſi præſens propoſitio contrarietur præcedentibus, quæ de viſione per legem imaginationis continuanda diximus (§. 483), jam ſuſtulimus, cum operationibus intellectus locum in ſomniis vindicaremus (*not.* §. 419 *Pſychol. rat.*). Ibi adeo dicta, hic repetenda ſunt. Ceterum de ſingulis, quæ jam de viſionibus tam naturalibus, quam ſupernaturalibus docuimus, tenenda ſunt, quæ ſupra (*not.* §. 482) annotavimus. Nimirum ſi quis in hiſce lucem majorem deſideret, is integras demonſtrationes, quas de ſomniis dedimus in Pſychologia rationali, ad viſiones transferat, neque enim re alia opus eſſe deprehendet, quam ut vocabulo ſomnii ſubſtituat alterum viſionis. Atque tum apparebit, quam commodum fuerit viſiones ad ſomnia revocari.

§. 487.

Digitized by Google

Patet ergo Deum non facere miracula niſi neceſſitate urgente, conſequenter minime ſuperflua. Quando vero urgeat neceſſitas, ex ipſa propoſitione ſatis intelligitur, in qua caſus neceſſitatis rite determinatus, quemadmodum fieri debet, ne perperam pro tali habeatur, qui non eſt.

§. 490.

Revelationis modus quando actus mixtus.

Si neceſſe non eſt, ut totus actus revelationis ſit miraculoſus; modus revelationis ex miraculoſis & naturalibus ſimul componi debet. Etenim ſi neceſſe non eſt, ut totus actus revelationis ſit miraculoſus; quædam ad eundem ſpectantia abſque miraculo, adeoque naturaliter fieri poſſunt (§. 510. 509 *Coſmol.*). Enimvero Deus per miraculum non efficit, quod naturaliter fieri poteſt (§. 489). Quamobrem ſi neceſſe non eſt, ut totus actus revelationis ſit miraculoſus; modum revelationis actus naturales ingredi debent, adeoque ex naturalibus & miraculoſis ſimul componitur.

Ponamus e. gr. revelationem fieri per ſomnium. Cum ſomnium naturale ſit, quod a ſenſatione initium capit (§. 326 *Pſychol. rat.*), ſupernaturale vero reddatur, ubi per legem imaginationis minime continuatur (§. 329 *Pſychol. rat.*); ubi revelatio homini per ſomnium contigit, nihil obſtat, quo minus a ſenſatione initium capiat, ſed per legem imaginationis minime continnetur, hoc eſt, ut in ſomnio naturaliter orto divinitus quid homini reveletur. Idem omnino eodem modo obtinet, ubi revelatio per viſionem ſit vigilanti. Etenim ſi non obſtent rerum præſentium perceptiones, quo minus iiſdem ſupernaturaliter jungatur rei cujuſdam abſentis tanquam præſentis repræſentatio, id, quod revelandum, continens; non demum opus eſt ut animus hominis a ſenſu abducatur, quemadmodum in ecſtaſi fieri ſolet, conſequenter neceſſitas nulla urget, ut Deus per miraculum in ecſtaſin perducat eum, cui quid revelandum, & in hoc ſtatu ei repræſentet, quæ ipſi revelanda ſunt. Quamobrem modus præfertur, in quo actus miraculoſus jungitur naturalibus: ſupponimus enim perceptiones naturales cum ſupernaturalibus ſimul conſtituere perceptionem totalem; qua revelatio continetur. Principium præſens non alienum a foro Theologorum: etenim ſub eo continetur, quod affirmant, Deum quoad ſtylum ſecutum genium loquentis. Miracula nimirum ſupplent defectum naturæ, conſequenter non adhibenda, niſi ubi natura fini a Deo intento minime ſatisfacit; id quod deinceps clarius conſtabit, quando de ſapientia divina ſumus acturi.

§. 491.

Criterium ſepiſſimum deſumtum a ſtylo revelationis divinæ.

In revelatione divina ſingula iis verbis enuntiari vel iis ſignis repræſentari debent, ex quibus mentem Dei loquentis vel revelantis ex aſſe intelligit is, cui ſit revelatio. Etenim ſi Deus homini quid revelat, mentem ſuam de eo, quod revelat, patefacere vult: quod utique per ſe patens in dubium revocari nequit. Atat Deo perſpecta eſt omnis cognitio ſymbolica poſſibilis (§. 277). Quamobrem cum cognitio ſymbolica in eo conſiſtat, ut, quæ in ideis rerum continentur, verbis enuntientur, vel aliis ſignis repræſententur (§. 289 *Pſychol. empir.*); Deus quoque novit, quomodo verbis enuntiari vel aliis ſignis repræſentari debeant, quæ in idea objecti revelandi continentur, ut is, cui ſit revelatio, mentem ipſius ex aſſe intelligere poſſit. Quoniam itaque nemo non fateri cogitur, ſi Deus noverit, quomodo quid fieri debeat, & id facere velit, cum facere poſſit quæ vult (§. 352), eum quoque idem facturum; quin Deus homini quid revelans, iis verbis ſingula enuntiet, vel ei ſignis aliis objectum revelandum repræſentet, ut is ex aſſe mentem Dei loquentis vel revelantis intelligat, dubio caret.

Hoc principium generale eſt de ſtylo in revelatione divina occurrente; ſed idem quoque valet de repræſentationibus hieroglyphicis in viſione factis. Hinc vero multa docere licet ſpecialia: quod ut intelligatur, exempli loco quædam eorum in medium afferre libet.

§. 492.

Quæ circa vocabula in revelatione divina occurrentia tenenda.

In revelatione divina non plura occurrunt verba, nec pauciora, quam quæ ad mentem Dei revelantis intelligendam ſufficiunt, & ea ſeliguntur verba, quorum beneficio eandem aſſequi certo datur ei, cui fit revelatio. Etenim Deus homini quid revelans, iis verbis ſingula enuntiat, ex quibus mentem ejus ex aſſe intelligit (§. 491). Quamobrem cum verba ſive vocabula ſint noſtrarum perceptionum vel rerum per eas repræſentatarum ſigna (§. 271 *Pſychol. empir.*); non pluribus utendum eſt verbis, quam quibus ea ſignificantur, quæ homini revelare conſtituit Deus, neque etiam paucioribus: quoniam in caſu poſteriori non omnia revelarentur, quæ revelare voluerat Deus, in caſu priori plura diceret Deus, quam dicere vellet, ac ad mentem ejus percipiendam dici opus erat. Et eodem prorſus modo patet, ſi plures ſint loquendi formulæ, quibus mentem ſuam exprimere poteſt loquens, ſed non omnes æque aptæ ad mentem ipſius ex aſſe aſſequendam, Deum eam ſeligere debere, quæ ad eandem certo aſſequendam conducit.

Hominibus ſolenne eſt, ut plus dicant, vel minus, quam voluerant, unde interpretatio extenſiva & reſtrictiva ortum ſuum ducit. Aſt in rationem inquirentibus patet, tribuendum id eſſe partim imperfectæ ipſorum cognitioni, partim imperitiæ linguæ: quorum neutrum in Deum omniſcium cadit. Exemplum luculentum, quo præſens propoſitio illuſtrari poteſt, continetur in verbis Chriſti *Matth.* V. 39, quibus exprimitur animus ab omni vindictæ cupidine alienus, quemadmodum oſtendi in Horis ſubſecivis An. 1729. Trim. Vern. num. V §. 2.

§. 493.

Num dentur in revelatione voces inanes.

Quoniam adeo Deus homini quid revelans nec pluribus utitur vocabulis, nec paucioribus, quam quot ad mentem ſuam eidem ſignificandum ſufficiunt (§. 492); *in revelatione divina verbis ſingulis ſuæ reſpondere debent notiones, ex intentione Dei iiſdem jungendæ.*

Nulli adeo in revelatione divina extare poſſunt termini inanes. Ubi in applicatione regulæ tenendum, terminum pro inani non ante habendum, quam ubi id demonſtratum fuerit. Legi hic merentur, quæ de quibusdam Sacræ Scripturæ vocabulis eo fine inculcavimus, cum de interpretanda eadem ageremus (§. 973 *Log.*). Ceterum præſens propoſitio in interpretanda revelatione divina nos jubet eſſe maxime attentos & circumſpectos, ne quicquam prætermittamus, quod ad mentem Dei revelantis perſpiciendam facit, ſed ſingulas particulas, nedum vocabula & phraſes, ſufficienter ponderemus, ut ea in animo noſtro naſcatur idea, quæ verbis iſtis in eodem excitari debet ex intentione divina.

§. 494.

Quænam notiones in revelatione ſupponantur.

Si quid Deus homini revelat, non alias præſupponere poteſt notiones vocabulis jungendas, quam quæ animo ejus jam inhærent, aut quas in ſe habet, dum ipſo opere ea in ſe experitur, quæ ipſi revelat. Demonſtravimus idem jam alibi, cum de interpretanda Sacra Scriptura ageremus (§. 971 *Log.*), cum eam divinitus revelatam & inſpiratam auctoribus ejuſdem Chriſtiani firma fide teneamus. Etenim omnis demonſtratio procedit ex hac hypotheſi, quod in

Sacra

Digitized by Google

Sacra Scriptura quæ extant verba, accipi debeant tanquam Dei loquentis: quæ ipſiſſima propoſitionis præſentis hypotheſis eſt.

Quoniam ſupponimus Deum loquentem homini velle intelligi, quæ in propoſitione præſente inculcantur obſervanda veniunt omnibus, qui loquuntur ut intelligantur. Unde vix erit quiſquam qui ſine probatione concedere dubitet, loquentem, ut intelligatur, non alias in eo ſupponere poſſe notiones, cui loquitur, quam quæ jam animo ejus inhærent, aut quas habet, dum, quæ dicit ipſi loquens, in ſemetipſo experitur, modo perpendat, non aliter intelligi verba loquentis, quam jungendo ipſis notiones eaſdem, quas ipſemet iiſdem jungit (§. 903 *Log.*). Et in genere tenendum, nihil de ſtylo revelationi divinæ conveniente præcipi, niſi quod convenit huic hypotheſi, quod alteri loquens velit intelligi.

§. 495.

Quomodo ad notiones in revelatione divina ſuppoſitas perveniatur.

Hinc & conſequitur, quod *non aliæ in revelatione divina ſupponi poſſint notiones, quam quæ a rebus præſentibus abſtrahuntur, atque adeo diverſum a mente Dei revelantis is fingat ſenſum, qui ab illis diverſas verbis ejuſdem jungit.*

Hoc quoque corollarium jam inculcavimus, cum de Sacræ Scripturæ interpretatione ageremus, quantum a regulis Logicæ pendet (§. 972 *Log.*), ex eadem nimirum ratione, quam modo allegavimus (*not. §. præced.*). Dedimus ibidem (*not. §. 972 Log.*) exempla, quibus in præſentem quoque uſum idem illuſtrari poteſt, ut adeo novis minime ſit opus.

§. 496.

Quinam ſtylus revelationi divinæ conveniat.

In revelatione divina ſtylus non minus regulis Grammaticæ univerſalis, quam Rhetoricæ rationalis convenire debet. Suppono in Grammatica univerſali ea demonſtrari, quæ in omni lingua ſunt obſervanda, ſi quidem voce mentem tuam exprimere velis. Quamobrem cum Deo omnis rerum cognitio ſimbolica perſpecta ſit (§. 277); ignorare haud quaquam poteſt, quæ ad mentem ſuam voce rite exprimendam requirantur, conſequenter cum eam hominibus innoteſcere velit, alias enim revelationi ſuperſederet, ſtylus utique regulis Grammaticæ univerſalis convenire debet. *Quod erat unum.*

Suppono ſecundo in Rhetorica rationali demonſtrari, qua utendum ſit dictione, tum ut ideæ rerum non ſatis manifeſtarum reddantur clariores, tum ut animus loquentis quoad eas intimius perſpiciatur, tum ut excitentur in eo, ad quem verba fiunt, affectus convenientes. Quamobrem cum Deus, cui perſpectum eſſe debet, quicquid cognitu poſſibile (§. 156), ea ignorare minime poſſit; quin ea utatur dictione, qua ad ſingula obtinenda opus eſt, dubitari nequit. Stylus igitur in revelatione divina etiam regulis Rhetoricæ rationalis convenire debet. *Quod erat alterum.*

Patet adeo, quantæ foret utilitatis, ſi & Grammatica univerſalis, & Rhetorica rationalis ad formam demonſtrativam reducerentur, ut utriuſque regulæ extra omnem dubitationis aleam ponerentur. Etenim hinc interpretes Scripturæ Sacræ, quam a Deo revelatam Chriſtiani confitemur, non contemnenda petere poterunt ſubſidia ad emphaſin verborum ſumma cum circumſpectione ſelectorum explicandam profutura. Neque in applicatione hujus criterii, quod jam commendamus, exiguam vim deprehendes ad ſcripta divinitus inſpirata a ceteris diſcernenda. Etenim hic talia ſeſe offerunt, de quibus auctores alii ne cogitare quidem ſolent, utut haud diffiteri teneantur ea obſervanda eſſe, ſiquidem dictio omnibus numeris abſoluta eſſe, nec quicquam vitii vel infirmitatis in loquente arguere debeant. Dictis fidem facere poteramus; ſiquidem jam nobis propoſitum eſſet criteria revelationis divinæ ad Scripturam Sacram applicare: ſed non deerit forſan alias occaſio unum alterutrumque exemplum in medium proferendi. Utinam ſtylum Sacræ Scripturæ penitius inſpicere conarentur, qui ejus ſe interpretes profitentur, ut, quoties ipſis ſcribendum vel

loquendum, veſtigia Scriptorum ſacrorum exprimerent! Quid enim ſentiendum eſt de hominibus, qui cum in interpretanda Sacra Scriptura ſibi eminere videantur & aliis eandem magno conatu interpretari ſtudeant, dictione ſua animum produnt ab eo, qui fuit Auctoribus ſacris, longe diverſum, parum curantes illud Apoſtoli 1. *Cor.* IV. 16, imitatores mei eſtote, & quod alibi dicitur *Eph.* V. 1, eſtote imitatores Dei. Quodſi in interpretanda Sacra Scriptura & in genere in interpretandis auctorum quorumcunque dictis regulæ Rhetoricæ rationalis, hoc eſt, qualis ea eſſe debet, ſiquidem ad rationes ſolidas revocetur, adhiberentur; quantum abſcondita animi prodat dictio, clariſſime conſtaret & linguam hypocryſeos proditorem agnoſcerent, a qua ſibi metuere minime ſolent, quotquot pietatis externæ ſpecie aliis imponunt.

§. 497.

Decretũ quid ſit. *Decretum* eſt determinatio voluntatis ad aliquid agendum, vel non agendum.

Ita dicimur decreviſſe auxilium alteri ferendum, ſi voluntatem eo determinavimus, quod alteri auxilium ferre velimus. Neque minus ex adverſo dicimur decreviſſe auxilium alteri non ferendum, ſi voluntatem eo determinavimus, quod eidem auxilium ferre nolimus.

§. 498.

Conſultatio vel Conſiliũ quid ſit. *Conſultatio* eſt actus intellectus, quo diſquiritur, quid ſit agendum, quid non agendum. Dicitur etiam *Conſilium*.

Ita conſulere vel conſultare dicimur, ubi diſquirimus, num alteri ſit auxilium ferendum, an non ferendum.

§. 499.

Cur conſultatio decretũ præcedat. Quoniam conſultando diſquirimus, quid ſit agendum, quid non agendum (§. 498), decernendo vero ſtatuimus, quod hoc agere vel non agere velimus (§. 497); *conſultatio decretum præcedit, decretum conſultationem ſequitur.*

Hæc nimirum ita ſeſe habere debent, & ita quoque ſeſe habent, ſi ſecundum rationem agas. Aſt cum homines ſæpe primo impetu in decreta ruant, moniti demum ab aliis vel caſu quodam excitati conſulunt, non quid decernendum ſit, ſed num decretum exequi debeant, dum enim diſquirunt num decretum exequi debeant, diſquirere utique tenentur, num quid ſit agendum, vel non agendum, quod per præcipitantiam agere vel non agere decreverant.

§. 500.

Ubinam conſultationi locus ſit. *Conſultationi locus non eſt niſi in re dubia.* Etenim ſi res fuerit dubia, nobis minime liquet, utrum quid ſit bonum an malum, vel quidnam eorum, quæ æque fieri poſſunt, ſit melius. Quamobrem cum ſine motivis nulla detur volitio vel nolitio (§. 889 *Pſychol. empir.*), motiva vero in repræſentatione boni ac mali diſtincta conſiſtant (§. 890 *Pſychol. empir.*), & præterea id præfertur, quod judicatur melius, ubi ex pluribus bonis unum alteri præferendum (§. 898 *Pſychol. empir.*); voluntas determinari nequit ad agendum, vel non agendum, quamdiu ignoratur, utrum bonum ſit, an malum, ut hoc agamus, vel non agamus, & quidnam horum melius ſit, quæ nos agere poſſe agnoſcimus & quorum unum eligere volumus. Quodſi ergo voluntas determinari debet, neceſſe eſt ut ante diſquiratur, utrum quid ſit bonum, an malum, & quidnam eorum, ex quibus unum eligere debemus, ſit melius, conſequenter quid ſit agendum, quid non agendum.

Quoniam

Digitized by Google

Quoniam adeo conſultamus, quando diſquirimus, quid ſit agendum, quid non agendum (§. 498); conſultationi in re dubia locus eſt.

Enimvero ubi res eſt manifeſta, nobis ſatis conſtat, utrum quid ſit bonum, an malum, vel quidnam eorum, ex quibus aliquid eligendum, ſit melius. Quamobrem cum cognoſcens, aliquid ſtatim appetat, vel averſetur, quamprimum id tanquam appetibile vel averſabile cognoſcit (§. 318); voluntas quoque ſtatim determinatur, nec ulla demum præcedit diſquiſitio de eo, quid ſit agendum vel non agendum. Quoniam itaque in re manifeſta conſultatione nulla opus eſt (§. 498), in re autem dubia eidem locus concedendus *per demonſtrata*; conſultationi utique locus non eſt niſi in re dubia.

Hinc qui multa rerum experientia ſunt inſtructi, ut caſuum ſimilium facile meminerint (§. 503 *Pſychol. empir.*); ſine conſultatione eatemplo ſtatuunt, quid ſit agendum, vel non agendum, atque ideo conſilium ea arena capere dicuntur.

§. 501.

Num Deo conveniat conſultatio.

Deus conſultatione opus non habet; tribui tamen eidem poteſt per eminentiam. Etenim Deus omniſcius (§. 302) ſcit omnia, quæcunque cognitu poſſibilia ſunt, ſive ſingularia fuerint, ſive univerſalia (§. 301), & quidem omnia cognoſcit ſimul (§. 160). Quamobrem fieri nequit, ut ulla res ipſi ſit dubia, ſed omnia potius manifeſta ſunt. Enimvero conſultationi locus non eſt niſi in re dubia (§. 500). Deus igitur conſultatione non opus habet.

Jam Deus cum omniſcius ſit (§. 302), adeoque omnia cognitu poſſibilia tam ſingularia, quam univerſalia, unico intellectus actu (§. 160) cognoſcat (§. 301); quid in unoquoque rerum genere optimum ſit, ſtatim perſpicit, & quænam eidem cedant, intelligit primo ſtatim intuitu. Quamobrem cum Deus plura ſibi poſſibilia ſimul repræſentat & quidnam eorum optimum ſit perſpicit; hoc ipſo eidem adeſt, quod ens finitum demum conſultatione conſequitur (§. 498), nempe quid agendum ſit, quid non agendum intelligit. Conſtat vero per eminentiam quid enti alicui tribui, quod cum proprie eidem tribui repugnet, ejus vicem ſupplet quoddam aliud, quod eidem convenit (§. 845 *Ontol.*). Deo igitur conſultatio per eminentiam tribui poteſt.

Nil igitur obſtat, quo minus Deo tribuatur conſilium, ut ſignificetur, eum non cœco quodam impetu decreviſſe, quæ decrevit, ſed omnibus optime penſitatis, modo idem deinceps per omniſcientiam divinam rite explicetur, quem in finem conſultum ducimus Conſilii divini ſubjicere definitionem.

§. 502.

Conſultatio Dei quid ſit.

Conſultatio ſeu ***Conſilium Dei*** eſt actus intellectus divini, quo quid agendorum optimum ſit, certo judicio definit, aut, ſi mavis, ſumma certitudine intuetur.

Etenim hic actus intellectus divini æquipollet conſultationi, qua nos opus habemus, ut certum fiat de eo, quod agendum vel omittendum eſt, judicium, conſequenter conſultatio vel conſilium, quemadmodum cum Scriptura loquuntur Theologi, per eminentiam

eſt:

eſt: utriuſque ſane effectus idem eſt, nimirum certitudo judicii de agendis & omittendis. Neque enim alio fine conſultamus, quam ut certum nobis ſit de agendis & omittendis judicium: unde a conſultatione non deſiſtimus, quamdiu hæremus, utrum judicium noſtrum certum ſit, nec ne. Dubium enim, quo ad eandem adducimur (§. 500), tollendum, antequam finiatur. At Deo eſſe certitudinem judicii de agendis & omittendis maximam, quis omniſcientiæ ejuſdem gnarus dubitet (§. 564 *log.*)?

§. 503.

Propoſitum.

Propoſitum eſt actus voluntatis, quo determinatur executio decreti.

Nimirum decreto determinatur voluntas ad aliquid agendum, vel non agendum: propoſito eadem voluntas efficitur conſtans, ut adeo veluti in quadam decreti repetitione & approbatione conſiſtat. Perpendentibus, quod decretum eſt, placet, & ideo ad ejus executionem fertur animus.

§. 504.

Æternitas decreti divini.

Deus omnia decrevit ab æterno. Tum enim Deus facere quid decrevit, quando idem voluit, ſeu voluntatem ſuam ad idem determinavit (§. 497). Enimvero Deus vult omnia ab æterno (§. 319). Ergo etiam omnia decrevit ab æterno.

Ratio nimirum æternitatis decreti divini eadem eſt, quam de æternitate volitionis dedimus, ſcilicet quod ab æterno cognoſcat omnia unico intellectus actu, conſequenter ratio ceſſet, cur ſucceſſive hominum inſtar decernere debeat, cur quid agere vel facere velit.

§. 505.

Cur decreta divina temporaria nulla.

Nulla dantur decreta Dei temporaria, ſeu ***in tempore demum facta***. Etenim impoſſibile eſt, ut Deus quid demum in tempore velit, quod ante nondum volebat, & ut in poſterum ipſum velle contingat, quod nondum vult (§. 320). Quamobrem cum decretum ſit actus voluntatis divinæ, quo quid agendum a ſe ſit, quid omittendum determinat (§. 497); impoſſibile eſt, ut Deus demum quid in tempore decernat, conſequenter nulla dantur decreta Dei temporaria.

Errant adeo, qui decreta Dei temporaria fingunt, in omniſcientiam Dei & quidem in præſcientiam ipſius injurii, perverſæ notionis de libertate humana abuſu. Repetenda igitur hic ſunt, quæ de præſcibilitate rerum omnium ſuperius demonſtrata ſunt (§. 232 & ſeqq.).

§. 506.

Decretũ Dei cur liberrimum.

Decretum Dei liberrimum eſt. Eſt enim decretum actus voluntatis divinæ (§. 497). Quamobrem cum voluntas Dei liberrima ſit (§. 431); decretum quoque Dei liberrimum eſt, ſeu Deus liberrime decernit omnia.

Ut propoſitioni major lux affulgeat, ad eam applicanda ſunt, quæ ad evincendam ſummam libertatem voluntatis divinæ in medium attulimus (§. 431). Nimirum in genere notandum, quæ de decreto Dei prædicantur, clariora fore, ſiquidem ad ea denuo applicentur rationes, quæ de voluntate in genere ſuperius adductæ ſunt.

§. 507.

Quod nõ ſit caſus purus.

Decretum Dei non eſt caſus purus. Eſt enim actus voluntatis divinæ (§. 497). Quamobrem cum actus voluntatis divinæ non ſit caſus purus (§. 432); nec decreta Dei caſus purus ſunt.

§. 508.

Cur decreta Dei in ſe

Quoniam caſus purus eſt, qui ratione ſufficiente deſtituitur actus (§. 94 *Coſmol.*); ***decretum Dei***, quod caſus purus non eſt, ***rationem ſufficientem habet***,

Digitized by Google

bet, conſequenter *per ea, quæ Deo & rei decretæ inſunt, intelligi poteſt, cur Deus eam potius decreverit, quam non decreverit* (§. 56 Ontol.). *intelligibilia.*

Evincitur hic decreta Dei eſſe in ſe intelligibilia, ita ut intelligibili modo explicari poſſint, ſit ita quod nos eadem intelligibili modo explicare nequeamus. Patebit tamen ex ſequentibus, nec omnem, quem nos adhibemus, conatum eſſe fruſtraneum. Ceterum decretum divinum in caſum purum convertunt, quotquot rationem ſufficientem ab eodem removent temerario metu, ne libertati divinæ derogetur, quaſi libertati inimicum ſit, ut ens ſumma ratione præditum agat cum ratione ſumma.

§. 509.

Decretum Dei eſt immutabile. Eſt enim actus voluntatis divinæ (§ 497). Enimvero voluntas Dei prorſus immutabilis eſt (§. 368). Ergo & decretum ipſius prorſus immutabile eſt. *Immutabilitas decreti divini.*

Quod igitur Deus ab æterno decrevit, id in tempore non mutat. Quamobrem cum omnia decreverit ab æterno (§. 504); ideo nihil eorum in tempore mutat. Hæc decretorum divinorum immutabilitas multis modis in praxin vitæ influit, quemadmodum ſuo tempore docebimus in philoſophia morali, pietatem philoſophicam explicaturi.

§. 510.

Deum nunquam pœnitere poteſt ejus, quod decrevit. Pone enim Deum pœnitere ejus, quod decrevit. Quoniam decretum eſt actus voluntatis ſuæ (§. 497), eum pœnitet, quod hoc vel iſtud voluerit. Quamobrem cum Deus jam non velle debeat, quod voluit ante (*per demonſtrata in* §. 369), ſubſiſtente licet decreto immutabili (§. 509); voluntas ipſius foret mutabilis: quod cum ſit abſurdum (§. 368), Deum pœnitere nunquam poteſt ejus, quod decrevit. *An Deū pœnitere poſſit decreti.*

Immutabilitas decreti per ſe non arcet pœnitentiam: fieri enim poteſt, ut, etſi nos pœniteat, quod hoc vel iſtud decreverimus, adſint tamen rationes ſufficientes, cur decretum potius exequi, quam reſcindere velimus: aſt cum immutabilitate voluntatis in genere pœnitentia conſiſtere minime poteſt, quemadmodum ex propoſitionis præſentis demonſtratione elaret.

§. 511.

Deus decreta ſua penitus intelligit. Etenim Deus intelligit penitus quicquid vult, ut ſcilicet nihil quoad ejus cognitionem deſiderari poſſit (§. 316). Quamobrem cum decreta ſint actus voluntatis divinæ (§. 497), Deus quoque ea, quæ decernit, ſeu, quod perinde eſt, decreta ſua penitus intelligit. *Intelligentia eorum, quæ Deus decernit.*

Atque hinc apparet, quod nulla adſit ratio, cur decreti ſui eum unquam pœniteat, quemadmodum hominibus accidere ſolet. Etenim Deus cum penitus intelligat decreta ſua, vereri minime debet, ne forſan rationes quaſdam non videat, cur a decreto abſtinere conſultius ſit: ſed quas novit decernendi rationes, eædem ſemper ſubſiſtunt, conſequenter ſi ſint ad decernendum ſufficientes, ſemper tales deprehenduntur. Quamprimum nimirum appetibile vel averſabile qua tale cognoſcitur, illud quoque cognoſcens appetit vel averſatur. Quamobrem qui appetibile vel averſabile penitus cognoſcit, ita ut nihil quoad ejus cognitionem deſiderari poſſit, is appetibile vel averſabile ſibi ſemper tanquam tale repræſentat, atque adeo nulli mutationi locus eſſe poteſt.

§. 512.

Decreta Dei omni homini, imo omni enti intelligenti finito incomprehenſibilia. Etenim voluntas Dei omni homini (§. 359), imo omni enti intelligenti finito incomprehenſibilis (§. 358). Eſt vero decretum Dei actus voluntatis *Incomprehenſibilitas decreto-*

divinæ

rum divinorum. ivinæ (§. 497). Ergo decreta Dei omni homini, imo omni enti intelligenti finito incomprehenſibilia.

Quo ſenſu decreta divina dicantur incomprehenſibilia, patet per definitionem incomprehenſibilitatis, quam dedimus in ſuperioribus (§. 370), & quo voluntatem ipſius incomprehenſibilem eſſe demonſtravimus (§. 358).

§. 513.

Imperſcrutabilitas decretorum divinorum.

Decreta Dei omni homini imperſcrutabilia. Eſt enim voluntas Dei omni homini imperſcrutabilis (§. 398). Quoniam itaque decreta divina ſunt actus voluntatis divinæ (§. 497); decreta Dei omni homini imperſcrutabilia eſſe debent.

Quo ſenſu dicantur decreta divina nobis imperſcrutabilia, patet ex definitione imperſcrutabilitatis ſupra allatæ (§. 397), nimirum quatenus nobis eorum rationes penitus perſpectæ non ſunt, quæ Deum ad decernendum permoverunt. Quemadmodum vero ſuperius (*not.* §. 398) jam monuimus, imperſcrutabilitatem divinæ voluntatis non obſtare, quo minus eandem ſcrutemur, quantum detur; ita etiam eadem minime obſtat, quo minus in rationes decretorum divinorum inquiramus, quantum eas nobis aſſequi datur. Et ubi rationes poſſibiles reperimus, in iis acquieſcendum: ubi nullas perſpicere poſſumus, de iis temere judicandum non eſt.

§. 514.

Cur Deus decernere poſſit, cujus ratio homini ignota.

Deus decernere poteſt, quæ cur decreverit, homo intelligere nequit. Velle enim poteſt, quæ cur velit, homini intelligere non datur (§. 399). Quamobrem cum decreta divina ſint actus voluntatis divinæ (§. 497); Deus decernere poteſt, quæ cur decreverit, homo intelligere nequit.

Hæc propoſitio multum influit in praxin, quemadmodum ſuo loco conſtabit, adeoque probe notanda.

§. 515.

Qualia ſint, quæ Deus decernit.

Deus decernit, quod eſt optimum tam in ſe, quam in relatione ad ſeipſum. Etenim Deus vult quod eſt optimum tum in ſe, tum in relatione ad ſeipſum (§. 390). Sunt vero decreta Dei actus voluntatis ipſius (§. 497). Quare quod Deus decernit, optimum eſſe debet tam in ſe, quam in relatione ad ipſummet Deum.

Probe perpendenda ſunt, quæ de voluntate Dei ad optimum tendente (§. 383 & ſeqq.) & inprimis de modo, quo Deus optimum æſtimat, dicta ſunt (§. 391 & ſeqq.). Propoſitio hæc, quemadmodum tota de decretis divinis theoria, in praxin maxime influit ſuo loco oſtendendam.

§. 516.

Quomodo Deũ deceant.

Decreta divina Deum decent. Vult Deus quod ipſum decet (§. 335). Sed quod decernit, id vult (§. 497). Quamobrem decreta divina Deum decent.

§. 517.

Quomodo decreta ipſo digna.

Quoniam Deum decet, cujus aliqua in iis, quæ ipſi inſunt, ſeu in eſſentia vel attributis ipſius continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud (§. 332), decreta vero ſua ipſum decent (§. 516); *in eſſentia & attributis divinis, & hiſce quidem omnibus ſimul ſumtis* (§. 395), *continetur ratio, cur hoc potius decernere maluerit, quam aliud*, conſequenter cum per rationem intelligatur, cur quid ſit (§. 56 *Ontol.*), *per eſſentiam & attributa*

divina,

Digitized by Google

divina ; ſed ea ſimul ſumta , intelligitur , cur Deus hoc potius decreverit , quam aliud .

Cur vero rationes iſtæ nobis ſint ut plurimum abſconditæ, ſi ad particularia deſcendis, ex ſuperioribus patet (§. 396. 446).

§. 518.

Quænam Deus decernere non poſſit.

Deus non poteſt decernere, quod attributis ipſius repugnat. Velle enim nequit, quod iiſdem repugnat (§. 445). Ergo nec decernere (§. 497).

Nimirum ſi id faceret, non decerneret, quod ipſum deceret (§. 321): id quod de Deo dici repugnat (§. 516). Caute tamen procedendum eſt, ne temere de decretis divinis judicemus (§. 446).

§. 519.

Quomodo Deus quid in particulari decernat.

Deus eorum, quæ in mundo fiunt, nihil in particulari decernit abſolute ſpectatum, ſed in relatione ad totum. Etenim Deus nihil eorum in particulari, quæ in mundo fiunt, vult abſolute, ſed in relatione ad totum ſpectatum (§. 441). Cum itaque quod decernit, id velit (§. 497); nihil quoque eorum, quæ in mundo fiunt, in particulari decernit, quatenus abſolute, ſed quatenus in relatione ad totum ſpectatur.

Omnes difficultates, quæ circa decreta divina cooriuntur, ex hoc fonte manant, quod particularia tanquam in ſe ſpectata conſideremus tanquam objectum decreti divini & idem referamus ad unum aliquod Dei attributum, non ſpectatis ceteris.

§. 520.

Cur Dei decretum ſit unicum.

Decretum Dei eſt numero unicum. Mundus enim ens unum eſt (§. 60 *Coſmol.*) & ſingula in eodem vel ſimul, vel ſucceſſive exiſtentia, ſunt ejuſdem partes (§. 61 *Coſmol.*). Quoniam itaque Deus, qui omnia ab æterno (§. 319) & ſimul ſeu unico intellectus actu cognoſcit (§. 160), eundem ſibi mundum tanquam ens unum, & ſingula coexiſtentia & ſucceſſiva tanquam unius totius partes repræſentavit ab æterno; actualitatem quoque totius mundi & omnium eorum, quæ in ipſo ſunt, ſimul unico voluntatis actu decrevit. Et quamvis Deus miracula facere poſſit, quotieſcunque vult (§. 363), & hinc ſequentem mundi partem immutare valeat, ut non ſit eadem, quæ ad ipſum in idea ejuſdem ſpectat (§. 367); quoniam tamen non minus ſemetipſum (§. 141), quam cetera omnia quæcunque cognitu poſſibilia ſunt, cognoſcit (§. 154); ab æterno quoque novit, quomodo per miracula partem mundi ſequentem immutare, ſeu hanc rerum naturalium ſeriem interpolare poſſit. Quodſi ergo interpolatio ſeriei rerum naturalium per miracula ad majorem facit mundi perfectionem & eum reddat Deo magis dignum; idem ab æterno cognovit, nec concipi poteſt in Deo idea ſeriei naturalis, niſi una cum interpolatione per miracula poſſibili. Quamobrem ubi Deo volenti, quod perfectioni totius univerſi & ſummæ rerum perfectioni, quam habere poſſunt, convenit (§. 443) & cum perfectionibus ipſius conſentit (§. 445), viſum fuerit ſeriem rerum naturalem per miracula interpolare; nec aliter exiſtentiam ejus decrevit quam eo, quo ipſi viſum eſt, modo per miracula interpolandam. Atque adeo patet, decretum Dei non eſſe niſi numero unicum.

In eo differt decretum divinum a decreto humano, quod non modo omnia unico voluntatis actu, quemadmodum vult (§. 355), ita & decernat omnia (§. 497), ſed & de toto decernat, tanquam de toto: id quod omniſcientiæ divinæ tribuendum. Nos deliberamus de partibus vitæ & de iiſdem decernimus, propterea quod omnem rerum ad vitam integram pertinentium ſeriem non obtutu uno comprehendimus, ſed ſucceſſive partes cognoſcimus, de quibus ſtatuendum. Cavendum itaque ne de Deo ex nobis judicemus. Cur vero decretum Dei a nobis, ſi objectum ſeu res decretas ſpectes, tanquam multiplex conſiderari poſſit & debeat, unicum illum divinæ voluntatis actum, quo decernit omnia, noſtro concipiendi modo veluti in plures ſe invicem conſequentes reſolvendo; ejus ratio in rebus decretis unice quærenda: quod ſequente propoſitione paulo clarius docere lubet.

§. 521.

Quomodo decretum Dei ſpectetur tanquam multiplex.

Si in ſerie rerum a Deo decreta inſunt, quæ non neceſſario nexu inter ſe cohærent, ſed quarum aliæ ad actum perduci poterant abſque aliis; decretum Dei unicum a nobis conſiderari & poteſt, & debet tanquam multiplex. Ponamus e. gr. ſeriem hanc rerum, quæ exiſtit, quemadmodum Chriſtiani ex ſacri codicis auctoritate tuemur, miraculis eſſe interpolatam, quæ inter etiam locum habet nativitas miraculoſa Dei hominis, nempe Chriſti, inter hominem peccatorem atque Deum Mediatoris. Cum conſtet, ſeriem rerum ad actum perduci potuiſſe nulla interpolatione per miracula facta, quam tamen interpolatam eſſe auctoritate codicis ſacri ponimus, nec minus certum ſit, Deum liberrime decernere omnia (§. 506); in ſe non implicat, ut ſeries rerum præſens ad actum perducenda abſque ulla interpolatione per miracula facta decerneretur. Noſtro igitur concipiendi modo Deus libere decrevit actualitatem præſentis rerum ſeriei, quatenus ſpectatur in ſe, nulla interpolatione per miracula facta, nec minus libere decrevit interpolationem ejuſdem ſeriei per miracula, & libere quoque utrumque decrevit ſimul. Noſtro igitur concipiendi modo duæ ſunt voluntatis divinæ determinationes, quorum una abſque altera eſſe poterat, conſequenter unicus ille voluntatis divinæ actus, quo decretum ipſius continetur (§. 520), tanquam duo decreta ſpectari poſſunt (§. 497). *Quod erat unum.*

Quoniam decreta Dei ſunt actus voluntatis divinæ (§. 497), voluntatis vero divinæ datur aliqua ratio objectiva (§. 339); cur Deus quædam ſimul decreverit, cum unum abſque altero decernere potuiſset, objectiva quædam ratio dari debet. Quamobrem cum ratio objectiva ab objecto deſumatur (§. 118) & per eam intelligatur, cur quid ſit potius quam non ſit (§. 56 *Ontol.*); quædam rei uni decretæ ineſſe debent, per quæ intelligitur, cur decreta ſit altera. Quoniam adeo res decretæ a ſe invicem dependent (§. 851 *Ontol.*); ſi diſtincte hanc dependentiam cognoſcere velimus, decretum Dei tanquam multiplex a nobis ſpectari debet. *Quod erat alterum.*

Poterat demonſtratio partis alterius propoſitionis præſentis non minus applicari ad exemplum, quod in demonſtratione partis primæ ſuppoſuimus. Quod ubi facere lubet, clariſſima patebit dependentia rei decretæ unius ab altera. Etenim in ſerie rerum miraculis non interpolata continetur lapſus Adami, teſte Scriptura Sacra, & hujus cauſa Deus eandem miraculis interpolavit, quatenus redemtioni non erat locus ſine miraculoſa nativitate Chriſti, & executio decreti redemtionis alia miracula poſcebat. Enimvero ſi rem quoad Deum conſideres, cum ideæ rerum ſint neceſſariæ (§. 189), in intellectu ipſius ſimul continetur

& ideæ

& idea mundi abſque miraculis interpolati & idea quoque ejuſdem per miracula interpolati, Deus vero liberrime decernens (§. 506) ſeriem miraculis interpolatam prætulit alteri ab iiſdem vacuæ tanquam eam, quæ ſe magis deceat (§. 335), alteraque meliorem (§. 515). Nimirum Deo, qui omnia unico actu intelligit (§. 160), res decernendæ aliter objiciuntur, quam nobis, qui, quæ ad eandem ſeriem rerum pertinent, particulariter conſiderare tenemur. Neque eſt quod in præſente negotio id nobis videatur peregrinum atque alienum: etenim in ipſa quoque ſerie rerum naturali diverſa a ſe invicem diſtinguimus & ſigillatim expendimus. Ita conſtat, deſcenſum gravium fieri in medio reſiſtente, & ſervare in deſcenſu per idem medium certam legem. Quoniam in ſe non implicat, ut gravis deſcenſus concipiatur in vacuo ſeu medio non reſiſtente, & lex deſcenſus in medio reſiſtente utique a duplici dependeat cauſa, nimirum a vi gravitatis, qua motus acceleratur, & a vi, qua medium reſiſtit; igitur nos diſtincte concepturi legem deſcenſus in medio reſiſtente, ſigillatim perpendimus, quomodo motus acceleretur vi gravitatis & qualis foret deſcenſus, ſi ſola gravitas in deſcenſum influeret; ſigillatim quoque conſideramus reſiſtentiam medii, ut conſtet, quantum per eam motui deſcendentis detrahatur. Legem igitur deſcenſus in medio reſiſtente unicam reſolvimus in duas, nimirum in legem deſcenſus liberi in vacuo ſeu accelerationis vi gravitatis factæ, & in legem reſiſtentiæ, quæ fit deſcendenti per medium reſiſtens. Mathematum gnari minime ignorant, ſi legem deſcenſus gravium in medio reſiſtente diſtincte cognoſcere velimus, & legem accelerationis in vacuo, & legem reſiſtentiæ in medio, per quod deſcendit grave, ſigillatim perpendendam eſſe, idemque non ſolum in deſcenſu gravium diſtincte concipiendo, ſed in aliis caſibus quamplurimis motuum in rerum natura certa lege fieri ſolitorum ſimiliter obſervari. Nihil adeo ſingulare eſt in Theologia, ſi ſeriem rerum præſentem ſigillatim conſideramus, qualis foret, ſi nullis miraculis interpolaretur, & qualis ſit, ubi miraculis interpolatur, conſequenter interpolationem per miracula factam, tanquam quid a ſerie iſta diverſum & ad eam per ſe minime pertinens ſpectamus, atque hoc pacto unicus voluntatis divinæ actus, quo decrevit omnia, tanquam in duos actus a ſe invicem diſtinctos reſolvitur, ſicque decretum unicum quoad res decretas, minime autem quoad Deum decernentem, ſpectatur tanquam multiplex. Quemadmodum vero ex ipſa re decreta, quatenus refertur ad intellectum divinum, intelligitur cur Deus unico voluntatis actu eandem decernere potuerit; ita non minus ex eadem, quatenus ad intellectum humanum refertur, perſpicitur, cur unicum Dei decretum a nobis ſpectari poſſit tanquam multiplex, & cur hoc modo ſpectari debeat, ſi quidem diſtincte idem nobis repræſentare velimus.

§. 522.

Futuritio rerũ unde.

Per decretum Dei res decreta facta eſt futura. Etenim ſi ea ſpectetur ante decretum, quatenus ejus idea eſt in intellectu divino; nonniſi poſſibilis intelligitur, (§. 192), nimirum intrinſece talis, & ubi ad potentiam Dei refertur, exiſtere poſſe (§. 343), adeoque extrinſece poſſibilis agnoſcitur (§. 111 *Coſmol.*). Quodſi jam decretum Dei accedit, Deus voluntatem ſuam determinat ad actualitatem ipſi aliquando conferendam (§. 497). Quamobrem cum decretum Dei ſit immutabile (§. 509); quod decrevit, id quoque aliquando exſtiturum. Per decretum adeo res decreta habet, ut ſpectetur tanquam a potentia ad actum traducenda, adeoque tanquam futura (§. 584 *Ontol.*), ſeu, quod perinde eſt, per decretum Dei facta eſt futura.

Patebit inferius probe perpendendum eſſe, quomodo ens quodcunque pendeat a Deo. Nimirum ab intellectu divino eſt poſſibilitas ejus intrinſeca & a potentia ante decretum fluit poſſibilitas extrinſeca: decretum vero ſuperaddit futuritionem, ſeu ex ſtatu nudæ poſſibilitatis rem decretam deducit in ſtatum futuritionis. Quamobrem ubi ſpectatur poſt decretum, non amplius apparet tantummodo ut intrinſece atque extrinſece poſſibilis, verum etiam ut a potentia ad actum certo perducenda ſeu tanquam futura. Facile autem nemo non videt, ante decretum rem nullam ſpectari poſſe tanquam futuram, nec poſt idem demum

tanquam poſſibilem. Non tædet hæc inculcare, propterea quod hæc vulgo a ſe invicem non ſatis diſtinguantur: unde deinde in aliis, quæ hinc pendent, lites naſcuntur inanes & difficultates vix ſubinde extricabiles.

§. 523.

Unde pendeat præſcientia futurorum.

Quoniam per decretum Dei res futura facta eſt; *qui novit, quod quid ſit a Deo decretum, is quoque novit certo futurum.*

Atque adeo perſpicimus præſcientiam futurorum pendere a decreto, cum res ante decretum tantummodo ſpectari poſſint ut præſcibiles, quemadmodum ſupra abunde oſtendimus (§. 232 & ſeqq.).

§. 524.

Præſcientia divina demonſtrata.

Deus præſcivit omnes effectus rerum materialium & omnes noſtras cogitationes, ſeu quicquid in hac rerum ſerie in tempore exiſtit, ab æterno. Cum enim Deus exiſtentiam hujus ſeriei rerum decrevit (§. 519), eam atque ſemetipſum (§. 141), conſequenter decretum ſuum cognoſcens, aliquando extituram novit, quam primum ejus exiſtentiam decrevit (§. 523). Enimvero decrevit eandem ab æterno (§. 504). Ab æterno igitur novit, hanc rerum ſeriem aliquando extituram. Enimvero omnes effectus rerum materialium Deo præſcibiles ſunt (§. 232), una cum omnibus cogitationibus noſtris (§. 235), ipſis etiam liberis hominis decretis (§. 233). Quamobrem patet Deum ab æterno præſciviſſe, quicquid in tempore futurum, nempe omnes rerum materialium effectus & omnes animarum omnium cogitationes.

Nimirum quod ante decretum ut præſcibile, idem poſt decretum tanquam præſcitum conſideratur, ut adeo pateat, quomodo decretum divinum in præſcientiam influat.

§. 525.

Relatio rerum decretarum ad potentiã ipſius.

Quicquid Deus decrevit, id etiam facere poteſt & in tempore facit, quemadmodum decrevit. Deus enim facere poteſt, quodcunque vult (§. 352). Quod vero decernit, illud facere vult (§. 497). Ergo quicquid decrevit, id etiam facere poteſt. *Quod erat unum.*

Enimvero decretum Dei eſt immutabile (§. 509), conſequenter quod ſemel facere voluit, ut in poſterum facere nolit, & quale ſemel facere voluit, ut in poſterum tale facere nolit, fieri minime poteſt (§. 291 *Ontol.*). Quamobrem quod Deus ab æterno decrevit, id in tempore facit, quemadmodum decrevit. *Quod erat alterum.*

Hæc propoſitio plurimum influit in praxin, quemadmodum in philoſophia morali docebitur.

§. 526.

Effectus decreti in re decreta.

Decretum Dei nihil in re decreta mutat. Etenim cum decretum Dei non ſit niſi actus, quo Deus voluntatem ſuam determinat ad quid agendum, vel non agendum (§. 497); ſi Deus rem quandam decernit, eam ad actualitatem perducere vult. Enimvero cum poſſibilitas rerum non pendeat a voluntate Dei (§. 434); ante decretum jam intelligitur poſſibilis, & quidem intrinſece, quatenus idea ejus in intellectu divino continetur (§. 192), extrinſece vero, quatenus Deus eam facere poteſt (§. 352 *Theol. nat.* & §. 111 *Coſmol.*). Talem igitur decernit, qualem poſſibilem intrinſece & extrinſece no-

ce novit, hoc eſt, qualem a ſe fieri poſſe intelligit, antequam eam ad actum perducere velit. Quoniam itaque decretum rei intrinſece atque extrinſece poſſibili nihil ſuperaddit, niſi certitudinem exiſtendi; nihil in re eadem mutari palam eſt.

Nimirum decreto Dei tribuendum, quod quæ in tempore exiſtunt, non in ſtatu puræ poſſibilitatis fuerint relictæ: minime autem res tales ſunt, quod Deus tales eſſe debere decreverit. Quatenus tamen decrevit Deus, ut res, quæ tales ſunt, potius exiſtant, quam aliæ, & quid decreverit penitus intelligit (§. 511), & facere poteſt, quæ decrevit (§. 525); eatenus recte dicitur res tales exiſtere, quales eas Deus exiſtere debere decrevit.

§. 527.

Decretum Dei nec contingentiam, nec libertatem tollit. Etenim cum decretum Dei nihil in re decreta immutet (§. 526), adeoque eandem relinquat, qualis ſpectatur ante ipſum (§. 291 *Ontol.*); evidens eſt, quod ante decretum divinum ſpectatur ut contingens, idem etiam non aliter ſpectari poſſe quam contingens poſt decretum, & quod ante decretum intelligitur eſſe liberum, id etiam liberum intelligi poſt decretum. Decretum itaque Dei nec contingentiam, nec libertatem tollit.

Quomodo decretum Dei nec contingentiam, nec libertatẽ tollat.

Receptus Theologis & philoſophis canon eſt: *decretum Dei non tollere contingentiam, nec efficere libertati humanæ.* Puto autem ex iis, quæ a nobis hactenus de intellectu, potentia & decreto divino dicta ſunt, liquido conſtare veritatem ejuſdem. Nimirum quicquid contingenter exiſtit, id ideo potius exiſtit, quam alia contingentia, quia Deus voluit, ut, quod contingenter exiſtere poterat, contingenter exiſteret, & quod homo libere vult, id ideo libere vult, quod Deus decrevit eum libertati ſuæ relinquere.

§. 528.

Res decretæ præſcibiles fuere ante decretum, ſed actu præſcitæ poſt decretum. Etenim Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit in ſe præſcibilia qua talia, & ut ſibi præſcibilia (§. 246). Enimvero per eandem nihil cognoſcitur tanquam futurum (§. 227), conſequenter nihil actu præſcitur (§. 231). Quoniam itaque res demum per decretum evadunt futuræ (§. 522); ideo patet, quod actu non præſciantur ante decretum, etſi præſcibiles fuerint ante idem *per demonſtrata*; conſequenter ante decretum res decretas tantummodo fuiſſe præſcibiles. *Quod erat primum.*

Quomodo ſe res habeant ante & poſt decretum quoad intellectum divinum.

Enimvero per decretum Dei res decretæ factæ ſunt futuræ (§. 522), adeoque quæ præſcibilia erant ante ipſum *per demonſtrata*, poſt idem ſpectata ſunt tanquam futura (§. 231), conſequenter poſt decretum actu præſcita (§. *cit.*). *Quod erat alterum.*

Ante decretum Deus ſpectavit res, quas decernere poterat, ſiquidem ipſi ita videretur (§. 506), tanquam præſcibiles, hoc eſt, cognovit, ſi hanc vel iſtam rerum ſeriem ad actum perducendam decerneret, hæc vel iſta certo fore futura, ut adeo præſcibilitatis cognitio ſit conditionata quædam præſcientia, quæ tota hac propoſitione continetur: Si hic mundus ad actum perducitur, hæc quoque certo futura ſunt. Jam per decretum divinum ponitur antecedens, nimirum hunc mundum per omnipotentiam Dei ad actum perducendum eſſe, adeoque Deus decreti ſui non ignarus novit, quod eundem ad actum perducere velit, omnipotentiæ ſuæ certus perſpicit, eundem a ſe ad actum deduci poſſe, & immutabilitatis decreti ſibi conſcius (§. 509), nullo modo de ejus executione dubitare potuit. Quamobrem poſt decretum poni quoque debet conſequens, atque adeo Deus cognoſcit, hæc eſſe certo futura. Quicquid igitur hic dicendum, hoc ſyllogiſmo hypothetico comprehenditur.

Si hic

Si hic mundus ad actum perducitur, hæc quoque certo futura ſunt:
Atque hic mundus ad actum perducetur.
Ergo hæc quoque certo futura ſunt.

Major ſiſtit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ res decretas tanquam præſcibiles ante decretum. Minor ponit decretum & concluſio reſpondet præſcientiæ, ut adeo pateat, quomodo poſito decreto, ponatur præſcientia, & cur illo poſito, hæc etiam poni poſſit. Nimirum niſi res eſſent præſcibiles ante decretum, non præſcirentur poſt decretum, niſi quibus idem exiſtendi neceſſitatem imponeret, conſequenter aut decretum Dei omnem tolleret libertatem, aut actiones liberæ præſciri minime poterant. Atque hinc plenius intelligitur, quam ſit neceſſe rerum præſcibilitatem ante decretum expendi, ne circa præſcientiam ſuboriantur dubia. Quamobrem non piget præſcibilitatem rerum, quæ decerni poterant, uberrime inculcaſſe (§. 232 & ſeqq.), & velim ea probe perpendant, quibus præſcientia divina negotium faceſſit, nullo non tempore conceptu difficilis viſa, ad quam tamen nos viam planam commonſtraſſe exiſtimamus.

§. 529.

Rerum immutabilitas per præſcientiã.

Præſcientia Dei in re præſcita nihil mutat. Etenim res decretæ præſcibiles fuere ante decretum (§. 528), adeoque Deus novit, ſi hæc rerum ſeries producatur, has res eſſe certo futuras (§. 231): eædem vero actu præſcitæ fuere poſt decretum (§. 528), adeoque Deus novit, quod hæc certo eventura ſint, quod hunc mundum producere decrevit (§. 231). Enimvero decretum Dei nihil in re decreta immutat (§. 526), adeoque talis res præſcitur, qualis ante ipſum præſcibilis erat, hoc eſt, talis futura intelligitur vi præſcientiæ, qualis futura fieri poſſe intelligitur vi ſimplicis intelligentiæ. Præſcientia igitur Dei in re præſcita nihil immutat.

Immutabilitas rerum per præſcientiam pendet ab immutabilitate per decretum: qui hanc intelligit, ei nec illa obſcura eſſe poteſt. Obtinent eadem in humanis, ut adeo nihil adſit difficultatis, modo omnia intricando temetipſum perplexum reddere nolis. Sane novit homo, ſe verno tempore in horto viſurum florentes arbores, ſi ſe in eundem conferat. Reſpondet hæc cognitio actui ſimplicis intelligentiæ, quo quid tanquam præſcibile cognoſcitur, & apparet, quomodo præſcibilitas ſit conditionata quædam præſcientia. Ponamus jam nos decernere, quod ſtatim in hortum excurrere velimus, nec quicquam nos ab hoc propoſito dimovere debeat: patet per hoc decretum nos certos reddi, quod arbores florentes viſuri ſimus. Quod igitur ante hoc decretum tantummodo ſpectabatur tanquam tale, quod futurum fieri poterat, poſt idem jam ſpectatur tanquam certo futurum, quanta nimirum certitudo in negotiis humanis eſſe poteſt, fortuitis ac minime prævifis eventibus facile labefactanda. Hinc vero ſimul liquet, nec decretum, nec præſcientiam quicquam in re immutaſe. Poſſibile nimirum eſt, ut in hortum veniens videas arbores florentes, antequam decernas te illuc venturum, conſequenter antequam certus es, te eas viſurum. Ubi vero te illuc venturum decernis, in eo, quod fieri poterat, nihil mutatur, licet jam futurum ſit, quod ante decretum tantum fieri poſſe intelligebatur. Et quoniam noſti te arbores florentes viſurum, propterea quod tibi conſcius es te in hortum excurſurum, ubi arbores florent; nihil in actu viſionis arborum florentium immutatur, ſed manet is, qualis erat poſſibilis ante decretum. Neceſſe igitur eſt, ut ad noſmet ipſos animum advertamus, lucidas præſcientiæ & ejus a decreto dependentiæ notiones nacturi: quo facto, ego ſane non video, quomodo quicquam in hoc argumento difficultatisupereſſe poſſit. Imo ſi tertius noverit, quid a te ſit decretum, futuram is cognoſcit liberam actionem alienam, hac ipſa tamen ſua præſcientia nihil prorſus in eadem immutat. Palam vero non minus eſt, quantum conducat ad rerum per decretum & præſcientiam immutabilitatem cognoſcendam, ut probe perpendatur earum præſcibilitas: quam ideo clariſſime probatam dedimus in ſuperioribus (§. 232 & ſeqq.).

§. 530.

Cur contingentiã & liber-

Præſcientia Dei nec contingentiam, nec libertatem tollit. Etenim præſcientia in re decreta nihil immutat (§. 529), conſequenter eam talem relinquit, qualis

Digitized by Google

qualis in ſe eſt. Quamobrem quæ contingentia ſunt, manent contingentia dum præſciuntur; quæ libera ſunt, libera manent. Præſcientia igitur Dei nec contingentiam, nec libertatem tollit.

tatem non tollat.

Idem quoque lucidius hoc modo oſtenditur. Succeſſiva in mundo contingentia ſunt (§.80 *Coſmol.*), nec minus in ſe contingentes ſunt volitiones ac nolitiones animæ, ipſi etiam motus corporis a voluntate pendentes (§. 935 *Pſychol. empir.*), eædemque volitiones ac nolitiones liberæ ſunt (§. 942 *Pſychol. empir.*). Enimvero oſtendimus ſuperius effectus rerum naturalium, quæ ſucceſſivorum ſeriem conſtituunt, eſſe in ſe, adeoque qua contingentes (§. 232), & libera hominis decreta ſimiliter in ſe, adeoque quatenus libera ſunt, præſcibilia (§. 233). Quamobrem eum præſcibilia ante decretum, actu præſciantur poſt decretum (§. 528), decretum vero contingentiam & libertatem non tollat (§. 527); dum res præſciuntur, quæ contingentia ſunt, ut contingentia; quæ libera ſunt, ut libera præſciuntur, adeoque præſcientia nec contingentiam, nec libertatem tollit.

Quæ de difficultate, quam objicit perverſa libertatis notio, moneri poterant, de iis jam diximus, cum de præſcibilitate liberorum decretorum animæ ageremus (*not.* §. 233). Nimirum præſcibilitatem non modo expendi convenit ex parte Dei, quemadmodum vulgo fieri ſolet; verum etiam ex parte ipſius objecti, quod vulgo negligitur. Tum enim veritas propoſitionis præſentis liquido demum conſtabit, ſimulque apparebit, quam ſit neceſſe notioni libertatis non admiſceri, quæ a veritate aliena ſunt, ſicuti faciunt qui præſcientiam liberorum decretorum animæ negant.

§. 531.

Deus præſcit ab æterno ſtatus quoslibet in omni elemento rerum materialium & eorundem dependentiam a ſe invicem in omnibus. Etenim in omni elemento rerum materialium ſtatus quilibet (§. 236) & omnium dependentia a ſe invicem, & in ſe, & Deo præſcibilis eſt (§. 237). Enimvero quod ut præſcibile ſpectatur ante decretum, id actu præſcitum poſt decretum (§. 528). Quamobrem Deus quoque poſt decretum præſcivit ſtatus quoslibet in omni elemento rerum materialium eorundemque dependentiam a ſe invicem in omnibus. Decrevit autem Deus omnia ab æterno (§. 504). Ergo etiam ab æterno Deus præſcivit ſtatus quoslibet rerum materialium in omni elemento & eorundem dependentiam a ſe invicem in omnibus.

Præſcientia ſtatuum elementorũ.

Equidem hæc propoſitio ſuperflua videri poterat, propterea quod mutationes ſtatuum elementorum & quæ inde naſcitur earundem ad ſe invicem relatio ad ea ſpectat, quæ in mundo hoc adſpectabili contingunt, a Deo autem præſciri jam evictum fuit (§. 524): quoniam tamen conſtat ideam mundi, qualis in Deo eſt, referre elementa rerum materialium cum omni mutationum ſerie, quæ in unaquaque eſt, ita coordinata, quomodo mutationes unius pendent a mutationibus ceterorum (§. 200); res ipſa poſtulare videbatur, ut præſcientiam divinam ad mundum intelligibilem extenderemus (§. 203), quem per principia coſmologica & ontologica extra omnem dubitationem poſitum arbitramur. Quodſi vero quis circa mundum intelligibilem, qualem nos delineavimus, hæreat; is propoſitionem præſentem omittat, & in antea demonſtratis, quæ ad mundum ſenſibilem ſpectant (§. 202), acquieſcat.

§. 532.

Præſcientia divina infallibilis eſt. Etenim Deus eum ſit ab omni prorſus errore immunis (§. 294), cumque ipſi præſcibiles ſint & omnes in mundo mate-

Infallibilitas præſcië-

tiæ divinæ. materiali eventus (§. 232), & omnes ſtatus elementorum (§. 237), & omnes noſtræ cogitationes (§. 235); quæ futura ſint, ſiquidem hæc rerum ſeries ad actum perducatur, ab æterno certo perſpicit (§. 231). Jam per decretum Dei res, quæ ante idem futura fieri poſſe intelligebatur, futura facta eſt (§. 522), cumque decretum ipſius ſit immutabile (§. 509); fieri quoque non poteſt, ut voluntate Dei, cujus quippe actus eſt decretum ipſius (§. 497), ex nudo poſſibilitatis ſtatu in ſtatum futuritionis translata ex hoc in illum quaſi recidat, conſequenter quod ab æterno jus quoddam aliquando exiſtendi nactum eſt, idem id ipſum rurſus amittere nequit. Quoniam itaque Deus decretum ſuum penitus intelligit (§. 511); quænam ſint certo futura, novit (§. 523), citra omne errandi periculum (§. 294). Præſcientia adeo Dei infallibilis eſt.

Nimirum cognoſcens non fallitur, quatenus ab errore immunis eſt. Hinc & Deus in præſciendo non fallitur, quatenus in præſciendo errare nequit, ſeu præſcientia ejus nulla erroris macula afficitur. Si præſcientia Dei fallere poſſet, aut Deus ignorare deberet, quid in ſerie aliqua rerum actum conſequi poſſit, ubi eam decreverit; vel ignorare deberet, quamnam rerum ſeriem decreverit; vel decretum ſuum mutare deberet in tempore. Enimvero Deo præſcibilia ſunt omnia (§. 232. 235. 237), adeoque novit quid in aliqua rerum ſerie actum conſequi poſſit (§. 231); novit Deus, quamnam rerum ſeriem decreverit (§. 511); decretum deníque ipſius immutabile eſt (§. 509). Fieri adeo nullo modo poteſt, ut præſcientia divina fallat.

§. 533.

Conſectarium infallibilitatis præſcientiæ. *Quod Deus ab æterno præſcivit, id in tempore, quemadmodum præſcivit, certo futurum.* Pone enim ſi fieri poteſt, aliquid, quod Deus præſcivit, in tempore non fieri, aut non fieri eo, quem Deus præſcivit, modo. Neceſſe igitur eſt, ut Deus judicet, aliquid eſſe futurum, quod futurum non eſt, vel eſſe futurum hoc modo, cum hoc modo futurum non ſit, conſequenter falſum pro vero habet (§. 507 *Log.*), adeoque errat (§. 623 *Log.*). Quoniam itaque præſcientia Dei infallibilis non eſt, niſi quatenus nulla erroris macula contaminata (*not.* §. 532); erit præſcientia Dei fallibilis: quod cum ſit abſurdum (§. 532), quod Deus ab æterno præſcivit, id in tempore, quemadmodum præſcivit, certo futurum.

§. 534.

Æternitas præſcientiæ divinæ. *Deus omnia præſcivit ab æterno.* Etenim Deus omnia præſcivit, quamprimum exiſtentiam hujus ſeriei rerum decrevit (§. 528). Enimvero decrevit eam ab æterno (§. 504). Ergo etiam omnia ab æterno præſcivit.

Quoniam Deus ab æterno præſcivit, quicquid præſcivit, ideo præſcientia ipſius æterna dicitur. Ceterum hanc propoſitionem addimus ex ſuperfluo, ut conſtet, totum actum præſcientiæ eſſe æternum.

§. 535.

Quænã ad hanc rerum ſeriem *Quicquid Deus præſcivit, illud vel jam fuit, vel præſens eſt, vel olim erit.* Quod enim Deus præſcivit ab æterno, id in tempore quomodo præſcivit certo futurum (§. 533). Neceſſe igitur eſt, ut aliquo tempore actu exiſtat,

ſeu

ſeu præſens ſit. Quamobrem vel nunc exiſtit, vel antea extitit, vel olim erit. *perti-tineant.*

Idem etiam per indirectum oſtenditur. Pone aliquid, quod Deus præſcivit, nec præſens eſſe, nec antea extitiſſe, nec olim extiturum eſſe. Quoniam Deus præſcit, quatenus judicat, hoc vel iſtud eſſe futurum (§. 231), conſequenter aliquando extiturum (§. 228); æternum Dei de actualitate rei iſtius judicium falſum fuit (§ 507 *Log.*). Præſcientia igitur Dei fallibilis: quod abſurdum (§. 532).

§. 536.

Quod a Deo præſcita habeant veritatē determinatam.

Hinc conſequitur: *ſi quid Deus præſcivit; id veritatem determinatam habuiſſe ab æterno.* Etenim de eodem ab æterno affirmari potuit, quod ſit extiturum; negandum vero fuit, quod non ſit extiturum, hoc eſt, vera fuit ab æterno hæc propoſitio: Die 18 Auguſti anni præſentis, quo hæc ſcribo, erit novilunium; falſa vero fuit oppoſita: die iſto non erit novilunium. Enimvero veritatem determinatam habet id, de quo alteram contradictionis partem affirmari, alteram negari oportet (§. 106 *Coſmol.*). Quamobrem quicquid Deus præſcivit, id veritatem determinatam habuit ab æterno.

Cur veritas eorum, quæ in mundo contingunt, determinata ſit, antequam contingunt, demonſtravimus jam in Coſmologia (§. 107) & ex iis abunde liquet, quæ de præſcibilitate omnium, quæ poſſibilia ſunt, & de eorum actuali præſcientia accedente decreto divino demonſtrata fuere. Etenim quatenus res in ſe præſcibiles ſunt, eatenus intelligitur, quod non repugnet, ut veritatem determinatam habeant, ſiquidem Deus velit, ut exiſtant. Quamobrem ubi accedit decretum divinum, æterna Dei de actualitate rerum voluntas (§. 497), veritas eorum determinatur. Cum hic de actualitate rerum ſermo ſit, nemo non videt, hic agi de veritate determinata ſingularium, non vero de veritatibus univerſalibus: id quod probe notandum eſt, ne videamur hic loci aſſerere, quod ſuperius rejecimus. Nimirum veritates univerſales neceſſariæ ſunt, nec pendent a decreto Dei, ſed ab ideis intellectus divini neceſſariis: aſt veritates ſingulares arbitrariæ ſunt, & pendent a decreto divino, eo quidem modo, quo in eodem a Deo ſpectantur. Diverſo enim modo a Deo ſpectata fuiſſe, quæ decrevit, deinceps oſtendemus. Ne vero quid obſcuritatis in re tam ardua relinquatur, quæ multos perplexos reddit: noſtrum eſt addere, quæ ad eam in apricum producendam facere poſſunt.

§. 537.

Quænā ab æterno habeāt veritatem determinatam.

Omnes effectus rerum materialium & omnes noſtræ cogitationes, omneſque ſtatus in omni elemento rerum materialium & eorundem dependentia a ſe invicem in omnibus, veritatem determinatam habuere ab æterno. Etenim omnes effectus rerum materialium & omnes noſtras cogitationes (524), omneſque ſtatus in omni elemento rerum materialium & eorundem dependentiam a ſe invicem in omnibus Deus præſcivit ab æterno (§. 531). Quicquid vero Deus præſcivit, id veritatem determinatam habuit ab æterno (§. 536). Ergo omnes effectus rerum materialium & omnes noſtræ cogitationes, omneſque ſtatus in quolibet elemento rerum materialium atque eorundem a ſe invicem in omnibus dependentia, veritatem determinatam habuere ab æterno.

Ut propoſitio præſens rite intelligatur, animo recolendum eſt, quod alibi (§. 106 *Coſmol.*) explicavimus, quænam ſcilicet veritatem determinatam habere dicantur. Repe-

tenda quoque ſunt exempla, & olim (*not.* §. *cit.*), & modo in medium allata (§. *præced.*). Neque difficile eſt alia quotcunque iiſdem addere. Hodie Marburgi cælum non eſt prorſus ſerenum, ſed hinc inde nubes interruptæ comparent. Ab æterno igitur verum fuit: die 4. Auguſti An. 1735 Marburgi Cattorum cælum erit non prorſus ſerenum, ſed nubes hinc inde interruptæ comparebunt. Ex adverſo autem falſum fuit: die 4. Auguſti Anno 1735 Marburgi Cattorum cælum erit prorſus ſerenum, nec ulla alicubi conſpicietur nubecula. Similiter hoc ipſo momento hæc ſcribo: quamobrem ab æterno verum fuit, me hoc ipſo momento hæc eſſe ſcripturum; aſt falſum e contrario, me hoc ipſo momento hæc non eſſe ſcripturum.

§. 538.

Differētia verū ante & poſt decretum ſpectatarum.

Si ea, quæ contingunt, ſpectentur ante decretum; veritas eorum determinabilis: ſi vero ſpectentur poſt decretum; veritas eorundem determinata eſt. Etenim ea, quæ contingunt, ante decretum præſcibilia fuere (§. 528). Quamobrem cum præſcibile ſit, quod in ſe tale eſt, ut præſciri, adeoque tanquam futurum cognoſci poſſe, non repugnet (§. 231); ea, quæ contingunt, ante decretum talia deprehenduntur, ut futura fore agnoſcantur, ſiquidem hujus ſeriei rerum, ad quam ſpectant, exiſtentia decernatur. Quoniam itaque quid determinabile eſt, ſi quid de eodem affirmari poſſit, etſi nondum affirmari debeat (§. 105 *Ontol.*); rerum, quæ contingunt, ante decretum ſpectatarum, veritas determinabilis eſt. *Quod erat primum.*

Jam vero poſt decretum ea, quæ contingunt, actu præſciuntur (§. 528), conſequenter ut futura cognoſcuntur (§. 231). Quoniam itaque poſt decretum certum eſt, ea eſſe extitura, & veritas eorum determinata eſt, de quibus alteram contradictionis partem affirmari, alteram negari oporret (§. 106 *Coſmol.*); veritas eorum, quæ contingunt, poſt decretum determinata eſt. *Quod erat ſecundum.*

Patet hinc, quomodo decretum influat in determinationem veritatis contingentium ab æterno. Nimirum ante decretum certum eſt, ſi hæc ſeries rerum exiſtat, hoc contingenter in eodem extiturum. Atque adeo patet, ipſum eſſe determinabile quoad futuritionem in affirmativam contradictionis partem. Per decretum ponitur exiſtentia hujus ſeriei rerum tanquam certo futura. Quamobrem poſt ipſum liquet, hoc in eadem aliquando certo extiturum, conſequenter futuritio, quam ante decretum de eodem affirmari non repugnabat, ſeu quæ poſſibilis erat, nunc de eodem affirmari debet. Atque adeo veritas ipſius per decretum determinata. Quomodo veritas determinata contingentium ab æterno clarius exponi poſſit, ego ſane non video. Si cui adhuc obſcura videatur, is ſibi tribuat, quod notiones anteriores, in quas notio veritatis determinatæ contingentium ab æterno reſolvitur, nondum experiatur familiares. Ceterum probe notandum eſt, quomodo decretum in veritatem determinatam contingentium ab æterno influat, ne in doctrina de malo morali, quod ſeriei rerum præſentis implicitum eſt, difficultates naſcantur.

§. 539.

Relatio actus cōtingentiū ad præſcientiā.

Veritatem determinatam ea, quæ contingunt, ab æterno habuere, non quia Deus ea præſcivit; ſed Deus ea præſcivit, quia veritatem determinatam ab æterno habuere, ſeu, quod perinde eſt, *Nihil in tempore contingit, quia Deus præſcivit; ſed Deus ea præſcivit, quia contingunt.* Ea enim, quæ contingunt, non poſſunt ſpectari tanquam præſcita ante decretum, ſed demum poſt decretum (§. 528. Quamobrem cum ante decretum illorum veritas tantummodo determinabilis ſit, poſt decretum vero determinata (§. 538); ea quæ

ea, quæ contingunt, non poſſunt ſpectari tanquam præſcita, quamdiu eorundem veritas determinata non eſt, intelliguntur autem præſcita eſſe, quamprimum veritas ipſorum determinata, conſequenter ratio ſufficiens præſcientiæ eſt eorundem determinata veritas (§. 56 *Ontol.*). Quoniam igitur poſita ratione ſufficiente ponitur id, quod propter eam potius eſt quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); ea, quæ contingunt, præſciuntur, quia veritatem determinatam habent, adeoque veritatem determinatam non ideo habent, quia præſciuntur.

Nimirum ſi ea, quæ contingunt, conſideremus ante decretum Dei; Deo perſpectum eſſe novimus, ſi hæc rerum ſeries ad actum perducatur, fore ut hæc ipſi contingenter inſint. Quodſi jam porro concipimus, Deum decreviſſe hanc rerum ſeriem ad actum perducendam; tum intelligimus, veritatem eorum, quæ nunc contingunt, fuiſſe determinatam, ſeu a decreto divino certum fuiſſe, ea, quæ nunc contingunt, extitura eſſe, atque ideo Deo vi omniſcientiæ idem quoque perſpectum fuiſſe colligimus. Evidens hinc eſt, præſcientiam a nobis concipi per determinatam contingentium veritatem, minime vero determinatam contingentium veritatem per præſcientiam.

§. 540.

Fortuna quid dicatur.

Fortuna eſt concurſus cauſarum minime prævifus ad effectum homini vel bonum, vel malum producendum. Dicitur ***Fortuna ſecunda***, quando effectus inde pendens nobis judicatur bonus: aſt ***Fortuna adverſa*** audit, quando effectus inde pendens nobis cenſetur malus.

Ita e. gr. inventio theſauri tribuitur fortunæ ſecundæ, quod opes cenſeantur bonæ: aſt crurifragium, quod quis patitur ex ſcala delapſus, refertur ad fortunam adverſam, quod crurifragium nemo non exiſtimet malum. Fortuna igitur in genere dicitur vocabulum mediæ ſignificationis, quod nunc in bono, nunc in malo ſenſu accipitur, quale etiam eſt valetudo. Aſt in vernacula unamquamque fortunam proprio indigitamus nomine, ſecundam nimirum appellantes *Glück*; adverſam vero *Unglück*.

§. 541.

An ſignificatus vocabuli fortunæ ſumatur in ſignificatu recepto.

Definitio fortunæ, quam dedimus, eſt recepto uſui loquendi conformis. Patet hoc eunti per exempla. Ponamus Cajum hiberno tempore eodemque veſpertino in foro frigoris ſeveritate ad emungendos nares coactum una cum muccinio horologium portatile extrahere, quod cum ipſo inſcio fiat, in nive ſepultum relinquit. Jactura horologii, quam patitur Cajus ad fortunam adverſam refertur. Enimvero ponamus porro Titium ſummo mane, antequam dies illuceſcit, in templum feſtinantem, quod paulo tardius evigilaverit, impingere in nivem, ubi horologium ſitum, & animadvertentem quiddam in nive jacere, idem quærere ac tandem quæſitum reperire. Inventio horologii, quæ Titio obtingit, tribuitur fortunæ ſecundæ. Inventio horologii in caſu altero, ejuſdem jactura in primo tribuitur fortunæ, tanquam cauſæ ad effectum concurrenti. Unde ſi adverſa fuerit, eam reprehendimus & eandem accuſamus, quaſi non fecerit, quod facere debebat: ſi vero proſpera fuerit, eam laudamus & ei gratias agimus, quaſi fecerit, quod optaveramus. Et quia fortunam in numero cauſarum efficientium collocamus, ideo per fictionem veluti ens intelligens repræſentatur, quod uni favet, alterum odit. Enimvero ſi ad exemplum modo in medium

allatum animum advertamus, haud difficulter perſpicitur, quænam ſint ea, ob quæ fortuna tanquam cauſa horologii amiſſi in caſu uno, inventi in altero allegari poſſit. Nimirum patet in caſu primo, ſi Cajus veſpertino tempore non foras egreſſus fuiſſet, illum horologium minime amiſſurum. Quæcunque igitur cauſa fuit, cur egrederetur; illa etiam in jacturam horologii influit. Patet porro ipſum horologium non amiſſurum fuiſſe, ſiquidem frigus minime ſæviiſſet. In jacturam adeo horologii influit quoque frigus. Patet denique horologii jacturam non fuiſſe facturum Cajum, niſi nix terram obtexiſſet. Quamobrem in eandem etiam influit nix. Habes adeo hic plures cauſas influentes in jacturam horologii, ſed quarum concurſus ab eo, qui hanc jacturam facit, minime prævideri potuit. Et ſane cum hoc concurſu poſito ponatur jactura horologii, adeoque eidem hæc tribui debeat; nemo non videt eundem eſſe id, quod tanquam fortunam adverſam accuſat Cajus. Quoniam itaque fortuna a nobis ſumitur pro concurſu cauſarum minime præviſo (§. 540); vocabulum utique ſumitur in ſignificatu recepto. Idem ſimiliter patet in caſu altero, quo horologii inventio accepta refertur fortunæ proſperæ. Patet enim niſi Titius ſummo mane in templum ſe contuliſſet, ipſum horologium non fuiſſe inventurum. Frequentatio igitur templi in inventionem horologii influit. Patet porro Titium non fuiſſe horologium reperturum, niſi feſtinaſſet, nec feſtinaturum, niſi tardius evigilaſſet. Influit adeo tam feſtinatio euntis, quam evigilatio tardius dormientis in inventionem horologii, conſequenter quicquid in cauſa fuit, cur tardius evigilaverit. Quamobrem perinde ac ante plures concurrunt cauſæ, quibus inventio horologii tribuenda, & quarum concurſum minime prævidit inventor. Et quoniam poſito hoc concurſu ponitur inventio horologii; per fortunam, quam ſibi faventem laudat Titius, intelligi nequit niſi hic ipſe cauſarum concurſus. Atque adeo per hunc quoque caſum palam fit, vocabulum fortunæ a nobis ſumi in ſignificatu recepto.

Exempla plura non addo: etenim unuſquiſque eodem modo in aliis exemplis oſtendere poterit, quod fortunæ nomine nil quicquam aliud niſi concurſus cauſarum indigitetur, ab eo minime prævidendus, qui eandem ſive adverſam, ſive proſperam aut faventem experitur. Ex ipſa autem notione fortunæ pateſcit, quomodo ea in caſu quocunque dato detegatur. Nimirum inquirendum eſt in cauſas proximas, quæ in effectum fortunæ tributum influxere: quodſi enim has detegere nobis detur, fortunam a facie noverimus. Cauſas remotas hic inſuper habemus, propterea quod earum inveſtigatio plerumque in poteſtate non ſit, quemadmodum in Phyſicis in cauſis proximis acquieſcere ſolemus, phænomeni alicujus rationem redditurи. Non tamen negamus, fortunam plenius cognoſci, ſiquidem cauſæ quoque remotæ innotuerint.

§. 542.

Cur ex parte Dei fortunæ locus non ſit, ſed

Ex parte Dei fortuna nulla eſt; ſed tantummodo ex parte hominum eidem locus eſt. Etenim Deus præſcivit ab æterno omnes effectus rerum materialium omneſque noſtras cogitationes, ſeu quicquid in hac rerum ſerie in tempore exiſtit (§. 524), adeoque fieri haud quaquam poteſt, ut cauſarum quarundam concurſum minime prævideat. Quamobrem cum fortuna ſit

cauſa-

cauſarum concurſus minime prævifus (§. 540); ex parte Dei fortuna nulla datur. *tantum ex parte hominũ.*

Enimvero cum unuſquiſque mortalium ſatis ſuperque norit, nexum rerum in univerſo ſibi minime eſſe perſpectum, ac ideo cauſas plures concurrere poſſe ad effectum aliquem producendum, ipſo prorſus inſcio ac de eo parum cogitante; ex parte hominum fortunæ locum eſſe debere, perſpicuum eſt.

Patet adeo Deo nihil evenire poſſe præter cogitationem atque intentionem, quemadmodum nobis ſæpiſſime accidit. Ratio nimirum maniſeſta eſt, quod Deus omniſcius prævideat omnja; nos vero ab omniſcientia infinito prorſus intervallo remoti, nulla in re magis cœcutiamus, quam in prævifione futurorum. Noſtris adeo negotiis immiſcetur fortuna, quam nunc faventem, nunc adverſam experimur, ita ut audaces ſæpiſſime juvet, & ex adverſo vel ſapientiſſimos repellat.

§. 543.

Deus fortunam omnem præſcivit ab æterno. Quicquid enim in hac rerum ſerie exiſtit in tempore, Deus ab æterno præſcivit (§. 524). Quamobrem cum fortuna quidam ſit concurſus plurium cauſarum ad effectum quendam producendum (§.540); quin ad ea referri debeat, quæ in tempore exiſtunt in hac rerum ſerie, dubitari nequit. Deus igitur fortunam omnem ab æterno præſcivit. *Præſcitia fortunæ.*

Hæc propoſitio influit non uno modo in praxin, quemadmodum ſuo tempore in philoſophia practica oſtendetur: quæ ſane ratio eſt, cur ejus hic diſertam mentionem faciamus.

ſ. 544.

Fortuna quoque omnis Deo præſcibilis fuit ante decretum, & facta futura per decretum. Etenim Deo præſcibiles ſunt omnes effectus rerum materialium (§.232) & omnia libera animæ decreta (§.233), conſequenter omnia, quæ in hac rerum ſerie actum conſequuntur. Quoniam itaque in horum numero quoque eſt fortuna, cauſarum plurium ad effectum quendam concurſus (ſ.540); fortuna quoque Deo præſcibilis fuit. Eſt vero Deo quid præſcibile, quatenus ab æterno novit illud exſtiturum, ſiquidem hæc rerum ſeries exiſtat (§. 231). Quamobrem Deus novit fortunam exſtituram, ſiquidem hæc rerum ſeries exiſtat. Quoniam itaque actualitas rerum a voluntate Dei dependet (ſ. 433), conſequenter a decreto ipſius (ſ. 497); hæc rerum ſeries concipi nequit ut exſtitura ante decretum. Patet itaque fortunam omnem Deo fuiſſe præſcibilem ante decretum. *Quod erat unum.* *Quomodo ſe habeat fortuna ad decretũ.*

Novit Deus, ſi hæc rerum ſeries exiſtat, in ea quoque exſtituram hanc fortunam ſive ſecundam, ſive adverſam *per demonſtrata.* Quamobrem cum per decretum divinum hæc rerum ſeries facta ſit futura (§. 522); fortuna quoque omnis ſive proſpera, ſive adverſa per decretum futura facta eſt.

Quomodo fortuna ſubſtet decreto divino, ex ſequentibus uberius conſtabit, ubi oſtenderimus, quomodo ſe habeat decretum divinum quoad malum, & quomodo Deus ad actiones creaturarum concurrat.

§. 545.

Quomodo Deus fortunā decernat.

Deus fortunam non decrevit abſolute ſpectatam, ſed in relatione ad totum. Fortuna cum ſit concurſus plurium cauſarum ad effectum aliquem homini bonum vel malum, quem is minime prævidet (§. 540); particulare quid in hac rerum ſerie eſt. Jam vero Deus eorum, quæ in mundo fiunt, nihil in particulari decernit abſolute ſpectatum, ſed in relatione ad totum (§. 519). Ergo Deus fortunam non decrevit abſolute ſpectatam, ſed in relatione ad totum.

Quæ in genere jam evicta ſunt in anterioribus, non ſine ratione ad fortunam in ſpecie applicantur: monuimus enim (*not.* §. 543), quod ad praxin moralem non exiguum momentum afferat certa cognitio, quatenus a Deo pendeat fortuna.

§. 546.

Malum metaphyſicum num a decreto dependeat.

Malum metaphyſicum per ſe ante decretum rebus decretis inhæret, nec ab iis per idem ſeparari poteſt. Cum eſſentiæ rerum ſint immutabiles (§. 300 *Ontol.*); nec per decretum immutari poſſunt. Limitationes itaque eſſentialium non demum per decretum rebus decretis ſuperadduntur (§. 291 *Ontol.*), adeoque iiſdem inſunt ante decretum. Quamobrem cum malum metaphyſicum in limitarionibus eſſentialium conſiſtat (§. 372); malum metaphyſicum per ſe rebus decretis ineſt ante decretum.

Cumque ab ipſis auferri nullo modo poſſit (§. 379), ne per miraculum quidem, ubi producuntur (§. 381); nec per decretum ab iiſdem ſeparari poteſt.

Prius etiam oſtenditur hoc modo. Quoniam decretum in re decreta nihil mutat (§. 526); nec limitationes determinationibus eſſentialibus ſuperaddit, quæ in ideis earum, quatenus in intellectu divino ſpectantur ante decretum, iiſdem nondum inhærent (§. 291 *Ontol.*). Neceſſe igitur eſt, ut iſtæ limitationes jam inſint ideis rerum, antequam concipiantur decretæ. Quamobrem cum in his ipſis limitationibus malum metaphyſicum conſiſtat (§. 372); malum hoc rebus decretis per ſe ineſſe ante decretum, hoc eſt, antequam concipiantur decretæ, omnino liquet.

Qui ideas rerum arbitrarias ſupra exploſas (§. 191) fingunt, limitationes determinationum eſſentialium per decretum ideis rerum inſerunt, & ſic in doctrina mali difficultatibus inextricabilibus implicantur. Qui vero eſſentias rerum æternas & neceſſarias, philoſophis & Theologis ad *Carteſii* uſque tempora unanimi conſenſu probatas, agnoſcunt; limitationes determinationum eſſentialium ante decretum in ideis rerum, quatenus vi principii contradictionis, adeoque per naturam intellectus (§. 27 *Ontol.*), inſunt in intellectu divino, conſiderant, & hoc pacto circa originem ac permiſſionem mali & concurſum Dei ad malum nihil difficultatis ſentiunt, quod non ſuperari poſſet. Et eo fine propoſitionem præſentem tanquam probe notandam inculcamus. Nimirum malum metaphyſicum rebus minime ineſt, quia decrevit Deus, ut inſit, ſed quia decrevit res, a quibus abeſſe nequit. Homo habet facultatem cognoſcendi admodum limitatam, quod nemo non novit, cum idem ex ſemetipſo experiatur. Minime autem facultas ejus cognoſcendi hoc pacto limitatur potius, quam alio, quia Deus decrevit has eſſentiæ ejus indere limitationes, quam alias; ſed quia Deus hominem producere decrevit, cui in idea ejus hæ facultatis cognoſcitivæ limitationes inhærebant, aut, quod perinde eſt, qui abſque hac limitatione produci non poterat, hoc eſt, ſi ſtylo *D. Thomæ* ab offenſione infirmorum magis remoto uti volueris, quia homo hic abſque hac limitatione facultatis cognoſcitivæ non erat factibilis. Vidit enim pro

acumine

Digitized by Google

acuminé ſuo, cum infirmis in omnipotentiam divinam injurius videatur, qui quædam a Deo fieri non poſſe tuetur, hoc ipſum ſcandalum, etſi acceptum, evitari, ubi quædam non factibilia, aut, ſi vocabulum diſpliceat, talia pronunties, ut ea fieri repugnet: in quorum numero utique ſunt creaturæ a malo metaphyſico liberatæ, hoc eſt, in Deos converſæ.

§. 547.

Ob malum metaphyſicum an res a Deo decretæ.

Deus rem nullam decrevit ob malum metaphyſicum, quo laborat. Etenim Deus eorum, quæ in mundo fiunt, nihil in particulari decrevit abſolute ſpectatum, ſed in relatione ad totum (§. 519), conſequenter quatenus continetur in hac rerum ſerie, quam decretum ejus in ſe unicum (§. 520), etſi a nobis tanquam multiplex ſpectandum, complectitur (§. 521). Mundus hic adſpectabilis eſt omnium poſſibilium optimus (§. 382). Deus igitur in particulari nihil decrevit, niſi quatenus in idea mundi optimi ſimul continetur. Quoniam itaque mundum hunc adſpectabilem ad actum perducendum decrevit, quia idem optimus tam in ſe, quam in relatione ad ſeipſum (§. 515), non vero ob malum metaphyſicum, quo carere nequit (§. 376); ideo nec rem ullam aliam decreviſſe dicendus eſt ob malum metaphyſicum, quo laborat.

Idem etiam ſic oſtendi poteſt. Deus decernit, quod eſt optimum in ſe & in relatione ad ſeipſum (§. 515), conſequenter cum voluntas ipſius tendat ad id, quod in ſe optimum eſt (§. 383), ſeu motivum ejuſdem ſit repræſentatio optimi (§. 389), decretum vero ſit actus voluntatis (§. 497); ideo quid decernit, quia in ſe, conſequenter etiam in relatione ad ſeipſum optimum, (§. 405). Enimvero ens unumquodque in ſe bonum eſt, quatenus ſuam habet perfectionem tam eſſentialem, quam accidentalem (§. 370), non quatenus determinationes ejus eſſentiales limitationes habent, ſine quibus perfectior foret, conſequenter quatenus malo metaphyſico laborat (§. 372). Deus igitur rem nullam ideo decrevit, quod huic malo metaphyſico obnoxia ſit, ſeu, quod perinde eſt, ob malum metaphyſicum, quo laborat.

Toto cælo differunt, decernere id, a quo malum metaphyſicum removeri nequit, & decernere idem ob malum metaphyſicum, cui obnoxium eſt, ſeu quia eidem obnoxium eſt, v. gr. decernere, ut exiſtat homo, cujus facultas cognoſcitiva admodum limitata eſt, & decernere, ut homo exiſtat, quia facultas ejus cognoſcendi admodum limitata eſt, ſeu ob limitationes facultati cognoſcitivæ neceſſario inhærentes, nec ab eadem ſeparabiles. Etenim illud fit, non attento malo metaphyſico, ſeu imperfectione, cui ens finitum qua tale obnoxium eſt; hoc vero fieri non poterat, niſi malo metaphyſico, ſeu imperfectione iſta, motivi vicem ſubeunte, quod naturæ voluntatis repugnat (§. 904 *Pſychol. empir.*). Diſcrimen igitur hoc probe perpendi velim. Ne vero hinc difficultates adverſus omnipotentiam Dei nectas luce deſtitutus, qua perfundendæ ſunt notiones abſtractæ, ut reddantur claræ; animo recolendum eſt, quod ſupra evicimus (§. 378), impoſſibilitatem faciendi mundum aliquem abſque malo metaphyſico non minuere omnipotentiam. Neque enim a malo metaphyſico libera a Deo fieri poſſe negantur ob defectum potentiæ divinæ, ſed ut cum *D. Thoma* loquar, quia in ſe factibilia non ſunt. Impoſſibilitas adeo, quæ ab objecto manat, nullum defectum potentiæ arguit.

§. 548.

Qualem perfectionem

Malum metaphyſicum eſt abſentia perfectionis alienæ, non propriæ. Etenim malum metaphyſicum conſiſtit in limitationibus eſſentialium determinationum (§. 372).

ab ente excludat malum metaphyſicũ.

(§. 372). Quamobrem cum ens limitatum habere nequeat niſi determinationes eſſentiales limitatas, & per eaſdem in eſſe hujus entis conſtituatur (§. 144 *Ontol.*); majoris quoque perfectionis capax non eſt, nec fieri poteſt, quam quæ vi illarum limitationum locum habet (§. 168 *Ontol.*). Quamobrem major, quæ concipitur, perfectio limitibus ampliatis, ea eſt alterius entis, cui limites ſic ampliati conveniunt, adeoque aliena. Jam cum quid in ſe malum ſit, quatenus quædam imperfectio ipſi inhæret (§. 371), adeoque perfectio quædam de eodem negatur; limitationes eſsentiales tantummodo removent perfectionem alienam, non propriam, conſequenter malum metaphyſicum non eſt abſentia perfectionis propriæ, ſed alienæ.

Hinc malum metaphyſicum potius malum apparet, quam eſt, & minus quoddam bonum eſt, ſi relative ad majora ſpectetur. Neque vero utilitate caret hæc obſervaſſe: uſum enim inſignem præſtat propoſitio præſens in philoſophia morali, quemadmodum ſuo loco conſtabit. Proderit quoque eandem notaſſe, ne difficultates circa bonitatem Dei nectamus, quod malum metaphyſicum male concipiamus.

§. 549.

Malum phyſicũ & morale an repugnet mundo optimo.

Mala phyſica & moralia in mundo omnium poſſibilium perfectiſſimo & optimo locum habent. Etenim experientia nemini unquam in dubium vocata, nec vocanda conſtat, mala phyſica & moralia in hoc mundo adſpectabili locum habere. Enimvero mundus hic adſpectabilis, qui exiſtit, eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 326), idemque in ſe omnium poſſibilium optimus (§. 382). Mala igitur phyſica & moralia in mundo omnium poſſibilium perfectiſſimo & optimo locum habent.

Propoſitionis præſentis veritas manifeſta eſt, modo rite perceperis, quæ de ſumma mundi hujus perfectione, qua ceteros vincit, ſuperius evicimus, & quo ſenſu eum optimum eſſe ſupra demonſtravimus. Cave autem ne ſenſum ejus pervertas cum conſequentiariis, quaſi affirmetur, mundum hunc ideo eſſe omnium perfectiſſimum, quod in eo detur malum phyſicum & morale, & per hæc ipſa mala ceteris, qui iiſdem carent, fieri meliorem. Etenim dum oſtendimus, mala phyſica & moralia etiam in mundo omnium poſſibilium perfectiſſimo & optimo habere locum: inde tantummodo ſequitur, mala phyſica & moralia non obſtare, quo minus idem ſit omnium perfectiſſimus & optimus, non vero quod ex malo phyſico & morali oriatur iſta perfectio & prærogativa. Nullum mundum carere poſſe malo metaphyſico, facile demonſtravimus (§. 376): an vero mundus ſit poſſibilis, ex quo omne malum & phyſicum, & morale exulet, an utrumque in quolibet mundo locum habeat, ego non definivero, nec qui ſumunt, ut habeant, quod adverſus perfectionem hujus mundi opponant, demonſtrare audent. Quæ vero precario ſumuntur, opponi minime poſſunt iis, quæ ratione firmantur. Quodſi quis demonſtrare poſſit, mundum aliquem eſſe poſſibilem, ex quo omne malum phyſicum ac morale exulet, & quod malum utrumque obſtet, quo minus mundus, in quo eidem locus eſt, ſit perfectior & melior altero, ex quo utrumque exulat, is demum argumentari poterit: Dantur in hoc mundo mala phyſica & moralia. Ergo mundus hic non eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus, neque optimus. Quamdiu vero utrumque precario ſumit; emendicatam concluſionem fruſtraneo conatu opponit. Enimvero ne quid prætermittatur, quod argumento intricato lucem quandam affundere poſſit; quæ e re eſſe videntur, a nobis ſuperaddenda ſunt.

§. 550.

An malum phyſicum & morale

Malum phyſicum & morale non obſtant, quo minus in mundo, qui exiſtit, major ſit perfectio, quam in ceteris poſſibilibus. Cum enim malum phyſicum ſit, quod ſtatum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem reddere

cenſe-

cenſetur, quam foret, ſi alii eſſent (§. 373), morale vero, quod actionibus hominum liberis inhæret (§. 374); nemo non videt malum phyſicum & morale tantummodo arguere imperfectionem in ſubjecto, ſi in ſe ſpectetur, conſequenter in parte hujus univerſi. Enimvero ſi quid in re in ſe ſpectata imperfectionem arguit, id ideo in ea non arguit imperfectionem, quatenus ad aliam refertur (§. 542 *Coſmol.*), conſequenter imperfectio partis in relatione ad totum apparens eſſe poteſt (§. 543 *Coſmol.*), adeoque in toto perfectionem minime tollit (§. 547 *Coſmol.*). Quamobrem malum phyſicum & morale non obſtant, quo minus in mundo, qui exiſtit, major ſit perfectio, quam in ceteris poſſibilibus,

repugnẽt majori perfectioni mundi.

Monuimus jam alibi, *D. Thomam* jam dudum hoc defendiſſe, imperfectionem partis poſſe facere ad perfectionem totius (*not.* §. 548 *Coſmol.*), adeoque nec a mente ejus alienum eſt aſſerere, malum phyſicum & morale non obſtare, quo minus in toto mundo major ſit perfectio, quam in alio quocunque poſſibili. Ceterum per propoſitionem liquet, falſo aſſumi, quaſi malum phyſicum & morale repugnet majori perfectioni mundi. Etſi autem præſens propoſitio per modum corollarii fluat ex anteriore, adeoque eadem admiſſa utique affirmandum ſit, utrumque malum minime obſtare, quo minus hic mundus ſit omni poſſibili reliquo & perfectior, & melior; conſultum tamen viſum fuit, eandem aliunde probare, ne, quibus contrarium videtur ex parte perperam judicantibus de toto (§. 550 *Coſmol.*), id ex hypotheſi ab ipſis in dubium vocata intuliſſe videamur, quemadmodum idem fecimus ſuperius, cum, adſtructa idearum neceſſitate (§. 189), arbitrarias everteremus (§. 191). Ceterum hanc propoſitionem probe perpendi velim ab omnibus, qui veritatem maximi momenti de perfectione hujus mundi intimius perſpicere geſtiunt: quem in finem ponderanda ſunt & quæ de notione perfectionis in genere (§. 503 & ſeqq. *Ontol.*), & de perfectione mundi in ſpecie (§. 535 & ſeqq. *Coſmol.*) docuimus. Quodſi vero quis vires ſibi tantas non eſſe experitur, ut rei tam arduæ diſtincte concipiendæ ſufficiant; is ſibi a præcipitantia in judicando temperet, ne ea aſſerat, quæ in Majeſtatem divinam injuria ſunt, virgula cenſoria notans opus divinum, quod ipſa Scriptura Sacra magiſtra artifici ſuo maximo ſeſe probavit, cum infinito rationis lumine idem perluſtraret (§. 406). Recolendum hic eſt, quod ſupra inculcavimus (§. 327), adverſus perfectionem mundi maximam ab iis, quæ in mundo obſervamus, nullam peti poſſe objectionem; quod ut magis adhue in aprico collocetur, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 551.

Deus non decrevit quod eſt melius in parte, ſed decrevit quod eſt melius in toto. Etenim Deus quid optimum ſit in ſe judicans, idem refert ad totum univerſum (§. 393). Quamobrem cum decernit, quod in ſe optimum (§. 515); id decernit, quod tale deprehenditur in relatione ad totum univerſum, conſequenter quod in toto melius eſt, non quod in parte.

Quomodo Deus decernat.

Propoſitio hæc eſt *D. Thomæ*, qui *prima part. quæſt.* 48. *art.* 2. *concl.* 4 apud *Carbonem* in Compendio totius Summæ Doctoris angelici pag. 98 b. diſerte: Deus, inquit, & natura faciunt, quod eſt melius in toto, non autem in parte. In toto autem melius eſt aliqua poſſe deficere. Quæ vero Deus in tempore facit, ea ab æterno decrevit, & in tempore facit, quemadmodum ab æterno decrevit (§. 525. 504). Quamobrem ex mente *D. Thomæ* dicendum omnino eſt, Deum decreviſſe, quod eſt melius in toto, non quod in parte, quemadmodum habet propoſitio noſtra.

§. 552.

Malum phyſicum & morale ſeriei huic ita implicantur, ut eadem ſalva ſeparari ab ea minime poſſint Etenim res ſucceſſivæ in mundo adſpectabili inter ſe connectuntur (§. 54 *Coſmol.*). Quoniam itaque in earum numero ſunt etiam

Cur mala phyſica & moralia e

mundo tolli nequeant. mala phyſica, utpote rerum naturalium effectus (§. 373), & actiones hominum liberæ, quibus mala moralia inhærent (§. 374); tam mala phyſica, quam moralia cum ceteris rebus in mundo hoc adſpectabili connectuntur, conſequenter ſeriei huic implicantur. Ponamus jam mala phyſica & moralia a ſerie hac rerum eſſe ſeparanda; quæ in eadem relinquuntur, non amplius connectuntur. Quamobrem cum mundus adſpectabilis non amplius ſubſiſtat, nexu ſucceſſivorum ſublato (§. 55 *Coſmol.*); malum phyſicum & morale ſeriei huic ita implicatur, ut, eadem ſalva, ſeparari minime poſſit. Quodſi ſupponas in eorum locum intrudi aliud, ſeu eadem mutari in contrarium; ſequens mundi pars non amplius erit eadem, quæ alias futura erat (§. 116 *Coſmol.*). Atque adeo ne ſic quidem malum phyſicum & morale ab hac ſerie rerum, eadem ſalva, ſeparari poterit. Quamobrem cum tertium concipi non poſſit, quam ut mala phyſica & moralia vel ita removeantur, ut in eorum locum nihil ſurrogetur, vel ut mutentur in contrarium; nullo modo fieri poteſt, ut eadem ab hac ſerie rerum, cui implicita ſunt, eadem ſalva, ab ea ſeparentur.

Diverſa ratio eſt, qua malum metaphyſicum huic ſeriei rerum inhæret, & qua mala phyſica & moralia eidem implicantur. Etenim malum metaphyſicum abſolute neceſſarium eſt (§. 375), ita ut ne per miraculum quidem auferri poſſit (§. 381), neque ab integro mundo (§. 377), neque ab ulla creatura (§. 380): aſt malum phyſicum pendet a nexu rerum, & morale a libertate humana, conſequenter tam illud (§. 80 *Coſmol.*), quam hoc contingenter exiſtit (§. 935 *Pſychol. empir.*), nec per miraculum auferri repugnat (§. 553), atque nonniſi hypotheticam habet neceſſitatem (§. 554). Sed hæc ipſa hypothetica neceſſitas probe notanda venit, ne circa decretum Dei ſuboriantur difficultates inſuperabiles viſæ, quibus tanquam arietibus utuntur religionis tam naturalis, quam revelatæ hoſtes, ad religionem omnem ſubvertendum. Quamobrem nec piget huc ſpectantia uberius adhuc declarare, ne quid deſiderari poſſit, quod argumento difficili lucem affundere queat.

§. 553.

Quomodo tolli poſſit malum phyſicum & morale. *Malum phyſicum & morale tolli poteſt per miracula in caſu quolibet ſingulari patranda*. Malum phyſicum conſtituitur per effectus naturales, quibus mundi ſtatus imperfectior reddi exiſtimatur (§. 373). Effectus hi cum actum conſequantur, quia eorum cauſæ in hac ſerie rerum continentur (§. 97 *Coſmol.*), adeoque poſita earum actione ponantur (§. 898 *Ontol.*); ſi contingere non deberent, actio cauſæ impedienda foret. Enimvero cum in ea ſerie, in qua actio ponitur, cauſa actionem impeditura deficiat; per miraculum foret actio impedienda (§. 519 *Coſmol.*). Quamobrem cum Deus miracula facere poſſit (§. 363); mala phyſica ex hac rerum ſerie per miracula tolli poſſunt.

Similiter idem oſtenditur de malo morali. Etenim malum morale actionibus liberis inhæret (§. 374), adeoque a voluntate hominis pendet (§. 942 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ſi malum morale removeri deberet; impediendæ forent volitiones ac nolitiones animarum ab ipſis elicitæ. Enimvero non animæ repugnat velle, quod non vult, & nolle, quod vult (§. 941 *Pſychol. empir.*); ſed tantummodo deficit in ea ratio ſufficiens, cur velit, quod

jam

Digitized by Google

jam non vult, vel nolit, quod jam vult (*§.* 118 *Ontol.*). Volitiones itaque ac nolitiones animæ in eadem impediri nequeunt niſi per miraculum (*§.* 70 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum Deus miracula facere poſſit (§. 363); patet mala moralia per miracula ex hac rerum ſerie arceri poſſe.

Enimvero ſive mala phyſica, ſive moralia ſpectes, ex demonſtratis patet, in utroque caſu per miraculum non tolli niſi effectum unum malum, nec niſi actionem unam malam. Quamobrem ſi omne malum phyſicum & omne malum morale ex hac rerum ſerie arceri deberet; tot opus eſſet miraculis, quot in ea dantur mala phyſica, quot mala moralia. Per miracula adeo nonniſi in caſu quolibet ſingulari patranda tolli poteſt utrumque malum.

Probe notandum eſt, malum phyſicum & morale non tolli poſſe ex hac rerum ſerie niſi per miracula particularia, adeoque toties iteranda, quoties aliquod malum phyſicum, vel morale contingere debet; non vero ſufficere miraculum unicum, quale mundo huic ad actum perducendo ſufficere inferius oſtendemus. Etenim propoſitioni huic & præcedenti magna vis ineſt ad extricandos nodos, qui circa permiſſionem mali nectuntur.

§. 554.

Mali phyſici & moralis neceſſitas qualis ſit.

Malum phyſicum & morale nonniſi hypothetice neceſſarium. Etenim mala phyſica conſtituuntur per effectus naturales (§. 373). Enimvero quæ in mundo adſpectabili contingunt, nonniſi hypothetice neceſſaria ſunt (§. 102 *Coſmol.*), actu eorum ab omni neceſſitate abſoluta libero (§. 104. 105 *Coſmol.*). Malum igitur phyſicum nonniſi hypothetice neceſſarium eſt.

Malum morale actionibus liberis hominum inhæret (§. 374), conſequenter a volitionibus ac nolitionibus pendet (§. 942 *Pſychol. empir.*). Enimvero volitiones ac nolitiones animæ in ſe contingentes ſunt, ipſique etiam motus corporis, a voluntate pendentes, ſunt contingentes (§. 935 *Pſychol. empir.*), conſequenter a neceſſitate abſoluta liberæ ſunt (§. 319 *Ontol.*). Quoniam tamen anima ſe determinat ad volendum & nolendum motivis ſuis convenienter (*§.* 932 *Pſychol. empir.*); eædem rationem ſufficientem habent (*§.* 887 *Pſychol. empir.*): ſed cum per eſſentiam animæ determinatæ non ſint (§. 940 *Pſychol. empir.*), in alio ab eſſentia diverſo eandem agnoſcunt. Quamobrem cum id nonniſi hypothetice neceſſarium ſit, quod rationem in alio ab eſſentia diverſo agnoſcit (§. 320 *Ontol.*); ipſæ quoque volitiones ac nolitiones animæ, conſequenter & malum morale ab ipſis pendens, nonniſi hypotheticæ eſt neceſſitatis.

Facile attendenti manifeſtum eſt, malum phyſicum & morale eſſe in hac rerum ſerie hypothetice neceſſarium, quatenus rerum nexus ſubſiſtere debet, qui per miraculum diſſolvi poterat. Pendet nexus rerum a principio rationis ſufficientis (*§.* 50 *Coſmol.* & *§.* 70 *Ontol.*), atque hinc hypothetica neceſſitas a principio rationis ſufficientis manat (*§.* 320 *Ontol.*), quod in ſeriem rerum nullam neceſſitatem abſolutam invehit (*§.* 104 *Coſmol.*). Equidem difficultates circa exiſtentiam mali phyſici atque moralis in hac rerum ſerie ex hoc potiſſimum capite moventur, quod utriuſque neceſſitas non ſit abſolute neceſſaria, ſed tantummodo hypothetica, adeoque inutile videri poterat eam demum hic demonſtrari: imo forſan non deerunt, qui id reprehenſuri ſunt, ſibi perſuadentes, hoc pacto arma ſuppeditari hoſtibus. Enimvero non diſſimulandum, quod veritatis eſt, ubi eam agnoſcere curæ cordique habemus, nec hoſtem adeo metuere fortis eſt, ut in veritate adverſus eum præſidium ſeſe reperire poſſe deſperet. Oſtendemus deinceps non obſtante mali phyſici & moralis

neceſſitate hypothetica, minime dedecere Deum ut producat tam mundum, cui malum phyſicum & morale implicatur, quam a quo malum metaphyſicum ne per miraculum quidem arceri poteſt (§. 381).

§. 555.

Sublatio particularis mali phyſici vel moralis.

Deus tollere poteſt malum phyſicum & morale in dato aliquo caſu, etſi idem non tollat ex integra ſerie rerum: eo autem ſublato ſequens ſeriei pars non amplius eadem manet. Etenim mala phyſica & moralia implicantur toti rerum ſeriei, ut eadem ſalva ab eadem minime ſeparari poſſint (§. 552), conſequenter, cum in ſerie rerum omnia ſint inter ſe connexa (§. 48 *Coſmol.*), cum bonis connectuntur mala, minime vero mala tantummodo connectuntur inter ſe, ut ſeparatam quandam ſeriem conſtituant, cum bonis autem ſeriem alteram conſtituentibus non connectantur. Quamobrem ſi ſupponas, tolli malum phyſicum vel morale aliquod in uno quodam caſu, non ideo tolluntur mala phyſica & moralia omnia in omni caſu, adeoque in integra rerum ſerie. Non igitur repugnat, tolli malum phyſicum vel morale in caſu aliquo dato, etſi non tollatur ex integra ſerie rerum. Jam conſtat malum tam phyſicum, quam morale tolli poſſe per miraculum (§. 553), & Deum miracula facere poſſe (§. 363). Patet adeo Deum tollere poſſe malum phyſicum & morale in dato aliquo caſu, etſi idem non tollat ex integra ſerie rerum. *Quod erat unum.*

Malum phyſicum & morale ſi tollitur in dato aliquo caſu, neceſſe eſt ut Deus miraculum patret (§. 553). Enimvero ſi miraculum in mundo contingit, nec aliqua ulterius mutatio accidit, hoc eſt, niſi per aliud miraculum reſtituantur effectus, qui naturaliter in iis rebus conſecuti fuiſſent, quæ vi miraculi ſunt immutatæ (§. 533 *Coſmol.*); ſequens mundi pars non amplius erit eadem (§. 531 *Coſmol.*). Quamobrem cum nullum miraculum reſtitutionis hic fieri ſupponatur; ſublato malo phyſico vel morali in caſu aliquo dato, ſequens ſeriei pars non amplius erit eadem. *Quod erat alterum.*

Qualis vero futura ſit mutatio, ex eo intelligitur, quod de eadem alibi evicimus (§. 532 *Coſmol.*). Nimirum non alia diverſitas in futuram adhuc ſeriem rerum introducitur, quam quæ ſublato malo phyſico vel morali in caſu dato in ceteras deinceps per naturam & eſſentiam corporum vi ſtatus miraculoſi conſequi poteſt. Qui nexum rerum in univerſo probe perſpectum cognitumque habet, is & agnoſcit bona malis, & mala bonis in eodem connexa unam conſtituere ſeriem, & perinde eſſe, ſive per miraculum malum aliquod ex ſerie rerum tollatur, ſive bonum aliquod, conſequenter quemadmodum non omne bonum tollitur, quando per miraculum tollitur quidpiam boni in caſu quodam dato; ita nec omne malum tolli, ſi per miraculum in caſu uno tolli ponatur quidpiam mali. Sane quemadmodum ſublato bono quopiam tolluntur quoque mala cum eodem in ſerie rerum connexa; ita quoque cum malo tolli poſſunt bona cum eodem in hac rerum ſerie connexa. Hæc autem probe notanda veniunt, ut conſtet, prægnantes omnino Deo eſſe debere rationes, ſi in dato quodam caſu malum quoddam morale, vel phyſicum tollere debeat per miraculum: id quod etiam utile eſt ad praxin officiorum erga Deum ſuo loco & tempore inculcandam.

§. 556.

An ſublato malo phyſi-

Sublato malo phyſico & morali ex tota hac rerum ſerie, ipſa hæc rerum ſeries permanere nequit omnium poſſibilium perfectiſſima. Etenim ſublato malo phyſico &

ſico & morali præſens rerum ſeries eadem manere nequit (§. 552. 555). Quamobrem cum hæc ipſa rerum ſeries, ſeu, quod perinde eſt, hic mundus ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 326), adeoque ſi mutetur, non poſſit mutari in melius, ſed mutetur neceſſario in deterius; ſublato malo phyſico & morali ex tota hac rerum ſerie, ea permanere nequit omnium poſſibilium perfectiſſima.

co & morali mũdus fiat melior.

Probe perpendendum eſt, quomodo hæc propoſitio deducatur ex anterioribus, ne perverſa interpretatione in errorem trahatur. Malum phyſicum & morale ita implicatur huic rerum ſeriei, quemadmodum zizaniorum radices implicantur radicibus tritici, Chriſto docente, ut avelli non poſſit, niſi ſimul evellatur bonum, quod cum eo connectitur. Sublato igitur malo phyſico & morali, ſeries hæc non fit deterior, propterea quod ipſum aufertur, ſed quod ſimul auferatur bonum, cui, malo abſente, non amplius locus eſt naturaliter in hac rerum ſerie. Quemadmodum itaque ante oſtendimus, huic rerum ſeriei majorem eſſe perfectionem, quam ceteris, non propter malum phyſicum & morale, quod in eadem datur, ſed quia hoc ipſum non obſtat, quo minus tota rerum ſeries ſit ceteris poſſibilibus perfectior; ita quoque hic dicendum, rerum præſentem ſeriem non ideo fieri imperfectiorem, quod malo phyſico & morali careat, ſed quod eo ſublato, carere debeat bono, quod eidem inexiſtit. Qui religionis chriſtianæ veritatem profitemur, exemplo auguſto fidem facere poſſumus dubitanti. Etenim hanc rerum ſeriem nihil magis nobilitat, quam Chriſtus & tota œconomia ſalutis. Sublato malo morali ex hac rerum ſerie, tollitur quoque ex eadem Chriſtus, tollitur tota œconomia ſalutis, id quod nemo negare auſit. Ecquis vero non intelligit, ſi ad Deum rem omnem referat (§. 395), eam rerum ſeriem decenter ab eo fuiſſe electam, in qua regnum gratiæ cum regno naturæ copulatur? Imo quis non intelligit, ſi eam in ſe conſideret, copulato regno gratiæ cum regno naturæ, majorem in hac ſerie reſultare perfectionem (§. 552 *Coſmol.*)? Riſiſſe hanc inſtantiam Theologum quendam in Eccleſia Lutherana, qui ſibi ſuique ſimilibus magnus videbatur, memini: ſed neque tunc miratus ſum, neque nunc miror: erat enim contradictorii ingenii homo, qui cum non caperet, quæ ex aliis compilaret, in eodem ſcripto damnabat, quod paulo ante defenderat, dudum hoc nomine vapulans acutioribus, quique notionum diſtinctarum vacuum poſſidens animum, ſibi perſuadere poterat, mundum præſentem eſſe a Diabolo. Ceterum veritas propoſitionis præſentis ſubſiſtit, etiamſi quis non admittit præſentem rerum ſeriem eſſe in ſe ſpectatam omnium poſſibilium perfectiſſimam; ſed cum *D. Thoma* defendere mavult, hanc rerum ſeriem a Deo non potuiſſe condi meliorem. Etenim ſi hæc rerum ſeries a Deo non poterat effici melior, ſuppoſitis nempe hiſce rebus; nec malo phyſico & morali ſublato melior fieri potuit. Et ſane agnovit *D. Thomas* bonum in hoc mundo ita connecti cum malo, ut malum per accidens influat in ipſum bonum, quatenus nimirum cum eodem connectitur: docuit enim, *Sum. Theol. part. 1. quæſt. 19. art. 9. concl. 5*, malum per accidens pertinere ad decorem univerſi. Ut intelligatur, quomodo hoc fieri poſſit; noſtrum erit idem oſtendere a priori ex ipſis rerum notionibus.

§. 557.

Deus rem nullam potuit facere aliter quam fecit, quoad determinationes eſſentiales & attributa. Eſſentiales enim determinationes (§. 303 *Ontol.*) & attributa rerum ſunt abſolute neceſſaria (*§. 304 Ontol.*), adeoque cum oppoſitum ejus, quod neceſſarium eſt, ſit impoſſibile (§. 279 *Ontol.*); impoſſibile quoque eſt, ut ens aliquod, quod in hac rerum ſerie exiſtit, alias habeat determinationes eſſentiales, aut alia attributa, quam quæ habet. Quoniam itaque Deus impoſſibilia facere nequit (*§. 344*), aut, ſi mavis, ea in ſe ſpectata factibilia non ſunt; Deus quoque rem nullam, quæ in hac rerum ſerie exiſtit, aliter facere potuit, quam fecit, quoad determinationes eſſentiales & attributa.

Quatenus Deus res aliter facere non poſſit.

Non

Non aliud ſibi volunt Scholaſtici, quando tuentur, Deum non potuiſſe rem ullam aliter facere, quam fecit, ſubſtantialiter. Et qui neceſſitatem eſſentiarum intelligunt, ideis rerum arbitrariis rejectis, propoſitionem præſentem ſua ſponte inde inferunt. Cum conſequentiariis autem male ſanis, fatelem omnium rerum neceſſitatem & Dei dependentiam a rebus aliis extra ſe ex eſſentiarum neceſſitate perperam inferentibus, nobis jam nihil eſt negotii.

§. 558.

Quomodo mala phyſica conſequantur.

Mala phyſica per eaſdem regulas motus conſequuntur, per quas conſequuntur cetera in hac rerum ſerie, quæ mala non ſunt. Sunt enim mala phyſica in numero effectuum naturalium (§. 373), perinde ac cetera, quæ in hac ſerie rerum conſequuntur ac mala non ſunt. Enimvero mutationes corporum ſeu effectus naturales per modum, quo partes corporum inter ſe junguntur, earumque qualitates atque regulas motus explicari poſſunt (§. 511 *Coſmol.*), adeoque per regulas motus eaſdem conſequuntur omnes. Quamobrem mala phyſica per eaſdem regulas motus conſequuntur, per quas conſequuntur cetera in hac rerum ſerie, quæ mala non ſunt.

Ut intelligetur, cur malis phyſicis in hac rerum ſerie ſit locus, probe notandum eſt, quomodo conſequantur. Quamobrem propoſitionem præſentem afferri neceſſe eſt, ut appareet, omnes effectus naturales eodem modo in eadem actum conſequi, nec peculiarem quandam requiri cauſam ad mala phyſica actuandum, quæ in ceteris locum non habet. Nimirum poſitis hiſce rebus, poſitiſque his regulis motus, in mundo materiali hæ conſequuntur mutationes, non aliæ: in eorum vero numero reperiuntur mala phyſica.

§. 559.

An mala phyſica adverſentur naturæ ordini.

Mala phyſica non fiunt contra naturæ ordinem, ſed juxta eundem. Conſequuntur enim per regulas motus, per quas cetera in hac rerum ſerie, quæ mala non ſunt, conſequuntur (§. 558). Quamobrem cum regulis motus ordo naturæ contineatur (§. 559 *Coſmol.*); ſtante eodem fiunt. Enimvero ſecundum naturæ ordinem fit, quod eodem ſtante fieri debet, & contra eundem fit, quod eodem ſalvo fieri nequit (§. 565 *Coſmol.*). Mala igitur phyſica non fiunt contra naturæ ordinem, ſed juxta eundem.

Exemplis res manifeſta. Si terræ motu ſubvertuntur ædificia, effectus hic naturæ malum phyſicum appelletur, quatenus ſcilicet nocet hominibus, quorum ſunt iſta ædificia & qui eadem inhabitant. Enimvero quatenus effectus naturæ eſt, per eſſentiam & naturam cauſarum naturalium atque regules motus, quibus naturæ impoſitus eſt ordo, eodem modo explicantur, quo phænomena naturæ reliqua, ſeu effectus quicunque alius naturalis, ut adeo, ſi phyſice conſideremus ſubverſionem ædificiorum terræ motu factam & inde ſecutam cledem hominum eadem inhabitentium, nihil hic occurrat, quod non in quovis naturæ effectu alio eodem modo ſeſe habeat & vi eſſentiæ ac naturæ rerum conſequatur. Similiter ſi ventus impetuoſus arbores proſternit & tecta ædium dejicit, atque grandine damnum ſegeti infertur; effectus hi natureles mala phyſica appellantur, quatenus inde damnum in homines redundet, vel etiam corpora inanimata deſtruuntur, quæ alias ſalve adhuc perſiſtere poterant. Enimvero ſi tenquam effectus naturæ ſpectantur, eodem modo in natura rerum conſequuntur, quo pluvia terram greto ac fœcundo madore perfundens, & ros matutino tempore gramina & plantas irrigens.

§. 560.

Sublatio mali phyſici contra

Si Deus per miraculum malum phyſicum tolleret; effectus malo phyſico contrarius foret contra naturæ ordinem, ſeu, *quod perinde eſt, Deus ſalvo naturæ ordine malum phyſicum tollere nequit.* Etenim quod per miraculum fit, contra

tra naturæ ordinem fit (§. 566 *Coſmol.*). Quamobrem ſi Deus malum phyſicum per miraculum tolleret, effectus eidem contrarius in hac ſerie exiſtens foret miraculum (§. 519 *Coſmol.*), adeoque contra naturæ ordinem. Unde cum mala phyſica & moralia non tollantur in dato caſu ex ſerie rerum niſi per miraculum a Deo factum (§. 555); Deus ſalvo naturæ ordine malum phyſicum tollere nequit.

naturæ ordinem.

In exemplis res manifeſta eſt. Si ventus impetuoſus damnum infert ædificiis, grando ſegeti, & mala hæc phyſica in hac rerum ſerie contingere minime deberent; Deus per miraculum impetum venti cohibere, ut leniter ſpirans ædificiis parceret, & grandinem in pluviam amœnam reſolvere deberet, ut ſegetes recrearentur. Ventus tunc temporis leniter ſpirans & pluvia amœna forent miracula, quibus contra naturæ ordinem in hoc univerſo eſſet locus, utpote non determinatis per regulas motus, per quas effectibus naturalibus locus in hac rerum ſerie cedit.

§. 561.

Naturæ ordo non turbatur per mala phyſica; turbatur vero, ſi quod ex hac rerum ſerie aufertur. Etenim mala phyſica non fiunt contra naturæ ordinem, ſed juxta eundem (§. 559), conſequenter quamdiu malis phyſicis in hac rerum ſerie locus ſuus relinquitur, naturæ ordo ne minimum quidem mutatur (§. 290 *Ontol.*). Quamobrem cum per ſe pateat naturæ ordinem non turbari, quamdiu in eodem ne minimum quidem immutetur; per mala phyſica ordinem naturæ minime turbari liquet. *Quod erat unum.*

An mala phyſica turbet ordinem naturæ.

Enimvero ſi malum phyſicum aliquod ex hac rerum ſerie tollendum, tolli debet per miraculum ſingulare in illo caſu patrandum (§. 553). Quamobrem cum Deus, cujus ſolius eſt patrare miracula (§. 470), ſalvo naturæ ordine malum aliquod phyſicum tollere nequeat (§. 560); ſi quod ex hac rerum ſerie aufertur, ordo naturæ immutatus non perſiſtit, adeoque turbatur. *Quod erat alterum.*

Probe hic perpendendum eſt, ſublationem mali phyſici ſalvo ordine naturæ, adeoque eodem non turbando factam, eſſe in eorum numero, quæ ſtylo *D. Thomæ* non factibilia dicuntur, & ideo contradictoria ſunt, conſequenter abſolute ſpectata ſeu in ſe impoſſibilia (§. 301. 79 *Ontol.*). Quamobrem cum impoſſibilitas faciendi impoſſibilia non ſit ea defectu potentiæ (§. 346), ſed ex eo, quod quid factibile non ſit; nec ſublatio mali phyſici, quæ non turbando ordine naturæ fieri debet, ullum in Deo potentiæ defectum arguit, quando de eodem negatur. Veritas propoſitionis ea ſingularibus exemplis adeo clare elucet, ut in dubium a nemine revocari poſſit, qui ad ea animum advertit. Pone enim impetu venti dejici tecta ædium. Ventus impetuoſus cum habeat cauſas ſuas naturales & eædem agant ſecundum regulas motus eſſentiæ ſuæ ac oaturæ convenienter; ſecundum naturæ ordinem in hac rerum ſerie exiſtit eo, quo contingit, tempore (§. 566 *Coſmol.*), conſequenter cum impoſſibile ſit, idem ſimul eſſe & non eſſe (§. 28 *Ontol.*), fieri omnino nequit, ut aut ventus tunc temporis non flet, aut ut ſpiret leniter, conſequenter ut tecta ædium non dejiciantur ſecundum naturæ ordinem. Sublatio igitur venti impetuoſi ſalvo naturæ ordine, quia in ſe contradictionem involvit, factibile quid non eſt, adeoque cum potentia faciendi ea, quæ fieri poſſe mioime repugoat, conſequenter quæ factibilia ſunt, minime pugnat, & ideo omnipotentiæ divinæ nil quicquam detrahit (§. 347). Ceterum ipſa quoque propoſitio probe perpendenda eſt, ne difficultates ſuboriantur, ubi cogitamus Deum per miracula poſſe mala phyſica tollere, & hoc tamen non obſtante iiſdem in hoc univerſo relinquere locum. Ubi enim de ſapientia Dei acturi ſumus, clariſſime hinc conſtabit, decere Deum non uno modo, ut malis phyſicis in hac rerum ſerie locum relinquat, quemadmodum per eandem innoteſcet, cur non obſtante malo phyſico hunc naturæ ordinem potius elegerit, quam alium, cum is abſolute neceſſarius non ſit (§. 561 *Coſmol.*).

§. 562.

§. 562.

Præſcientia malorum phyſicorum.

Malum phyſicum Deus præſcivit ab æterno. Sunt enim mala phyſica effectus naturales (§. 373), qui ſinguli tolli ex hac rerum ſerie nequeunt, niſi per totidem miracula (§. 553). Enimvero Deus ab æterno præſcivit omnes rerum materialium effectus (§. 524), cumque decreta ſua penitus intelligat (§. 511), ab æterno novit quid facere velit (§. 497), num malum aliquod phyſicum per miraculum tollere (§. 555), an idem in hac rerum ſerie relinquere velit. Vidit igitur ab æterno mala phyſica in hac rerum ſerie futura, adeoque eadem præſcivit ab æterno (§. 231).

Quoniam mala phyſica cum rebus ceteris in hac rerum ſerie connectuntur, ut eadem ſalva ex eadem tolli nequeant (§. 552), perinde ac effectus ceteri rerum materialium, non aliter quam præſcibilia ſpectari poſſunt ante decretum (§. 232). Atque adeo patet, Deo ab æterno fuiſſe perſpectum, ſi hæc rerum ſeries ad actum perducatur, hæc in eadem mala phyſica extitura. Jam cum Deus noverit ab æterno, quod mala phyſica tollere poſſit per miracula in dato caſu quolibet, non tamen eadem manente ſeriei ſubſequentis parte (§. 555), nec naturæ ordine ſalvo (§. 560); ipſius arbitrio relictum fuit, utrum aliqua tollere, an omnia in eadem relinquere voluerit, prouti hoc vel iſtud ſeſe decere optime omnium intellexit (§. 516. 514). Ecquis ergo dubitet malum ullum phyſicum accidere in hac rerum ſerie, quod non præſciverit Deus ab æterno & cujus non habuerit rationem in decreto ſuo? Non piget demonſtrationem propoſitionis præſentis uberiore luce colluſtrare, propterea quod ejus inſignis uſus eſt in praxi morali, ubi de officiis erga Deum, nec non de patientia in adverſis agitur.

§. 563.

Mala phyſica quatenus mala nõ ſunt.

Mala phyſica in relatione ad mundum integrum non ſunt mala. Etenim mala phyſica in ſe ſpectata ſunt effectus naturales (§. 373), qui perinde ac ceteri fiunt ſecundum naturæ ordinem (§. 559), cumque minime turbant (§. 561), neque obſtant, quo minus in mundo, qui exiſtit, major ſit perfectio, quam in ceteris poſſibilibus (550), quin potius ſalva ſumma ejuſdem perfectione auferri minime poſſunt (§. 556). Quamobrem mundum non efficiunt imperfectiorem, quam foret, ſiquidem abeſſent. Quoniam itaque in relatione ad mundum integrum malum dici nequit quidpiam ad ipſum ſpectans, niſi quatenus eundem reddit imperfectiorem, quam foret, ſiquidem ipſum abeſſet (§. 371); malum phyſicum in relatione ad mundum integrum non eſt malum.

Hæc propoſitio probe notanda, ut intelligatur, ſub quo ſchemate mala phyſica ingrediantur hanc rerum ſeriem: ſecus enim difficultates evitare non licebit, quæ adverſus Dei bonitatem ab iiſdem derivantur. Imo hoc etiam perſpicillo opus eſt, ne abſurdum videatur, mala phyſica non modo conſiſtere cum ſumma mundi perfectione, ſed hanc abſque illis ſubſiſtere ne poſſe quidem. Remove nomen odioſum, ubi hos effectus naturales tanquam in ſerie ſucceſſivorum contentos conſideras, non vero particularia, quæ ſeriei huic inſunt, ad ſe invicem refers, & omnis diſparebit abſurditatis nebula. Enimvero, ne quicquam prætermittamus, quod ad eam penitus diſpellendam prodeſt, ſpeciali quoddam exemplo propoſitionem præſentem illuſtrare lubet. Ventus impetuoſus proſternit arbores & tecta dejicit ædium, adeoque tendit ad vaſtationem ſylvarum & deſtructionem ædium, conſequenter damnum infertur hominibus, qui ex ſylvis fructus percipiunt, & qui ædes incolunt, quatenus dejectis tectis incommoda percipiunt & in iis reparandis ſumtus profundere tenentur. Quod tendit ad deſtructionem rei id utique malum in relatione ad ipſam dicendum eſt: unde ventus impetuoſus malus eſt in relatione ad ſylvas, vel etiam arbores, quæ proſternuntur, & in relatione ad ædificia, quorum tecta dejiciuntur,

tur, ac per conſequens in relatione ad homines quibus ſylvarum vaſtatio & ædium ruina nocet. Enimvero proſtratis arboribus & dejectis ædium tectis ventus ruinam non minatur univerſo, cum in rerum ſucceſſivarum ſerie, in qua eadem materia juxta perennes leges rerum præſentium ſtructuræ & texturæ convenienter inſtar alicujus Vertumini mutatur continuo in alias aliaſque formas, cum ſufficiente ratione ac pulcherrimo ordine, quo melior concipi nequit, unius generatio neceſſario ſit alterius corruptio, adeoque interitus ſingularium totam rerum ſeriem reddere nequit imperfectiorem. Quo igitur nomine ventus malus dicitur ſylvis, ædibus earundemque poſſeſſoribus, eo malus non eſt in relatione ad totum univerſum, tum demum eidem infeſtus futurus, ubi ad ipſius deſtructionem tenderet. Eodem modo idem patet in exemplis aliis, ut adeo veritas propoſitionis præſentis in iiſdem facile perſpiciatur vi notionis mali (§. 371). Unde & in definitione mali phyſici diximus, quod malum cenſeatur mundum reddere imperfectiorem quoad effectus naturales, non vero quod revera eundem imperfectiorem reddat (§. 373). Nundum reſpicimus directionem mali ad bonum, quæ tum demum conſiderari debet, ubi ad Deum refertur, conſequenter quando de ſapientia Dei agitur.

§. 564.

Cur malum phyſicum nõ repugnet perfectioni mundi.

Quoniam mala phyſica non ſunt mala in relatione ad totum univerſum (§. 563), nec naturæ ordinem turbant (§. 561), quem eſſe perfectum, nec adeo ulla in re deficere, conſtat (§. 562 *Coſmol.*); ideo jam patet clarius, quam ſupra (§. 550), quod *malum phyſicum minime obſtet, quo minus tota rerum ſeries ſit omnium poſſibilium perfectiſſima.*

Nimirum nunc clarius perſpicitur, quod ad evincendam propoſitionis hujus veritatem inprimis requirebatur, imperfectionem in parte apparentem eſſe malum phyſicum, quatenus ſcilicet in ſe ſpectatur, non quatenus tanquam pars conſideratur.

§. 565.

Mala phyſica quatenus talia cenſeantur.

Mala phyſica non cenſentur talia niſi reſpectu & in relatione partium, imo particularum univerſi ad ſe invicem. Etenim experientia obvia conſtat, in hac rerum ſerie dari effectus naturales, qui tendunt ad deſtructionem, vel deteriorationem, ſeu in genere loquendo, ad imperfectionem rei alterius. Quamobrem cum malum in ſe ſit, cui quædam imperfectio inhæret; malum vero in relatione ad alterum, quod ad imperfectionem alterius quid confert (§. 371); effectus quidam naturales quin dici poſſint mali reſpectu rerum particularium, quæ ſunt in hac rerum ſerie, & in relatione ad eas, dubitari nequit. Enimvero iidem effectus non poſſunt dici mali reſpectu totius univerſi ſeu in relatione ad idem (§. 563). Ergo mala phyſica cum ſint iſti effectus, ob quos ſtatus mundi cenſetur imperfectior (§. 373), non cenſentur talia, niſi in relatione partium univerſi ad ſe invicem: imo quia plerumque ea, quorum unum ad deſtructionem vel imperfectionem alterius tendit, non ſunt niſi admodum exiguæ particulæ univerſi; mala phyſica non cenſentur talia niſi in relatione particularum univerſi ad ſe invicem.

Vidimus modo (*not.* §. 563), ventum impetuoſum non poſſe dici malum, niſi quatenus proſternit arbores, adeoque tendit ad vaſtationem ſylvarum, vel quatenus ædium tecta dejicit, adeoque eaſdem reddit deteriores. Malus itaque dicitur nonniſi in relatione ad particulas quaſdam univerſi, cum, ſi ad totum univerſum referatur, idem deterius minime reddat, utpote ſecundum eum ordinem ortus, qui perfectus eſt (§. 562 *Coſmol.*). Conſultum vero eſt, ut in pluribus exemplis veritatem propoſitionis præſentis intueatur, qui abſque hæſitatione cognoſcere voluerit, quid mala phyſica ſibi velint in hoc univerſo, eum tamen negari non poſſit, Deum velle, quod optimum eſt.

Digitized by Google

§. 566.

An Deus mala phyſica qua talia decreverit.

Deus non decrevit mala phyſica, quatenus talia ſunt. Etenim mala phyſica non ſunt talia, niſi reſpectu partium quarundam univerſi & in relatione earundem ad ſe invicem (§. 565), minime autem in relatione ad integrum mundum talia ſunt (§. 563). Enimvero Deus eorum, quæ in mundo fiunt, nihil decrevit in particulari abſolute ſpectatum, ſed in relatione ad totum (§. 519), adeoque nec in relatione ad partem. Quare Deus non decrevit mala phyſica, quatenus talia ſunt.

Probe notandum eſt, quo reſpectu Deus mala phyſica decreverit, ne decretum bonitati ipſius opponatur, quemadmodnm ab hoſtibus religionis tam naturalis, quam revelatæ fieri ſolet, & ne ex decreto contra booitatem ejus naſcantur dubia. Abſit autem, ut quis ideo ſibi perſuadeat, Deum in decreto ſuo oon habuiſſe quoque rationem malorum phyſicorum qua talium: etenim licet ea non decreverit propterea quod talia ſunt, oon tamen inde ſequitur, ipſum ideo malnrum phyſicorum qua talinm nullam in decreto ſuo habuiſſe rationem. Contrarinm eoim oſtendetur deinceps, cum de ſapientia Dei acturi ſumus. Nimirum pertinet huc directio ad bonos fines & hoc ipſu mala phyſica faciunt ad decorem univerſi. Sed de his apertius in ſequentibus.

§. 567.

Actio interna & externa quænam ſit.

Actiones humanæ internæ dicuntur volitiones ac nolitiones animæ, ſeu actus ex facultate appetendi & averſandi eliciti. Aſt *actiones externæ* appellantur motus volitionibus ac nolitionibus animæ reſpondentes, ſeu quibus ea exequimur, quæ anima vult & non vult.

In præſente doctrina actio interna & externa a ſe invicem probe ſunt diſtinguendæ, propterea quod anima in volendo alias ſequatnr leges, quam corpus in exequeodo decreta animæ, quodcunque tandem ſyſtema ad explicandum commercium ioter animam & corpus ſeligas. Quamobrem cum in argumento ſpinoſo inprimis requiratur, ne confundantur, quæ a ſe invicem diſtinguenda ſunt; actionum quoque humanarum io externas & internas diviſionem negligere minime debuimus. Ponamus e. gr. Titium committere furtum, auferendo clam merces Mævii. Actus externus conſiſtit in extenſione brachii ad merces alienas ceteriſque motibus organorum corporis ad eas auferendas requiſitis. Enimvero non extendit Titius brachium niſi volens, nec alii ſequuotur motus in corpore, oiſi ipſo volente. Volitiones igitur, qnibus motus iſti reſpondent & ſine quibus non darentur in corpore, ſunt actiones internæ. Volitiones & motus ſimul conſtituunt integram actionem humanam, quæ furti nomine venit.

§. 568.

Phyſicū & morale in actione humana.

Actiones tam internæ, quam externæ vel ſpectantur phyſice, vel moraliter. *Actiones internæ phyſice ſpectatæ* ſunt volitiones ac nolitiones, quatenus ſunt mutationes in anima contingentes, ſeu animæ modificationes. Similiter *actiones externæ phyſice ſpectatæ* ſunt motus volitionibus ac nolitionibus animæ reſpondentes, quatenus ſunt mutationes in corpore accidentes, ſeu corporis modificationes a nutu animæ pendentes. Ex adverſo *actiones internæ moraliter ſpectatæ* ſunt eædem volitiones ac nolitiones animæ, quatenus vel bonæ, vel malæ ſunt. Ac ſimiliter *actiones externæ moraliter ſpectatæ* ſunt iidem motus corporis volitionibus ac nolitionibus animæ reſpondentes, quatenus vel boni, vel mali ſunt.

Exemplo furti, quod modo dedimus, differentia hæc evadit manifeſta. Extenſio brachii, quatenus ſpectatnr ut motus orgaoi cujuſdam corporis, nonniſi phyſice ſpectatur, & eodem mudu motus urganorum curporis reliqui, qui ad furtum requiruntur, nonniſi phyſice

ſpectan-

Digitized by Google

ſpectantur, quatenus non conſiderantur, niſi ut motus in corpore humano exiſtentes. Enimvero ſi jam porro perpendis, extenſionem brachii fieri ad rem alienam & ceteris motibus organorum corporis auferri rem alienam; actio externa furti moraliter ſpectatur. Similiter volitio, a qua pendet extenſio brachii, ſingulæque volitiones, quibus debentur motus ceteri organorum corporis in furto, ſpectantur phyſice, ſi non conſiderentur, niſi ut actus voluntatis animæ, quibus quid appetitur. Atat eædem volitiones moraliter ſpectantur, quatenus conſideramus eas dirigi in ablationem rei alienæ, & violationem juris, quod alter in eadem habet. Neque enim volitio dicitur mala, niſi quatenus brachium extendere ad rem alienam eamque auferre alteri volumus: extenſio autem brachii in ſe ſpectata mala non eſt, nec ceteri motus in ſe quicquam habent vitii, quibus alteri res ſua aufertur.

§. 569.

Actiones internæ malæ quomodo actuentur.

Si actio mala interna phyſice ſpectetur, per leges eaſdem appetitus ac averſationis naſcitur, quibus bona. Etenim actiones malæ internæ perinde ac bonæ, ſunt volitiones ac nolitiones animæ (§. 567), &, ſi phyſice ſpectentur, non conſiderantur, niſi ut modificationes animæ, ſeu mutationes, quæ in eadem actuantur (§. 568). Enimvero ſi malum appetimus, id appetimus ſub ratione boni, ſeu quod illud nobis repræſentemus tanquam bonum quoad nos (§. 896 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum lex appetitus ſit hæc propoſitio: *Quicquid nobis repræſentamus tanquam bonum quoad nos, id appetimus* (§. 904 *Pſychol. empir.*); volitiones quoque malæ, quatenus ſpectantur ut actus voluntatis animæ, per eandem legem appetitus naſcuntur, juxta quam in eadem conſequuntur volitiones ceteræ omnes quæcunque, conſequenter per eandem, qua naſcuntur volitiones bonæ. Similiter ſi bonum averſamur, id averſamur ſub ratione mali, ſeu quia illud nobis repræſentamus tanquam malum quoad nos (§. 896 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum lex averſationis ſit hæc propoſitio: *Quicquid nobis repræſentamus tanquam malum quoad nos, id averſamur* (§. 907 *Pſychol. empir.*); nolitiones quoque malæ, quatenus ſpectantur ut actus animæ, per eandem legem averſationis naſcuntur, juxta quam in eadem conſequuntur ceteræ omnes, qualeſcunque tandem fuerint, conſequenter & bonæ. Quoniam itaque actio interna mala eſſe nequit, niſi volitio quædam, vel nolitio mala, quod ſcilicet anima appetat malum, vel averſetur bonum (§. 568), jam vero tam nolitio, quam volitio mala naſcitur per eandem legem, per quam in anima conſequitur nolitio, vel volitio bona *per demonſtrata*; evidens omnino eſt, actiones internas malas, quatenus phyſice ſpectantur, conſequi per eandem legem appetitus & averſationis, qua naſcuntur bonæ.

Propoſitio hæc multum lucis affundet concurſui Dei ad malum: ibi enim, quod phyſicum eſt, probe diſtinguendum a morali, ne Deo tribuas quod creaturæ eſt.

§. 570.

Actionum internarum ordo naturalis ſeu phyſicus.

Actiones internæ animæ tam bonæ, quam malæ, quatenus phyſice ſpectantur, ordine quodam naturali ſeu phyſico conſequuntur. Etenim actiones malæ internæ, quatenus phyſice ſpectantur, per eaſdem leges appetitus ac averſationis naſcuntur, per quas naſcuntur bonæ (§. 569), conſequenter unicuique actioni internæ animæ, ſive bona fuerit, ſive mala, in ſerie perce-

Digitized by Google

ptionum ac appetitionum & averſationum, unicuique animæ propria (§ 524 *Pſychol. rat.*), per eaſdem leges, conſequenter & regulas (§. 903 *Pſychol. empir.*), ſuus determinatur locus. Quamobrem cum ordine ſibi invicem res ſuccedant, ſiquidem per eaſdem regulas unicuique ſucceſſivorum locus ſuus determinatur (§. 478 *Ontol.*); actiones internæ omnes animæ tam bonæ, quam malæ, quatenus phyſice ſpectantur, ordine quodam conſequuntur. Enimvero lex appetitus & averſationis, qua nititur ordo iſte, animæ naturalis eſt (§. 522 *Pſychol. rat.*), conſequenter & ipſe animæ naturalis. Patet igitur actiones internas animæ tam bonas, quam malas, ſi phyſice ſpectentur, ordine quodam naturali ſeu phyſico ſe invicem conſequi.

Hæc propoſitio probe tenenda, ut, quando concurſum Dei ad malum explicaturi ſumus, intelligatur actiones malas, quatenus a Deo dependent, nihil habere vitioſi, quod reprehenſionem incurrat. Videmus enim in eo, quod maxime irregulare eſt Deoque opus ſuum deformat in particulari, ineſſe aliquid regulare quatenus a Deo pendet. Et ſane vi hujus regularitatis fieri poteſt, ut conſervetur in toto perfectio, non obſtante imperfectione partium. Nondum autem hinc apparet, quod ipſa partis imperfectio faciat ad majorem perfectionem totius: id enim intelligitur ex directione mali ad bonum, deinceps adſtruenda, quæ ex nexu rerum a Deo ſapienter ſtabilito elucet. Paſſim demonſtranda ſunt, quæ de malo, quatenus ſubſtat decreto divino & quatenus Deus ad idem concurrit, tenenda ſunt, cum a diverſis principiis pendeant, ubi enim deinceps in unam notionem colliguntur, quæ certa eſſe cognovimus, pleniſſima lux in argumento hoc intricatiſſimo tandem affulget. Ne igitur inanem operam ſumant conſequentiarii, caveant, ne de toto judicium ferant ex parte, antequam ſcilicet notionem dependentiæ mali a Deo integram acquiſiverint & ſingula, quæ eam ingrediuntur, & quæ in eadem involvuntur, probe intellexerint. Alias enim & ſeipſos, & alios ipſis non perſpicaciores, aut eorum auctoritati obnoxiam fidem habentes, perplexos reddent & in invidiam adducentes doctrinam ſolidam arma ex manibus extorquebunt religionis naturalis & revelatæ defenſoribus, quibus eam tuentur adverſus ejusdem hoſtes.

§. 571.

An actiones malæ turbent ordinem naturalē modificationum animæ.

Per actiones malas internas ordo naturalis in ſerie perceptionum atque appetitionum & averſationum minime turbatur. Etenim actiones malæ internæ, quatenus phyſice ſpectantur, etiamſi malæ fuerint, eodem tamen ordine naturali conſequuntur, quo bonæ (§. 570), conſequenter non ſunt contra ordinem naturalem animæ, aut, ſi mavis, contra ordinem naturæ animarum, quemadmodum contra naturæ ordinem in mundo materiali non fit, quod eidem minime contrariatur, ſeu eodem ſalvo fit (§. 565 *Coſmol.*). Quamobrem cum ordo hinc turbetur, aut, ſi mavis, interrumpatur, ſi quid contra eundem fit (§. 565 *Coſmol.*); evidens eſt, per actiones malas internas ordinem naturalem in ſerie perceptionum atque appetitionum & averſationum animæ minime turbari.

Quemadmodum naturæ ordo dicitur, quem in agendo natura obſervat; ita etiam ordo naturæ in anima recte appellatur, quem anima qua agens phyſicum, hoc eſt, quatenus per naturam ſuam apta eſt agere, in agendo obſervat. Quemadmodum enim ille in modificationibus virium motricium deprehenditur (§. 558 *Coſmol.*), ita hic in modificationibus vis animæ inſitæ, in qua natura ejus conſiſtit (§. 67 *Pſychol. rat.*), obſervatur. Et quemadmodum ille continetur regulis motus (§. 559 *Coſmol.*); ita hic abſolvitur regulis, quas anima in agendo obſervare conatur (§. 76 *Pſychol. rat.*). Quemadmodum denique ſecundum naturæ ordinem fit in mundo materiali, quod ſecundum regulas motus fit, & contra eundem, quod hiſce repugnat; ita & ſecundum ordinem naturæ in anima fit, quod ſecundum leges,

quas

Digitized by Google

quis anima obſervat in agendo, contingit, & contra eundem, quod iiſdem repugnat. Unde porro ſequitur, ordinem naturæ in anima tum demum turbari, quando quid contra eum in anima accidit, ſicuti in mundo materiali turbatur ordo naturæ, quando quid contra eundem contingit. Quodſi quem offendat nomen turbatio ordinis naturæ; is, ſi placuerit, interruptionem ordinis naturæ ſubſtituat, quam nos turbationem dicimus, nec nos experietur infeſtos: notet vero velim, nos uti termino jam dudum Theologis probato, quos affirmare conſtat, Deum ordinem naturæ turbaſſe per miracula tempore Joſuæ & Hiskiæ in Sole facta, eodem prorſus ſenſu & eadem ſequela, qua nos idem affirmamus de miraculis in genere.

§. 572.

Actiones externæ malæ qua phyſicæ quomodo cõſequantur.

Actiones malæ externæ, quatenus phyſice ſpectantur, eodem modo conſequuntur, quo bonæ. Etenim actiones malæ externæ ſunt motus organorum corporis, qui volitionibus ac nolitionibus animæ ſeu liberis ejuſdem decretis reſpondent (§. 568), conſequenter vi commercii mentis cum corpore conſequuntur (§. 962 *Pſychol. empir.*). Enimvero quacunque hypotheſi in explicando commercio inter animam & corpus utaris, motus voluntarii, hoc eſt, a voluntate animæ pendentes (§. 936 *Pſychol. empir.*), eodem modo conſequuntur omnes, ac ſi anima in corpus influeret, ſeu vi ſua motus voluntarios in corpore produceret, nullo prorſus diſcrimine inter bonos atque malos (§. 537 *Pſychol. rat.*). Patet igitur actiones malas externas, ſi phyſice ſpectentur, eodem modo conſequi, quo bonæ conſequuntur.

Propoſitionem hanc diſtinctius demonſtrare licet, ſi ſyſtema aliquod explicandi commercium inter animam atque corpus eligas. Ita in ſyſtemate cauſarum occaſionalium in dependentia motuum voluntariorum ab anima conſtante hæc lex obſervatur, quod Deus ſpiritus animales dirigere velit ad influendum per nervos motorios in muſculos organorum motores, quorum motum anima voluerit (§. 601 *Pſychol. rat.*). Unde clariſſime perſpicitur, non alio modo conſequi motus voluntarios bonos in corpore quam malos, quia omnes conſequuntur vi ejuſdem legis. In ſyſlamate harmoniæ præſtabilitæ vi mechaniſmi corporis ex ideis materialibus ſenſibilium naſcuntur motus voluntarii citra ullam determinationem extrinſecam immediatam (§. 615 *Pſychol. rat.*), adeoque non alio modo, quam quo motus ceteri in corpore animali conſequuntur, adeoque juxta regulas, quibus ordo naturæ in mundo hoc adſpectabili continetur (§. 559 *Coſmol.*). In hoc igitur ſyſtemate non modo actiones externæ malæ, quatenus phyſice ſpectantur, eodem modo in corpore conſequuntur, quo bonæ; verum eodem prorſus modo, quo omnes motus in hoc univerſo, qualeſcunque tandem fuerint. Quoniam tamen hypotheſes de commercio inter mentem atque corpus dubitationis ac diſceptationis adhuc aleam continent; veritatem propoſitionis præſentis ab iis ſuſpendere nolumus, ne præter neceſſitatem eandem labefactemus.

§. 573.

Quomodo actiones externæ qua phyſicæ ſe habeant in quovis ſyſtemate.

In ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ actiones malæ externæ, quatenus phyſice ſpectantur, fiunt ſecundum conſuetum naturæ ordinem: aſt in ſyſtemate influxus phyſici & cauſarum occaſionalium eædem fiunt ſecundum peculiarem ordinem, quo conſuetus continuo turbatur ſeu interrumpitur. Etenim in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ vi mechaniſmi corporis ex ideis materialibus ſenſibilium naſcuntur motus volitionibus & appetitionibus animæ reſpondentes citra ullam determinationem extrinſecam immediatam (§. 615 *Pſychol. rat.*), conſequenter ſecundum eaſdem regulas motus, juxta quas ceteri motus in rerum natura fiunt (§. 65. 511 *Coſmol.*). Enimvero cum conſuetus naturæ ordo, qui in mundo adſpectabili datur (§. 560 *Coſmol.*), regulis motus contineatur

(§. 559

(§. 559 *Coſmol.*) ; in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ motus voluntarii ſalvo naturæ ordine fiunt, ſeu eidem conveniunt, conſequenter ſecundum naturæ ordinem conſuetum fiunt (§.565 *Coſmol.*). Quamobrem quia actiones externæ malæ, quatenus phyſice ſpectantur, ſunt motus volitionibus & appetitionibus animæ reſpondentes (§. 568); eaſdem in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quatenus phyſice ſpectantur, fieri ſecundum conſuetum naturæ ordinem, palam eſt.

Idem etiam hoc modo oſtenditur. In ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ omnia fiunt naturaliter (§. 622 *Pſychol.rat.*), conſequenter etiam naturaliter fiunt motus voluntarii, ſeu a volitionibus ac appetitionibus animæ pendentes, utpote per ſyſtema iſtud a priori explicandi (§. 612 *Pſychol. rat.* & §. 962 *Pſychol. empir.*). Sed quæ naturaliter fiunt, ſecundum naturæ ordinem fiunt (§. 566 *Coſmol.*). In ſyſtemate igitur harmoniæ præſtabilitæ motus voluntarii ſecundum naturæ ordinem fiunt. Enimvero actiones malæ externæ ſunt e numero horum motuum, quatenus phyſice ſpectantur (§. 568). In ſyſtemate itaque harmoniæ præſtabilitæ actiones externæ phyſice ſpectatæ fiunt ſecundum naturæ ordinem.

Influxus phyſicus ordini naturæ adverſus eſt (§. 579 *Pſychol. rat.*), conſequenter & motus voluntarii (§.560 *Pſychol.rat.*), atque ideo etiam actiones malæ phyſice ſpectatæ, eidem adverſantur (§. 568), conſequenter contra eundem fiunt. Enimvero ſi anima in corpus phyſice influit, fluidum nerveum dirigitur ab ea ad influendum per nervos ſenſorios in muſculos, quibus motus in corpore perficitur (§.571 *Pſychol.rat.*), quæ directio cum juxta rationem quandam conſtantem determinari debeat (§. 193 *Ontol.*), motus liberi in corpore eodem modo determinantur, conſequenter in modo, quo in ſeriem rerum naturalium intruduntur, ſimilitudo quædam obvia eſt (§.195 *Ontol.*), ac hoc nomine ordine quodam conſequuntur (§.472 *Ontol.*), quem diverſum eſſe a conſueto naturæ ordine per ſe patet. Jam motus iſti fiunt contra naturæ ordinem *per demonſtrata*, adeoque eundem turbant (§.565 *Coſmol.*). Ordo igitur, quo in ſyſtemate influxus phyſici motus voluntarii in ſerie rerum naturalium intruduntur, ordinem naturæ conſuetum continuo turbat. Conſtat vero actiones malas externas, quatenus phyſice ſpectantur, non ſpectari niſi tanquam motus volitionibus & appetitionibus animæ reſpondentes (§. 568), hoc eſt, ideo exiſtentes in corpore, quia anima eoſdem in eodem exiſtere vult. Quamobrem patet in ſyſtemate influxus phyſici actiones malas phyſice ſpectatas fieri ſecundum peculiarem ordinem, ſed quo conſuetus naturæ ordo continuo turbatur, aut, ſi mavis, interrumpitur.

In ſyſtemate cauſarum occaſionalium Deus hanc ſibimetipſi impoſuit legem, quod ſpiritus animales dirigere velit ad influendum per nervos motorios in muſculos organorum motores, quorum motum anima voluerit

(§.601

(§. 601 *Pſychol. rat.*), quemadmodum in ſyſtemate influxus ipſa anima eadem lege dirigit ſpiritus animales (§. 571 *Pſychol. rat.*). Motus igitur voluntarii eodem prorſus modo in ſeriem rerum naturalium intruduntur, conſequenter certo quodam ordine (§. 473 *Ontol.*). Eſt vero ſyſtema cauſarum occaſionalium ordini naturæ adverſum (§. 607 *Pſychol. rat.*), conſequenter iſte etiam ordo, quo motus voluntarii ſeu a volitionibus & appetitionibus animæ pendentes, in ſeriem rerum naturalium intruduntur, ordini naturæ adverſus eſt. Quod vero ordini naturæ adverſum eſt ſeu contrariatur, illud naturæ ordinem turbat (§. 565 *Coſmol.*). Ordo itaque, quo motus voluntarii in ſeriem rerum naturalium intruduntur, ordinem naturæ conſuetum turbat, aut, ſi mavis, continuo interrumpit. Quoniam itaque motus iſti voluntarii ſunt actiones externæ phyſice ſpectatæ, ſive malæ fuerint, ſive bonæ (§. 568); in ſyſtemate cauſarum occaſionalium actiones externæ, etiam malæ, peculiari quodam ordine in ſeriem rerum naturalium intruduntur, quo ordo naturæ conſuetus continuo interrumpitur.

Patet adeo quomodo actiones malæ externæ, ſi phyſice ſpectentur, ſeſe habeant in receptis hypotheſibus explicandi commercium inter animam & corpus intercedens: quod notaſſe utile eſt. Etenim ubi malas hominum actiones ad Deum referre volueris, ut pateat, quomodo circa eas verſetur, conſiderandum eſt quomodo ſeſe habeant ad mundum integrum, cum Deus de iis non judicet, niſi in relatione ad totum mundum (§. 393), nec eas deinceps ad ſe referat, niſi quatenus ſpectantur ad totum mundum relatæ (§. 395. 405). Hoc pacto liquet, quænam hypotheſis explicandi commercium inter animam & corpus magis ſatisfaciat in concurſu Dei ad malas hominum actiones & in explicando modo, quo malum decreto divino ſubſtat. In ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ duplex datur ordo naturæ, quorum alter eſt naturæ animarum, alter naturæ mundi materialis. Neuter alterum ullo modo turbat & actiones malæ, ſi phyſice ſpectentur, fiunt ſecundum ordinem priorem, quatenus internæ ſunt, ſecundum ordinem poſteriorem, quatenus externæ ſunt, ut adeo in eo, quod moraliter ſpectatum maxime irregulare eſt, nihil tamen irregularitatis obſervetur, quatenus phyſicum eſt. In ſyſtemate cauſarum occaſionalium & influxus phyſici triplex naturæ ordo eſt: primus reſpicit naturam animæ in ſe ſpectatam, ſecundus naturam mundi materialis, & tertius dependentiam naturæ animæ & naturæ rerum univerſæ in mundo adſpectabili a ſe invicem. Ordo naturæ animæ per ordinem, qui reſpicit mutuam naturæ animæ ac mundi materialis dependentiam a ſe invicem, & quem intermedium brevitatis gratia vocare libet, continuo turbatur ſeu interrumpitur, & ordo ſimiliter naturæ univerſæ eundem ordinem intermedium ſibi continuo experitur adverſum. In omni autem ſyſtemate, actiones malæ & bonæ eodem modo referuntur ad ordinem naturæ univerſæ & ordinem naturæ animarum, nec in ſyſtematis influxus phyſici & cauſarum occaſionalium, in quibus ordo naturæ tum quoad animas, tum quoad mundum materialem per ordinem quendam intermedium continuo interrumpitur, alia ordinis naturæ turbatio locum habet quoad actiones malas, quam quoad actiones bonas.

§. 574.

Actiones malæ internæ, quatenus moraliter ſpectantur, animam & ejus ſtatum reddunt imperfectiorem. Actiones malæ internæ ſunt volitiones ac nolitiones animæ (§. 567), & moraliter ſpectantur, quatenus malæ ſunt (§. 568). Enimvero malum nos ſtatumque noſtrum imperfectiorem reddit (§. 565 *Pſychol. empir.*), ſeu ad imperfectionem noſtram quid confert (§. 371). Actiones igitur malæ internæ, quatenus moraliter ſpectantur, animam & ejus ſtatum imperfectiorem reddunt. *Quales ſint actiones malæ quoad animam.*

Ponamus

Ponamus e. gr. Titium velle læſionem alterius, qua eum ſibi reddit inimicum. Cum inimicus alteri nocendi occaſionem quærat & obviam ambabus amplectatur manibus, ex læſione procreantur Titio plurima tædia, quibus carere poterat, & futurorum metus anxium reddere valet animum ejus, quatenus damna ſibi inferenda & tædia inde percipienda, prævidet, etſi non certo, attamen probabiliter. Accedit quoque pœnitentia, quæ excruciat Titii animum. Nemo autem diffitebitur, quod ſuo loco evidenter demonſtrabitur, ſtatum animæ Titii tunc fuiſſe factum imperfectiorem, quam futurus erat, ſiquidem a lædendo altero abſtinuiſſet. Quoniam actiones lædendi ſæpius repetitæ inducunt animæ habitum lædendi, & ſingulæ actiones ad eum quid conferunt; patet illam læſionem tendere ad imperfectionem animæ & quatenus eandem inclinant ad iſtum habitum, eam reddere imperfectiorem. Atque hoc pacto anima & ejus ſtatus volitione mala redditur imperfectior. In philoſophia practica, quæ dixi, multo clariora evadent, propterea quod ibidem latius deducenda venient ſingula, quæ hic conciſius proponuntur, defectu principiorum nondum ſtabilitorum. Sufficerit itaque propoſitionem præſentem utcunque illuſtraſſe, pleniore luce ſuo tempore ſuoque loco perfundendam.

§. 575.

Quales ſint actiones malæ quoad corpus & ſtatũ externum.

Actiones malæ externæ, quatenus moraliter ſpectantur, corpus & ſtatum noſtrum externum reddunt imperfectioni obnoxium. Etenim actiones externæ ſunt motus organorum corporis ac corporis totius a volitionibus animæ pendentes (§. 567) &, dum moraliter ſpectantur, mali ſunt (§. 568). Jam vero malum nos ſtatumque noſtrum imperfectiorem reddit (§. 565 *Pſychol. empir.*), ſeu, quod perinde eſt, ad noſtram imperfectionem quid confert (§. 371). Quamobrem actiones externæ moraliter ſpectatæ corpus ſtatumque noſtrum externum imperfectioni obnoxium reddunt.

Ponamus enim, quemadmodum antea, nos læſiſſe Titium & ejus contraxiſſe inimicitiam. Nemo non videt, hac actione ſtatum noſtrum externum reddi imperfectiorem: videbit autem clarius perſpicillis philoſophiæ practicæ uſus. Quodſi inimicus damnum infert famæ & opibus, vel etiam corpori, ſtatus noſter externus, & in caſu altero ipſius corporis ſtatus internus imperfectioni magis adhuc obnoxius evadit. Imo periculum horum damnorum ex inimicitia imminens ſtatum jam noſtrum imperfectiorem reddit.

§. 576.

Malum morale an ſit malum verum.

Malum morale verum malum eſt. Etenim malum morale inhæret actionibus hominum liberis (§. 374), ac inde actiones tam internæ, quam externæ dicuntur malæ, adeoque quoad ipſum moraliter ſpectantur (§. 568). Enimvero actiones malæ, quatenus moraliter ſpectantur, nos & ſtatum noſtrum tum quoad animam (§. 574), tum quoad corpus imperfectiores reddunt (§. 575). Quamobrem cum verum malum ſit, quod nos ſtatumque noſtrum revera imperfectiorem reddit (§. 568 *Pſychol. empir.*); malum morale verum malum eſt.

Malum morale nunc conſideramus in ſe, nondum vero referimus ad Deum legislatorem, ſeu malas actiones prohibentem. Etenim niſi hoc fiat, oſtendi nequit, cur Deus malum nolit ac prohibeat, imo puniat, & hoc tamen non obſtante eidem locum reliquerit in hac rerum ſerie, vel hanc ſeriem rerum produxerit, cui malum morale adeo implicatur, ut, eadem ſalva, ab ea ſeparari minime poſſit (§. 552).

§. 577.

Qualis imperfectio ſit malum morale.

Malum morale conſiſtit in imperfectione accidentali. Etenim malum morale verum malum eſt (§. 576), adeoque cum malum verum revera nos ſtatumque noſtrum imperfectiorem reddat (§. 568 *Pſychol. empir.*); nos quoque ſta-

tumque

tumque noſtrum revera imperfectiorem reddere debet. Jam perfectio omnis aut eſſentialis eſt, aut accidentalis, & illa quidem conſenſu determinationum eſſentialium, hæc vero conſenſu determinationum accidentalium continetur (§. 528 *Ontol.*). Enimvero eſſentiales determinationes ſunt immutabiles (§. 300 *Ontol.*). Quamobrem & perfectio eſſentialis tam animæ, quam corporis immutabilis eſt, conſequenter anima & corpus imperfectiora fieri nequeunt niſi quoad perfectionem accidentalem. Et cum ſtatus rei mutabilibus intrinſecis atque extrinſecis conſtituatur (§. 706 *Ontol.*); perfectio ſtatus eſſentialis eſſe nequit *per demonſtrata*, conſequenter nec in eum cadit niſi accidentalis imperfectio. Atque adeo liquet, malum morale non conſiſtere in imperfectione eſſentiali, ſed in accidentali.

Perfectionem eſſentialem ab accidentali diſtingui maxime neceſſarium eſt, quemadmodum jam alias monuimus (*not.* §. 528 *Ontol.*). Et probe tenendum eſt, ad quam imperfectionis ſpeciem malum morale ſpectet. Etenim ſi malum morale eſſet eſſentialis quædam imperfectio, aut ſaltem ob eandem inevitabile; in Deum tanquam cauſam recideret malum: quod vero ita non eſt, ubi nonniſi accidentalis eſt.

§. 578.

Malum morale contrariatur perfectioni eſſentiali. Cum enim perfectio ac- *Mali moralis cum perfectione eſſentiali pugna.*
cidentalis conſiſtat in conſenſu determinationum accidentalium cum eſſentialibus (§. 528 *Ontol.*); imperfectio accidentalis conſiſtere debet in diſſenſu determinationum accidentalium & eſſentialium (§. 504 *Ontol.*). Quoniam vero diſſenſus conſiſtit in contrarietate tendentiarum ad commune aliquod obtinendum (§. *cit.*); determinationes eſſentiales & accidentales ad contraria tendere debent. Quamobrem cum perfectio eſſentialis ex illa tendentia determinationum eſſentialium ad unum quid oriatur (§. 528 *Ontol.*); imperfectio accidentalis contrariatur perfectioni eſſentiali. Sed imperfectio iſta accidentalis ipſum malum morale, qua tale, eſt (§. 577). Malum igitur morale perfectioni eſſentiali contrariatur.

Cum demonſtratio terminis generalibus concepta obſcurior eſſe poſſit, præſertim ubi integram mali moralis notionem penitus evolvere nondum licet; exemplo aliquo eam illuſtrari opus eſt. Corpus humanum eam habet ſtructuram, ut functiones omnium organorum vitalium tendant ad ejus conſervationem, & organa cetera ita comparata ſint, ut eorum motus conſervationi corporis & ejus deſtructioni convenienter determinari poſſit. Unde motus iſti, in ſe indifferentes, fiunt vel boni, vel mali, prout vel ita determinantur, ut ad conſervationem corporis quid conferant, vel alio modo, ut ad ejus deſtructionem tendant. Corpus humanum eſſentialiter aut, ut Scholaſtici loqui ſolent, ſubſtantialiter perfectum eſt, quatenus functiones organorum vitalium in conſervationem corporis adeo pulchre conſpirant & organorum ceterorum functiones eidem fini convenienter determinari poſſunt: aſt idem accidentaliter perfectum evadit, ubi horum functiones ſimiliter eo determinantur modo, ut conſervationem corporis promoveant, minime autem eidem contrarientur. Quodſi vero contingat, eas determinari ita, ut conſervationi corporis contrarientur, veluti ſi manus porrigatur ad cibum grati ſaporis, ſed ſanitati infeſtum, hicque in os ingeſtus deglutiatur; imperfectio hinc oritur accidentalis, quam adeo contrariari perfectioni eſſentiali liquet. Etenim eſſentialis perfectio reſpicit ſanitatem tanquam finem; accidentalis imperfectio eandem tanquam finem minime reſpicit, reſpicit enim tanquam finem ex grato ſapore percipiendam voluptatem; quæ per accidens ſanitati contrariatur. Et hoc pacto intelligitur, quomodo malum morale contrarietur perfectioni eſſentiali. Quodſi terminos abſtractos, qui in demonſtratione occurrunt, per ea, quæ ipſi in exemplo reſpondent, explicare vo-

lueris; nihil amplius obſcuritatis ſupereſſe poterit, etiamſi adhuc deficiat lumen iſtud, quo abſtracta conſpicua redduntur acutioribus, cum jam abſtracta intueri liceat in concretis non adeo difficili attentione animadvertenda.

§. 579.

Ratio determinãs mali moralis.

Malum morale per aliam rationem determinatur, quam perfectio hominis eſſentialis. Malum enim morale aut per eandem rationem determinatur, qua perfectio hominis eſſentialis determinatur, aut per diverſam (§.53 *Ontol.*). Ponamus, ſi fieri poteſt, malum morale per eandem rationem determinari, per quam determinatur perfectio eſſentialis. Quoniam perfectio accidentalis eandem rationem determinantem habet, quam habet eſſentialis (§. 529 *Ontol.*); malum morale conſiſtere debet in perfectione hominis accidentali: quod cum ſit abſurdum (§. 577), patet, quod malum morale per aliam rationem determinari debeat, quam perfectio hominis eſſentialis.

Idem etiam directe oſtenditur hoc modo. Malum morale in imperfectione accidentali conſiſtit. (§. 577). Quamobrem cum imperfectionem contrariam eſſe perfectioni, collatione definitionum perfectionis & imperfectionis pateat (§. 503. 504 *Ontol.*), & ſi determinans ratio eadem fuerit, determinatum quoque idem eſſe debeat (§. 192 *Ontol.*); ratio determinans, quam habet perfectio (§.505.506 *Ontol.*), imperfectioni convenire nequit. Habet vero perfectio accidentalis eandem rationem determinantem, quam habet eſſentialis (§. 529 *Ontol.*). Quamobrem fieri non poteſt, ut imperfectio accidentalis eandem rationem determinantem agnoſcat, quam habet eſſentialis, conſequenter neceſſe eſt, ut per aliam rationem determinetur, quam perfectio eſſentialis. Atque adeo patet, malum morale per aliam rationem determinari, quam per quam perfectio hominis eſſentialis determinatur.

Patet idem in exemplo modo propoſito. Perfectio corporis noſtri eſſentialis, quatenus vivum eſt, determinatur per conſervationem corporis, atque per eam tanquam rationem quandam generalem explicari poteſt, conſequenter conſervatio corporis eſt perfectionis corporis noſtri, quatenus tanquam vivum ſpectatur, eſſentialis ratio determinans (§.506 *Ontol.*). Enimvero imperfectio accidentalis determinatur in dato caſu per voluptatem ex cibi ac potus ſapore grato percipiendam, qui ſanitati nocet, non quia ſaporem gratum habet, ſed alia de cauſa. Determinatur adeo per rationem aliam, quam perfectio corporis humani qua vivi eſſentialis. Atque hoc pacto liquet, quando cibum appetimus vel potum ſanitati infeſtum, ac ideo vitæ ipſi inſidiantem, malum morale ſeu id, quod volitionis actum vitioſum reddit (§. 374), per aliam rationem determinari, quam per quam determinatur perfectio corporis noſtri eſſentialis. Quod vero ratio hæc contrarietur rationi determinanti perfectionis eſſentialis, hoc eſt, quod voluptas ex cibi ac potus grato ſapore percipienda adverſetur ſanitati ac conſervationi corporis, id ex accidente eſt, quatenus nempe hic ſapor ineſt cibo ſanitati noxio, conſequenter conſervationi corporis inimico.

§. 580.

Quomodo malũ morale irrepat in actiones liberas.

Malum morale abuſu libertatis irrepit in actiones liberas. Actiones liberæ internæ ſunt volitiones ac nolitiones animæ (§.567), adeoque per eſſentiam animæ non determinatæ (§.940 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque anima ſe ipſam determinat ad volendum & nolendum (§. 932 *Pſychol. empir.*), ita ut volitiones ac nolitiones in ſe contingentes ſint (§.935 *Pſychol. empir.*), adeoque

oppoſitæ

oppoſitæ æque poſſibiles (§. 294. 85 *Ontol.*); evidens eſt eas quoque ab anima contraria ratione determinari poſſe, quam qua determinantur. Jam malum morale, aut, quod perinde eſt, actio libera, cui idem inhæret (§. 374), per aliam rationem determinatur, quam perfectio hominis eſſentialis (§. 579). Determinari igitur quoque poterat per rationem eandem, qua perfectio eſſentialis determinatur, & hoc pacto ad perfectionem hominis accidentalem faceret (§. 529 *Ontol.*), conſequenter mala minime foret (§. 577). Quoniam adeo anima in volendo ac nolendo libera (§. 942 *Pſychol. empir.*) vi libertatis ſuæ ſe in hanc potius, quam alteram contradictionis partem determinat (§. 941 *Pſychol. empir.*), libertate autem ſua omnino abutitur, ſi eam per aliam rationem determinat, quam per quam determinatur perfectio eſſentialis; malum morale abuſu libertatis in actiones liberas irrepere patet.

Quomodo actio libera reddatur vitioſa & ſic malum morale in eam irrepat, clariſſime patet in exemplo, quod paulo ante propoſuimus. Si quis voluptatis percipiendæ gratia cibum ac potum ſanitati inimicum capit; actio libera mala eſt, ſive eam interne, ſive externe ſpectes, hoc eſt, ſive volitionem animæ, ſive motus corporis eidem reſpondentes, conſideres. Organa vitalia corporis eas habent functiones, quæ ad conſervationem vitæ ac ſanitatis corporis tendunt, adeoque ratio determinans perfectionis corporis humani, quatenus vivum, eſt conſervatio corporis, aut, ſi diſtinctius rem omnem enunciare volueris, conſervatio vitæ, ſanitatis ac vigoris corporis. Qui ſolius voluptatis percipiendæ gratia cibum ac potum capit ſanitati infeſtum; is per aliam rationem hanc actionem determinat, quam per eam, qua determinatur perfectio corporis eſſentialis. Fieri autem poterat, ut in appetendo cibo ac potu, vitæ, ſanitatis ac vigoris corporis ſui rationem haberet, eligens cibum, quem ſanitati conducere novit, ſed abſtinens ab eo, quem eidem infeſtum experitur. Abuſu igitur libertatis ſuæ accidit, quod malit voluptatis ex cibo ac potu percipiendæ potiorem habere rationem, quam ſanitatis. Atque hoc pacto actio, quæ phyſice ſpectata nihil vitii habebat, cum cibum ac potum ſapere per ſe malum non ſit, abuſu libertatis efficitur mala & malum morale irrepit in actionem phyſicam, quæ perinde bona effici poterat uſu libertatis, quam malo morali inficitur illius abuſu.

§. 581.

An Deus malũ morale velit.

Deus malum morale velle nequit, aut, *fieri non poteſt, ut Deus velit malum morale*. Etenim Deus vult, quod in ſe optimum eſt (§. 383). Quamobrem cum quid in ſe ſit bonum, quatenus ſuam habet perfectionem tam eſſentialem, quam accidentalem (§. 370); fieri non poteſt, ut Deus velit imperfectionem hominis accidentalem. Conſiſtit vero malum morale in imperfectione accidentali (§. 577). Fieri itaque non poteſt, ut Deus velit malum morale.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus vult, quicquid ſibi repræſentat tanquam optimum tum in ſe, tum in relatione ad ſeipſum (§. 390), conſequenter cum quid in ſe bonum ſit, quatenus ſuam habet perfectionem tam eſſentialem, quam accidentalem (§. 370); ſummam vult rerum perfectionem eſſentialem & accidentalem, quam habere poſſunt. Fieri adeo nequit, ut quod imperfectioni eſſentiali repugnat, velit (§. 28 *Ontol.*). Quamobrem cum malum morale perfectioni eſſentiali repugnet (§. 578); ut Deus malum morale velit, fieri nequit.

Digitized by Google

Dum Deus vult exiſtere hominem, qui ea habet corporis organa, quorum functiones tendunt ad conſervationem ejuſdem; evidens omnino eſt velle Deum corporis humani conſervationem, conſequenter fieri non poſſe, ut eandem nolit (§. 28 *Ontol.*). Unde porro liquet impoſſibile eſſe, ut Deus velit hominem capere cibum ac potum ſanitati corporis infeſtum. Quodſi in hoc caſu ſpeciali ſubſtituas notiones generales per abſtractionem facile ſeparandas; ipſa prodibit theorematis præſentis demonſtratio. Ceterum hinc liquet quam ſit neceſſarium intrinſecam bonitatem ac malitiam actionum humanarum agnoſci, ſecus enim fieri haud quaquam poterit ut demonſtretur, Deum non velle malum morale, cum quid demum moraliter malum agnoſcatur, ubi Deum iſtud nolle ſupponitur. Et porro intelligitur, indifferentiam actionum ante legem perinde, ac eſſentias arbitrarias, ſeſe tantummodo probare illis, qui res profundius ſcrutari minime ſolent.

§. 582.

An Deus mundum elegerit ob malum morale.

Deus mundum hunc non elegit ob malum morale, quod in eo exiſtit. Ponamus enim Deum elegiſſe hunc mundum ob malum morale, quod in eo datur. Cum electio ſit actus voluntatis, quatenus libera eſt (§. 941 *Pſychol. empir.*); neceſſe eſt Deum velle malum morale: quod cum ſit abſurdum (§. 581), Deus mundum hunc non elegit ob malum morale, quod in eo datur.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus hunc mundum ex ceteris elegit ob majorem perfectionem, quæ ipſi quam ceteris ineſt (§. 325). Quoniam itaque malum morale, quod ex tota hac rerum ſerie, eadem ſalva, tolli nequit (§. 556), in imperfectione accidentali conſiſtit (§. 577), & perfectioni eſſentiali repugnat (§. 578); fieri non poteſt ut mundum hunc elegerit ob malum morale, quod in eo locum habet.

Elegit nimirum Deus mundum intuitu perfectionis, non vero intuitu mali moralis, etſi hoc non obſtiterit, quo minus eundem eligeret, propterea quod ſeriei huic ita implicatur, ut ſalva perfectione ejuſdem, tolli minime poſſit (§. 552. 556): quod cum probe notandum ſit, e re eſſe judico ut ſequens propoſitio ſubjiciatur.

§. 583.

Cur Deus non obſtante malo morali hanc rerum ſeriem decreverit.

Malum morale obſtare minime potuit, quo minus Deus exiſtentiam hujus univerſi decerneret. Deus decernit quod optimum in ſe eſt (§. 515), conſequenter eam rerum ſeriem, quæ plus perfectionis habet reliqua quacunque (§. 370). Quamobrem etſi Deus hanc rerum ſeriem decernere non potuerit ob malum morale, quod eidem implicatur (§. 582): quoniam tamen eidem ita implicatur, ut ſalva ejus perfectione ab eadem removeri minime poſſit (§. 552. 556), nec obſtet, quo minus in ea plus ſit perfectionis, quam in ceteris quibuſvis (§. 550); nec obſtare potuit, quo minus hanc rerum ſeriem, ſeu, quod perinde eſt, exiſtentiam hujus univerſi decerneret.

Nimirum motivum voluntatis divinæ eſt ſumma hujus mundi perfectio, qua ceteros poſſibiles omnes vincit, cum Deus hunc mundum elegerit ob majorem perfectionem, qua ceteris præſtat (§. 325), conſequenter quatenus eundem ſibi tanquam optimum repræſentavit (§. 370). In ipſa autem hac repræſentatione motivum voluntatis Dei decernentis conſiſtit (§. 389), ex parte ſcilicet objecti (§. 340). Motivum iſtud eſt ratio ſufficiens decreti (§. 887 *Pſychol. empir.*), conſequenter quamdiu nihil in eo mutatur, nec ulla ratio eſt, cur Deus hanc rerum ſeriem decernere noluerit. Enimvero etſi Deus noſtro loquendi modo a perfectione hujus univerſi animum adverterit ad malum morale, quod ſeriei huic ita implicatur, ut ſalva perfectione, qua ceteris in univerſum omnibus præſtat, ab eadem ſeparari minime poſſit (§. 552. 556); non tamen ideo hanc ſeriem rerum ceteris imperfectiorem eſſe agnovit, ſed potius vidit, ipſum ſummæ ejuſdem perfectioni minime obſtare (§. 550). Motivum adeo divinum idem fuiſſe intelligitur, quod erat ante, cum Deus

tantum

Digitized by Google

tantum reſpicere ſupponebatur perfectionem hujus univerſi, non attento malo morali? Quamobrem nec malum morale in cauſa eſſe potuit, ut Deus eam ſeriem rerum non decerneret, quam decernere voluit intuitu perfectionis. Fingimus Deum humano more deliberantem, ut facilius intelligantur, quæ alias difficilius comprehenduntur, exemplo ipſius Sacræ Scripturæ, quæ de Deo eadem de cauſa loquitur humano more. Pone reipſum eligere aliquod objectum ex pluribus, quorum eligere poteras, quod maxime placuerit. Pone electionem a te fieri cum ratione ſumma, ita ut nihil in eadem jure reprehendi poſſit, adeoque ob perfectionem, qua ceteris eligibilibus præſtat. Pone facta electione te deprehendere in objecto electo aliquem nævum, qui diſplicet & quem, ſi fieri poſſet, abeſſe malles. Pone denique te re accuratius expenſa reperire, nævum iſtum minime obſtare, quo minus objectum electum perfectione cetera eligibilia vincat. Cum motivum electionis nævi iſtius agnitio minime mutet, nonne nævo hoc non obſtante in electione iſta firmiter perſiſtis, utut eundem non probes, nec ob ipſum hoc potius objectum eligas, quam aliud? Quod vero ſupra (*not.* §. 566) de malo phyſico annotavimus, idem quoque de morali firmiter tenendum. Scilicet quamvis Deus non elegerit mundum ob malum morale, ſeu intuitu ejuſdem; non tamen ideo affirmandum ipſum in decreto ſuo mali moralis nullam habuiſſe rationem. Etenim & hic contrarium oſtendemus deinceps, quando de ſapientia Dei acturi ſumus. Dirigit quoque Deus malum morale ad bonos fines & hoc ipſo, quemadmodum *D. Thomas* loquitur, idem pertinet per accidens ad decorem univerſi, & ad majorem ejus perfectionem facit. Sed de his paulo poſt apertius.

§. 584.

Permiſſio quid ſit.

Permittere dicimur, quod cum ab alio neque fieri, neque non fieri velimus, quo minus idem fiat, impedire nolumus. Unde ***permiſſio*** eſt volitio non impediendi aut, ſi mavis, nolitio impediendi, quod ab alio nec fieri, nec non fieri volumus. Quodſi ideo impedire nolumus, quia non poſſumus, ***permiſſio*** dicitur ***involuntaria***, ſubinde etiam coacta: quo in caſu in vernacula dicimus, ***ich muſſ es geſchehen laſſen***. Si vero impedire nolumus, quod poſſumus, ***permiſſio voluntaria*** appellatur: quo in caſu vernacula dicere ſolemus, ***ich will es geſchehen laſſen***.

Actus permiſſionis non conſiſtit in nuda omiſſione volitionis ac nolitionis, ut quoad nos indifferens ſit quid fiat, ſed ulterius quid requiritur. Quamobrem ut rectius intelligatur, qualis ſit ille actus, ſtatus permittentis & ad volendum ac nolendum indifferentis inter ſe conferri debent. Si quis ad volendum & nolendum indifferens eſt, nullæ ſuppetunt rationes, cur quid velit, vel nolit, tuncque quid fiat, minime curamus, nec proprie a nobis permitti dicitur ut idem fiat, ſit ita quod per inconſtantiam loquendi ſubinde permitti dicatur. Ita ſi Turcæ eligunt Imperatorem, nullæ nobis ſunt rationes, cur hunc potius eligi velimus, quam alium, vel cur eundem ab ipſis eligi nolimus. Unde nec volumus, ut is ab ipſis eligatur, nec nolumus, ut eligatur; ſed nobis prorſus indifferens eſt, utrum eligatur, an non eligatur. Ecquis vero dicet ſerio ſe permittere Turcis, ut eligant Imperatorem, quem velint? Dicimus potius nos non curare, quem ſibi Imperatorem eligant. Enimvero longe aliter ſeſe res habet, ubi quid permittimus. Proſtant nimirum rationes, ob quas quid ab altero fieri nolumus: proſtant etiam rationes, cur idem ab ipſo non fieri velle non poſſimus, ut adeo quæſitus, num id fieri velis, nec reſpondere poſſis, velle te ut fiat, nec reſpondere valeas, velle te ut non fiat. Cum ſingulæ rationes ſint ſufficientes, volitiones duæ contrariæ ſimul poni debebant: quod cum fieri non poſſit (§. 28 *Ontol.*), inter duas volitiones contrarias reſultat actus quidam intermedius, volitio non impediendi, vel quod a te impediri non poſſe agnoſcas, adeoque inanem operam ſumere nolis; vel quod rationes ſint ſufficientes, cur non impedire, quam impedire malis. In permiſſione adeo involuntaria ſive coacta impedire velles, quo minus fieret, ſi poſſes, adeoque adeſt volitio impediendi conditionata, ſed inefficax, quia a conditione impoſſibili ſuſpenditur: unde dicere ſolemus, nos velle libenter impedire, quo minus fiat, ſed cum non poſſimus, permittendum eſſe, ut fiat, non tamen id fieri bona noſtra voluntate. Aſt in permiſſione voluntaria impedire velles, quo minus fieret, niſi proſtarent rationes in contrarium, quæ tibi perſuadent, conſultius eſſe ut non impedias, quam ut impedias. Maximi momenti eſt non modo in Theo-

logia

logia naturali, verum etiam in omni philoſophia practica, ut actum permiſſionis intimius perſpicias. Quamobrem nec piget exemplo aliquo ſpeciali eundem illuſtrare. Ponamus itaque filium tuum ducere velle uxorem, quæ tibi non probatur, te tamen permittere, ut eam ducat. Quoniam fœmina, quam ſibi matrimonii vinculo jungere vult, tibi non probatur; non vis, ut eandem ducat. Sunt igitur tibi rationes ſufficientes, cur hoc fieri nolis. Enimvero ubi ad animum revocas, quam ancipitis aleæ ſit hoc negotium & quantum augeatur malum, ſi voto non reſpondeat eventus, & culpa in alium conjici poſſit, cum quis ab illo ſe liberum fuiſſe futurum exiſtimet, ubi voluntate ſua ſtetiſſet; ut filius non ducat uxorem, quam vult, velle non potes. Sunt igitur tibi rationes ſufficientes, cur hoc non fieri velle nequeas. Ergo nec vis hoc fieri, nec vis idem non fieri, ſeu, quod perinde eſt, non vis filium ducere uxorem, quam vult, ſi rationes priores reſpicias; & non vis filium non ducere uxorem, quam vult, ſi rationes poſteriores reſpicias, adeoque abſolute loquendo neque filium ducere, quam vult, uxorem, neque eam non ducere vis. Impoſſibile vero eſt, ut ſimul nolis, filium ducere uxorem, quem vult, & ipſum eandem non ducere. Quamobrem cum rationes ad actum utrumque ſint ſufficientes, te illud non impediturum tandem ſtatuis, etſi jure tuo uſus, idem impedire poſſes, vel etiam ſatis noveris, filium voluntati tuæ minime repugnaturum. Vides adeo actum permiſſionis conſiſtere in volitione non impediendi, quæ ſuccedit in locum duarum volitionum contrariarum, quibus ſimul locus eſſe non poteſt. Notionem permiſſionis probe perpendi velim: quamvis enim confuſa communis ſit ſatis determinata, ut in ea applicanda non facile quis aberret, hic tamen & in philoſophia practica diſtincte evoluta opus eſt, ne in judiciis de permiſſione facta a veritate aberremus, vel difficultatibus implicemur, ex quibus nos extricare haud facile valeamus.

§. 585.

Decretum Dei de permiſſione mali.

Deus malum morale permittere decrevit. Deus malum morale velle nequit (§. 581). Ergo nec dici poteſt, quod voluerit ut malum morale exiſteret, ſeu ut homines facerent malum. Malum morale minime obſtare potuit, quo minus exiſtentiam hujus univerſi decerneret (§. 583). Ergo nec dici poteſt, quod voluerit, ut malum morale non exiſteret, ſeu ut homines non facerent malum. Et quia malum morale in hac rerum ſerie datur, patet ipſum minime obſtitiſſe, quo minus eandem decreverit, adeoque nec impedire voluiſſe, utut ſimpliciter impoſſibile non ſit ipſum tolli (§. 553). Deus igitur impedire noluit, quo minus homines facerent malum, quod nec voluit, ut ab ipſis fieret, nec ut non fieret. Quamobrem cum id permittatur, quod impedire nolumus, etſi ab alio neque fieri, neque non fieri idem velimus (§. 584); Deus malum morale permittere decrevit.

Quod permiſſio mali moralis non contrarietur attributis divinis, evidentius demonſtrabitur inferius. Quoniam tamen ex principiis anterioribus jam deduci poteſt, eandem Deum minime dedecere; ideo ſequentem adjicere lubet propoſitionem, ne quid prætermittetur, quod argumento difficili quomodocunque lucis quidpiam affundere poſſit. Cave autem ne de permiſſione mali in relatione ad Deum judices, niſi eadem penitus perſpecta. Unde nec te moveant, quando dicitur, Deum nec voluiſſe, ut malum ab hominibus fieret, nec voluiſſe, ut non fieret. Etenim ſi voluiſſet, ut non fieret, aut idem per miraculum tolleret (§. 553), aut mundum hunc, in quo exiſtunt homines malum patrantes, non creaſſet. Si vero malum fieri vellet, ſibimetipſi contrariaretur, cum vellet, quod perfectioni eſſentiali contrariatur, quam tamen ipſum velle negari haud quaquam poteſt. Unde *D. Thomas*, quem in Theologia naturali acumen ſuum omnibus probaſſe conſtat, affirmat: Deum neque velle fieri malum, neque non fieri; ſed permittere. Cur vero permittat, inferius clariſſime oſtendetur.

§. 586.

An permiſſio mali

Non dedecet Deum permiſſio mali moralis. Etenim Deum decet eligere mundum omnium poſſibilium perfectiſſimum (§. 333). Enimvero ſublato malo mo-

lo morali ex tota hac rerum ſerie, mundus permanere nequit omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 556). Quamobrem cum malum permittere dedeceat, ſi idem tollere nolit (§. 584); non dedecet Deum malum morale permittere. *Deum dedeceat.*

Hic nobis ſufficit oſtendiſſe, quod permiſſio mali moralis Deum non dedeceat: inferius autem oſtendetur, quod eum deceat, ubi reddentur permiſſionis rationes Deo dignæ. Et quando concurſum Dei ad malas hominis actiones explicaturi ſumus, clariſſime conſtabit, malum morale non poſſe tolli, niſi tollatur, quod bonum in ſe eſt, & ideo ad majorem mundi perfectionem facit.

§. 587.

Deus mala moralia præſcivit ab æterno. Etenim Deus mala moralia permittere decrevit (§. 585). Quamobrem cum idem ab æterno decreverit (§. 504) & decreta ſua penitus intelligat (§. 511); ab æterno quoque vidit actiones omnes malas iiſdemque inhærens malum morale (§ 231). *Præſcitia malorũ moralium.*

Idem etiam hoc modo oſtenditur. Malum morale inhæret actionibus liberis tam internis, quam externis, quatenus illæ animam & ejuſdem ſtatum imperfectiorem reddunt (§. 574), hæ vero corpus atque ſtatum ejuſdem imperfectioni obnoxium efficiunt (§. 575), & illæ quidem phyſice ſpectatæ non ſunt niſi volitiones ac nolitiones animæ (§. 568), per naturales leges appetitus & averſationis enatæ (§. 569); hæ vero phyſice conſideratæ ſunt motus corporis volitionibus iſtis ac nolitionibus animæ reſpondentes (§. 568), eodem modo, quo ceteri motus voluntarii in corpore conſequuntur, ſecutæ (§. 572). Enimvero præſcivit Deus omnes effectus rerum materialium & omnes hominum cogitationes, quas inter etiam ſunt decreta hominum libera, ſeu ejus volitiones ac nolitiones quidpiam agendi (§. 524), & cum decreta ſua penitus intelligat (§. 511); novit etiam ab æterno quod malum morale permittere decreverit (§. 585). Ergo etiam præſcivit omnes hominis cujuſcunque actiones malas, tam internas, quam externas, & inde quoad animam ac corpus ſecuturas mutationes, conſequenter mala moralia.

Idem adhuc multis aliis modis oſtendi poterat; ſed non opus eſt prolixioribus, propterea quod præſcientiam divinam jam univerſaliter ſtabilivimus in ſuperioribus. Cum tamen in philoſophia, ubi inquirimus in rationem eorum, quæ ſunt (§. 31 *Diſc. prælim.*), demonſtrationes ſpeciales magis ſatisfaciant animo ſciendi cupido, quam generales; ideo conſultum eſt haſce minime prætermitti.

§. 588.

Malum morale Deo placere nequit. Etenim Deus liberrime vult, quicquid vult (§. 431). Quamobrem cum vi libertatis eligatur, quod volenti placet (§. 941 *Pſychol. empir.*), adeoque fieri non poſſit, ut quid placeat, quod quis velle nequit; nec Deo placere poteſt, quod velle nequit. Jam vero Deus malum morale velle nequit (§. 581). Ergo nec malum morale Deo placere poteſt. *Cur Deo non placeat malum.*

Idem etiam ſic oſtenditur. Malum morale in imperfectione accidentali conſiſtit (§. 577), quæ, cum abuſu libertatis irrepat (§. 580), abeſſe poterat

terat (§. 941 *Pſychol. empir.*). Placet vero Deo quod in ſuo genere perfectum eſt (§. 330), conſequenter quod imperfectum eſt placere nequit. Ergo malum morale Deo placere nequit.

Poterat idem ex ipſa notione mali moralis, quatenus in imperfectione conſiſtit, vi notionis ejus, quod placet ac diſplicet (§. 542 *Pſychol. empir.*), immediate deduci eo prorſus modo, quo ſupra (§. 330) demonſtravimus, Deo maxime placere, quod in ſuo genere perfectiſſimum eſt. Ita nimirum clarius eluceſcit ratio, cur malum morale placere nequeat.

§. 589.

An mundus placeat ob malum morale.

Mundus hic Deo non magis placet ceteris ob malum morale, quod in eo datur: hoc tamen non obſtat, quo minus ceteris magis placeat. Etenim malum morale Deo placere nequit (§. 588). Ergo nec ideo placere ipſi poteſt mundus ob hoc malum.

Poſterius ſic oſtenditur. Mundus hic adſpectabilis Deo maxime placet inter omnes poſſibiles, quod ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus, quemadmodum ſupra oſtendimus (§. 331). Enimvero malum morale non obſtat, quo minus in eodem major ſit perfectio, quam in ceteris poſſibilibus (§. 550), imo ex eodem auferri nequit, ſiquidem omnium poſſibilium perfectiſſimus eſſe debeat (§. 556). Malum igitur morale non obſtat, quo minus mundus hic inter omnes poſſibiles Deo maxime placeat.

Qui acumine deſtituuntur, quo in rebus metaphyſicis opus eſt, ex eo, quod mundus, in quo datur malum morale, ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus & optimus, quodque Deo maxime placeat, inferunt: Deo placere malum & eſſe auctorem mali; ſed nulla conſequentia. Quamobrem noſtrum fuit oſtendere, quod malum morale equidem non obſtet, quo minus hic mundus Deo omnium maxime placeat, ideirco tamen non placeat ob malum, quod in eo datur, quemadmodum nec malum in ſe ſpectatum placere poſſit, ut nimirum appareat, quam bene odium mali in Deo cum indivulſo nexu mali moralis ab eo, qui ipſi maxime probatur, mundo (§. 556), conſiſtat. Quod ſi vero quis perpendat, quibus notionibus refertus eſſe debeat animus, antequam percipere poſſis, quæ de mali moralis in hac rerum ſerie exiſtentia demonſtrata ſunt; is non mirabitur ἀβλεψίαν hominum illotis, quod dicitur, manibus ad res arduas tractandas accedentium, qui principia, unde veritas, quam defendere volunt, pendet, tanquam eidem contraria impugnant. Exemplo autem ipſorum docemur, quam ſit neceſſe, veritates inter ſe connexas in ſyſtemate exhiberi, cum alias incertitudinis & diſceptationum inutilium ac abſurdarum nullus futurus ſit finis.

§. 590.

Quo ſenſu Sacra Scriptura Deo tribuat conſiliũ, decretũ & propoſitum.

Deo juxta Sacram Scripturam tribui debet conſilium, decretum & propoſitum eo ſenſu, quo hæc ipſi tribuimus in antecedentibus. Etenim *Epheſ.* I. 11 prædeſtinati dicimur ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Vocabulum βουλὴ denotare actum conſultationis, quo diſquiritur, quid ſit agendum & non agendum, quemadmodum eandem ſupra definivimus (§ 498), ſatis conſtat. Patet igitur ſecundum Sacram Scripturam Deum non indeliberato facere, quod facit, ſed potius facere, quod ſumma deliberatione facta fieri debet. Deus juxta Sacram Scripturam omniſcius eſt (§. 303), adeoque ſcit omnia, quæ cognitu poſſibilia ſunt, tam ſingularia, quam univerſalia (§. 301). Cognoſcit etiam juxta eandem omnia ſimul, ſeu actu unico (§. 216),

ut adeo

ut adeo nihil ipſi dubium videri poſſit, quemadmodum nobis. Quamobrem etſi conſultatione non ſit opus niſi in re dubia (§.500), conſequenter Deus conſultatione minime habeat opus; quid tamen fieri in quolibet caſu debeat, cum vi omniſcientiæ ſuæ perſpiciat, perinde eſt ac ſi deliberaſſet, quid fieri optimum ſit. Quamobrem quando in Sacra Scriptura Deo conſilium ſeu conſultatio tribuitur, id non aliter accipi poteſt, quam quod Deus ſumma certitudine intuetur, quid agendorum optimum ſit, ita ut ab eo nil quicquam fiat, quod ab hominibus fieri ſolet, quando abſque deliberatione ſeu nullo conſilio quid faciunt. Atque adeo patet, juxta Sacram Scripturam Deo tribuendam eſſe conſultationem eodem ſenſu, quo ſupra eandem definivimus (§. 502), Deoque vindicavimus (§. 501).

Jam vero docente Apoſtolo Deus facit omnia juxta conſilium voluntatis ſuæ. Conſilium in ſe ſpectatum actus intellectus eſt, non voluntatis (§. 502), ſeu tribuitur enti intelligenti, quatenus quid agendum ſit perpendit, antequam id agere velit. Quamobrem quando Deus dicitur operari omnia juxta conſilium voluntatis ſuæ; id alio ſenſu accipi non poteſt, quam quod Deus non faciat, niſi quod faciendi ſeria ipſi jam fuit voluntas, antequam faceret; non autem velle, niſi quod velle quis poteſt certo conſilio, ſeu prævia omni deliberatione ad certo quid ſtatuendum neceſſaria. Juxta Sacram Scripturam adeo Deus determinavit voluntatem ſuam ad faciendum, quod facit, eo modo, quo ens intelligens eandem determinare poterat, prævia conſultatione. Enimvero iſta voluntatis ad aliquid agendum determinatio eſt id, quod decretum appellare ſolemus (§. 497). Atque adeo liquet, Apoſtolum Deo tribuere decretum, quando affirmat, ipſum omnia operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, & quidem eodem prorſus ſenſu, quo nos ipſi decretum tribuimus in ſuperioribus, & quo decretum vulgo dicimus omnes. Etenim quando quid decreviſſe dicimus, utique affirmamus, nos conſultatione facta tandem ſtatuiſſe hoc fieri debere, atque adeo hoc facere velle.

Rationem reddit Apoſtolus, cur ſimus prædeſtinati ſecundum propoſitum Dei, quia Deus omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, hoc eſt, quia non ſine conſilio decernit, quod facturus eſt, quemadmodum modo oſtendimus. Quamobrem per propoſitum intelligi nequit niſi volitio exequendi decretum. Etenim ſi indeliberato quid agere vellet, hoc eſt, ſi ſine conſilio decerneret non ſatis pervidens, quid agendorum optimum ſit; fieri poterat, ut meliora edoctus decretum ſuum mutaret, ſicque propoſitum ipſius non foret conſtans. Sed quia non decernit, niſi quod ſumma certitudine intuetur tanquam agendorum optimum; voluntas ſuum exequendi decretum conſtans eſt, ac ideo, quod decernit, exequi etiam vult, & quemadmodum vult ſuo tempore exequitur. Enimvero actus voluntatis, quo determinatur executio decreti, a nobis dicitur propoſitum. Atque adeo pa-

eo patet juxta Sacram Scripturam Deo tribuendum eſſe propoſitum eo ſenſu, quo ſupra idem definivimus (§. 503).

Dictum Scripturæ Sacræ, quo uſi ſumus ad probandum, Deo juxta eandem tribuendum eſſe conſilium, decretum atque propoſitum, eo quidem ſenſu quo eadem definivimus, vulgo a Theologis allegari ſolet, ut probent Deo in Sacris tribui conſultationem & decretum, quemadmodum nos conſulere & decernere ſolemus, ſalva tamen quoad conſilium ea differentia, quam omniſcientia exigit. Ex iis tamen, quæ diximus, intelligitur, non adeo in propatulo eſſe nervum probationis, ſane non patentem, niſi notionum evolutione contextui convenienter facta. Quemadmodum itaque in philoſophia notionum evolutione evidentiam venamur veritatibus univerſalibus, ut tales agnoſcantur; ita operæ pretium faceret, qui in probandis dogmatis per loca Scripturæ Sacræ notionum evolutione contextui convenienter facta lucem fœneraret probationibus, ut probari per ea certum ſit, quod probare debent, etiamſi in examinandis probationibus ſcrupuloſior fueris evidentiæ demonſtrationum adſuetus. Nec dubito, quin attentione ad ea, quæ conſenſum demonſtrationum noſtrarum cum Scriptura Sacra evicturi in medium afferimus, ideam exemplarem conſequi detur, ad tam arduum ac noſtro ævo tam utile opus profuturam.

§. 591.

Æternitas decretorum juxta Sacram Scripturam.

Decreta Dei juxta Sacram Scripturam ſunt æterna, ſeu Deus ab æterno juxta eandem decrevit, quicquid decrevit. Decreta Dei juxta Sacram Scripturam ſunt actus voluntatis divinæ (§. 590. 497). Enimvero quicquid Deus vult, ſecundum Sacram Scripturam ab æterno voluit (§ 409). Ergo quicquid Deus decrevit, juxta Sacram Scripturam ab æterno decrevit.

Idem etiam ex loco aliquo Sacræ Scripturæ probatur immediate hoc modo. Apoſtolus *Eph.* III. 11 de iis, quæ Deus facit in diſpenſatione gratiæ in tempore, affirmat ea fieri ſecundum præfinitionem ſeculorum, quemadmodum habet verſio vulgata. In textu Græco legitur κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων, ſecundum propoſitum ſeculorum. Conſtat phraſi Græca propoſitum ſeculorum idem eſſe ac propoſitum æternum. Apoſtolus itaque pronunciat propoſitum Dei eſſe æternum. In humanis decretum præcedit, propoſitum ſequitur: cum enim hoc determinetur executio decreti (§. 503), ex decreti approbatione reſultat, ubi idem ſecundis quaſi curis perpendimus: quod etſi in Deo non ſit verum ratione temporis, in eo tamen intelligi debet ratione ordinis, quatenus humano more nobis repræſentamus ea, quæ in Deo ſunt. Quoniam itaque propoſitum Dei æternum eſt juxta Sacram Scripturam, quin juxta eandem decretum quoque divinum æternum eſſe debeat, dubitandum non eſt.

Plures concurrunt ad decretum actus & alii ab eodem pendent. Quamobrem quando Sacra Scriptura de decretis vel divinis, vel humanis loquitur, prout circumſtantiæ rei decretæ vel hunc potius, vel alium actum reſpici jubent, nunc hoc, nunc alio utitur vocabulo. Sed noſtrum non eſt de his diſquirere: ea igitur criticis & Scripturæ Sacræ interpretibus diſcutienda relinquimus. Ceterum ſi huc reſpicere velis, plura occurrent Sacræ Scripturæ loca, ex quibus decretorum divinorum æternitas probari poteſt. Et ſane ſi omnis decreti divini æternitatem ſtabilire volueris, ne qui decreta temporaria defendunt, excipiant, ab æternitate eorum decretorum, quæ Scriptura Sacra talia dicit, non eſſe argumentandum ad omnia cetera, quæ Deus decernit; pluribus dictis Sacræ Scripturæ ea evincenda venit. Quamobrem ne hiſce ambagibus haberemus opus, maluimus eandem ex principiis Sacræ Scripturæ firmiter deducere, antequam locum aliquem adduceremus, in quo decretum aliquod divinum æternum pronuntiatur. Quodſi veritates revelatæ in ſyſtema aliquod coordinarentur,

Digitized by Google

rentur, quemadmodum naturales a nobis coordinantur; facilius foret ad res decretas omnes extendere, quæ de quibuſdam narrat Sacra Scriptura.

§. 592.

Imperſcrutabilitas decretorum divinorũ juxta Sacram Scripturam.

Decreta Dei juxta Sacram Scripturam imperſcrutabilia ſunt. Quæ ſupra in medium adduximus ad probandum voluntatis divinæ imperſcrutabilitatem a Paulo dicta *Rom.* XI. 33, ad probandam propoſitionem præſentem huc tranſcribi poſſunt. Etenim judicia illa Dei, de quibus loquitur Apoſtolus, ſunt imperſcrutabilia, quia rationes decretorum divinorum aſſequi minime valemus.

§. 593.

Decretũ Dei cur juxta Sacram Scripturam ſit liberum.

Decretum Dei juxta Sacram Scripturam liberrimum eſt. In Sacra Scriptura ratio, cur quid Deus faciat, redditur, quia vult facere. Ita *Rom.* IX. 18 dicitur miſereri, cui vult, & indurare, quem vult. Et *Jac.* I. 18 voluntarie nos genuiſse legitur verbo veritatis. Jam Deus docente Sacra Scriptura non facit, niſi quod facere decrevit (§. 590). Quamobrem dicendum eſt, Sacram Scripturam hanc reddere decretorum divinorum rationem, quod voluerit hoc potius decernere, quam aliud. Quoniam libere decernit (§. 941 *Pſychol. empir.*), qui quid ideo decernit, non alia de cauſa, quam quod id potius velit, quam aliud, conſequenter quod hoc ipſi placeat potius, quam aliud (§. 411); decretum quoque Dei juxta Sacram Scripturam liberrimum eſſe debere conſtat.

Idem etiam ſic oſtendi poteſt. Decretum eſt actus voluntatis divinæ (§. 497). Enimvero voluntas Dei juxta Sacram Scripturam libera eſt ab omni coactione externa & ab omni ente alio extra ipſum independens (§. 410), imo Deus vult, quod ipſi placet (§. 411), quemadmodum libertas voluntatis exigit (§. 941. *Pſychol. empir*). Decretum igitur Dei juxta Sacram Scripturam liberrimum dicendum eſt.

Quando dicimus in Sacra Scriptura tanquam rationem decreti allegari, quod Deus id voluerit, ut loco rationis voluntas ſtare videatur; id non ita accipiendum eſt, quaſi nullæ ſint decreti divini rationes. Etenim ipſa Sacra Scriptura magiſtra decreta divina nobis imperſcrutabilia ſunt (§. 592). Quamobrem cum imperſcrutabilia ſint, quia motiva voluntatis divinæ (§. 397), hoc eſt, rationes cur Deus quid voluerit, certo aſſequi minime valemus; non ideo negandum nullas dari rationes decreti divini, etſi ideo decreviſſe quid ipſum dicatur, quia voluit. Cur enim voluerit, dantur rationes: ergo & quod decrevit.

§. 594.

Immutabilitas decreti juxta Sacram Scripturam.

Decretum Dei juxta Sacram Scripturam immutabile eſt. Diſertis verbis conſilium divinum immutabile dicitur *Hebr.* VI. 17, ubi Apoſtolus: Deus, inquit, volens oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum. Nimirum vocabulum Græcum τὸ ἀμετάθετον vi quidem originis immobilitatem ſignificat, quemadmodum vertit interpres vulgatus; cum vero uſurpetur de rebus, quæ moveri proprie loquendo non poſſunt, facile intelligitur, quod immutabilitatem indigitare debeat. Quod enim immutabile eſt, immotum dicitur ſenſu metaphorico. Unde

Digitized by Google

& communiter Lexicographi τὸ ἀμετάθετον per immutabilitatem reddunt. Dubium igitur nullum ſupereſt, quin Apoſtolus conſilium Dei immutabile ſtatuat. Conſilium Deo in Sacra Scriptura tribuitur eodem ſignificatu, quo nos idem definivimus (§. 590). Quamobrem cum ipſum ſit actus intellectus divini, quo quid agendorum optimum ſit, certo judicio definit (§. 502); Apoſtolo docente Deus judicium ſuum de eo, quod factu optimum judicat, nunquam mutat, adeoque quod ab æterno fieri debere judicavit, id fieri debere ſemper judicat. Enimvero conſilium in humanis ſequitur decretum (§. 499), & Deus quod factu optimum judicat, facere vult (§. 390). Quamobrem decretum Dei cum conſilio ipſius adeo arcto vinculo connectitur, ut illud abſque hoc eſſe non poſſit, ut adeo Sacra Scriptura decretum a conſilio non diſtinguat, ſed ſub eodem ſimul comprehendat, præſertim cum in Deo cum conſilio ſimul ponatur decretum. Decretum adeo Dei juxta Sacram Scripturam quoque immutabile dicendum eſt.

Idem ex vetere Teſtamento probari poteſt eodem modo. E. gr. *Pſalm.* XXXIII. 11 conſilium Domini in æternum manere dicitur. Vocabulum Hebraicum עצה Hebræis uſurpatur in eo caſu, quo alteri conſilium impertire dicimur, veluti cum Achitophel 2 *Sam.* XVII. conſilium impium daret Abſolomo de Davide patre opprimendo, Chuſæus Davidi benevolens contrario conſilio ipſum irritum redderet. Quando alteri conſilium damus, ipſi judicium noſtrum de eo, quod fieri debet, exponimus. Atque adeo patet, Deo tribui conſilium, quatenus ipſemet judicat, quid fieri debeat: qui ſane ſignificatus idem, quem huic vocabulo tribuimus (§. 502) & in quo Deo juxta Sacram Scripturam conſilium vindicavimus. De hoc Dei conſilio inculcat Sacra Scriptura, quod maneat in æternum. Quod in æternum manet, minime mutatur: id quod nemo non concedit. Dei adeo conſilium prorſus immutabile. Unde porro, quemadmodum modo fecimus, deducitur immutabile eſſe decretum Dei.

Quærit *Jeſaias* cap. XIV. 27, conſilium ſeu decretum Dei quis irritum faciat? Conſtat ex principiis artis oratoriæ interrogationem æquipollere forti affirmationi. Vates itaque divinus ſancte affirmat, non reperiri ullum, qui Dei conſilium vel decretum irritum facere poſſit. Juxta Sacram Scripturam adeo decretum Dei non modo immutabile eſt ex parte Dei, quem nunquam pœnitere poteſt, quod decrevit *Num.* XXIII. 19, verum etiam extra Deum non datur aliqua cauſa, quæ ipſum conſilium ſuum atque decretum mutare cogat.

Quoniam immutabilitas decreti divini plurimum influit in praxin; haud parum refert, ne quis de ea dubitet. Quamobrem ait Apoſtolus *Hebr.* VI. 17, Deum juramento obſtrinxiſſe fidem ſuam hominibus, ut eos de immutabilitate conſilii ac decreti ſui certos redderet. Præterea ex iis, quæ ad præſentem propoſitionem dicta ſunt, haud obſcure intelligitur, non a vero aberrare, qui de decreto divino accipiunt, quæ de conſilio Dei dicuntur in Scripturis. Etſi enim conſilium a decreto differat, ſiquidem accurate diſtinguere velis, quæ diverſa ſunt, cum decretum ex conſilii approbatione oriatur, quemadmodum hoc ex con-

ſulta-

ſultatione reſultat: attamen ſicuti conſilium de actu conſultationis accipi ſolet in Theologia, quia ejuſdem finis eſt (§. 498); ita quoque conſilium pro decreto accipitur, quia hoc ex illo reſultat. Id autem maxime ſuccedit quoad Deum. Etenim cum Deus conſultatione opus non habeat, quemadmodum homines (§. 502); conſultatio quoque & conſilium quoad ipſum non differunt, niſi quatenus hoc reſultare concipis ex collatione plurium poſſibilium, quæ unico intellectus actu ſimul repræſentantur (§. 160), & decretum conſilio ſtatim adhæret, citra ullam hæſitationem præſentem atque futuram. Qui intimius perſpicit, quæ de natura intellectus ac voluntatis divinæ dicta ſunt, ſatis intelliget, quo ſenſu Deo tribuenda ſint, quæ de conſultatione, conſilio & decreto, itemque propoſito quoad homines dicuntur, ut de Deo dicta humano more, quemadmodum ipſum deceant, expliceutur.

§. 595.

Futuritio rerum a decreto pendens juxta Sacram Scripturam.

Quicquid Deus decrevit, illud certo evenit ſuo tempore juxta Sacram Scripturam. Etenim decretum Dei juxta Sacram Scripturam immutabile eſt (§. 594), & *Jeſaias* cap. XIV. 27, adeo evidens eſſe pronuntiat, ut a nemine in dubium vocari poſſit, quod decretum Dei nemo irritum facere & ejus executionem nemo impedire valeat. Dominus enim, inquit, exercituum decrevit: & quis poterit infirmare (ſeu irritum facere?) & manus ejus extenta: & quis avertet eam? Nemo non videt per extenſionem manus hic ſignificari decreti executionem, conſequenter manum avertere non poſſe idem eſſe, ac decreti executionem minime impedire poſſe. Jam ſi neque fieri poteſt, ut Deus ipſe decretum ſuum mutet, neque ut quis idem irritum faciat, neque ut executionem quiſquam impediat; quin illud certo evenire debeat, quod Deus decrevit, evidentiſſimum eſt.

Idem affirmat ipſe Deus *Jeſ.* XLVI. 10, conſilium, inquiens, meum ſtabit & voluntas mea fiet, ubi fidem facere vult prædictionibus ſuis futurorum, ſeu, ut verba Hebraica proprie ſonant, omnem delectationem meam כל-חפצי facturus ſum. Hinc adeo Deus reddit rationem, cur quid certo eventurum ſit, quod prædicit, quia illud ipſum decrevit, conſilium vero ſuum neque a ſe mutatur, ueque ab alio irritum fieri poteſt, nec quiſquam ejus executionem impedire valet. Deus itaque propoſitionis præſentis veritatem eodem modo demonſtrat, quo ex Scripturæ principiis eandem evicimus.

Patet adeo futuritionem rerum Scriptura Sacra magiſtra pendere a decreto divino, quatenus ipſum immutabile, nec a quoquam irritum fieri poteſt, ejus vero executio irreſiſtibilis. Immutabilitas fluit ex omniſcientia Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda (§. 303), impoſſibilitas decretum irritum faciendi ex independentia voluntatis a rebus extra ſe in Sacra Scriptura aſſerta (§. 410), & irreſiſtibilitas a magnitudine potentiæ independentis justa Sacram Scripturam Deo competentis (§. 416. 415): quemadmodum facile aſſequitur anteriorum gnarus.

§. 596.

Quod Deus decernat, quæ ipſum deceant juxta

Decreta divina juxta Sacram Scripturam Deum decent. Cum ſupra oſtenderemus, Deum docente Scriptura Sacra, velle quod ipſum decet (§. 412), illud probavimus ex eo, quod Deus vaſa iræ in interitum aptaverit, vaſa vero miſericordiæ in gloriam præparaverit *Rom.* IX. 22. 23. Quoniam determinatio voluntatis divinæ ad aliquid agendum eſt decretum Dei (§. 497), etiam in ſenſu Sacræ Scripturæ (§. 590); dubium non eſt, quod Apoſto-

lus ibi-

Sacram Scripturam.

lus ibidem loquatur de eo, quod Deus decrevit. Quamobrem quæ ibidem diximus ad adſtruendam veritatem propoſitionis, quod Deus velit juxta Sacram Scripturam, quæ ipſum decent, ea quoque veritatem propoſitionis præſentis confirmant, ut adeo eadem huc denuo tranſcribi non ſit opus. Poteſt vero præſens propoſitio etiam probari hoc modo. Quæ Deus vult, ea ipſum decent juxta Sacram Scripturam (§. 412). Sed quæ decernit, ea vult (§. 590). Ergo etiam quæ decrevit, ea ipſum decent juxta Sacram Scripturam.

Quando de ſapientia Dei deinceps acturi ſumus, clariſſime conſtabit, quomodo Deum deceant, quæ decrevit: conſtituit enim finem ſe dignum & ex eo elucet, quod non fecerit, niſi quod ipſum deceat. Sane quæ ex *Rom.* IX. 22. 23 ad probandam propoſitionem præſentem allegantur, a fine, quem Deus ſapienter intendit, deſumuntur. Maximum momentum ad praxin affert præſens propoſitio: quamobrem haud parum intereſt, ne ulla careat luce, qua pe.fundi poteſt.

§. 597.

Certitudo executionis decretorum divinorum.

Deus juxta Sacram Scripturam decreta ſua certo exequitur. Docet hoc Baalamus juſſu ipſius Dei *Num.* XXIII. 19. Ita enim ad Balaacum: Dixit ergo, inquit, & non faciet? Locutus eſt, & non implebit? Reddit quoque rationem, quod Deus non ſit quaſi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis ut mutetur. Quæ Deus dicit ſe facturum, illa utique facere decrevit. Etenim ex eo, quod dicit, ſe quid facturum, intelligitur, eum facere velle quod decrevit. Quodſi vero facere vult, quod decrevit, certo etiam facturus eſt & verbis ſuis ſtabit. Nimirum quando homines non faciunt, quod ſe facturos dicunt, aut non ſerio loquuntur, aliter nimirum loquentes, aliter ſentientes, aut mentem ſuam mutant. Deus vero aliter non loquitur, aliter ſentit, conſequenter dubitari nequit, quin ſibi propoſuerit ea facere, quæ ſe facturum dicit, adeoque eadem decreverit (§ 503). Præterea eundem Deum nunquam pœnitere poteſt decreti ac propoſiti ſui, adeoque nulla ſubeſt ratio, cur quæ decrevit, exequi non debeat.

§. 598.

Præſcitia Deo juxta Sacram Scripturam Deo tribuenda.

Deus præſcivit omnia juxta Sacram Scripturam, ipſas etiam cogitationes ac libera hominum decreta. Ipſemet Deus *Jeſ.* XLIV. 7 ſcientiam futurorum ſeu præſcientiam tanquam characterem veri D.i allegat, quo a falſis Diis diſtinguitur. Quærit enim; Quis ſimilis mei? quam ipſam interrogationem eſſe fortiorem negationem, nemo non novit. Reddit autem hanc rationem, quod nemo ſui ſimilis ſit, atque adeo vi *verſ.* 6 ipſemet ſit ſolus Deus, nec præter eum detur Deus alius, quia ventura, & quæ futura ſunt, annuntiare nemo valet, quemadmodum ipſe fecit per Prophetas. Juxta Sacram Scripturam itaque præſcientia futurorum Deo tribuenda tanquam ipſi propria. Similiter præſcientiam futurorum ſibi tanquam propriam, nec ulli enti communicabilem tribuit Deus *Jeſ.* XLII. 8, ubi: Ego, inquit, Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo & laudem meam ſculptibilibus. Quæ primo fuerunt, ecce venerunt: nova quoque annuntio:

Digitized by Google

tio: antequam ſciantur, audita vobis faciam. Sane hic denuo Judæis probat Deus, ſe eſſe verum Deum, quod futura prædicere poſſit, & ſe hoc facere poſſe probat inde, quod fecerit. Et ne dubitent, quod omnia promiſcue præſciat, nec ulla ex parte limitata ſit ejus præſcientia, monet, ſe in poſterum quoque hoc facturum. Etenim qui potuit futura prædicere, quæ evenerunt, qui in præſente prædicit adhuc futura, & qui ſibi proponere poteſt etiam olim prædicere adhuc ventura; is omnium futurorum ſcientiam habere debet. Neque enim hic ſuſpicioni locus, quaſi prædictioni vel caſu reſponderit eventus; aut quod ob cauſas quaſdam particulares quædam prævidere potuerit. Eadem diſertis admodum verbis inculcat Deus *Jeſ.* XLVIII. 3. 4. 5, quæ legi merentur. Abunde igitur patere arbitror, juxta Sacram Scripturam Deum præſcire promiſcue omnia.

Inter futura, quæ Deus ſe prædixiſſe & prædicere poſſe apud Jeſaiam affirmat, continentur facta hominum, quæ a libero ejus decreto pendere conſtat. Atque adeo ex iiſdem locis probari poteſt, Deum quoque præſcire libera hominum decreta, antequam homines quicquam decreverint, ſeu quidnam aliquando decreturi ſint. Enimvero cum alia extent Scripturæ loca, in quibus Deo tribuitur præſcientia cogitationum noſtrarum atque conſiliorum & decretorum; non e re eſſe videtur, ut probationem ex iis petamus. Præſcientia cogitationum & decretorum inprimis liberorum animæ omnium clariſſime docetur *Pſalm.* CXXXIX. 3, ubi David ad Deum preces fundens: intellixiſti, inquit, cogitationes meas de longe, ſeu e longinquo. Cogitationes e longinquo cognoſcere ibidem omnino eſt, ac eas cognoſcere, cum adhuc procul abſunt, adeoque cum nondum ſunt præſentes, conſequenter quando adhuc futuræ. Patet igitur, Deum, ſi Davidem audimus, cogitationes hominum cognoſcere, antequam ſunt præſentes, adeoque futuras, conſequenter eaſdem præſcire. Cogitatio etiam complectitur volitiones ac nolitiones animæ, quemadmodum & vocabulum Hebraicum לרעי tam per cogitationem, quam per voluntatem vertitur ab Interpretibus. Nullum adeo dubium eſt, quin David hic Deo non modo tribuat præſcientiam perceptionum animæ, verum etiam volitionum & nolitionum, aut in genere appetitionum ac averſationum ejuſdem, conſequenter & decretorum liberorum (§. 497). Quodſi vero quis decreta hominum libera ſub cogitationibus comprehendi non admittit, aut ſaltem hæret, num admittere poſſit; longa diſceptatione opus non eſt: addit enim mox *verſ.* 4, Deum prævidiſſe omnes vias ſuas. Quocunque modo vias hominis interpreteris, ſive proprie, ſive improprie, quemadmodum conſtat phraſi Scripturæ vias quoque deſignare media, quibus ad finem conſequendum utimur; ſemper liquet, prævisionem viarum continere prævisionem liberorum decretorum animæ, conſequenter Davidem Deo tribuere præſcientiam liberorum decretorum animæ. Illud autem notatu dignum eſt, quod David di-

vid dicat Deum intelligere cogitationes ſuas e longinquo. Etenim hæc dictio modum prævifionis clariſſime exprimit, ſiquidem recorderis eorum, quæ de præſcibilitate rerum omnium, præſertim cogitationum noſtrarum ac liberorum decretorum animæ demonſtrata ſunt in ſuperioribus (§. 232. 233). Deo nimirum ea, quæ in mundo materiali contingunt, præſcibilia ſunt per nexum eorundem, quemadmodum ex demonſtratione præſcibilitatis effectuum rerum materialium liquet (§. 232), & quæcunque in ſerie integra perceptionum ac appetitionum atque averſationum continentur, per nexum modificationum animæ, qui per leges facultatum reſultat, ac inprimis libera decreta per motiva præſcibilia ſunt, quemadmodum denuo ex demonſtrationibus ſuperioribus abunde patet (§. 233. 234). Enimvero cum Deus omnia, etiam juxta Scripturam Sacram, cognoſcat ſimul, ſeu actu unico (§. 216) & hinc intuitive (§. 207); tota rerum ſeries ipſi præſens exibetur, antequam quicquam in eadem actu datur, &, ſi quid in ea ſumitur tanquam actu exiſtens, quæ deinde ſequuntur, tanquam aliquo intervallo ab eodem remota ſpectantur, quatenus unum ſequentium ad actum pertingere nequit, niſi aliis intermediis ante ſuo ordine ad actum ſucceſſive perductis. Quamobrem ſi quis ideam quandam hujus prævifionis ſibi formare voluerit, non ſub alia imagine eadem exhiberi poteſt, quam per viſionem rei e longinquo ſpectatæ. Etenim ubi oculus conſiſtit, objecta vicina nobis præſentia ſunt & ea repræſentant id, quod in ſerie perceptionum & appetitionum ac averſationum animæ ſumitur tanquam actuale. Objectum e longinquo poſitum dato intervallo a nobis ſeparatur per objecta intermedia ab oculo noſtro uſque ad ipſum continua ſerie poſita, & hoc ipſum cogitationem aliquam, quæ poſt eam, quæ actu datur, ſequitur, objecta autem intermedia cogitationes intermedias repræſentant, quibus demum præteritis iſti locus eſt. Quemadmodum itaque objectum e longinquo ſpectatum tibi præſens fieri nequit, niſi omnia intermedia præſentia fuerint; ita quoque cogitationem venturam præſentem fieri non poſſe intelligitur, niſi omnibus intermediis ante præſentibus. Et hoc modo intelligitur, quomodo omnia Deo ſint præſentia ab æterno, hoc tamen non obſtante, ventura ſpectari poſſint tanquam e longinquo.

Quicunque in principiis ontologicis, coſmologicis & pſychologicis probe ſunt verſati, eis nihil erit obſcurum in his, quæ de cogitationibus noſtris e longinquo ſpectatis dicta ſunt, quin potius profunditatem ſenſus verborum Davidis venerabunda in Deum mente ſuſpicient. Cum tamen non levi opera notiones comparentur, ſine quibus idea cogitationum e longinquo ſpectatarum luce ſufficiente colluſtrari nequit; a præcipitantia in judicando ſibi temperent, qui tanta notionum ubertate refertum nondum poſſideot animum, aut ſaltem quæ intelligentibus dicta ſunt, ſibi dicta non eſſe putent. Ceterum modum iſtum ventura e longinquo ſpectandi, quatenus Deo tribuitur, patet per ea, quæ ſuperius in medium adduximus, cum demonſtraremus, Deum in quolibet minimo, quod ineſt univerſo, cognoſcere totum univerſum (§. 868). Quamobrem qui demonſtrationem iſtam probe comprehendit; is & prævifionem cogitationum e longinquo optime concipiet. Ceterum acutiores intelligent, quantum principia noſtra proſint ad profunditatem ſenſus Scripturæ eruendam, & quanta inſit dictionibus Sacræ Scripturæ vis ad ideam eorum animo noſtro ingeneran-

nerandam, quæ ab omni ſenſu procul remota ſunt, ut etiam a rudibus intelligi poſſint; quantum denique juvent principia noſtra ad ideam iſtam advertendam & demonſtrativa ratione ſtabiliendam, ne pro fictitia habeatur acutioribus. Neque hoc ſilentio prætereundum, ex modo cognoſcendi cogitationes e longinquo patere, quod, quæ de præſcibilitate rerum a nobis demonſtrata ſunt, Scripturæ Sacræ conformia ſint. Etenim cum Deus dicatur cogitationes intelligere e longinquo, modus aliquis poſſibilis eſſe debet, quo eædem tanquam e longinquo cognoſci poſſunt, & qui ex natura intellectus divini & natura rerum fluit. Simile, quod deſumitur ab objecto e longinquo viſo, & quod ideam in animo ſuſcitat, vi cujus modus intelligendi cogitationes e longinquo fit intelligibilis, inſinuat principia, qualia ad eam concipiendum ſunt neceſſaria. Quamobrem ubi principia iſta ea deprehendis, quæ & intellectus divini, & naturæ rerum conveniunt, quatenus ex ipſa Scriptura Sacra deduci poteſt, quin ea auctoritate ejuſdem utantur, dubitari haud quaquam poteſt. Cum vero principia iſta eadem deprehenduntur, quæ a nobis vi rationis ſtabilita & ad declarandam præſcibilitatem translata; hoc ipſo conſenſus eorum, quæ præſcibilitatis poſſibilitatem declarant, cum Scriptura Sacra abunde patet. Habent hic Theologi, in quo ingenii ſui vires exerceant, veluti per tranſennam jam conſpecturi Theologiæ revelatæ habitum, quem induet, ubi veritates ex Scriptura Sacra eruendæ, in ſyſtema aliquod veri nominis redigentur, quod eas eodem modo inter ſe connexas exhibet, quo veritates naturales, in noſtro philoſophiæ ſyſtemate connectimus.

§. 599.

Malum morale Deo diſplicet juxta Sacram Scripturam.

Malum morale juxta Sacram Scripturam Deo placere nequit. Diſertis verbis hoc affirmat David *Pſalm.* V. 5 ex verſione vulgata inquiens: Non Deus volens iniquitatem tu es. Qui quid vult, eidem placet quod vult, quemadmodum ex natura voluntatis liberæ conſtat (§. 938. 939 *Pſychol. empir.*) & de ipſo Deo certum eſt (§. 331), etiam juxta Sacram Scripturam (§. 411). Deo igitur iniquitas placere nequit. Unde & *Caſtalio* vertit: Non is Deus es, cui placeat iniquitas. Vocabulum רשע denotare malum morale, quod actionibus liberis hominum inhæret, noto notius eſt: unde & iniquus dicitur, qui actiones moraliter malas perpetrat. Quamobrem patet, Davide auctore, Deo malum morale placere minime poſſe.

Idem porro oſtenditur ex eo, quod Deus in Sacra Scriptura malum maximopere deteſtetur, hominibus ſevere interdicat, ne actiones malas committant, & pœnas ipſis infligendas ſtatuat, ubi commiſerint. De his tota Scriptura Sacra toties loquitur, ut neceſſe non ſit aliqua ipſius verba in medium adduci, cum nemo ſit, qui de eo dubitare poſſit. Imo leguntur quoque paſſim exempla, quibus Deus hominibus mala phyſica inflixit ob mala culpæ, hoc eſt, moralia, atque adeo pœnis affecit ob malum morale perpetratum. Ex Chriſto doctore Deus olim, quando mortui reſurgent, pœnis æternis afficiet homines ob malum morale in hac vita perpetratum *Matth.* XXV. 31 & ſeqq. Qui malum deteſtatur, qui, ne fiat, ſevere interdicit & pœnis graviſſimis ejuſdem reos afficit, cum tamen nemo ſit, cujus judicio & voluntati ſubjectus ſit; is utique malum approbare nequit, multo minus autem ipſum eidem placere poteſt: quia potius hinc recte infertur, quod ſummopere diſpliceat. Quamobrem ex dictis recte omnino infertur, Deo malum morale minime placere.

Equidem videas inter homines prohiberi malum a ſuperioribus & ſevere puniri in inferioribus, cum tamen ipſimet idem faciant lubenter, neque etiam diſpliceat malum in aliis, modo

modo ipſis non ſit damnoſum, imo quod ſæpe placeat in aliis, ut male faciendo gratiam eorum aucupentur. Enimvero rationes, quæ hominibus perſuadent vetare & punire malum, quod nec in aliis diſplicet, in ſe placet; penes Deum ceſſant. Leges non tulit ſuperior, cui malum probatur, ſed tulere anteceſſores; ipſi vero perſpectum eſt, cur tutum non ſit abrogari leges, quarum æquitatem agnoſcunt omnes gentes. Si iſtiuſmodi quid animo agitet, diſſuadent conſiliarii, quorum conſiliis acquieſcit, ſicuti in ceteris, ita in hiſce, contentus ſibi licere, quod placet. Ecquis vero dixerit, eodem modo ſeſe rem habere quoad Deum? Contrarium per anteriora, quæ de Deo demonſtrata ſunt, adeo liquet, ut plura in re manifeſta dicere ſuperfluum exiſtimemus.

§. 600.

Præſcientia & decretũ permiſſivum mali moralis juxta Sacram Scripturam.

Malum morale Deus præſcivit ab æterno & permittere decrevit. Docet Petrus *Actor.* II. 23, Judæos Jeſum Nazarenum, definito conſilio & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum cruci affixiſſe & interemiſſe. Factum ipſum minime probari a Deo, ſatis innuit, quod ipſis refricet *verſ.* 22 memoriam potentiæ, qua excelluit, & miraculorum, quæ patravit, eoſdemque moneat, hac ipſa miraculoſa potentia ſignificaſſe Deum, quod, quæ docuiſſet & fecerit, ſibi probentur. Unde eoſdem redarguit, quod non ex ignorantia invincibili, quam ſuperare minime poterant, ſed ex malitia ipſum e medio ſuſtulerint. Fecere adeo, quod judicio Dei erat omittendum, conſequenter dici nequit, quod Deus hoc ipſorum factum voluerit, quatenus malum eſt, hoc eſt, quatenus innocentem tanquam criminis admiſſi reum ultimo ſupplicio affecerint, non ex ignorantia, ſed ex malitia. Recte igitur hinc colligitur, Deum malum morale minime velle, utpote quod ipſi placere minime poſſe, modo oſtendimus. Hoc tamen non obſtante affirmat Petrus, illud factum eſſe definito Dei conſilio, quemadmodum bene vertit interpres vulgatus, ut idem quoque retinuerit *Caſtalio* probatæ Latinitatis ſtudioſiſſimus. Conſilium denotat actum intellectus divini, quo quid agendorum optimum ſit perſpicit (§. 502), ipſa etiam Sacræ Scripturæ auctoritate (§. 590), adeoque Petrus docens Judæos Chriſtum e medio ſuſtuliſſe conſilio Dei, auctor eſt deliberaſſe Deum, ſi humano more de ipſo loquendum, num Judæis concedere debeat, ut Chriſtum e medio tollant, an vero potius idem ſit impediendum, & conſultius judicaſſe, ut idem fiat, quam ut ne fiat impediatur. Et quamvis alias in Scriptura Sacra per conſilium ſimul indigitetur decretum, quatenus decretum cum conſilio indivulſo nexu cohæret; Apoſtolus tamen addit, id factum eſſe conſilio Dei definito, hoc eſt, quod conſilio acceſſerit decretum atque propoſitum. Deus igitur voluiſſe dici nequit, ut Judæi Chriſtum e medio non tollerent: pone enim ipſum hoc voluiſſe, conſilio ejus definito factum non eſt. Enimvero oſtendimus quoque, ex Petri ſententia Deum non voluiſſe, ut Judæi Chriſtum e medio tollerent. Neceſſe igitur eſt, quod id permittere decreverit (§. 584). Hinc liquet juxta Sacram Scripturam Deum malum morale permittere decreviſſe.

Enimvero obſervat quoque Apoſtolus Judæos Chriſtum e medio ſuſtuliſſe præſcientia Dei, quemadmodum denuo optime vertit interpres vulgatus,

gatus, cum πρόγνωσις præſcientiam denotet apud profanos etiam auctores, ſeu ex uſu loquendi Græcorum. Monet igitur, Deum non demum conſilium ex arena cepiſſe, dum Chriſtum in manus ſceleſtas impiorum tradi videret, conſequenter negat decretum ipſius demum temporarium fuiſſe. Quin potius inculcat, Deum præſciviſſe, quid facturi ſint Judæi, antequam idem ex factis quibuſdam eorum colligi poterat, & ex hac præſcientia conſilium iniiſſe, & quid facere velit decreviſſe. Innuit adeo præſcientiam Dei in hoc caſu fuiſſe æternam, quemadmodum eandem æternam eſſe in genere jam evicimus (§. 534).

Equidem cum jam (§. 598) evicerimus, Deum juxta Sacram Scripturam præſcire omnia hominum libera decreta, ſuperfluum videbatur, præſcientiam mali moralis, quod actionibus liberis inhæret (§. 374), demum ſigillatim probari. Enimvero quæ immediate ex Sacra Scriptura probari poſſunt, ea non demum ex aliis eidem conformibus per conſequentiam eruenda ſunt. Et id ipſum tanto quidem magis e re eſſe videtur, quod, cum Sacræ Scripturæ loca plerumque de rebus tantummodo in particulari loquantur, difficilius ſit propoſitionum univerſalitatem evincere: quæ etiam ratio eſt, cur, qui adverſam tuentur ſententiam, facile non ſine omni ſpecie quædam excipiant. Suſtinetur autem univerſalitas per rationem, ut adeo in articulis mixtis multum auxilii præſtet Theologia naturalis ac in ſpecie in veritatibus moralibus philoſophia practica cum Pſychologia. Quodſi nobis non tantummodo propoſitum eſſet convenientiam eorum, quæ a nobis demonſtrata ſunt, cum Sacra Scriptura evincere, probationes, quibus utimur, ad veritatem propoſitionum evincendum non ſemper ſufficerent, cum ſingulare adhuc ſtudium collocandum eſſet in univerſalitate evincenda. Quamobrem qui veritates revelatas juxta principia Sacræ Scripturæ in Syſtemate connexas inter ſeſe exhibere voluerit; is inprimis de eo cogitare tenetur, ne in univerſalitatem propoſitionum injurius ſit, obſtetricante in mixtis ratione naturali, in puris ratione illuminata, & plurimis locis in ſubſidium vocatis, ubi unus, quem claſſicum dicere licet, non ſufficit. Sed de hiſce forſan alibi mentem noſtram expoſituri ſumus clarius, ut eorum conatus juvemus, qui alieno auxilio indigent.

§. 601.

Malum morale juxta Sacram Scripturam huic rerum ſeriei ita implicatur, ut, niſi bonum ſimul tollere velis, inde auferri nequeat, ac ideo a Deo permittitur. Admodum perſpicue hoc docet Chriſtus in parabola de zizaniis inter triticum enatis *Matth.* XIII. 24 & ſeqq. Ipſo enim interprete ager in iſta parabola mundum denotat, bonum ſemen filios regni, hoc eſt, homines a Deo electos; zizania vero ſignificant filios nequam, ſeu homines improbos. Atque adeo apparet Chriſtum in iſta parabola docere, unde ſit malum, & cur eidem locus relinquatur in hoc mundo. Nobis in præſenti tantummodo cum poſteriori negotium eſt. Chriſtus ergo rationem redditurus, cur malum morale a Deo ex hac rerum ſerie non tollatur, & perinde hominibus malis ac bonis locus relinquatur in hoc mundo, hac in parabola narrat, patremfamilias noluiſſe a ſervis colligi zizania, ne ſimul cum eis triticum eradicetur. Vi ſignificatus adeo parabolæ Deus malum morale ex hac rerum ſerie non tollit, ſed eidem locum in eadem relinquit, ne cum malo ſimul tollatur bonum. Ex Chriſti adeo ſententia fieri non poteſt, ut malum morale ex hoc mundo tollatur, quin ſimul auferatur bonum. Ratio ex ſimili patet. Zizania eradicari non poſſunt, quin ſimul triticum eradicetur, ſi

ſionis mali juxta Sacrã Scripturam.

tritici & zizaniorum radices ſibi invicem implicantur. Quamobrem & in mundo ſeu hac rerum ſerie mala bonis ita implicari debent, ut, ſi illa auferantur, nec his amplius locus eſſe poſſit: quemadmodum ex ipſa rerum natura demonſtravimus in ſuperioribus (§. 552. 556). Paterfamilias ſemen bonum commiſit terræ, non vero Semen zizaniorum, quod inimicus feciſſe dicitur. Quamobrem dici nequit, quod voluerit zizania creſcere in agris. Prohibuit tamen, ne ſervi eadem eradicarenr. Quare nec dici poteſt, quod voluerit, zizania non creſcere in agris. Cumque ſervis præceperit, ut zizania juxta triticum creſcere ſinant; impedire noluit, ne creſcerent. Enimvero quoniam ea permittuntur, quæ, cum neque fieri, neque non fieri velimus, impedire nolumus (§. 584); paterfamilias zizania creſcere permiſit. Paterfamilias interprete ipſo Chriſto, quemadmodum modo diximus, Deum, triticum homines probos, zizania improbos repræſentant. Deus adeo, Chriſto doctore, malum in hac ſerie rerum exiſtere permittit, conſequenter idem permittere decrevit. Permittere autem decrevit ideo, quia ſeriei huic ita implicatur, ut tolli nequeat, niſi ſimul auferatur bonum, quemadmodum ex dictis liquet.

Parabola de zizaniis inter triticum eſt locus claſſicus, quo doctrina de modo, quo malum morale huic rerum ſeriei inexiſtit, & de permiſſione mali continetur, & eam omnem mirifice illuſtrat. Chriſto enim ſolenne fuit ardua dogmata, quæ captum non modo vulgi, ſed plurimorum quoque eruditorum tranſcendunt, ad imagines revocare, quarum ope intelligi ab iis poſſunt.

§. 602.

An permiſſio mali Deum deceat juxta Sacram Scripturam.

Permiſſio mali Deum non dedecet juxta Sacram Scripturam. Patet hoc ex eadem parabola de zizaniis inter triticum. Sane paterfamilias minime reprehendi poteſt, quod zizania una cum tritico creſcere ſinat, quæ eradicari minime poſſunt, niſi ſimul eradicato tritico; ſed prudentiæ œconomicæ tribuendum, quod ſollicite ac circumſpecte caveat, ne ſpe meſſis ſibi proficuæ excidat & lucro majori inhians omne perdat. Servi autem, qui zizania evellere voluerunt, imperitiæ redarguuntur, quod damnum inde ſecuturum minime reſpiciant. Quoniam zizania inter triticum in agro enatum mala in hoc mundo bonis implicita repræſentant, paterfamilias vero Deum, quemadmodum ad propoſitionem præcedentem jam monuimus; nec Deus reprehendi poteſt, quod malum morale permittere decreverit, & qui idem ex hoc mundo abeſſe volunr, imperitiæ redarguuntur, utpote neſcientes modum, quo malum ſeriei huic inexiſtit, nec proſpicientes damnum inde ſecuturum, ſi abeſſe jubeatur. Quemadmodum ergo patremfamilias non dedecet, quod prudentia œconomica fieri poſtulat; ita nec Deum dedecet permiſſio mali moralis.

Plura de conſenſu Sacræ Scripturæ quoad inexiſtentiam mali moralis in rerum hac ſerie non addi eſt opus: ſufficit enim conſenſum demonſtraſſe in principiis, unde cetera pendent. Ceterum cum Chriſtus Deum in eo prudenti patrifamilias componat, quod malum morale permittere decreverit; caveant per tranſennam res a vulgari cognitione remotas reſpicientes, ne temere judicent, magis convenire Deo, ut malum ex mundo prorſus arceat!

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Sapientia & Bonitate Dei.

§. 603.

Quod detur finis, cur Deus mundum produxerit.

D*Atur finis aliquis, ob quem Deus hoc univerſum produxit*, ſeu *Deus produxit hoc univerſum propter finem aliquem*. Etenim Deus mundum hunc elegit ex ceteris ob majorem perfectionem, quæ ipſi quam ceteris ineſt (§. 325), adeoque quia perfectiſſimus omnium poſſibilium (§. 326). Quoniam nihil eſt ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit (§. 70 *Ontol.*); ratio etiam ſufficiens detur neceſſe eſt, cur potius mundum perfectiſſimum, quam alium minus perfectum exiſtere voluerit. Enimvero id, cujus gratia cauſa efficiens agit, finis eſt, quem agens intendit (§. 932 *Ontol.*). Quamobrem patet dari debere finem aliquem, propter quem Deus mundum hunc producere decrevit & decreto convenienter produxit.

Sapientiam Deo vindicaturis demonſtrandnm eſt, Denm agere propter finem optimum, eligere media, quæ certo & via breviſſima ad eundem ducunt & quibus finem, quem intendit, ex aſſe conſequitur, fineſque omnes particulares ita ſibi invicem ſubordinare, ut propiores ſint media remotiorum & omnes tandem ſimul medium finis ultimi (§. 689 *Pſychol. rat.*). Enimvero horum demonſtratio non adeo prona eſt, ut Deum eſſe ſapientiſſimum unica demonſtratione evinci poſſit. Gradatim igitur incedendum: quod facturi oſtendimus primo omnium loco, Deum agere propter finem, nondum ſolliciti, qualis ſit iſte finis. Præmoneo autem, quænam ante ſtabiliri debeant, quam ſapientia Deo tribui & qualis ea ſit intelligi poſſit, ut attentio lectoris excitetur, ne eam in his, quæ principiorum locum tenent, deſiderari patiatur. Sapientia divina mirifice influit in praxin omnem moralem, atque adeo plurimum refert, ut eam animo rite comprehendamus, nec quicquam circa eam dubitationis reliquum fiat. Velim igitur, ut ad ſingula animum probe advertant, quotquot pulchritudinem Entis ſupremi venerabunda ac læta mente intueri geſtiunt & felicitatis ſuæ curam habent. Advertant etiam animum, quotquot nebulas circa inexiſtentiam mali in hac rerum ſerie adhuc reſiduas diſpellere cupiunt, neque enim alia ratione, quam ſapientiæ divinæ conſideratione fugari poſſunt.

§. 604.

An detur finis decreti de mundo producendo.

Deus exiſtentiam mundi alicujus & hujus mundi in ſpecie propter finem aliquem decrevit. Quoniam Deus mundum aliquem exiſtere voluit citra omnem coactionem internam (§. 430), nec minus ab omni coactione interna immunis voluit, ut hic potius mundus exiſteret, quam alius (§. 351); evidens eſt, quod ad mundum aliquem & in ſpecie ad hunc mundum producendum voluntatem libere determinaverit, conſequenter & exiſtentiam alicujus mundi & in ſpecie hujus mundi decreverit (§. 497). Quamobrem cum Deus faciat quod decrevit, quemadmodum decrevit (§. 525), mundum vero hunc fini cuidam convenienter produxerit (§. 603); neceſſe eſt ut eidem fini convenientet eundem decreverit. Datur itaque finis aliquis, cur Deus decreverit, mundum aliquem exiſtere debere, & cur decreverit, ut hic potius exiſtat mundus, quam alius.

Propoſitionem hanc non alio fine addimus, quam ut lucidius conſtet, Deum finis per creationem rerum intenti jam rationem habuiſſe in decreto ſuo: quod notaſſe juvat in aliis, & huc inter alia facit, ut demonſtrari poſſit, Deum omnia ſapienter decreviſſe.

§. 605.

§. 605.

An detur finis permiſſionis mali.

Deus malum morale permittere decrevit ob eundem finem, ob quem exiſtentiam hujus mundi decrevit. Quoniam Deus nihil eorum, quæ in mundo fiunt, decrevit in particulari abſolute ſpectatum, ſed in relatione ad totum mundum (§. 519); malum quoque morale, quod permittere decrevit (§. 585), non decrevit permittere, niſi in relatione ad totum mundum. Quamobrem quia exiſtentiam hujus mundi propter aliquem finem decrevit (§. 604); quin reſpectu ejuſdem finis malum quoque morale permittere decreverit, dubitandum non eſt.

Finis, cujus reſpectu Deus malum morale permittere decrevit, plurimum facit ad tollendas difficultates, quæ contra permiſſionem moveri ſolent. Quamobrem ut eundem certo detegere liceat, propoſitionem præſentem in medium afferre debuimus. Illud vero me vel tacente patet, propoſitionem loqui de fine ultimo, non de intermediis, & de fine univerſali, non autem de particularibus. Sed hæc evidentiora evadent inferius.

§. 606.

An particularia in mundo referantur ad finem totius.

Deus nihil eorum, quæ ad hanc rerum ſeriem ſpectant, decrevit niſi reſpectu finis, ob quem decrevit exiſtentiam totius univerſi. Probatur propoſitio præſens eodem prorſus modo, quo præcedentem probavimus.

Non igitur opus eſt, ut probationem denuo huc transcribamus. Facile autem intelligitur, cur eidem probationi ſit locus. Etenim præcedens eſt caſus particularis præſentis. Quamobrem præcedentem per modum corollarii ex præſente deducere poteramus, nuda ſubſumtione caſus particularis ſub univerſali. Eſt nimirum permiſſio mali quidpiam e numero rerum particularium in hoc mundo decretarum.

§. 607.

Medium quo obtinetur finis mundi.

Perfectio mundi eſt medium, quo finis, quem Deus per exiſtentiam mundi intendit, obtinetur. Etenim modo (§. 603) oſtendimus, ideo dari finem, cur hunc mundum produxerit Deus, quod eum ex ceteris elegit ob perfectionem, qua eos antecellit. Ex eo igitur, quod hic, qui exiſtit mundus, ſit ceteris perfectior, cum intelligatur cur is potius ad exiſtentiam perductus fuerit, quam alius; in perfectione mundi continetur ratio, cur finis a Deo intentus actum conſequi potuerit (§. 56 *Ontol.*). Enimvero cum quicquid rationem continet, cur finis actum conſequatur, ſeu, quod perinde eſt, ab agente obtineatur, medium ſit (§. 937 *Ontol.*); perfectio mundi medium eſt, quo Deus finem per exiſtentiam mundi intentum obtinet.

Nimirum Deus voluit exiſtere mundum omnium poſſibilium perfectiſſimum, ut fine, quem intendit, potiatur, qualiſcunque tandem iſte ſit finis. Unde ex perfectione mundi deducere licet, quinam ille ſit, ex medio eruendo finem: quemadmodum ex ſequente propoſitione conſtabit.

§. 608.

Finis univerſi quinam ſit.

Finis, cur Deus hunc mundum produxerit, eſt patefactio ſui ipſius, ſeu perfectionis ſuæ abſolute ſummæ. Electio enim mundi in ſe optimi, adeoque omnium poſſibilium perfectiſſimi (§. 370), eſt ſignum naturale ſpiritus perfectiſſimi, nec electio mundi in ſe non optimi tale eſſe poteſt (§. 402). Enimvero Deus eſt ſpiritus perfectiſſimus (§. 387). Mundi igitur in ſe

optimi

Digitized by Google

optimi electio eſt ſignum naturale veri Dei, nec mundi cujuſcunque alterius ſignum iſtiuſmodi veri Dei eſſe poteſt. Quoniam ex ſigno cognoſcitur præſentia rei ſignatæ (§. 952 *Ontol.*); ex ſumma mundi perfectione cognoſcitur, quod verus Deus exiſtat & ſumma gaudeat perfectione (§. 387). Si vero mundus non ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus, nec ſumma Deum gaudere perfectione, inde inferri poteſt. Quoniam adeo perfectio mundi eſt medium, quo Deus finem per productionem mundi a ſe intentum conſequitur (§. 607); finem alium intendere non potuit, quam quod per mundum ſeipſum, adeoque ſummam ſui ipſius perfectionem patefacere voluerit. Atque adeo patet, finem, cur Deus hunc mundum produxerit, eſſe patefactionem ſui ipſius, ſeu perfectionis ſuæ abſolute ſummæ.

Idem etiam ſic oſtenditur. Quoniam perfectio univerſi eſt medium, quo Deus finem per exiſtentiam hujus mundi intentum conſequitur (§. 607); finis hic non in mundo, ſed extra ipſum quærendus. Enimvero extra mundum non datur ens aliud niſi Deus (§. 67. 62), nempe præter hanc rerum ſeriem non datur ens, quod ad eam non pertineat, niſi Deus. Quamobrem finis, quem Deus per hunc mundum intendit, in ipſo quærendus eſt. Eſt vero Deus ſibimetipſi ſufficientiſſimus (§. 428), adeoque nulla prorſus re extra ſe quomodocunque indiget (§. 427). Nihil ergo relinquitur, quod Deus per univerſi hujus exiſtentiam intendere poſſit, quam ut per mundi perfectionem ſummam ſui ipſius perfectionem patefaciat. Quod igitur patefactio ſui ipſius, adeoque ſummæ ſui ipſius perfectionis ſit finis, quem Deus producendo hunc mundum intendit, dubitandum non eſt.

Patet adeo finem, quem ſibi Deus in producendo mundo propoſuit & propter quem eundem producere decrevit, ex ipſa ejus tanquam agentis, & mundi tanquam medii natura fluere. Etenim in ſuperioribus ex ipſa Dei mundique natura demonſtravimus, mundum hunc, qui exiſtit (§. 326), eſſe ſignum intellectus omnium abſolute ſummi (§. 328. 169), voluntatis omnium optimæ (§. 400. 383), & potentiæ omnium maximæ (§. 403. 348), adeoque ſpiritus omnium perfectiſſimi (§. 402)), veri Dei (§. 387).

§. 609.

Finis, cur Deus mundum hunc produxerit, & ab æterno producere decreverit, etiam juxta Sacram Scripturam eſt patefactio ſui ipſius. Juxta Apoſtolum *Rom.* I. 20, Deus ſe manifeſtavit hominibus per creationem hujus univerſi, quatenus per ea, quæ facta ſunt, inviſibilia Dei, veluti ſempiterna ejus virtus & divinitas, intelliguntur, ab effectu ſcilicet ad cauſam argumentando, tanquam a ſigno ad ſignatum (§. 961 *Ontol.*). Monet autem Apoſtolus *verſ.* 20. 21, id factum eſſe ideo, ut homines Deum tanquam verum Deum colant, &, ut ſint inexcuſabiles, ubi hoc non fecerint. Unde intelligitur, voluiſſe Deum ab æterno, ut homines per ea, quæ fecit, attributa ipſius cognoſcant, quod ſenſu duce, quemadmodum res materiales, quæ ſunt in mundo, cognoſci minime poſſint. Eſt adeo juxta Sacram Scripturam patefactio ſui ipſius id, propter quod mundum hunc produxit, & hinc ab æterno producere decrevit (§. 525. 504). Quamobrem cum id, propter

Finis creationis ſeu electionis mundi ſecundũ Sacram Scripturam.

Digitized by Google

propter quod cauſa efficiens agit, ſit finis, quem intendit (§. 932 *Ontol.*); finis, quem Deus per creationem hujus univerſi & decretum creationis intendit, etiam juxta Sacram Scripturam eſt patefactio ſui ipſius.

Nimirum etiam juxta Sacram Scripturam dicendum, Deum ab æterno decreviſſe mundi hujus exiſtentiam, ut a creaturis rationabilibus, quales ſunt homines, agnoſcatur & tanquam verus Deus colatur: id quod probe notandum eſt. Etenim ſi hanc cognitionem Dei inſuper habet homo, nec eum tanquam verum Deum in omnibus actionibus ſuis liberis colit, fini, quem intendit, contrariatur. Atque adeo patet ratio, cur Deus in Sacra Scriptura gloriæ ſuæ ſit tenaciſſimus: neque enim ſapiens ferre poteſt, ut quis fini a ſe intento contrarietur. Qui hic ſuboriri poterant ſcrupuli, per ſequentia eximentur.

§. 610.

Gloria Dei quid ſit.

Complexus attributorum divinorum, quatenus a creatura rationali agnoſcitur, dicitur *Gloria Dei*. Unde *gloriam ſuam manifeſtare* dicitur Deus, quatenus perfectionem ſuam abſolute ſummam, aut ſi mavis, attributa ſua hominibus revelat. Et homo dicitur *promovere gloriam divinam*, quatenus verbis & factis teſtatur, ſe agnoſcere perfectionem Dei abſolute ſummam, & quod eadem gaudeat pro certo habere.

Cum affectus explicaremus docuimus, gloriam deſignare gaudium, quod percipitur ex aliorum de nobis noſtriſque benigno judicio (§. 765 *Pſychol. empir.*). Vocabulum itaque ad Deum translatum retinet receptum ſignificatum, quantum permittit differentia, quæ inter Deum atque homines intercedit. In affectu gloriæ propriam perfectionem referimus ad aliorum judicium: in gloria Dei perfectio Deo propria refertur ad judicium creaturæ intelligentis, veluti hominum. Homo de eo gaudet, quod perfectio ſui agnoſcatur ab aliis, ſeu quod ſibi perſuadeat, eam ab iis agnitum iri: quod etſi de Deo dici non poſſit proprie loquendo, cum beatitudo ipſius non pendeat a creatura; per eminentiam tamen hoc ipſi gaudium tribui poteſt, quemadmodum ſuo loco oſtendemus. Atque hinc eſt, quod gloria divina dicatur ipſa ſumma Dei perfectio ad judicium creaturæ rationalis relata.

§. 611.

Manifeſtatio gloriæ divinæ per mundum.

Deus decrevit exiſtentiam hujus mundi ad manifeſtandum gloriam ſuam. Etenim finis, ob quem Deus mundum hunc producere decrevit, eſt perfectionis, qua gaudet, abſolute ſummæ patefactio (§. 608). Quoniam itaque Deus gloriam ſuam manifeſtat, quatenus perfectionem ſummam, qua gaudet, creaturæ rationali patefacit (§. 610); finis, quem Deus intendit, dum mundum hunc producere decrevit, eſt manifeſtatio gloriæ ipſius. Agit vero agens propter finem, quem intendit (§. 932 *Ontol.*). Quamobrem Deus ad manifeſtandum gloriam ſuam mundum hunc producere decrevit.

Deſumta eſt phraſis ex Sacra Scriptura. Etenim *Joan.* II. 11. Chriſtus dicitur manifeſtaſſe gloriam ſuam, cum per miraculum aquam in vinum verteret. Etenim hoc ipſo probavit, eſſe potentiam miraculoſam, quam eſſe omnipotentiam Dei, creaturæ nulli communicabilem, ſuperius demonſtravimus (§. 471).

§. 612.

Eadem Sacræ Scripturæ conveniens.

Deus quoque juxta Sacram Scripturam per mundi creationem manifeſtavit gloriam ſuam. Etenim juxta Sacram Scripturam Deus mundum producere decrevit ad perfectionem ſummam, qua gaudet, ſeu divinitatem ſuam patefaciendam (§. 609). Enimvero phraſi quoque Sacræ Scripturæ gloriam ſuam manifeſtat Deus, quando divinitatem ſuam patefacit (*not.* §. 611).

Deus

Deus igitur juxta Sacram Scripturam quoque per mundi creationem gloriam ſuam manifeſtavit.

§. 613.

Cui fini Deus malum morale permittat.

Deus malum morale permittere decrevit ad manifeſtandum gloriam ſuam. Etenim Deus decrevit exiſtentiam hujus mundi ad manifeſtandam gloriam ſuam (§. *611*). Sed malum morale permittere decrevit ob eundem finem, propter quem mundi exiſtentiam decrevit (*§.605*). Malum igitur morale permittere decrevit ad manifeſtandum gloriam ſuam.

Quomodo gloriam ſuam mali permiſſione demonſtrare potuerit Deus, deinceps diſquiremus.

§. 614.

Idem Sacræ Scripturæ conforme probatur.

Deus etiam juxta Sacram Scripturam permittere decrevit malum morale ad manifeſtandum gloriam ſuam. Patet id ex parabola de zizaniis inter triticum, qua doctrina de permiſſione mali moralis a Chriſto illuſtratur. Etenim nemo non largitur, prudentiæ œconomicæ patrisfamilias deberi, quod noluerit zizania eradicari, quæ nonniſi cum tritico eradicari poterant. Quemadmodum itaque paterfamilias prudentiam ſuam manifeſtavit ſinendo creſcere zizania; ita quoque Deus ſapientiam ſuam probat, quod malum morale permittat, non tollendum ſalva perfectione ejuſdem (§. *556*), quæ medium eſt finem per creationem mundi intentum obtinendi (§.*607*).

Scriptura Sacra expreſſius docet, quomodo permiſſione mali moralis illuſtretur gloria Dei: pertinet enim huc decretum redemtionis, quo univerſa ſalutis œconomia continetur. Scriptura igitur cum hic tradat, quæ rationi impervia ſunt, etſi huic conveniens ſit modum aliquem illuſtrandi gloriam divinam ipſa mali permiſſione adeſſe debere, defectum rationis ſupplet: id quod revelationi divinæ conveniens (§. 451).

§. *615*.

Quomodo hic mundus ſe habeat ad finem & cur Deus eum elegerit.

Mundus hic, qui exiſtit, eſt fini a Deo intento convenientiſſimus, & Deus eundem ideo ex ceteris poſſibilibus elegit, quod fini a ſe intento omnium maxime conveniat. Etenim mundus hic, qui exiſtit, eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 326), adeoque in ſe optimus (§. 370). Quamobrem cum electio mundi in ſe optimi ſit ſignum naturale ſpiritus perfectiſſimi (§.402), nimirum intellectus (*§.328*), voluntatis (§.400) ac potentiæ divinæ (*§.403*), præter eum vero non ſit alius, qui eadem extenſione iſtiuſmodi ſignum eſſe poſſit (§. 329. 401. 404); per hunc ipſum mundum gloria divina magis illuſtrari poteſt, quam per quemcunque alium (§.*610*). Jam finis, cur Deus hunc mundum potius producere decreverit, quam alium, eſt patefactio perfectionis ſuæ ſummæ (§ 608), adeoque manifeſtatio gloriæ ſuæ (§.610). Patet igitur hunc mundum eſſe fini a Deo intento omnium poſſibilium convenientiſſimum. *Quod erat unum.*

Deus hunc mundum ex ceteris elegit ob majorem perfectionem, quæ ipſi quam ceteris ineſt (§. 325). Enimvero hic ipſe mundus fini a Deo intento omnium poſſibilium maxime convenit, quia omnium poſſibilium perfectiſſimus *per demonſtrata*. Deus igitur hunc mundum ex cete-

ris elegit, quia fini, quem intendit, omnium maxime convenit. *Quod erat alterum.*

Atque ita tandem evicimus, quod ſuperius, cum de mundo optimo ageremus, evinci nondum poterat. Lubet tamen majoris claritatis gratia ſequentem addere propoſitionem.

§. 616.

Quomodo ſeſe habeat mundus optimus ad finẽ.

Mundus optimus fini a Deo intento omnium maxime convenit. Etenim mundus hic adſpectabilis eſt omnium poſſibilium in ſe optimus (§. 382) & ſimul optimus in relatione ad Deum (§. 405). Jam vero hic ipſe, qui exiſtit, mundus, fini a Deo intento omnium maxime convenit (§. 615). Ergo mundus optimus fini a Deo intento omnium maxime convenit.

Quodſi ad demonſtrationes principiorum, quibus ad evincendam veritatem præſentis utimur, reſpicias, animadvertes ideo mundum fini a Deo intento convenire, quia tam in ſe, quam in relatione ad Deum optimus, nec alium niſi optimum eodem modo eidem convenire. Unde nil quicquam obſtat, quo minus mundus optimus definiatur per eum, qui fini a Deo intento maxime convenit. Atque hinc porro patet, affirmare quod Deus non fecerit mundum optimum, idem eſſe ac contendere, quod fecerit mundum, qui fini a ſe intento ex aſſe non ſatisfaciat. Notandum hoc eſt adverſus hoſtes mundi optimi, eos ſcilicet, qui mundum hunc fieri potuiſſe meliorem ſomniant, ſublatis malis phyſicis & moralibus. Abſit itaque ut in eorum numerum referas eos, qui cum *D. Thoma* ſtatuunt, mundum alium, qui ſit hoc adſpectabili melior, a Deo fieri potuiſſe, ne videantur in libertatem divinam injurii: quod tamen metuendum non eſſe ſupra jam evicimus & ex iis, quæ porro de ſapientia Dei demonſtrabuntur, clariſſime conſtabit. Etenim *D. Thomas* agnoſcens contingentiam ordinis naturæ (§. 561 *Coſmol.*), iiſdem rebus alium ordinem imponi poſſe intulit, atque hinc porro collegit, mundum hunc non potuiſſe fieri meliorem, non obſtante morali malo, quod in eodem datur. Nimirum quatenus Deus has res producere decrevit, cum producere poſſet alias; libertatem ſuam independentem manifeſtavit: quatenus vero iiſdem optimum impoſuit ordinem, & voluntatem ſuam optimam & ſapientiam pateſecit. Neque ipſo docente obſtitit malum morale, quo minus Deus hanc rerum ſeriem fecerit optimo modo, non facturus eandem modo optimo, ſiquidem malum morale ex ea arcere voluiſſet. Procul adeo abſunt, qui cum eodem ſentiunt, ab opinione hoſtium mundi optimi, qui eidem malum morale repugnare ſtatuunt. Quodſi enim idem obſtet, quo minus mundus optimus abſolute eſſe poſſit, obſtare utique etiam debet, quo minus in ſuo genere optimus ſit, ſeu optimo modo factus ſit. Hoſtes adeo mundi optimi non minus *D. Thomæ*, quam nobis adverſantur, qui in omni hac doctrina de perfectione mundi & inexiſtentia mali moralis Doctoris hujus luminibus ſumus uſi.

§. 617.

Malum morale & phyſicum quomodo ſe habeat ad finem mundi.

Malum phyſicum & morale non obſtat, quo minus hic mundus fini a Deo intento omnium maxime conveniat, ſed potius huc facit, ut eidem omnium maxime conveniat. Malum enim phyſicum & morale non obſtat, quo minus in mundo, qui exiſtit, major ſit perfectio, quam in ceteris poſſibilibus (§. 550). Enimvero perfectio mundi eſt medium, quo finis a Deo intentus obtinetur (§. 607), & hinc non magis obtineri poteſt, quam ſi mundus fuerit omnium poſſibilium perfectiſſimus. Utrumque adeo malum non obſtat, quo minus Deus finem, quem intendit, per productionem hujus mundi conſequatur optimo modo, conſequenter quo minus fini a Deo intento omnium maxime conveniat.

Idem etiam hoc modo oſtenditur. Malum phyſicum & morale non obſtat, quo minus hic mundus ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 550), adeoque

Digitized by Google

adeoque ejus electio tale ſignum perfectionum divinarum (§.328.400.403), quale præter ipſum alius eſſe nequit (§. 329. 401. 404), conſequenter non obſtat, quo minus per hunc mundum gloria Dei omnium maxime manifeſtetur (§. 610). Enimvero finis, cur Deus hunc mundum produxit, eſt manifeſtatio gloriæ ipſius (§.608.610). Malum igitur phyſicum & morale minime obſtant, quo minus hic mundus fini a Deo intento omnium maxime conveniat.

Cum ſublato malo phyſico & morali ex tota hac rerum ſerie, ipſa hæc rerum ſeries permanere nequeat omnium poſſibilium perfectiſſima (§. 556); utrumque malum huc facit, ut maxima huic rerum ſeriei ſive mundo (§ 48 *Coſmol.*) inſit perfectio, quæ eidem ineſſe poteſt. Jam vero perfectio mundi eſt medium, quo Deus finem, quem per exiſtentiam hujus univerſi intendit, conſequitur (§. 607), atque adeo mundus fini a Deo intento maxime convenit, quatenus is eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus. Malum itaque phyſicum & morale huc facit, ut mundus fini a Deo intento omnium maxime conveniat.

Idem in ſpecie de malo morali oſtenditur hoc modo. Deus malum morale permittit ad manifeſtandam gloriam ſuam (§. 613), conſequenter huc facit, ut Deus eandem manifeſtare poſſit. Sed patefactio perfectionis ſuæ abſolute ſummæ, adeoque manifeſtatio gloriæ divinæ (§. 610), eſt finis, quem Deus per exiſtentiam hujus mundi intendit (§. 608), conſequenter quod ad manifeſtationem gloriæ divinæ facit, huc facit, ut mundus omnium maxime fini a Deo intento conveniat. Malum igitur morale huc facit, ut mundus hic fini a Deo intento omnium maxime conveniat.

De malo phyſico partem poſteriorem propoſitionis in ſpecie oſtendere licebit, ubi oſtenderimus, cur Deus eidem locum admiſerit in hac rerum ſerie, aut, ſi accuratius loqui malueris, cur eum produxerit mundum, in quo malo phyſico locus eſt. Et ubi directio mali utriuſque ad bonos fines poſtea fuerit demonſtrata, eandem partem propoſitionis utriuſque alio adhuc modo, eodemque clariori, probare dabitur. Imo ſi quid circa propoſitionem præſentem totam adhuc relinquitur dubii, id penitus evaneſcet, ubi docuerimus, quomodo tam malum phyſicum, quam morale, quatenus huic rerum ſeriei inexiſtit, faciat ad manifeſtationem gloriæ divinæ. Probe autem notari velim, malum nec phyſicum, nec morale per ſe facere ad manifeſtationem gloriæ divinæ, ſed quatenus huic rerum ſeriei inexiſtit, ſeu eidem implicatur, ut eadem ſalva, auferri minime poſſit (§. 552).

§. 618.

Finis, quem Deus per productionem univerſi intendit, eſt omnium optimus, qui per productionem alicujus mundi intendi poteſt. Mundus enim, qui exiſtit, eſt fini a Deo intento omnium convenientiſſimus, & Deus eundem ideo ex ceteris poſſibilibus elegit, quod fini a ſe intento omnium maxime conveniat (§. 615), conſequenter non datur mundus alius, per quem Deus gloriam ſuam magis manifeſtare potuiſſet, quam per eum, quem fecit (§.608. 610). Quoniam itaque in relatione ad Deum nil quicquam dici poteſt bonum, niſi quatenus ſummæ Dei perfectionis ſignum eſt (§.394), adeoque eandem patefacit (§. 952 *Ontol.*); nec melior concipi poteſt finis a *Qualis ſit finis a Deo intentus.*

 Deo

Deo per exiſtentiam mundi intentus, quam qui in maxima manifeſtatione gloriæ divinæ conſiſtit, aut qui abſolvitur eo modo manifeſtandi gloriam divinam, quo alius præſtantior concipi haud quaquam poteſt. Quamobrem patet finem, quem Deus per productionem hujus mundi intendit, eſſe omnium optimum, qui ab eo intendi poterat.

Quodſi mundus aliquis eſſet poſſibilis, qui majorem haberet perfectionem, quam hic mundus adſpectabilis; modus quoque non deerat, quo Deus perfectionem ſuam excellentius demonſtrari poterat. Quamobrem dici non poterat, Deum ſibi in decreto producendi aliquem mundum propoſuiſſe finem omnium optimum: id quod tamen ſupponendum eſt, ubi demonſtrare volueris, ſapientiam Dei eſſe omnium perfectiſſimam. Unde denuo apparet, quam ſit neceſſe ut agnoſcamus, mundum hunc eſſe omnium poſſibilium optimum.

§. 619.

Idem in genere evincitur. *Finis, quem Deus ſibi conſtituit, eſt omnium poſſibilium optimus.* Dum Deus ſibi finem aliquem conſtituit, quin eundem velit nemo dubitat. Enimvero Deus vult tum quod in ſe (§. 383), tum quod in relatione ad ſe optimum eſt (§. 385). Quamobrem finem quoque ſibi conſtituit omnium poſſibilium optimum.

Patet adeo in genere, Deum ſibi finem optimum conſtituere. Et ſane nulla adeſt ratio, cur contrarium fieri debeat. Quando enim homines ſibi conſtituunt finem, qui optimus non eſt, aut quinam optimus ſit ignorant, aut alia ipſis objiciuntur impedimenta, cur conſtitui optimum non ſit conſultum: quorum neutrum de Deo dici poteſt, cum omniſcientia, qua præditus eſt (§. 302), ignorantiæ non faciat locum (§. 301); independentia vero a rebus omnibus aliis extra ſe (§. 70) & omnipotentia, qua gaudet (§. 349), non admittat impedimenta inſuperabilia (§. 347). Juvat hic animo recolere, quæ de voluntate Dei libera ab omni coactione tam interna (§. 351), quam externa demonſtrata ſunt (§. 321). Quemadmodum vero ex præſente propoſitione præcedens per modum corollarii ſubſumi poterat; ita nec difficile erat ex præcedente deducere præſentem. Etenim cum Deus mundum hunc exiſtere voluerit ad manifeſtandam gloriam ſuam (§. 611), hanc vero manifeſtet, ſi perfectionem ſuam abſolute ſummam patefacit (§. 608); per finem, quem in decreto de mundo producendo ſibi propoſuit, creaturæ intelligenti etiam patefacere voluit, qualem ſibi finem conſtituat. Quamobrem cum in hoc ipſo decreto ſibi conſtituerit finem omnium poſſibilium optimum (§. 618); patet Deum ſibi non conſtituere finem alium, niſi qui omnium poſſibilium optimus eſt. Cum demonſtrationes ſpeciales plus lucis habeant generalibus, hoc ipſo major quoque lux redundat in generalem, ubi ex ſpeciali deducitur.

§. 620.

Libertas Dei in conſtituendo fine. *Deus finem ſibi conſtituit liberrime.* Etenim dum Deus ſibi finem aliquem mundi alicujus producendi, & producendi hujus in ſpecie, vel in genere quemcunque alium ſibi conſtituit, quin finem eundem velit, dubitandum non eſt. Enimvero quicquid Deus vult, liberrime vult (§. 431). Quamobrem finem quoque ſibi liberrime conſtituit.

Qui plus lucis deſiderant, ad conſtitutionem finis applicent, tanquam ad volitionem particularem, quæ de toto volitionis actu (§. 355) in medium adducta ſunt, ut ſummam voluntatis divinæ libertatem evinceremus (§. 431), ſcilicet quod Deus finem, quem ſibi conſtituit, penitus intelligat, quod idem ipſi maxime placeat, quod eundem ſponte ac lubentiſſime eligat, quod nullus prorſus in eodem conſtituendo locus relinquatur ulli coactioni internæ ac externæ: quæ ſingula de finis conſtitutione eodem modo demonſtrari poſſunt, quo eadem de voluntate divina ſuo unumquodque loco demonſtravimus: id quod utilitate ſua non deſtituitur tum in veritate propoſitionis præſentis percipienda, tum in eadem aliis perſuadenda, etſi in Syſtemate hiſce ambagibus non ſit opus.

§. 621.

Digitized by Google

§. 621.

Deus finem, quem per exiſtentiam hujus mundi intendit, ex aſſe conſequitur. Deus enim per hunc mundum patefacere vult perfectionem ſuam abſolute ſummam (§. 608) & eo fine eum elegit mundum ex ceteris poſſibilibus (§. 615), qui omnium perfectiſſimus (§. 325) & in ſe optimus (§. 382). Quoniam itaque electio mundi optimi eſt ſignum naturale ſpiritus perfectiſſimi (§. 402), qui eſt Deus (§. 387); Deus quoque ſummam, qua gaudet, perfectionem eo ipſo patefacit, quod hunc elegerit mundum: unde eum ipſa mundi perfectio ſit medium, quo Deus finem per exiſtentiam ejus mundi conſequitur (§. 607), vi ejuſdem obtinet, quicquid ad finem a ſe intentum ſpectat. Ex aſſe vero agens finem conſequitur, ſi vi mediorum ad actum perducantur omnia, quibus is conſtituitur (§. 684 *Pſychol. rat.*). Patet itaque Deum ex aſſe conſequi finem, quem per exiſtentiam hujus mundi intendit. *Quomodo Deus finem conſequatur.*

Quodſi ſupponas Deum potuiſſe hunc ipſum, qui exiſtit, mundum facere meliorem, quam nunc eſt, veluti ſublato ex eodem malo phyſico & morali, quemadmodum ſumunt hoſtes mundi optimi; propoſitio præſens non ſubſiſtit: id quod pro acumine ſuo optime vidit *D. Thomas*, qui propterea defendit Deum hiſce rebus non potuiſſe imponere meliorem ordinem, ſicque hunc, qui exiſtit, mundum non potuiſſe facere meliori modo, etſi largiatur potuiſſe Deum producere res alias & ſic facere mundum eo, qui exiſtit, meliorem. Etenim in hac hypotheſi veritas propoſitionis præſentis in ſalvo eſt. Hoſtes vero optimi mundi in ſapientiam divinam injurii ſunt, ad quam omnino requiritur, ut Deus finem, quem intendit, ex aſſe conſequatur.

§. 622.

Per mundum omnium poſſibilium perfectiſſimum ſeu optimum Deus gloriam ſuam omnium maxime manifeſtat, ita ut nec infinitus intellectus in eo quicquam deſiderare poſſit. Etenim electio mundi optimi ſeu omnium poſſibilium perfectiſſimi eſt ſignum naturale intellectus omnium abſolute perfectiſſimi (§. 328), voluntatis abſolute perfectiſſimæ (§. 400) & omnipotentiæ (§. 403), nec mundus quicunque alius ſignum intellectus abſolute perfectiſſimi (§. 329), voluntatis abſolute perfectiſſimæ (§. 401) & omnipotentiæ eſſe poteſt (§. 404). Fieri adeo non poteſt, ut Deus per mundum alium, quam per omnium poſſibilium perfectiſſimum ſive optimum, perfectionem intellectus & voluntatis ſuæ patefaciat tanquam abſolute ſummam, atque potentiam ſuam tanquam abſolute maximam (§. 952 *Ontol.*). Quoniam itaque Deus mundum omnium perfectiſſimum ſive optimum elegit, quem produceret (§. 325. 382); per eum quoque ſummam, qua gaudet, perfectionem tanquam abſolute ſummam patefacit, adeoque gloriam ſuam maxime illuſtrat (§. 610). *Quod erat primum.* *Quinam mundus gloriæ divinæ manifeſtandæ maxime inſerviat.*

Qui infinito intellectu præditus eſt, omnia ſibi repræſentat ſimul (§. 838 *Ontol.*), adeoque pleniſſime perſpicit, quomodo Dei perfectio ſumma, tanquam ea, qua major concipi nequit, per hunc mundum patefiat, conſequenter gloria divina per eundem maxime illuſtretur. Quamobrem nec intelle-

intellectus infinitus in modo manifeſtandi gloriam divinam per mundum adſpectabilem quicquam deſiderare valet. *Quod erat ſecundum.*

Propoſitio hæc probe notanda eſt, &, ut rite animo comprehendatur, recolenda ſunt principia in ſuperioribus propoſita. Etenim plurimum facit ad removendum dubium, quaſi electio mundi optimi inferat neceſſitatem quandam libertati adverſam. Quod enim agens facit ob finem ex aſſe obtinendum; id ſumma cum ratione facit, nec libertati contrariatur. Ecquis enim requiſiverit, ut ne artifex opus ſuum faciat optimo, quo ab eo fieri poteſt, modo, quando ſibi propoſuit facere opus, quod artem ſuam loquatur, ne ex neceſſitate naturæ idem feciſſe dicatur, omnis libertatis in exercenda arte expers? Vi omnipotentiæ ſuæ poterat Deus facere mundum quemcunque alium, qui eo, quem exiſtentem intuemur, ſit minus perfectus, & eo ipſo, quod hunc fecit, hoc demonſtravit (§. 342). Sed noluit producere alium, quod alius gloriæ ſuæ manifeſtandæ non æque inſerviat. Quis ergo inferet, agendo convenienter fini tolli libertatem? Si velis agere optimo modo, ubi agere volueris propter finem, nec poſſis agere alio, quam hoc modo; non ideo tollitur libertas in agendo, quod optimo modo agas. Deus ſibi propoſuit per mundi creationem manifeſtare gloriam ſuam, qui ipſe finis poſtulat, ut utatur mediis ad eum ex aſſe conſequendum neceſſariis. Voluit igitur fini huic convenienter producere mundum, per quem gloria ipſius omnium maxime manifeſtatur. Non datur alius, quam quem fecit, mundus, quo gloria ejus magis manifeſtetur, nec datur alius, per quem æque manifeſtetur. Fini adeo ſuo convenienter decrevit hunc potius producere mundum, quam alium. Quis ergo dixerit, Deum non fuiſſe liberum in decernendo?

§. 623.

Dei de modo manifeſtationis gloriæ ſuæ judicium.

Deus decrevit producere mundum, qui ſuo judicio omnium maxime manifeſtat gloriam ſuam. Etenim per hunc mundum gloriam ſuam omnium maxime manifeſtat, ita ut nec intellectus infinitus in modo manifeſtationis quicquam deſiderare poſſit (§. 622). Quamobrem cum Deus intellectu infinito gaudeat (§. 167); nec Deus quicquam in modo manifeſtandi gloriam ſuam deſiderare poteſt. Ipſius igitur judicio hic mundus omnium maxime gloriam ejus manifeſtat, conſequenter eum decrevit producere mundum, qui ſuo judicio omnium maxime gloriam ſuam manifeſtat.

Non licet excipere, Deum manifeſtare gloriam ſuam per creationem mundi non ſibi, ſed creaturis intelligentibus, veluti hominibus. Omni creaturæ intellectus admodum finitus eſt, adeoque comprehendere nequit modum manifeſtationis gloriæ divinæ, qualis per integrum hoc univerſum prodit. Satisfacit igitur abunde mundus non optimus. Etenim nulla his ineſt concludendi vis: id quod vel hominum exemplo doceri poteſt. Artifex peritus, etſi norit non dari præter ſe alium, qui de operis perfectione judicium ferre poſſit, non ideo male facit opus, quod is, cujus gratia fit, nævum detegere non poſſit. In proprio judicio acquieſcit, faciens opus, quod ſibi artifici ſatisfacit. Si quis aliter facit, vel mala fide imperitis imponit, vel horum inopia adductus volentibus facit opus, quale deſiderant. Præterea verum omnino non eſt, quoad hominem perinde eſſe, ſive Deus fecerit mundum optimum, ſive non optimum. Patet enim ex demonſtrationibus ſuperioribus, ad quas ſæpiſſime jam provocavimus; hominem agnoſcere non per alium, quam optimum mundum, Deum perfectionem ſuam manifeſtare poſſe tanquam abſolute ſummam: ſit ita, quod ipſam mundi hujus perfectionem, qua ceteris præſtat, comprehendere minime poſſit. Neque ſi praxin ſpectes, in quam theoria influit, perinde eſt, ſive ſumas Deum feciſſe mundum optimum, ſive ponas, eum feciſſe mundum non optimum: quemadmodum ſuo tempore ſuoque loco abunde demonſtraturi ſumus. Sumatur hypotheſis feciſſe Deum mundum non optimum & redigantur ea, quæ de Deo cognoſcuntur, in ſyſtema veri nominis, quo omnes propoſitiones inter ſe connexæ exhibentur, & veritas unius per veritatem aliarum evincitur; ſatis ſuperque experieris, modo acumine non deſtituaris, irritum operam ſumi.

§. 624.

Digitized by Google

§. 624.

Medium quale a Deo electum.

Deus elegit medium, quo finem, quem per mundi hujus exiſtentiam intendit, certo conſequitur. Etenim finis, quem Deus per exiſtentiam hujus mundi intendit, eſt patefactio perfectionis ſuæ abſolute ſummæ (§. 608), & medium, quo ad eum conſequendum utitur, eſt mundi ipſius perfectio (§. 607). Elegit autem hunc mundum ex ceteris poſſibilibus, quem ad actum perduceret, ob ſummam, qua inter ceteros eminet, perfectionem (§. 325), & hæc ipſa perfectio, quatenus ob eam mundus electus eſt, ſignum naturale eſt intellectus omnium perfectiſſimi (§. 328) & voluntatis omnium perfectiſſimæ (§. 400) atque omnipotentiæ (§. 403). Quamobrem cum Dei intellectus ſit abſolute perfectiſſimus (*not.* §. 168) & voluntas ipſius omnium perfectiſſima itidem talis (§. 386), ipſique omnipotentia competat (§. 349), ſignum vero naturale rationem ſignificatus in ipſis rerum notionibus habeat (§. 956 *Ontol.*); Deus ad conſequendum finem ſuum per exiſtentiam hujus mundi intentum utitur medio, quo finem ſuum certo conſequitur.

Intendit Deus manifeſtare gloriam ſuam creaturæ rationali, atque hæc manifeſtatio finis eſt, quem ſibi propoſuit. Eum fecit mundum, per qoem gloria ipſius maoifeſtatur, utpote ſummam & intellectus, & voluntatis perfectionem atque potentiæ magnitodinem apertiſſime loquentem. Finem adeo, quem ſibi propoſuit, certo conſequitur. Medium itaque, quod elegit, ad eum conſequendum aptiſſimum eſt.

§. 625.

Idem in genere evincitur.

Deus in genere eligit media, quibus fines intentos certo conſequitur. Etenim Deus elegit medium, quo finem, quem per exiſtentiam hujus mundi intendit, certo conſequitur (§. 624). Quamobrem cum Deus idem produxerit hunc mundum, ut gloriam ſuam manifeſtaret (§. 611), adeoque ſeipſum, qualis ſit, patefaceret (§. 608); per electionem quoque hujus potius mundi, quam alterius, cuicunque creaturæ rationali patefacere voluit, qualibus utatur mediis ad finem ſibi propoſitum conſequendum. Patet igitur eum eligere media, quibus fines intentos certo conſequitur.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus vi omniſcientiæ ſuæ novit omnia media, quibus finem intentum conſequi datur (§. 302. 301). Fieri adeo haud quaquam poteſt, ut in eligendis mediis a vero aberret. Quamobrem ea eligit media, quibus finem a ſe intentum certo conſequitur.

Repugnat voluntati velle finem & nolle media, quibus eum certo & ex aſſe aſſequeris, niſi impedimentum quoddam objiciatur, quod invitum a mediis melioribus recedere cogit eligentem. Eligere enim medium, quod ad finem conſequendum ex aſſe non ducit, ſopponit finem expeti ex parte, non vero totum: eligere autem medium, quod ad finem cooſequendum non certo facit, ſed quod ab eo aberrare poteſt, ſupponit fioem parum curari, ſed eſſe ad utrumque paratum, ſive eundem conſequaris, ſive eodem excidas. Neutrum adeo horum fieri poteſt, niſi ex errore, aut aliis de cauſis negotio extrinſecis, & hinc in Deum minime cadit, utpote omniſcium ac independentem ab omnibus entibus aliis. Hæc, quæ dixi, militant pro electione mundi optimi, & metum omnem procol arcent, ne ex naturæ neceſſitate fieri debeat electio in præjudicium libertatis. Sane ſi nos in quolibet caſu intelligeremus, quodnam ſit illud medium, quod nos ad finem propoſitum certo perducat & ejuſdem ex aſſe compotes reddat; hoc ipſum ſemper eligeremus, niſi inviti, quatenus a rebus aliis depeodimus, ab eodem recedere cogeremur, neque unquam animum noſtrum ſollici-

Digitized by Google

ſollicitum teneret hæc cura, ne libertatis jacturam faciamus, media deteriora præferentes melioribus, ut nos libere agere dubitari non poſſet.

§. 626.

Quomodo Deus fines particulares cõſtituat.

Deus non conſtituit fines particulares niſi in relatione ad finem totius mundi. Etenim Deus nihil eorum, quæ inſunt huic rerum ſeriei, decrevit abſolute ſpectatum, ſed in relatione ad totum (§. 519). Quoniam decernens voluntatem determinat ad aliquid agendum (§. 497); ſi propter finem particularem agere vult, propter eum agere non decernit niſi in relatione ad finem totius mundi. Quamobrem cum finem aliquem conſtituat, quatenus propter eundem agere decernit, quod per ſe patet; nullos quoque fines particulares conſtituit, niſi in relatione ad finem totius mundi.

Sane niſi Deus fines particulares, quos intendit, referret ad finem totius mundi, fieri haud quaquam poſſet ut ſibimetipſi ſubinde non contrarietur. Etenim finis particularis contrarius eſſe poſſet vel fini totius mundi, vel fini cuidam particulari alteri, quemadmodum in humanis quotidie obſervatur. Neque enim alia datur ratio, quod fines particulares, quos homines ſibi præſtituunt, ſæpiſſime ſibi invicem contrarientur, quam quod ad finem aliquem ultimum eoſdem minime referant, vel quod de ultimo quodam fine prorſus ſolliciti non ſint, vel quod parum curent, utrum finis particularis eidem conveniat, an vero adverſetur. Ceſſat penes Deum ratio contrarietatis finium particularium tum inter ſe, tum cum fine ultimo. Etenim Deus unico actu decernit omnia (§. 520), cum omnia ſimul cognoſcat (§. 160): nos de partibus vitæ deliberamus & decernimus, quod futura prævidere non valeamus.

§. 627.

Quales iidem ſunt.

Quoniam Deus fines particulares non conſtituit niſi in relatione ad finem totius mundi (§. 626), finis autem, cur hunc mundum produxerit, eſt patefactio perfectionis ſuæ abſolute ſummæ (§. 608), ſeu manifeſtatio gloriæ ipſius (§. 610); *fines* quoque *particulares, quos Deus in hoc univerſo conſtituit, ad patefactionem perfectionis ſuæ abſolute ſummæ, ſeu manifeſtationem gloriæ ſuæ referri debent.*

Demonſtravimus hoc jam in ſpecie de fine permiſſionis mali moralis (§. 613), ac idem in Sacra Scriptura quoque doceri oſtendimus (§. 614).

§. 628.

Finis ultimus quinam ſit.

Finis, quem Deus per exiſtentiam totius mundi intendit, eſt finis ultimus. Fines enim particulares Deus non conſtituit niſi in relatione ad finem, quem per exiſtentiam totius univerſi intendit (§. 626). Quoniam itaque per finem totius mundi intelligitur, cur Deus hunc finem particularem conſtituerit (§. 855. *Ontol.*); ratio finis particularis in fine totius mundi ultimo continetur (§. 56 *Ontol.*), adeoque poſito fine totius mundi ponuntur etiam fines particulares (§. 118 *Ontol.*). Sunt igitur fines particulares ob finem iſtum, qui per totius mundi exiſtentiam intenditur. Quamobrem cum is ſit finis ultimus, ob quem conſtituuntur ceteri (§ 943 *Ontol.*); finis ultimus eſt, quem Deus per exiſtentiam totius mundi intendit.

Inde eſt, quod Deus ultra hunc finem non intendat alium: neque enim datur alius finis ob quem Deus finem per exiſtentiam totius univerſi intentum conſtituit. Neceſſe autem eſt ut conſtet, dari aliquem finem ultimum, quem Deus in decreto mundi producendi intendit, ut finium particularium ſubordinatio fiat manifeſta, ſine qua probari nequit, Deum eſſe ſapientem (§. 678 *Pſychol. rat.*).

§. 629.

Digitized by Google

§. 629.

Qualis ſit finis ultimus.

Patefactio ſummæ Dei perfectionis ſeu manifeſtatio gloriæ divinæ eſt finis ultimus, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit . Etenim finis, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit, finis ultimus eſt (§. 628). Enimvero finis, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit, eſt patefactio perfectionis abſolute ſummæ, qua gaudet (§. 608), adeoque manifeſtatio gloriæ ipſius (§. 610). Patefactio adeo ſummæ Dei perfectionis, ſeu manifeſtatio gloriæ divinæ eſt finis ultimus, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit.

Et ſane nunc clarius patet, quod ultra finem, quem Deus per creationem mundi intendit, non detur finis alius, ob quem eundem intenderit. Etenim ſi Deum reſpicias, nil quicquam aliud ab eodem per creationem mundi intendi poteſt, quam ut perfectionem ſuam abſolute ſummam, quæ nihil incrementi capere poteſt, creaturæ intelligenti patefaciat. Præter Deum vero non datur ens quoddam aliud, cujus gratia creaturæ rationali gloriam ſuam manifeſtare voluerit. Unde liquido conſtat ne fingi quidem poſſe aliquem finem, ob quem Deus creaturæ rationali gloriam ſuam manifeſtare voluerit, conſequenter qui ultra hunc finem detur.

§. 630.

Finium ſubordinatio quid ſit.

Finis unus dicitur ***ſubordinari alteri***, ſi conſtituitur ob alterum, ſeu, ſi ideo conſtituitur, quia conſtituitur alter, aut quia alter ante fuit conſtitutus.

Si quis munus publicum olim obeundum intendit, & eo fine in Academiam ſtudiorum gratia proficiſci ſibi proponit, atque propterea in Schola literis humanioribus ſedulam operam navat; ſtudia academica ſunt finis, quem per ſtudia ſcholaſtica intendit, aſt promotio ad munus publicum, eſt finis per ſtudia academica obtinendus. Finis adeo prior conſtituitur propter poſteriorem, neque enim ſtudia academica curares, niſi tibi in animo eſſet olim promoveri ad publicum aliquod munus, conſequenter ille huic ſubordinatur.

§. 631.

Subordinatio finium Deo vindicata.

Deus fines particulares ſubordinat ultimo. Etenim Deus non conſtituit fines particulares niſi in relatione ad finem totius mundi (§. 626), conſequenter niſi in relatione ad ultimum (§. 628). Quoniam adeo per finem ultimum intelligitur, cur fines particulares conſtituerit (§. 855 *Ontol.*), adeoque ratio, cur eos conſtituerit, in fine ultimo continetur (§. 56 *Ontol.*); fines particulares non conſtituiſſet, niſi intendiſſet ultimum (§. 118 *Ontol.*). Quamobrem cum finis unus alteri ſubordinetur, ſi ideo conſtituitur, quia alter conſtituitur (§. 630); Deus fines particulares ſubordinat fini ultimo.

Quomodo hæc finium ſubordinatio fieri poſſit per ipſam rerum naturam & quomodo a Deo fiat; patebit clarius paulo poſt, quando in fines particulares, quinam ſint, inquiſituri ſumus.

§. 632.

Quonam omnes fines in hoc univerſo tendant.

Quoniam finis ultimus, quem *Deus* per exiſtentiam hujus mundi intendit, eſt patefactio ſummæ, quæ ipſi eſt, perfectionis, ſeu manifeſtatio gloriæ divinæ (§. 629), fines autem particulares ultimo ſubordinat (§. 631); *fines omnes particulares ſubordinat patefactioni ſummæ, qua gaudet, perfectionis, ſeu manifeſtationi gloriæ divinæ*, conſequenter cum finis unus ſubordinetur

alteri, quatenus unus propterea conſtituitur, quod conſtitutus ſit alter (§.630); *Deus finem quemcunque particularem ideo intendit, quia gloriam ſuam per exiſtentiam hujus univerſi manifeſtare, ſeu perfectionem ſuam ſummam patefacere vult.*

Non parum juvat in praxi morali noſſe, quod Deus finem quemcunque particularem ſubordinet manifeſtationi gloriæ ſuæ: imo non minus juvat idem noſſe in theoria morali, quando principia juris naturalis & officia erga Deum demonſtranda.

§. 633.

Subordinatio finium particularium inter ſe Deo vindicata.

Deus omnes fines particulares ſibi invicem ſubordinat. Etenim Deus fines omnes particulares ſubordinat ultimo (§.631), adeoque eoſdem ideo conſtituit, quia conſtituit ultimum (§.630). Quodſi jam conſtituto fine ultimo conſtituendus ſit finis A, hic vero obtineri non poſſit, niſi conſtituatur finis B; finis alter particularis conſtituendus eſt & quidem, ſi ultimus obtineri debet, ideo quia finis A conſtituendus. Finis igitur B ſubordinandus eſt fini A. Et eodem modo patet, finem C ſubordinandnm eſſe ipſi B, finem vero D ipſi C ac ita porro. Quamobrem cum fieri non poſſit, ut plures fines particulares ſubordinentur fini ultimo, quin ſibi invicem ſubordinentur; patet Deum omnes fines particulares ſibi invicem ſubordinare.

Subordinatio finium particularium inter ſe cum ſubordinatione ſub fine ultimo in ſerie finium adeo connexa eſt, ut ab hac iſta ſeparari minime poſſit: id quod in exemplis admodum manifeſtum eſt. Qui adeo animum advertit ad exemplum paulo ante ad illuſtrandum finium ſubordinationem propoſitum, idem clariſſime percipiet.

§. 634.

Quomodo finium ſubordinatio fiat.

Si quis finis alteri ſubordinatur, ad hunc alterum ſe habet ut medium ad finem. Etenim ſi quis finis alteri ſubordinatur, is ideo conſtituitur, quia hic alter conſtituitur (§.630). Neceſſe igitur eſt, ut finis alter obtineri minime poſſit, vel ſaltem non poſſit obtineri eo, quo intenditur, modo, niſi finis alter conſtituatur. Cum adeo finis ſubordinatus huc faciat, ut alter, cui ſubordinatur, actum conſequatur; ad eundem utique ſeſe habet per modum medii ad finem (§. 937 *Ontol.*). Atque adeo patet in ſubordinatione finium is, qui ſubordinatur alteri, ad hunc, cui ſubordinatur, ſe habere ut medium ad finem.

Et hinc patet ratio, cur fines particulares ſibi invicem ſubordinari debeant, ubi ſubordinandi ſunt fini ultimo omnes ſimul. Neque enim omnes immediate ſubordinantur fini ultimo, ſubordinandi igitur ſunt aliis, iſti vel immediate, vel propius ſubordinatis. Ponamus enim finem B ſubordinari ipſi A, quia finem A abſque ipſo B conſequi minime datur. Quodſi jam porro finem B vel prorſus conſequi non datur, vel non eo, quo ob ultimum obtineri debet, modo; eidem alius adhuc C ſubordinandus venit & ita porro. E. gr. finis oculi eſt repræſentatio viſibilis in retina clara atque diſtincta. Cum ad viſionis claritatem & diſtinctionem faciat, ut impediatur, ne lumen reflexum confundatur cum refracto; reflexio luminis peregrini impedienda aut, ſi mavis, ſublatio ejuſdem intenditur tanquam finis particularis & per modum medii ſubordinatur ultimo. Ipſa etiam refractio luminis, antequam ad retinam pertingit, intenditur tanquam finis particularia ob ultimum, ut ſcilicet imago in exigua diſtantia delineetur, & parva licet clara tamen ſit atque diſtincta. Quatenus vero reflexio peregrini impedita huc facit, ne effectus refractionis imminuatur, finis iſte particularia huic particulari ſubordinatur per modum medii hunc meliori modo conſequendi. Similiter ut lumen refractum ſit intenſum, ne deficiat claritas imaginis;

ginis, ſufficiens luminis quantitas in oculum immittenda. Hujus adeo immiſſio eſt finis quidam particularis, qui ſubordinatur ultimo, quatenus facit ad claritatem imaginis, ſubordinatur autem fini alteri particulari intermedio, quatenus in cauſa eſt, ut penicilli radiorum per refractionem prodeant fortes. Cui ſtructura oculi ſatis explorata eſt & ſingularum partium rationes apertæ ſunt, quatenus referuntur ad imaginem in fundo oculi delineandam; is facile ſibi formabit ideam de finium ſubordinatione exemplarem, in qua veritas propoſitionum huc facientium perſpicitur. Inprimis etiam intelliget, cur fines particulares ad eundem ultimum directi, ſibi invicem ſubordinandi ſint.

§. 635.

Subordinatio finium quomodo a Deo fiat.

Deus fines omnes ita ſibi invicem ſubordinat, ut remotiorum media ſint propiores, & omnes tandem ſimul medium finis ultimi. Etenim Deus fines particulares ſubordinat ſibi invicem (§. 633), ſimulque omnes ultimo (§. 631). Enimvero ſi quis finis alteri ſubordinatur, is ad hunc alterum ſe habet ut medium ad finem (§. 634). Deus itaque fines omnes ita ſibi invicem ſubordinat, ut ſubordinatus ſit medium ad eum, cui ſubordinatur, conſequenter ut propior ſit medium remotioris, omnes vero ſimul ſint medium ultimi conſequendi (§. 937 *Ontol.*).

Hanc finium ſubordinationem in particulari ſcrutatur Teleologia (§. 85 *Diſc. prælim.*). Principia tamen generalia, quæ ſcrutationem moderantur, trademus deinceps, propterea quod iiſdem etiam in aliis habemus opus.

§. 636.

Media a Deo qualia eligantur.

Deus eligit media, quæ via breviſſima ad finem ducunt. Etenim Deus omniſcius (§. 302) ſcit omnia, quæcunque cognitu poſſibilia ſunt, ſive ſingularia fuerint, ſive univerſalia (§. 301), adeoque etiam novit omnia media, quibus finis quicunque ſive ſolitarie, ſive una cum aliis ſpectatus, obtineri poteſt, conſequenter quibus ſolis poſitis ex aſſe ponatur finis. Jam cum agens intelligens non velit media, niſi finis conſequendi gratia (§. 941 *Ontol.*), nec Deus quicquam velit ſine motivo (§. 312), conſequenter ſine ratione ſufficiente (§. 887 *Pſychol. empir.*); fieri haud quaquam poteſt, ut finis conſequendi gratia quædam velit, ſine quibus finis poni poterat. Eligit itaque media, quæ via breviſſima ad finem ducunt, quatenus ſcilicet permittunt fines alii ſimul obtinendi (§. 685. 687 *Pſychol. rat.*).

Non alia datur ratio, cur nos per ambages incedamus, non vero via breviſſima ad finem contendamus, quam quod media illa ignoremus, quæ nos breviſſima via ad eundem ducunt. Ceſſat igitur penes Deum omniſcium ratio, cur per ambages incedamus, conſequenter nec fieri poteſt, ut is per ambages incedat (§. 118 *Ontol.*).

§. 637.

Difficultas agnoſcendi viã breviſſimam in caſu particulari.

Homo viam breviſſimam, qua Deus incedit in proſequendo fine, difficulter cognoſcere poteſt in caſu particulari. Etenim plurimi ſunt fines, quos Deus ſimul intendit: id quod propter rerum multitudinem & inſignem earum varietatem in hoc univerſo in dubium vocari minime poteſt. Enimvero ſi quis plurium finium conſequendorum gratia facit, quod unius conſequendi gratia fieri neceſſe non erat; is per ambages non incedit (§. 687 *Pſychol. rat.*), etſi ad unum tantummodo finem animum advertenti per ambages incedere videatur (§. 685 *Pſychol. rat.*). Quoniam itaque homo fines omnes particu-

lares, quos ſimul conſequendos ſibi propoſuit in hoc univerſo, minime perſpectos habet; reſpectu quorundam per ambages incedere videri poteſt Deus, quando via breviſſima incedit, conſequenter viam breviſſimam in dato caſu particulari difficulter agnoſcit.

Cavendum itaque eſt, ne temere adverſus propoſitionem generalem, ex natura intellectus ac voluntatis divinæ fluentem, inſtantias urgeamus, præſertim cum non modo fines a Deo ſimul intentos ignorare, verum etiam pro fine venditare poſſimus, quod in numero finium locum non habet.

§. 638.

Quales fines Deus quoad ſe conſtituat.

Deus conſtituit fines, qui ipſum decent. Quoniam Deus fines ſibi liberrime conſtituit (§. 620); quin propter illos fines agere velit, dubitandum non eſt (§. 932 *Ontol.* & §. 941 *Pſychol. empir.*). Vult vero, quod ipſum decet (§. 335). Quamobrem & fines conſtituit, qui ipſum decent.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus omnes fines particulares ſubordinat patefactioni perfectionis ſuæ abſolute ſummæ (§. 632), atque adeo in attributis divinis continetur ratio, cur hunc potius finem voluerit, quam alium. Quamobrem cum id Deum deceat, cujus aliqua in ipſius attributis continetur ratio, cur ipſum potius velit, quam aliud (§. 332); Deus conſtituit fines, qui ipſum decent.

§. 639.

Convenientia finium cum natura divina.

Quoniam *Deus* conſtituit fines, qui ipſum decent (§. 638), adeoque ob rationem a natura ſua, attributis nempe ſuis, deſumtam (§. 332); *fines naturæ ſuæ convenientes conſtituit.*

Nimirum finis aliquis decet Deum, quatenus naturæ ipſius convenit, hoc eſt, attributis divinis non repugnat talem conſtitui finem.

§. 640.

Sapientia Dei.

Deus eſt ſapiens, & ſapientia ejuſdem ſumma atque perfectiſſima eſt. Etenim Deus conſtituit fines naturæ ſuæ convenientes (§. 639), eligit media ad finem ducentia (§. 625) & fines particulares ſubordinat ſibi invicem (§. 633), ut propiores fiant media remotiorum (§. 635). Quamobrem cum ſapiens ſit, qui actionibus liberis fines naturæ ſuæ convenientes præſcribit, & media ad eos ducentia eligit, fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinat, ut propiores fiant media remotiorum (§. 678 *Pſychol. rat.*); Deus ſapiens eſt.

Eſt vero finis, quem ſibi conſtituit, omnium poſſibilium optimus (§. 619), eligit media, quæ certo (§. 625) & via breviſſima ad eundem ducunt (§. 636), & quibus finem ex aſſe conſequitur (§. 621), fineſque omnes particulares ita ſibi invicem ſubordinat, ut remotiorum media ſint propiores, ac omnes tandem ſimul medium finis ultimi (§. 635). Jam ſapientia ſumma atque perfectiſſima eſt ſcientia conſtituendi fines optimos, eligendi media, quæ certo & via breviſſima ad eundem ducunt, & quibus finem ex aſſe conſequi datur, fineſque omnes particulares ita ſibi invicem ſubordinandi, ut remotiorum media ſint propiores & omnes tandem ſimul

medium

Digitized by Google

medium finis ultimi (§. 689 *Pſychol. rat.*). Quamobrem patet Dei ſapientiam eſſe ſummam atque omnium perfectiſſimam.

Liquet ex demonſtratione propoſitionis præſentis, quam multa ante probanda ſint, quam conſtare poſſit, ſapientiam Deo convenire ſummam atque omnium perfectiſſimam, etſi jam in Pſychologia rationali oſtenderimus, quænam ſapientia ſit ſumma atque omnium perfectiſſima. Sane ſi quis convinci debeat, convenire Deo hoc attributum, quod pulchritudine ſua maxime delectat, animo recolenda eſt non modo demonſtratio in Pſychologia rationali data, ſed perpendenda quoque ſunt principia eandem ingredientia. Velim hæc perpendant, qui ſibi perſuadent aliiſque perſuadere conantur, ardua levi opera perfici poſſe. Utile autem eſt, imo longe utiliſſimum ſapientiæ divinæ prorſus convictum poſſidere animum, propterea quod hoc attributum mirifice influit in praxin & in Teleologia omne fert punctum. Quare nec piget uberius exponere, quæ ad eam penitius inſpiciendam conducunt.

§. 641.

Deus exiſtentiam hujus univerſi ſapienter decrevit. Etenim Deus exiſtentiam hujus univerſi decrevit propter aliquem finem (§. 604), ſibi convenientem (§. 639), & medium elegit, quo eundem certo conſequitur (§. 624), nec fines particulares conſtituit, niſi in relatione ad totius mundi finem (§. 626), ac ſibi invicem ſubordinavit, ut remotiorum media ſint propiores, ac omnes tandem ſimul medium ultimi (§. 635). Quamobrem cum ſapientia non requirat, niſi ut propter finem nobis convenientem agamus, & media eidem convenientia eligamus, fineſque particulares ſibi invicem ſubordinemus per modum medii ad finem (§. 678 *Pſychol. rat.*); Deum exiſtentiam hujus univerſi ſapienter decreviſſe conſtat. *Sapientia in decreto condendi mundi.*

Idem etiam ſic oſtenditur. Etenim Deus mundum aliquem producere decrevit, ut perfectionem ſuam abſolute ſummam patefaceret (§. 608), ac ideo eum producere decrevit mundum (§. 615), qui ipſius judicio gloriam ejus omnium maxime manifeſtat (§. 623), & huic manifeſtationi gloriæ ſuæ omnes fines particulares ſubordinat (§. 632). Quoniam itque ſapienter decernitur, quod propter finem decernenti convenientem decernitur, decretis ſimul mediis ad eum obtinendum neceſſariis una cum legitima finium ſubordinatione (§. 678 *Pſychol. rat.*); quin Deus ſapienter exiſtentiam hujus univerſi decreverit, dubitandum non eſt.

Hæc propoſitio vi demonſtrationis primæ ſubſiſtit, etiamſi non ſupponas mundum a Deo productum eſſe omnium poſſibilium optimum; in hypotheſi autem mundi optimi non modo patet, quod ſapienter ejus exiſtentiam decreverit, verum etiam quod ſapientiſſime decreverit, quemadmodum ex propoſitione ſubſequente elucet, cujus demonſtratio in hypotheſin mundi optimi reſolvitur.

§. 642.

Deus exiſtentiam hujus mundi ſapientiſſime decrevit, ita ut majore ſapientia uti non potuerit. Finis enim, quem per productionem univerſi intendit, eſt omnium optimus, qui per productionem alicujus mundi intendi poteſt (§. 618). Media elegit, per quæ eundem certo (§. 624) & ex aſſe (§. 621) atque via breviſſima conſequitur (§. 636), fineſque omnes ita ſibi invicem ſubordinavit, ut remotiorum media ſint propiores & omnes tandem ſimul medium *Quanta ſapientia Deus in decernenda exiſtentia mundi uſus.*

Digitized by Google

medium finis ultimi (§. 635). Enimvero major ſapientia concipi nequit, quam qua fines optimi conſtituuntur, media certo & via breviſſima ad eundem ex aſſe conſequendum ducentia eliguntur, fineſque particulares ita ſibi invicem ſubordinantur, ut remotiorum media ſint propiores, & omnes tandem ſimul medium finis ultimi (*§. 689 Pſychol. rat.*). Deus adeo exiſtentiam hujus mundi ſapientiſſime decrevit, ita ut majore ſapientia in decernendo uti minime potuerit.

Ex ſuperioribus patet, non poſſe probari finem a Deo conſtitutum eſſe omnium poſſibilium optimum, niſi ſupponatur Deum elegiſſe mundum omnium poſſibilium optimum (§. 618). Atque ita demonſtratio præſens reſolvitur in hypotheſin mundi optimi, nec niſi ſtante hac hypotheſi ſubſiſtit. Elucet adeo denuo hypotheſeos hujus prærogativa.

§. 643.

Quousque extendatur ſapiētia in decreto divino.

Deus omnia in hoc univerſo ſapienter, imo ſapientiſſime decrevit. Deus enim omnia decrevit ab æterno (§. 504), actu unico (*§.* 520), nec quicquam eorum, quæ in mundo fiunt, in particulari decrevit abſolute ſpectatum, ſed in relatione ad totum (§. 519). Decrevit autem exiſtentiam totius mundi ſapienter (§. 641), imo ſapientiſſime (*§.* 642). Decrevit ergo omnia in hoc univerſo ſapienter, imo ſapientiſſime.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus decrevit producere mundum, qui ſuo judicio omnium maxime manifeſtat gloriam ſuam (§. 623), conſequenter attributa ſua hominibus revelat (*§.* 610). Quamobrem cum in horum numero quoque ſit ſapientia ejuſdem ſumma atque perfectiſſima (§. 640); mundum utique producere decrevit, qui ſuo judicio omnium maxime patefacit ſummam hanc atque perfectiſſimam ſapientiam. Patet vero per ſe, ſummam Dei ſapientiam per decretum mundi producendi non poſſe aliter innoteſcere, niſi quatenus ex rebus decretis intelligitur, eas hoc modo decerni non potuiſſe niſi ab eo, cui ſumma eſt atque perfectiſſima ſapientia, & qui eadem in decernendo utitur. Deus itaque utens mediis, quibus finem ſuum certo (§. 624) & ex aſſe conſequitur (§. 621), omnia in hoc univerſo ſapientiſſime decrevit.

Me tacente apparet, demonſtrationem poſteriorem ſimul ſatisfacere propoſitioni anteriori. Mirifice autem præſens propoſitio in praxin influit, ut adeo in futuros uſus probe ſit notanda.

§. 644.

An etiā ad permiſſionē mali moralis.

Quoniam *Deus* malum morale permittere decrevit (§. 585), omnia vero in hoc univerſo ſapientiſſime decrevit (§. 643); *mali* quoque *moralis permiſſionem ſapientiſſime decrevit.*

Quomodo permiſſio mali moralis ſapientiam Dei, eamque ſummam atque perfectiſſimam loquatur, ex poſtea dicendis clarius illuceſcet; neque enim infima ſapientiæ pars eſt, dirigere malum ad bonum finem. Ceterum propoſitio præſens uſui erit, ubi evincendum mali moralis permiſſionem non repugnare bonitati Dei.

§. 645.

Quenā in numerum fi-

Quæ ex natura & eſſentia rerum materialium conſequuntur, fines ſunt a Deo intenti: eſſentiæ vero & natura rerum ſunt media, quibus fines iſti conſequuntur.

Etenim

nium a Deo intentorum referenda.

Etenim Deo ab æterno effectus omnes rerum materialium præſcibiles fuere (§. 232), adeoque novit, quænam ex eſſentiis & natura rerum ſint conſecutura, ſi quidem hæ res hoc ordine producerentur (§. 231). Quamobrem cum has res hoc ordine producere decreverit (§. 522. 519); quæ ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, ad actum perducit, & ideo has rerum eſſentias atque naturam eſſe voluit (§. 497). Patet itaque, quæ ex natura & eſſentia rerum materialium conſequuntur, eſſe fines a Deo intentos; ipſas vero eſſentias atque naturam rerum eſſe media, quibus fines iſtos conſequitur (§. 932. 937 *Ontol.*).

Idem etiam ſpecialiter hoc modo oſtendi poteſt. Sumamus rem quamcunque in mundo materiali exiſtentem, veluti oculum humanum, aut animalium. Conſtat eam eſſe oculi ſtructuram, ut viſibilium imagines vi ejuſdem in fundo ipſius delineari poſſint. Quoniam Deus omnia univerſalia & ſingularia, quæ cognitu poſſibilia ſunt, ſcit (§. 300) ab æterno (§. 319); ſtructura quoque oculi ipſi ab æterno perſpecta fuit, nec ignotum eſſe potuit, vi ejuſdem viſibilium imagines in oculo delineari poſſe. Quamobrem cum rerum actualitas pendeat a voluntate (§. 433), conſequenter a decreto Dei (§. 497); quin Deus oculum homini & animalibus eſſe voluerit, aut hominem & animalia bruta, quibus eſt oculus, ad actualitatem perduci decreverit, ut viſibilia in fundo oculi delinearentur, dubitari nequit. Jam cum id, cujus gratia Deus actualitatem oculi, aut, ſi mavis hominum & animantium brutorum, quibus oculus eſt, decrevit, ſit finis ab ipſo intentus (§. 932 *Ontol.*); delineatio viſibilium in fundo oculi eſt utique finis a Deo intentus. Et quia porro in ſtructura oculi, utpote corporis organici (§. 274 *Coſmol.*), ratio continetur, cur imago viſibilium in ejus fundo delineari poſſit (§. 277 *Coſmol.*), medium vero eſt, quod rationem continet, cur finis actum conſequatur (§. 937 *Ontol.*); quin ipſa oculi ſtructura, conſequenter eſſentia ejuſdem (§. 276 *Coſmol.*), ſit medium, quo finem iſtum conſequitur Deus, dubitandum non eſt. Quoniam eadem demonſtratio ſubſiſtit, ſi loco oculi corpus quodcunque aliud aſſumas; in genere patet, quæ ex eſſentiis & natura rerum materialium conſequuntur, eſſe fines a Deo intentos, eſſentias vero & naturam rerum media, quibus iſtos fines conſequitur.

Nulla eſt exceptio, quæ ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, ea neceſſario conſequi, adeoque in numero finium eſſe haud quaquam poſſe. Etenim non in finium numero ſunt, quatenus ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, ſed quatenus libere a Deo intenduntur. Nemo ſane negat per ſtructuram oculi fieri haud quaquam aliter poſſe, quam ut imago viſibilis in oculo delineetur. Hoc tamen minime obſtat, quo minus imago in oculo delineanda ſpectetur tanquam finis a Deo intentus in ipſius decreto mundi condendi. Neque enim Deus delineationem imaginis in oculo intendit, quia ex ſtructura ejuſdem ſequitur; ſed quod fini ultimo, quem per creationem mundi conſequi voluit, convenit exiſtere hominem, in cujus oculo iſtiuſmodi delineatio fiat. Quemadmodum itaque finem ultimum liberrime conſtituit, ita non minus libere finem hunc particularem iſti ſubordinatum conſtituiſſe intelligitur. Nullus profecto datur finis, qui non neceſſario conſequatur ex medio, alias enim poſito medio non poneretur finis actu, conſequenter medium eidem obtinendo

minime

minime inſerviret. Hoc tamen nexu neceſſario inter finem atque medium, quatenus ille per hoc ad actum deducendus (§. 937 *Ontol.*), non obſtante, finis libere conſtituitur & media ad eundem certo ducentia, libere eliguntur. Finis, quem intendimus, dum horologium accuratum nobis conſtrui curamus, eſt temporis minime fallax indicium. Hunc finem libere eligimus, etſi horologium per ſtructuram ſuam neceſſario indicet tempus. Abunde igitur intelligitur, quam vanus ſit illorum metus, ne in finium numerum referantur, quæ ex eodem exulare debent, quod videant, quæ ex eſſentiis rerum per naturam earundem conſequuntur, neceſſario hinc conſequi. Nec porro metuendum eſt, quod effectus ſic confundantur cum fine, media cum cauſis efficientibus. Etenim ex notionibus finis atque medii (§. 932. 937 *Ontol.*) demonſtrari poteſt, finem eſſe effectum reſpectu medii, medium vero reſpectu illius cauſam efficientem. Neque enim implicat, unam eandemque rem diverſo reſpectu eſſe finem & effectum, & ſimiliter unam eandemque rem diverſo reſpectu eſſe medium, & cauſam efficientem. Sane effectus horologii eſt ſitus indicis in orbe, cui numeri horarii inſcripti ſunt, horam præſentem & ejus partes indigitans: quatenus tamen ab horologiopœo conſtruitur horologium, ut ex ſitu indicis momentum temporis præſens innoteſcat, in finium numerum abit.

§. 646.

Uſus & abuſus rei quid ſit.

Uſus rei dicitur dependentia actualitatis rei cujuſdam alterius, quæ mala non eſt, ab eadem. Quodſi hæc mala fuerit, *Abuſus* appellatur.

Ne definitio ab uſu loquendi abhorrere videatur, uno alteroque exemplo eandem illuſtrari convenit. Circino utimur in deſcribendis figuris, atque ideo in earum deſcriptione uſum habere dicitur. Ponamus circino deſcribi peripheriam circuli, vel arcum ejuſdem. Nemo non novit, ipſam peripheriæ aut arcus deſcriptionem non eſſe circini uſum: nemo tamen diffitetur, circini hunc eſſe uſum, ut ejus ope peripheriam & arcum circuli deſcribere valeamus. Poſſibilitas deſcriptionis peripheriæ vel arcus uſus circini etiam dici nequit, cum peripheriæ vel arcus deſcriptio poſſibilis concipiatur per circuli definitionem geneticam, quæ circino inveniendo anſam dedit, conſequenter poſſibilis concipiatur, antequam de circino cogites. In quonam igitur conſiſtit uſus circini, quem in deſcribenda peripheria vel arcu circuli deſcribendo habet? Sane circino uteris, dum peripheriam vel arcum circuli actu deſcribis, adeoque uſus circini actui deſcriptionis ineſſe debet. Per ſtructuram circini intelligis, cur peripheriam vel arcum circuli jam deſcribas (§. 131 *Geom.*). In circino adeo continetur aliqua ratio, cur jam peripheriam vel arcum circuli deſcribas (§. 56 *Ontol.*). Actualitas igitur deſcriptionis pendet a circino (§. 851 *Ontol.*). Unde patet nihil in actu deſcriptionis adeſſe, quod uſu circini indigitari poſſit, niſi dependentiam actus deſcriptionis a circino. Actum hunc eſſe quidpiam diverſum a circino, nemo non videt. Quamobrem liquet, uſum rei in genere non eſſe niſi dependentiam actualitatis rei cujuſdam alterius ab ipſa. Quoniam vero re abuti dicimur, quando eadem male utimur, ut uſus diſtinguatur ab abuſu, res iſta, cujus actualitas ab altera dependet, mala eſſe non debet. Prodit itaque definitio uſus rei, quam dedimus, in genere, quod ſit dependentia actualitatis rei cujuſdam alterius, quæ mala non eſt, ab eadem. Vides igitur, vocabulum uſus a nobis definiri uſui loquendi convenienter. Nec dubitandum eſt, quin eadem definitio ſit fœcunda, cum ex eadem uſus rei cujuſcunque, quem habere poteſt, demonſtrari poſſit, & nonnis directricis vice fungatur hæc ipſa definitio, quoties in uſum rei, quem habere poteſt, inquiris. Sed agedum, demus adhuc exemplum aliud, ut tanto clarius eluceſcat veritas dictorum. Theorematis de æqualitate angulorum inter lineas parallelas uſum eſſe dicimus in demonſtranda ratione angulorum in triangulo ad rectum, propterea quod eodem utimur tanquam principio in demonſtratione theorematis, quod anguli in triangulo quocunque rectilineo ſint æquales duobus rectis. Demonſtrationem conficimus, dum theorema prius adhibemus tanquam præmiſſam in ratiociniis, ex quibus contexitur demonſtratio. Atque adeo actus demonſtrandi dependet ab iſto principio. Unde denuo patet, uſum theorematis, quem habet in demonſtrando, non conſiſtere niſi in dependentia demonſtrationis ab iſto principio. Ut adeo denuo uſus rei in genere vi hujus exempli dici non poſſit niſi actualitas rei cujuſdam alterius ab ipſa: ut vero ab abuſu diſtinguatur, addendum omnino eſt, rem hanc alteram non eſſe debere malam. Ut hoc rectius appareat, addendum eſt exemplum, in quo cum uſu concurrit abuſus. Gladio vulnus lethale infligere licet alteri, adeoque inflixionis vulneris actualitas a gladio dependet. Quodſi hoc fiat ſui defendendi

cauſa,

cauſa, ut vim vi repellamus, id licitum eſſe, in Jure naturali demonſtratur. Habet ergo gladius uſum in defenſione. Enimvero ſi ex vindicta alteri vulnus infligitur ob injuriam, qua quis ſe affectum arbitratur; id licitum non eſt. Abutitur adeo gladio, qui eodem vulnus infligit alteri injuriam ſibi illatam vindicaturus. Et hoc modo intelligitur, quomodo unus idemque actus poſſit & ad uſum, & ad abuſum referri, prout per datas circumſtantias vel bonus fuerit, vel malus. Accidit vero, ut abuſus & uſus in diverſis quoque actibus conſiſtant. Sed noſtrum jam non eſt ea proſequi.

§. 647.

Si uſus gratia quid producitur, uſus in finem abit. Etenim ponamus corpus aliquod artificiale ob certum quendam, quem habere poteſt, uſum parari. Quoniam id, ob quod cauſa efficiens agit, finis eſt (§. 932 *Ontol.*); uſus, ob quem opus iſtud producitur, in finem abit. *Quando uſus in finem degeneret.*

Hæc propoſitio probe notanda eſt: ſunt enim qui ſibi perſuadent uſum in finium numero eſſe non poſſe, propterea quod vident eſſe rerum uſus, qui in finium numero non ſunt, & præter finem dari quoque rerum uſus. Aviculæ nidificant in cavitatibus arborum putridarum & eo ſeſe recipiunt, ut ab injuriis tempeſtatum ſint liberæ. Habent adeo cavitates arborum aliquem uſum, quem cum non intendant cauſæ putredinis, in finium numero non eſſe colligitur. Extruitur cella cerevifiaria ante portas in colle una cum atrio quodam, ut labore feſſi in eo conſidere & recreari poſſint, antequam domum repetant. Viator imbris injurias evitaturus in atrium ſeſe recipiens experitur ejus aliquem uſum, quem cum non intenderit dominus, in finium numerum referre nequis. Patet igitur eſſe rerum uſus a finibus diverſos & res habere uſus, quarum nullus apparet finis. Enimvero ſi ſupponas, dominum cellæ extrui jubere atrium non modo ſuorum cauſa, ut membra laſſa reficiant, ſed & prono in aliorum commoda animo proſpicere viatoribus; qui ante tantummodo erat uſus, nunc etiam finis erit, etſi non primarius, attamen ſecundarius (§. 942 *Ontol.*). In rebus humanis multi deprehenduntur uſus, qui e numero finium exulant, tum quod omnes rerum, quos habere poſſunt, uſus minime prævideamus, tum quod prævifos intendere nolimus, de aliorum commodis parum ſolliciti, modo noſtris proſpiciamus. Nemo non quovis tempore hoc & in ſe ipſo, & in aliis experiri valet, modo rerum uſus ſibi obvios expendat, ut adeo opus non ſit rationibus evinci, quod per ſe patet. Juvat tamen multiplici experientia convictum habere animum.

§. 648.

Uſus rerum naturalium ſunt fines a Deo intenti. Cum enim Deus omnia poſſibilia in ſyſtemata redacta cognoſcat (§. 155), omnis vero dependentia rerum a ſe invicem pateat, ubi illa tanquam in ſyſtemata redacta ſpectantur (§. 144); quin omnem rei unius ab altera dependentiam cognoſcat, dubitandum non eſt, conſequenter quia uſus rei conſiſtit in dependentia actualitatis rei cujuſdam alterius ab ipſa (§. 646), quod omnem rerum uſum ab æterno cognoverit palam eſt (§. 319). Decrevit vero ea, quæ in mundo ſunt, in relatione ad totum (§. 519), adeoque harum quoque rerum exiſtentiam decrevit propter uſum, quem habent. Quoniam itaque uſus in finem abit, quando ejus gratia quid producitur (§. 647); uſus utique rerum naturalium fines ſunt a Deo intenti. *Cur uſus rerum naturalium inter fines referendi.*

Idem etiam ſic oſtenditur. Uſus rei conſiſtit in dependentia actualitatis rei cujuſdam ab eadem (§. 646), conſequenter in ea re, quæ uſum quendam habet, quoad alteram datur aliqua ratio, cur altera ad actum perducatur (§. 851 *Ontol.*). Quamobrem cum omnis ratio eorum, quæ enti convenire poſſunt, ab eſſentia ejus derivetur (§. 167 *Ontol.*); res hæ hunc ha-

bere poſſunt uſum, quia hanc habent eſſentiam: ſit ita quod uſus non ſemper immediate pendeat ab eſſentia, ſed ſubinde mediate, quatenus ſupponit modos, qui vi eſſentiæ ineſſe poſſunt (§. 160 *Ontol.*). Quoniam adeo uſus ex eſſentiis & natura rerum tandem conſequuntur, ſeu quod perinde eſt, poſitis eſſentiis ponantur quoad poſſibilitatem, quæ vero ex eſſentiis rerum conſequuntur, ſunt fines a Deo intenti (§. 645); uſus quoque rerum naturalium fines ſunt a Deo intenti.

Radiis ſolaribus exſiccantur humida: unde uſum præbent iidem hominibus in exiccandis linteaminibus & veſtimentis. Nemo in dubium vocabit, Deum ab æterno hunc radiorum ſolarium uſum, quem præbent hominibus, cognoviſſe, cumque commodis eorundem abunde proſpexerit, hunc ipſum quoque in decernenda exiſtentia ſolis intendiſſe. Nihil igitur abſurdi dixeris, ubi affirmaveris, uſum illum eſſe finem a Deo intentum. Recolenda ſunt animo, quæ ſupra demonſtravimus (§. 209), nihil juxta ipſam Sacram Scripturam judicari debere adeo abjectum, ut ideo cognitioni Dei ſubducatur. Et quando de providentia Dei acturi ſumus, clariſſime patebit, ad ſummam ejus perfectionem pertinere, ut Deus proſpiciat creaturis quoad minima. Evaneſcent tum penitus præjudicia, quæ tenent animos hominum ſibi perſuadentium, quaſi indignum Deo ſit abjecta & vilia curare. Ceterum ſuo loco conſtabit, quantum proſit in praxi uſus quoſcunque rerum naturalium referre inter fines a Deo intentos.

§. 649.

Cur in eundem cenſum veniant uſus rerũ artificialium.

Uſus rerum omnium artificialium ſunt fines a Deo intenti. Etenim cum Deus ſit omniſcius (§. 302), adeoque omnia ſciat, quæ cognitu poſſibilia ſunt, ſive ſingularia fuerint, ſive univerſalia (§. 301); quin omnes rerum artificialium uſus ab æterno cognoverit (§. 319), in dubium revocari nequit. Hinc vero jam porro eodem, quo in articulo præcedente, modo deducitur, uſus rerum artificialium eſſe fines a Deo intentos.

Idem etiam ſic oſtenditur. Res naturales & artificiales quoad Deum minime differunt: ſive enim nidus ab avibus, ſive domus ab hominibus extruatur, nulla quoad Deum differentia eſt. Quoniam itaque uſus rerum naturalium ſunt fines a Deo intenti (§. 648); in eorum numerum referri quoque debent uſus rerum artificialium.

Nullam quoad Deum intercedere differentiam inter opus naturæ, veluti nidum ab avibus extructum, & opus artis, veluti domum opera hominum excitatam, haud difficulter intelligitur. Etenim per eſſentiam & naturam avium fieri poteſt, ut nidus extruatur; per eſſentiam vero & naturam hominum, ut excitetur domus. Homines non minus, quam aves ſunt creaturæ Dei, & domus ab illis condita non minus opus creaturæ, quam nidus ab hiſce factus. Neque adeo alia de cauſa domus continetur in ſerie rerum, quam qua de cauſa nido in eadem locus eſt. Non eſt quod excipias, homines agere cum ratione, aves vero ſine ratione: naturæ enim humanæ convenit cum ratione agere, quemadmodum naturæ brutorum agere ſine ratione. In ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ (§. 617 *Pſychol. rat.*) & ſyſtemate cauſarum occaſionalium ratio humana in opera hominum non influit (§. 601 *Pſychol. ration.*), ſed tantummodo influere videtur (§. 602. 621 *Pſychol. ration.*). Unde in hiſce ſyſtematis differentia inter opera hominum atque brutorum ne apparens quidem eſt. Qui nonniſi ex notionibus diſtinctis judicium ferunt, nihil difficultatis ſentiunt, evaneſcentibus nebulis, quas notiones confuſæ excitant. Quodſi opera artis cum operibus naturæ in eundem cenſum referantur; quæ de hiſce demonſtrantur, ad illa quoque applicanda veniunt Et hæc ſane ratio eſt, cur eodem modo de operibus artis demonſtretur, eſſe eorum uſus fines a Deo intentos, quo idem de naturæ operibus evincitur.

§. 650.

§. 650.

Cognitio operum artis Deo tribuenda.

Deus opera artis plenius intelligit, & per ea plura in hoc univerſo intendit ipſis inventoribus. Etenim Deus eum ſit omniſcius (§. 302), adeoque omnia cognitu poſſibilia, tam ſingularia, quam univerſalia ſciat (§. 301); omnes quoque rerum artificialium uſus, quos habere poſſunt, perſpectos habet, ita ut ne minimus quidem cognitioni ejus ſeſe ſubducere queat. Enimvero nemo inventorum omnes proſpicit uſus, quos opus ſuum habere poteſt; ſed data demum occaſione alii in eoſdem incidunt: imo ſæpiſſime impoſſibile ipſi eſt vel maxime obvios meditando aſſequi uſus, ubi opus jam invenit. Patet itaque Deum opera artis plenius intelligere ipſis inventoribus. *Quod erat unum.*

Porro omnes uſus operum artis, quos in hoc univerſo unquam habitura ſunt, quoad Deum ſunt fines ab ipſo intenti (§. 649), atque adeo Deus hanc rerum ſeriem ideo produxit & ab æterno producere decrevit, quod in ea extitura noverit opera artis hosce uſus habitura (§. 932 *Ontol.*). Quamobrem cum inventor non intendat omnes illos operis uſus, quos habere poteſt, vel olim habiturum eſt, quemadmodum nemo non multiplici experientia convictus concedere tenetur; Deus utique per opera artis plura intendit ipſis inventoribus. *Quod erat alterum.*

Exempli loco eſto horologium, quod in communem uſum conſtructum, quatenus temporis ratio habenda in negotiis humanis. Deinde vero præclaros admodum in aſtronomicis obſervationibus uſus nactum eſt, ad locupletandam & perficiendam ſcientiam. Horologii inventor hosce uſus omnes minime prævidit, imo forſan nec intelligeret omnes, poſtquam fuere inventi, ſi adhuc in vivis fuiſſet, ubi ad eoſdem translatum. Enimvero extra omne dubium poſitum eſt, & Deum prævidiſſe hosce uſus, & eoſdem intendiſſe, cum maxime inſerviant fini ultimo (§. 629). Repetenda hic ſunt, quæ ſuperius inculcavimus de ſolo Deo inventore & hominibus in veritatis a Deo inventæ cognitionem tantummodo penetrantibus (§. 293. 292). Unde patebit, opera quoque artis a Deo eſſe excogitata perinde ac opera naturæ. Imo ex inferius dicendis conſtabit, Deum eodem modo concurrere ad opera artis, quo ad opera naturæ, & ab ipſius decreto pendere, quoſnam voluerit opera artis habere uſus.

§. 651.

Fortuna num ſit in numero finiū.

Omnis fortunæ adverſæ pariter & ſecundæ effectus, ſunt in numero finium a Deo intentorum. Etenim ex parte Dei fortuna nulla eſt, ſed tantummodo ex parte hominum eidem locus eſt (§. 542); Deus vero eandem ab æterno præſcivit (§. 543) & per decretum ipſius facta eſt futura (§. 544). Quamobrem cum fortuna ſit concurſus cauſarum nobis minime prævisus (§. 540); Deus haſce cauſas ob hunc earum concurſum exiſtere voluit ob id, quod ex eodem reſultat. Quoniam itaque id, propter quod cauſa efficiens agit, finis eſt (§. 932 *Ontol.*); fortunæ omnis adverſæ pariter & ſecundæ effectus eſſe fines a Deo intentos, palam eſt.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Quoniam fortuna eſt cauſarum plurium concurſus ad effectum quendam nobis vel gratum, vel moleſtum producendum, prouti vel ſecunda, vel adverſa fuerit (§. 540), cauſæ autem

materiales, veluti corpora, per eſſentiam agere poſſunt, ut vero actu agant, a vi activa, ſeu natura earundem (§. 145 *Coſmol.*) habent (§. 142 *Coſmol.*), imo etiam anima, quatenus in iſto concurſu etiam continentur actiones hominum liberæ, vi illa agit (§. 60 *Pſychol. rat.*), in qua ejus eſſentia atque natura, diverſo ſcilicet reſpectu (§. 68 *Pſychol. rat.*), conſiſtit (§. 66. 67 *Pſychol. rat.*); nemo dubitabit, effectus fortunæ tam ſecundæ, quam adverſæ ex eſſentiis & natura rerum conſequi, ſeu ideo in hac rerum ſerie poni, quia ponuntur hæ eſſentiæ atque hæc natura rerum. Enimvero quæ ex eſſentia rerum ac natura earundem conſequuntur, fines ſunt a Deo intenti (§. 645). Fortunæ igitur tam ſecundæ, quam adverſæ effectus omnis eſt finis a Deo intentus.

Per inconſtantiam loquendi effectus etiam a fortuna, tanquam cauſa pendens, fortuna appellari ſolet: communiter tamen fortuna pro cauſa habetur, quem adeo ſignificatum ſuperius ſtabilivimus (§. 541). Si fortunam etiam pro effectu ſumere velis, dici poteſt, ipſam fortunam tam proſperam, quam adverſam, eſſe finem a Deo intentum. Sed præſtat fixum retineri ſignificatum, præſertim cum ſic evitetur omnis difficultas, quatenus actiones hominum malæ ad fortunam quoque concurrunt, quæ ex confuſione cauſæ cum effectu facile ſuboritur. Ceterum præſens propoſitio plurimum in praxin influit & ad patientiam magnum affert adjumentum in adverſis.

§. 652.

Effectus fortunæ fini ultimo ſubordinati.

Deus omnes fortunæ effectus ſubordinat fini ultimo. Etenim effectus fortunæ tam ſecundæ, quam adverſæ, omnes ſunt fines a Deo intenti (§. 651). Subordinat vero Deus fines particulares ultimo (§. 631). Effectus igitur fortunæ omnes, ſive ea ſecunda fuerit, ſive adverſa, fini ultimo ſubordinat.

Propoſitiones quaſdam ſpeciales, etiamſi ſua veluti ſponte fluant ex anterioribus, atque adeo vel me tacente per eaſdem intelligantur, in medium adducimus propter uſum, quem habent tum in ſapientia divina intimius perſpicienda, tum in multiplici morum praxi.

§. 653.

Cur gloria Dei per eos manifeſtetur.

Quoniam finis ultimus, quem Deus per mundum producendum intendit, eſt patefactio perfectionis ſuæ ſummæ, ſeu manifeſtatio gloriæ ſuæ (§. 629), & Deus omnes fortunæ effectus fini ultimo ſubordinat (§. 652), finis vero alteri ſubordinatur, quatenus eſt medium ad hunc alterum conſequendum (§. 634); *fortunæ effectus omnes, ſive ea ſecunda fuerit, ſive adverſa, ſunt medium patefaciendi perfectionem ſuam ſummam*, ſeu *manifeſtandi gloriam ſuam.*

Noſtrum igitur eſt inquirere in dato quolibet caſu, quomodo per effectus fortunæ gloria Dei manifeſtetur. Atque ita a poſteriori confirmabitur, quod hic demonſtratur.

§. 654.

Effectus fortunæ aliis finibus ſubordinati.

Deus effectus fortunæ aliis finibus particularibus ſubordinat, ita ut ſint media aliorum conſequendorum. Etenim effectus fortunæ omnes, ſive ea ſecunda fuerit, ſive adverſa, ſunt fines a Deo intenti (§. 651), iidemque particulares, quod per ſe patet. Enimvero Deus omnes fines particulares ſibi invicem ſubordinat (§. 633). Effectus igitur fortunæ tam adverſæ,

quam

quam proſperæ ſubordinat ceteris finibus particularibus. Quodſi finis quidam alteri ſubordinatur, ad hunc alterum ſeſe habet ut medium ad finem (§ 634). Quamobrem Deus effectus fortunæ aliis finibus particularibus ita ſubordinat, ut ſint media aliorum conſequendorum.

Quoniam itaque fortunæ effectus non immediate ſubordinantur fini ultimo, manifeſtationi gloriæ divinæ (§. 629); ubi in dato quodam caſu ſcrutari volueris, quomodo per eos gloria divina manifeſtetur, curandum eſt ne per præcipitantiam judices. Etenim inquirendum eſt, quinam ſint fines alii propiores ab iiſdem dependentes, donec tandem appareat, quomodo per hoſce fines perfectio divina pateſiat. Qui ad hæc animum non advertunt, vel fortuna gloriam Dei manifeſtari negant, vel modum manifeſtationis fingunt, qui cum veritate minime conſiſtit, eadem facilitate rejiciendus, quo fingitur. Proderit etiam horum meminiſſe in praxi, ut reverenter expectemus eventus futuros nobis revelaturos, quod rationis lumine nſi perſpicere non valemus. Sunt multa hominis erga Deum officia, ad quæ non ſatis animum advertere ſolemus, propterea quod veritatibus Theologiæ naturalis non ſufficienter imbuimus animum, & hoc ipſo felicitati noſtræ plurimum obſumus. Sed hæc omnia ſuo loco evadent clariſſima.

§. 655.

Uſus ultimo fini ſubordinati.

Omnes uſus rerum naturalium & artificialium a Deo fini ultimo ſubordinantur. Sunt enim non minus rerum artificialium, quam naturalium uſus, fines a Deo intenti (§.648.649). Enimvero Deus fines omnes particulares in hoc univerſo ſubordinat ultimo (§.631). Ergo etiam omnes uſus rerum tam naturalium, quam artificialium fini ultimo ſubordinar.

Inde eſt, quod uſus differat ab abuſu. Si enim fini ultimo non ſubordinarentur, nulla foret differentia in modo dependentiæ actualitatis rei cujuſpiam ab altera, conſequenter nec differentia inter uſum atque abuſum (§. 646). Sed quænam ſit hæc differentia, tum intelligitur, quando ad animum nobis revocamus, quinam ſit finis ultimus. Habent autem uſus in ſe quid, ut ad finem ultimum referri poſſint, & ex adverſo abuſui quid ineſt per ſe, ut ad finem ultimum eundem referri repugnet. Sed hæc clarius intelligentur, ubi de moralitate actionum liberarum acturi ſumus. Eum enim in finem principia hæc evincuntur, ut iiſdem in re tam ardua, uti poſſimus.

§. 656.

Quomodo fini ultimo ſubordinentur.

Uſus rerum naturalium & artificialium Deus ideo intendit, ut ſint medium patefaciendi perfectionem ſuam ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ſuam. Cum enim uſus rerum tam naturalium, quam artificialium ſint fines a Deo intenti (§.648. 649), fines autem particulares ab eodem ſubordinentur patefactioni perfectionis ſuæ abſolute ſummæ, ſeu manifeſtationi gloriæ ſuæ (§. 632); omnes quoque rerum tam naturalium, quam artificialium uſus eidem ſubordinantur. Enimvero ſi quis finis alteri ſubordinatur, is ad hunc ſeſe habet ut medium ad finem (§. 634). Deus igitur uſus rerum naturalium atque artificialium ideo intendit, ut ſint medium patefaciendi perfectionem ſuam abſolute ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ſuam.

Habemus adeo principium, quod uſui ab abuſu diſtinguendo ſufficit. Hujus maximus erit uſus in moralibus, quando de rerum uſu ſumus acturi: imo non minoris idem erit uſus, ubi officia hominis erga Deum ſumus explicaturi. Sufficit hic excitari attentionem lectoris, ut ſibi iſtud familiare reddat, ne demonſtrationibus moralibus ſuo tempore, deneget aſſenſum.

§.657.

§. 657.

Uſus aliis finibus particularibus ſubordinati.

Deus uſus rerum artificialium & naturalium finibus particularibus aliis ſubordinat. Etenim uſus rerum artificialium & naturalium ſunt fines a Deo intenti (§.648.649). Quamobrem cum Deus fines omnes particulares ſibi invicem ſubordinet (§. 633); uſus quoque rerum artificialium & naturalium finibus particularibus ſubordinat.

Principium hoc uſui eſt, ubi uſum ab abuſu diſtinguere volumus: neque enim uſus fini ultimo immediate ſubordinatur. Et, ſi vel maxime ex ipſo uſu pateat, quomodo per eundem gloria divina manifeſtetur; mediantibus tamen finibus particularibus idem multo clarius eluceſcit. Non addimus exempla, quæ ſuo loco reſervantur.

§. 658.

Subordinatio eorum, quæ ex eſſentia & natura rerum fluunt.

Deus ea, quæ ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, & ſibi invicem, & fini ultimo ſubordinat, ita ut ſeſe invicem habeant per modum medii ad finem. Quæ enim ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, ſunt fines a Deo intenti (§. 645). Aſt Deus fines omnes particulares & ſibi invicem (§. 633) & ultimo ſubordinat (§. 631). Quæ adeo ex rerum eſſentiis atque natura conſequuntur, ea & ſibi invicem, & fini ultimo ſubordinat. Subordinat vero fines omnes ita ſibi invicem, ut remotiorum media ſint propiores & omnes tandem ſimul medium finis ultimi (§. 635). Quæ igitur ex eſſentia & natura rerum conſequuntur, ea ita ſibi invicem ſubordinat, ut ſeſe invicem habeant per modum medii ad finem.

Hæc probe notanda ſunt, ut ſuo tempore appareat, quomodo ſapientia divina ex rerum nexu eluceat. Utemur adeo hoc principio tanquam notione directrice in Teleologia.

§. 659.

Gloria Dei per rerum naturam & eſſentias manifeſtata.

Quæ ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, a Deo ita ſibi invicem ſubordinantur, ut per ea pateſiat ſumma ipſius perfectio, ſeu gloria ejus manifeſtetur. Quæ enim ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, fini ultimo ſubordinantur per modum medii ad finem (§. 658). Quamobrem eum finis ultimus ſit patefactio perfectionis ſummæ, ſeu manifeſtatio gloriæ divinæ (§. 629); quæ ex eſſentiis & natura rerum conſequuntur, ita ſubordinantur fini ultimo, ut per ea ſumma Dei perfectio pateſiat, ſeu gloria ipſius manifeſtetur (§. 937 *Ontol.*).

Quomodo hoc fieri poſſit, patebit clariſſime, ubi omnimodam creaturæ a Deo dependentiam expoſituri ſumus. In præſenti enim tantummodo docetur, quid fiat; modum vero, quo idem fiat, explicare nobis nondum hic propoſitum.

§. 660.

Multitudo finium in univerſo.

Totum univerſum eſt plenum finibus a Deo intentis. Etenim quicquid ex eſſentia & natura rerum conſequitur, eſt finis a Deo intentus (§. 645); omnes rerum naturalium uſus, quos ſibi invicem præſtant, ſunt fines a Deo intenti (§. 648); omnes rerum artificialium uſus ſunt fines a Deo intenti (§. 649); omnes denique fortunæ, ſecundæ pariter atque adverſæ, effectus, ſunt fines a Deo intenti (§. 651). Quocunque igitur te in hoc univer-

ſo ver-

ſo veritas, ubivis fines a Deo intentos deprehendis. Atque adeo patet totum hoc univerſum eſſe plenum finibus a Deo intentis.

Carteſius fines rerum naturalium inter arcana Dei retulit, adeoque ex philoſophia naturali proſcripſit, non ſine manifeſto in philoſophia morali damno. Non agnovit ſcilicet rerum uſus, quos ſibi invicem præſtant, & quæ in ſerie cauſarum a ſe invicem dependent, in finium numerum referri. Quodſi hoc prorſus negaveris, facile eſt ex rerum natura proſcribere omnes fines, quemadmodum fecit *Spinoſa*.

§. 661.

Quomodo natura & corpora agant propter fines.

Corpora & tota rerum natura agunt propter fines a Deo intentos ita, ac ſi ipſamet eos intenderent. Etenim quæ ex eſſentia & natura rerum conſequuntur, ſunt fines a Deo intenti, & eſſentiæ ac natura rerum ſunt media, quibus fines iſtos conſequitur (§. 645), eaque ſibi invicem per modum medii ad finem ſubordinantur (§. 658). Quamobrem cum in eſſentiis rerum contineatur ratio ſufficiens eorum, quæ inde conſequentur quoad poſſibilitatem (§. 168 *Ontol.*), in rerum vero natura quoad actualitatem (§. 505 *Coſmol.*), conſequenter poſitis hiſce rerum eſſentiis & poſita hac rerum natura hæc & non alia conſequantur (§. 118 *Ontol.*); perinde eſt ac ſi corpora & tota rerum natura fines, ſecundum quos agunt, ipſamet intenderent & propter eos agerent. Agunt itaque corpora & natura rerum propter fines a Deo intentos, ita, ac ſi ipſamet fines iſtos intenderent.

Inde eſt, quod animantia bruta videantur agere cum ratione & ratione melius uti ipſis hominibus, quemadmodum multiplici documento adſtruere conatus eſt *Hieronymus Rorarius* in Tractatu, cui hunc titulum fecit, Quod animalia bruta ſæpe ratione utantur melius homine. Quæ enim ipſis tribuitur ratio, non ipſorum, ſed Dei ratio eſt. Inde porro eſt, quod rerum natura fingatur ens intelligens ſapientia maxima inſtructum. Quæ enim naturæ rerum tribuitur ſapientia, ipſa Dei ſapientia eſt, quam per naturam rerum nobis patefacere conſtituit. Sane ipſæ machinæ hominum opera conſtructæ rectius exequuntur id, cujus gratia conſtructæ ſunt, quam vulgo ab hominibus fieri aſſolet. Agunt enim cum ratione artificis propter fines ab eodem intentos, & ſtructura earundem, quæ eſſentia ipſarum eſt (§. 276 *Coſmol*), ad finem conſequendum aptata. Quamobrem niſi conſtaret, opera hæc artia ratione atque ſapientia carere, facile eo adduceremur, ut ipſis rationem atque ſapientiam tribueremus atque eadem ratione melius homine uti contenderemus. Exempli loco eſſe poteſt virunculus tempeſtatis index apud *Ottonem de Guericke* in experimentis novis Magdeburgicis de vacuo ſpatio lib. 3. cap. 20. f. 100, qui artificii ignaros ideo in ſtuporem conjicit, quod cum ratione agere videatur. Agit virunculus iſte propter finem, ſed quem ipſemet non intelligit, neque intendit, ſed artifex & inventor eidem præſcripſit: finem vero iſtum aſſequitur, quantum fert mechaniſmus. Quodſi a fine aberret, id non ipſius, ſed inventoris imperitiæ tribuendum, qui per errorem mechaniſmum aliter fecit, quam fieri debebat. Pone in locum inventoris & artificis Deum decernentem & creantem, in locum virunculi quamlibet creaturam in mundo materiali, vel totum etiam hunc mundum adſpectabilem, quantam lucem affundat imago veritati propoſitionis intelliges: id quod a nobis ut fuſius exponatur opus non eſt, cum nemo non ſuo Marte hoc aſſequi poſſit.

§. 662.

Fruſtra quid facere dicamur.

Fruſtra quid facere dicimur, quod vel nullo fine facimus, vel quod fini, quem intendimus, conſequendo minime ſufficit.

Ita ſpartam, quam quis ornare poterat, fruſtra ambit, qui nullo eorum utitur patrono, penes quos eſt eam conferendi poteſtas, cum non deſint alii in eorum gratia poſiti. Facile apparet, non alias eſſe cauſas, cur quid fruſtra agamus, vel quod media eligamus parum convenientia, vel quod obſtacula, quæ objiciuntur, minime removere valeamus, vel quod temporis fallendi gratia quædam agamus.

§. 663.

Digitized by Google

§. 663.

Cur Deus nil fruſtra faciat.

Deus nihil facit fruſtra. Etenim Deus ſapiens eſt & ſapientia ejus tanta, qua major concipi nequit (§. 640). Quamobrem cum ſapiens agat propter finem & media eligat ad finem conſequendum apta (§. 678 *Pſychol. rat.*) & ſapientiæ ſummæ ſit eligere media ad finem certo & ex aſſe conſequendum ducentia (§. 689 *Pſychol. rat.*), ac præterea Deus facere poſſit, quicquid vult (§. 352); Deus nil quicquam facit ſine fine, nec aliis utitur mediis, quam quibus finem intentum certo & ex aſſe actu conſequitur. Quoniam itaque is demum fruſtra quid facit, qui vel nullo fine quid facit, vel quod fini, quem intendit, conſequendo minime ſufficit (§. 662); Deum nihil fruſtra facere liquet.

Ceſſant nimirum rationes penes Deum, ob quas homines fruſtra quid faciunt, antea (*not.* §. 662) enumeratæ. Non igitur mirum, quod nec fruſtra quid facere poſſit (§. 118 *Ontol.*). Quodſi nobis eſſet tanta ſapientia, quanta in dato quolibet caſu requiritur, ne quid fruſtra fiat; ſi tanta eſſet potentia, quanta conſiliis exequendis par eſt; nec nos unquam fruſtra quid faceremus. Adeſſent enim rationes ſufficientes, cur quid fruſtra fieri minime poſſit.

§. 664.

Mos agendi naturæ.

Natura nihil facit fruſtra & via agit breviſſima. Natura enim rerum agit ſecundum fines a Deo intentos perinde, ac ſi ipſamet eoſdem intenderet (§. 661), conſequenter Dei ac naturæ iidem ſunt fines. Jam media, quibus Deus fines ſuos conſequitur, ſunt eſſentiæ rerum (§. 645), conſequenter cum natura ad actum non perducat niſi per eſſentias rerum poſſibilia (§. 142. 145 *Coſmol.*); nec aliis natura utitur mediis, quam a Deo ad fines conſequendos deſtinatis. Quoniam itaque Deus nihil fruſtra facit (§. 663), nec niſi via breviſſima agit (§. 636); natura quoque nihil facit fruſtra & breviſſima agit via.

Patet adeo veritas pervulgati illius: *Deum & naturam nil facere fruſtra & via breviſſima agere.* Sunt equidem qui reprehendunt, naturam Deo quaſi cauſam ſociam jungi: enim vero qui veram naturæ notionem habent, nec vim creaturæ cum omnipotentia Dei confundunt, illi naturam cauſam Deo tanquam cauſæ primæ ſubordinatam agnoſcere tenentur, cui Deus & fines, & agendi modum præſcripſit.

§. 665.

Nexus rerum in hoc univerſo in quonam conſiſtat.

In hoc univerſo ſeu mundo adſpectabili coexiſtentium nexus conſiſtit in dependentia finis a medio; nexus vero ſucceſſivorum in dependentia cauſati a cauſa, & finis a medio, & actionis cauſæ efficientis a fine ſimul. Conſtat nimirum experientia magiſtra actualitatem modificationum in uno coexiſtentium habere rationem ſufficientem in altero coexiſtentium, quemadmodum modificationum proprium eſt (§. 160 *Ontol.*). Quamobrem cum ea, quæ in tempore fiunt, facta fuerint futura per decretum Dei (§. 522), antea per ideas Dei in intellectu ipſius exiſtentes tantummodo poſſibila (§. 192) & per potentiam Dei tantummodo exiſtibilia (§. 224), nondum vero certo extitura; quin Deus ea coexiſtere voluerit in hoc univerſo ſeu mundo adſpectabili, ut mutationes, quæ in uno eorum poſſibiles ſunt, actu fiant, dubitandum non eſt (§. 497).

(§. 497). Enimvero ſi duo entia, quorum unum continet rationem ſufficientem mutationum in altero contingentium, ab agente intelligente ideo ſimul producuntur, ut mutationes, quæ in uno eorum fieri poſſunt, actu fiant; nexus eorum conſiſtit in dependentia finis a medio (§. 39 *Coſmol.*). Nexus itaque rerum coexiſtentium in hoc univerſo conſiſtit in dependentia finis a medio.

Idem etiam ſic oſtenditur. Quoniam modificatio unius coexiſtentium rationem ſufficientem in altero habet, quemadmodum abunde quotidie experimur & naturæ entis convenit (§. 160 *Ontol.*); res una coexiſtentium quoad modificationes ab altera pendet, ſeu, quod perinde eſt, actualitas modorum in uno pendet ab altero coexiſtente (§. 851 *Ontol.*), conſequenter unum coexiſtentium eſt uſui alteri coexiſtentium (§. 646). Sunt vero uſus rerum naturalium fines a Deo intenti (§. 648. Quamobrem cum coexiſtentia inter ſe connectantur, quatenus unum eorum uſui eſt alteri (§. 646 *Theol.nat.*& §. 10 *Coſmol.*); coexiſtentia in hoc univerſo connectuntur per finales rationes, conſequenter eorum nexus conſiſtit in dependentia finis a medio (§. 645).

Quoniam veritas ejus, quod demonſtratum eſt, clarius elucet in exemplo particulari, conſervata tamen demonſtrationis univerſalitate, idem adhuc hoc modo evincere lubet. Nemo non novit, generationes & corruptiones in Tellure fieri, quia Sol calore ſuo eandem fovet, quo remoto ceſſarent penitus, nec terra amplius foret habitaculum animalium atque hominum, nec ulli amplius locus eſſet vegetationi. Ultro igitur fatemur, Solem Telluri inſignem prorſus præbere uſum (§. 646). Quoniam itaque uſum hunc tanquam finem intendit Deus (§. 648); quin ideo Solem atque Tellurem coexiſtere voluerit, ut terra evaderet habitaculum animalium atque hominum, nemo in dubium revocare poteſt. Enimvero ſi entia duo, quorum unum continet rationem ſufficientem mutationum in altero contingentium, ab agente intelligente ideo ſimul producuntur, ut mutationes, quæ in uno eorum fieri poſſunt, actu fiant; nexus eorum conſiſtit in dependentia finis a medio (§. 39 *Coſmol.*). Nexus igitur inter Solem & Tellurem, quatenus tanquam corpora mundi totalia in hoc univerſo coexiſtentia ſpectantur, conſiſtit in dependentia finis a medio. Quodſi in locum Solis atque Telluris ſurrogentur alia quæcunque entia coexiſtentia, demonſtratio eodem modo procedit, atque adeo generaliter dicendum eſt, coexiſtentium nexum in hoc mundo adſpectabili conſiſtere in dependentia finis a medio. *Quod erat unum.*

Quoniam actus contingentium, adeoque ſucceſſivorum (§. 80 *Coſmol.*), in hoc univerſo determinatur per ſeriem contingentium, quæ a ſe invicem dependent ut effectus a ſua cauſa (§. 83 *Coſmol.*); in ſerie ſucceſſivorum præcedens eſt cauſa ſequentis. Quoniam porro ea, quæ in mundo exiſtunt,

Digitized by Google

facta ſunt futura per decretum Dei (§. 522), adeoque ideo ad actum perducuntur, quia Deus eadem ad actum perduci voluit (§. 497); quin Deus ideo exiſtere voluerit cauſam, ut exiſteret cauſatum, dubitari nequit. Enimvero ſi agens intelligens cauſam ideo producit, ut exiſtere poſſit cauſatum; nexus rerum ſucceſſivarum conſiſtit in dependentia cauſati a cauſa, & dependentia finis a medio, & actionis cauſæ efficientis a fine ſimul (§. 34 *Coſmol.*). Nexus adeo rerum ſucceſſivarum in hoc univerſo conſiſtit in dependentia cauſati a cauſa, & dependentia finis a medio, & actionis cauſæ efficientis a fine ſimul.

Idem quoque perinde ut ante evinci poteſt, demonſtratione ad exemplum aliquod ſpeciale applicata. Repetamus exemplum, quod olim (*not.* §. 35 *Coſmol.*) in medium adduximus ad nexum rerum ſucceſſivarum illuſtrandum. Sol ex mari vapores attrahit, quos ventus occidentalis ad nos advehit. Vapores iſti in aere rariori in nubes coeunt & nubes congeſtæ in guttas colliguntur: quod dum contingit, pluit. Pluvia terram humectat & ſemen in terra latens vegetat. Habemus adeo ſeriem quandam ſucceſſivorum in hoc mundo adſpectabili obviam. Jam cum conſtet ad præſentiam Solis ex mari elevari vapores, ex eo autem, quod enti cuidam mutatio aliqua accidat, quam primum alteri jungitur, intelligatur hoc alterum cauſam illius mutationis eſſe (§. 697 *Log.*); evaporationis cauſam eſſe Solem apparet, conſequenter eandem tanquam naturalem ex eſſentia & natura rerum conſequi (§. 509 *Coſmol.*). Quoniam quæ ex eſſentia & natura rerum conſequuntur, fines ſunt a Deo intenti, eſſentiæ vero & natura rerum media ſunt, per quæ fines iſtos conſequitur (§. 645); evaporationem aquarum marinarum ſeſe habere ad Solem per modum finis ad medium, manifeſtum eſt. Non abſimili modo probatur, advectionem vaporum eſſe effectum venti occidentalis & ſimul finem ejuſdem. Quando vapores in nubes coeunt & nubes in guttas reſolvuntur; vapores ſunt materia, unde conflantur nubes; nubes autem materia, ex qua formantur guttæ (§. 948 *Ontol.*). Unde nubes a vaporibus, guttæ a nubibus pendent, quemadmodum cauſatum a cauſa. Et quia Deus per vapores geneſin nubium, per nubes formationem guttarum pluvialium intendit (§. 645); nubes ad vapores, guttæ pluviales ad nubes ſeſe habent per modum finis ad medium. Non abſimili modo oſtenditur pluviam eſſe cauſam humectationis, humorem terræ cauſam vegetationis; ſimul autem pluviam ad humectationem, & humorem terræ ad vegetationem ſeſe habere per modum medii ad finem. Patet itaque res ſucceſſivas ita inter ſe connecti, ut præcedentes non modo ſint cauſæ ſequentium, verum etiam ad ſequentes ſeſe habeant per modum medii ad finem. *Quod erat alterum.*

Atque ita tandem oſtendere licuit, quid ſit nexus rerum ſucceſſivarum & ſimultanearum in hoc univerſo. Quodſi quis demonſtrationem eo, quem alias (§. 992 *Log.*) expoſuimus, modo in ſua principia reſolvere voluerit; quam multa prærequirantur nobis cognita

atque

atque perſpecta, antequam veritatem hujus nexus perſpicere detur, palam erit. Myopiæ igitur judicii tribuendum, ſi qui parum philoſophi de rebus via per tranſennam conſpectis dictatoria auctoritate judicium ſibi ſumentes, eundem cum fatali neceſſitate miſere confundunt. Sunt igitur myopes, quorum non eſt de rebus a cognitione noſtra procul remotis judicare, & abortum imaginationis ſuæ conſequentiariorum armis impugnent: videbunt enim acutiores, eos omni molimine ſuo non aliud agere, quam ut in pugna Sciamachorum victoriam reportent, cœci inter luſcos reges futuri. Non invidemus ipſis hanc voluptatem, quam ex vana percipiunt gloria, toti vana ambitione turgidi, modo ſibi temperent a malitia, ne philoſophis invideant voluptatem, quam venerabunda in Auctorem univerſi ſapientiſſimum mente ex veritate percipiunt, tanto ſane humiliores, quanto clarius ſapientiæ divinæ ex rerum nexu eluceſcentis incomprehenſibilitatem introſpiciunt. Ceterum cum ea ipſa reſolutione demonſtrationum propoſitionis præſentis, quam iis commendamus, intelligant, modo non ſint talpa cœciores, non adeo facile eſſe myopiæ ipſorum contumaci medelam afferre; non amplius mirentur, quod judicium ipſorum, quia deproperatur, tanquam temerarium contemnatur. *Spinoſa*, fatalis neceſſitatis propugnator acerrimus, nexum rerum fatalem ſtatuit, non quod abſoluta earundem neceſſitas ex cauſarum concatenatione, quam vocat, ſequatur (contrarium enim a nobis abunde demonſtratum); ſed quod ſicuti enti omni intelligenti, ita etiam ipſi Deo omnem in agendo libertatem ademit, quam ipſi in decernendo ſummam vindicavimus (§. 506). Unde nullum in ſerie rerum finibus fecit locum, ita ut rerum nexus tantummodo ipſi ſit dependentia cauſati a ſua cauſa, non vero ſimul dependentia finium a mediis, quemadmodum nos adſtruximus, & tota cauſarum concatenatarum ſeries abſoluta neceſſitate dependeat a Deo, quam nos ab hac dependentia procul arcemus. Clarius vero jam intelligitur, quod alibi jam docuimus (§. 105 *Coſmol.*), ex nexu rerum in mundo nullam in rerum exiſtentiam manare neceſſitatem abſolutam. Non tamen inutile eſt, quæ ibidem & demonſtrata, & annotata ſunt, animo recolere & accurata mentis trutina expendere. Res in hoc univerſo eſſe inter ſe connexas levi attentione cognoſcitur; ſed qualis ſit iſte nexus, in quo conſiſtat, & quomodo a Deo cauſa prima dependeat, altioris indaginis eſt, ſed indaginis nunquam pœnitendæ ob inſignem prorſus in actiones humanas influxum, ſuo tempore ſuoque loco explicandum.

§. 666.

Nexus rerum in hoc univerſo ſapientia divina conſtitutus. Etenim nexus rerum in hoc univerſo eſt vel coexiſtentium, vel ſucceſſivorum (§. 53. 54 *Coſmol.*). Enimvero nexus coexiſtentium conſiſtit in dependentia finis a medio, nexus vero ſucceſſivorum non modo in dependentia finis a medio, verum etiam in dependentia actionis cauſæ efficientis a fine (§. 665). Quamobrem cum ſapientiæ ſit fines conſtituere & media ad eos ducentia eligere (§. 678 *Pſychol. rat.*), Deum vero omnia in hoc univerſo ſapienter decreviſſe conſtet (§. 643); nexum rerum in hoc univerſo ſapientia divina conſtitutum eſſe, palam eſt. *Fons nexus rerũ.*

Quoniam omnia referenda ſunt ad attributa divina, tanquam prima poſſibilia, & fontem ceterorum, quæ intrinſece & extrinſece poſſibilia ſunt; noſtrum quoque fuit conſtitutionem nexus rerum in hoc univerſo reducere ad ſapientiam divinam tanquam ad ſuum fontem. Nexus conſtituitur, dum ejus actualitas decernitur. Non igitur implicat, eum ad ſapientiam divinam referri, quod ante decretum jam poſſibilis repræſentetur in intellectu divino (§. 192) & quod ex eſſentiis & natura rerum in ſyſtema redactarum reſultet, quemadmodum ex anterioribus patet, conſequenter quamdiu natura rerum ſibi relinquitur, nec per miracula eidem vis infertur (§. 531 *Coſmol.*), ab hac ſerie rerum auferri nequeat. Omnia enim, quatenus poſſibilia, neceſſaria ſunt, nec a ſapientia eorum poſſibilitas ullo modo pendet: ſed ubi ex finium & mediorum poſſibilium numero quædam eligenda, tum demum agens intelligens finium conſtitutione & mediorum determinatione ſapientem ſe probat. Sane antequam nos finem aliquem conſtituimus, finis iſte in ſe ſpectatus poſſibilis eſt: antequam determinentur media, quibus eum conſequi velis, poſſibilia ſunt iſta media in ſe ſpectata, nec minus poſſibile eſt per hæc media ad finem tanquam ad metam duci.

Hoc tamen minime obſtat, quin in finis conſtitutione & mediorum determinatione ſapientem te probes.

§. 667.

Immunitas nexus ab abſoluta neceſſitate.

Nexus rerum in hoc univerſo ab abſoluta neceſſitate liber eſt. Quoniam eſſentia mundi conſiſtit in modo, quo res finitæ datæ, non aliæ, inter ſe connectuntur (§. 59 *Coſmol.*), adeoque ob eſſentiarum immutabilitatem (§. 300 *Ontol.*) hic rerum nexus mundo huic proprius eſt; eundem dari patet, quia hæc rerum ſeries actum conſecuta. Quamobrem cum ante decretum res tantummodo ſpectentur tanquam poſſibiles (§. 192), per decretum vero efficiantur futuræ (§. 522); hic rerum nexus datur, quia Deus hanc rerum ſeriem producere decrevit. Eſt vero decretum Dei liberrimum (§. 506). Quamobrem hic rerum nexus datur, quia Deus liberrime hanc rerum ſeriem producere decrevit, conſequenter hic rerum nexus non abſolute neceſſarius eſt (§. 302 *Ontol.*).

Nimirum ſi Deo ita viſum fuiſſet, alia exiſtere potuiſſet rerum inter ſe connexarum ſeries, atque adeo alius quoque daretur rerum nexus. Præſens propoſitio non eſt confundenda cum illa coſmologica, qua ex nexu rerum in mundo in earum exiſtentiam neceſſitatem abſolutam manare negavimus (§. 105 *Coſmol.*). Neque enim hic quæſtio eſt, num eventus in hoc univerſo ſint neceſſitati obnoxii, quia datur rerum nexus, ſed num hic rerum nexus ſit abſolute neceſſarius, ita ut alium dari per ſe repugnet, cujus utique contrarium hic demonſtravimus. Quemadmodum nimirum liberum Dei decretum, quatenus liberum eſt, ab hoc univerſo arcet abſolutam neceſſitatem; ita nexum quoque rerum in eodem ab eadem eximit. *Spinoſa* vero eum eidem ſubjicit, quia Deo omnem in decernendo libertatem adimit, quemadmodum hominibus nonniſi apparentem relinquit.

§. 668.

An malum morale ſit finis a Deo intentus.

Malum morale non eſt in numero finium a Deo intentorum, ſeu, *Deus malum morale non intendit tanquam finem.* Fieri enim non poteſt, ut Deus velit malum morale (§. 581). Cum vero qui finem intendit, ideo agere decernat, vel actu agat, ut, quod intendit, ſit vel fiat (§. 932 *Ontol.*), adeoque finem quin velit dubitari nequeat (§. 880 *Pſychol. empir.*); Deum velle finem, quem intendit, nemo dubitare poteſt. Quamobrem fieri non poteſt, ut malum morale tanquam finem intendat.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus malum morale tantummodo permittere decrevit (§. 585), conſequenter cum permittatur, quod impedire nolumus, quo-minus fiat, etſi idem fieri nec velimus, nec nolimus (§. 584); mali moralis exiſtentiam tantummodo impedire non vult, etiamſi idem nec velle, nec nolle dici poſſit. Quamobrem cum ideo mundum integrum, vel quidpiam in eo decreviſſe dici minime poſſit, ut malum morale exiſtat, id vero demum finis ſit in hoc univerſo a Deo intentus, propter quod vel integri mundi, vel cujuſpiam in eo exiſtentiam decrevit (§. 932 *Ontol.*); malum morale finis a Deo intentus non eſt, neque adeo in finium numero eſt, quos in hoc univerſo intendit.

Idem quoque hoc modo evincitur. Deus mundum hunc non elegit ob malum morale, quod in eo exiſtit (§. 582). Enimvero cum finis ſit id,

propter

Google

propter quod cauſa efficiens agit (§. 932 *Ontol.*); id in numero finium eſſe nequit, propter quod non agit. Evidens itaque malum morale non eſſe in numero finium a Deo intentorum.

Nimirum Deus creaturis intelligentibus manifeſtare voluit (§. 629) gloriam ſuam, ac ideo mundum aliquem producere decrevit (§. 611). Mundum hunc eum deprehendit, qui ipſius ſummo judicio fini a ſe intento convenit (§. 615), gloriam ejus omnium maxime manifeſtans (§. 622), ac ideo eundem producere decrevit (§. 623). Jam in hoc ipſo mundo prævidebat malum morale & idem ab ipſo inſeparabile agnoſcebat, ſalva ejuſdem perfectione (§. 556); non tamen obſtare agnoſcebat, quo minus per ipſum gloria ſua omnium maxime manifeſtetur (§. 617). Malum adeo morale permittere decrevit (§. 585), ne excideret fine a ſe intento. Ecquis ergo non videt, dici haud quaquam poſſe, quod Deus malum morale, conſequenter actiones hominum malas, intendat tanquam finem, ac ideo hominem condere decreverit, ut malas committeret actiones? Præſens adeo propoſitio probe tenenda eſt, ut in ſequentibus omnis mali culpa a Deo procul removeri poſſit.

§. 669.

Deus mala metaphyſica non intendit tanquam fines, ſeu mala metaphyſica in numero finium non ſunt. Etenim Deus rem nullam decrevit ob malum metaphyſicum, quo laborat (§. 547). Quamobrem cum id finis eſſe nequeat, propter quod agens rationale non agit (§. 932 *Ontol.*); nec mala metaphyſica poſſunt eſſe fines a Deo intenti.

Cur malis metaphyſicis non ſit inter fines locus.

Idem etiam ſic oſtenditur. Malum metaphyſicum conſiſtit in imperfectione, quæ rebus per eſſentiam & naturam ſuam inhæret (§ 372). Quamobrem cum ex eo, quod quid ſit imperfectum, non cognoſcatur divina perfectio; per malum metaphyſicum gloria Dei manifeſtari nequit (§. 610). Eſt vero manifeſtatio gloriæ divinæ finis ultimus (§. 629), & huic ipſi omnes Deus fines particulares ſubordinat (§. 632) tanquam medium manifeſtandi gloriam ſuam (§. 634), conſequenter in numero finium particularium eſſe nequit, quod ad manifeſtandam gloriam divinam nil quicquam facit. Mala igitur metaphyſica in numero finium a Deo intentorum eſſe nequeunt.

Probatur etiam hoc modo. Mundus nullus etiamſi ſit omnium perfectiſſimus, abſque malo metaphyſico eſſe poteſt (§. 376), imo abſque eo ne creaturam quidem ullam producere valet Deus (§. 380), nec idem per miraculum a mundo aut ente quocunque ſingulari auferri poteſt (§. 381). Quamobrem ſi Deus mundum aliquem quacunque de cauſa producere intendit; malum metaphyſicum per ſe adeſt, neque adeo demum opus eſt, ut propter ipſum quidpiam velit vel faciat Deus. Quoniam itaque in numero finium eſſe nequit, propter quod cauſa efficiens nil quicquam agit, ſed quod alii intento per ſe citra intentionem agentis inhæret; mala metaphyſica in numero finium eſſe nequeunt.

Qui principiis anterioribus animum probe imbutum poſſidet, ei nihil quicquam obſcuritatis in demonſtrationibus propoſitionis præſentis ſupereſſe poteſt, quam multiplicem afferre placuit, ut major lux affundatur intellectui quoad difficultates, quæ in argumento hoc nectit imaginatio notionibus obſcuris, ſed admodum familiaribus nebulas excitans. Etſi enim demonſtratio unica ſufficiat ad veritatem propoſitionis evincendam, multiplicem tamen afferri ſubinde opus eſt in iis argumentis, ubi præjudicia nebulas offundunt, ne verum perſpici poſſit. Sed in propoſitione præſente difficultates magis faceſſit appellatio,

quam

quam res ipſa, propterea quod malum morale vulgo malum ſimpliciter appelletur, ſicque ad mali moralis notionem ſpectantia tacite ſeſe inſinuent notioni mali metaphyſici, in confuſa, quam plerique habent, non diſcernenda. Deus mundum hunc produxit gloriæ ſuæ manifeſtandæ cauſa, ſeu ut per eum pateſieret ſumma, quæ ipſi eſt, perfectio (§. 608). Elegit hunc mundum præ ceteris, propterea quod ſummo ſuo judicio ad manifeſtandam gloriam ſuam omnium maxime faciat (§. 623). Malum metaphyſicum huic mundo inhæſit inſeparabiliter (§. 381), antequam ejus exiſtentia noſtro concipiendi modo decerneretur (§. 546). Quamobrem cum non obſtaret, quo minus hic mundus fini a Deo intento conveniret (§. 617); nulla erat ratio, cur a fine propoſito deſiſteret. Atque adeo malo metaphyſico in hoc univerſo locus eſt, etiamſi a Deo exiſtentiam hujus univerſi decernente non fuerit intentum tanquam finis. Poterat idem aliis adhuc modis evinci, veluti ex eo, quod malum metaphyſicum in limitationibus eſſentialium determinationum, quæ rei finitæ inſunt, conſiſtat: ſed non opus eſſe videtur, ut nimium multiplicatis demonſtrationibus turbam in eam ſuſpicionem adducamus, quaſi ipſimet demonſtrationibus noſtris parum fidamus, quippe cui in more poſitum eſt multitudine argumentorum infirmorum pugnare, quaſi vis unita fortior fiat: quod etſi in probabilibus aliquid veri habeat, ſuo tempore a nobis explicandum, perperam tamen ad demonſtrationes transfertur.

§. 670.

Quatenus mala phyſica non ſunt in numero finium.

Deus mala phyſica non intendit tanquam finem, quatenus mala ſunt; ſeu mala phyſica, qua talia, non ſunt in numero finium a Deo intentorum. Etenim Deus non decrevit mala phyſica, quatenus talia ſunt (§. 566), conſequenter non dici poteſt voluiſſe, ut mala phyſica exiſterent, quatenus talia ſunt (§. 497). Quamobrem cum finem, propter quem quis agit (§. 932 *Ontol.*), velle debeat (§. 880 *Pſychol. empir.*); ut in numero finium ſit, quod ut exiſtat non vult, dici haud quaquam poteſt. Deus itaque mala phyſica, qua talia, non intendit tanquam fines, adeoque nec ea in numero finium eſſe poſſunt.

Ut propoſitionis veritas clarius eluceſcat, eandem adhuc alio modo, demonſtratione ad caſum particularem applicata, evincere lubet. Ponamus itaque ventum impetuoſum dejicere tecta ædium & damnum inferre hominibus: dico dici non poſſe, ruinam ædium & damna, quæ patiuntur homines, per ſe intendi, ita ut Deus ruinam ædium & damna hominum in ſe ſpectata velit, ac propterea ventum impetuoſum excitet. Ponamus Deum per ſe intendere, ſi fieri poſſit, ædium ruinam & damna, quæ inde patiuntur homines, ac ideo excitare ventum impetuoſum, cujus vi tecta dejiciuntur. Quoniam Deus lubentiſſime vult, quicquid vult (§. 341); neceſſe eſt ut ipſi ædium ruina & damna hominibus data per ſe placeant, citra relationem ad aliud quidpiam (§. 938 *Pſychol. empir.*). Quoniam placent ex quibus voluptas percipitur (§. 542 *Pſychol. empir.*); Deus ex ruina ædium & damnis hominum voluptatem percipit, conſequenter ruinam ædium & damna, quæ homines patiuntur, ſibi repræſentat tanquam ad perfectionem illarum, & perfectionem ſtatus horum ſpectantia (§. 511 *Pſychol. empir.*): quod cum ſit a veritate alienum, quemadmodum in caſu particulari nemo non ſine probatione admittit, in caſu generali ipſa notio mali phyſici inſinuat (373), adeoque de Deo, qui errare neſcit (§. 294), nullo modo co-

Digitized by Google

do cogitari poteſt; ut Deus mala phyſica qua talia, ſeu per ſe tanquam fines intendat, fieri haud quaquam poteſt.

Nimirum ſi res ipſa pateretur, Deus mala phyſica ex hoc univerſo omnia abeſſe juberet. Vidimus vero id, ſumma hujus mundi perfectione ſalva, fieri minime poſſe (§. 556). Non igitur inſunt huic ſeriei, quia Deo per ſe placent; ſed in ea tolerantur, quia inſunt ſeriei rerum, quæ alia de cauſa Deo maxime placet. Si qua in hiſce difficultas eſt, ea non aliunde venit, quam quod res particulares ad voluntatem Dei referamus, non ſpectatis ceteris una cum ipſis ad eandem ſeriem relatis, de Deo humano more cogitantes.

§. 671.

Perfectio mundi unde enaſcatur.

Perfectio mundi enaſcitur ex poſſibilitate ſubordinationis finium particularium & ultimi. Cum enim finis ſit id, propter quod cauſa efficiens agit (§. 932 *Ontol.*), & ultimus ſit is, propter quem ceteri omnes ſunt (§. 943 *Ontol.*), detur autem mundi a Deo conditi finis ultimus (§. 628); per finem hunc ultimum intelligitur, cur Deus aliquem potius mundum condiderit, quam nullum, & cur hic, quem produxit, talis præciſe ſit, non alius, conſequenter finis ultimus eſt ratio, cur hæc ſeries rerum fuerit producta & ab æterno a Deo decreta, generalis (§. 56 *Ontol.*). Per definitionem finis patet ſimiliter, per fines particulares, quorum plena eſt natura rerum (§. 660), intelligi, cur haſce potius res, quam alias exiſtere voluerit Deus, conſequenter eos eſſe rationes, cur res tales ſucceſſivæ ac ſimultaneæ inſint huic ſeriei rerum, ac ideo rationes ſimultaneorum & ſucceſſivorum particulares ſunt (§. 56 *Ontol.*). Quoniam vero fines particulares fini ultimo ſubordinantur per modum medii ad finem ducentis (§. 635), adeoque in particularibus continetur ratio, cur ultimus actum conſequatur (§. 937 *Ontol.*); rationes rerum ſimultanearum ac ſucceſſivarum particulares in hac ſerie tandem in aliquam generalem reſolvuntur. Enimvero perfectio mundi conſiſtit in eo, quod rationes particulares ſimultaneorum & ſucceſſivorum tandem in aliquam generalem reſolvantur (§. 540 *Coſmol.*). Patet itaque mundi perfectionem ex eo naſci, quod detur aliquis finis ultimus, & quod totus plenus ſit particularibus, fines vero particulares ſibi invicem, ac tandem omnes ultimo ſubordinari poſſint.

Nimirum mundus ſi ſpectetur qualis ſit, eſt referibilis, ut ita loqui mihi liceat, ad quidpiam extra ipſum obtinendum, & in eo conſiſtit poſſibilitas finis ultimi, per quem tota rerum ſeries explicabilis eſt, cur talis potius ſit, quam alio quocunque modo ſeſe habeat. Si ſingula, quæ inſunt, huic ſeriei, ſigillatim ſpectentur; talia deprehenduntur, ut per ea quædam actuari poſſint, & in eo conſiſtit poſſibilitas finium particularium, per quos explicabiles ſunt eſſentiales eorundem determinationes, cur tales potius ſint, quam aliæ. Quodſi eadem ad ſe invicem referantur, alia ab aliis in aliis quoad actum dependent, & in hoc conſiſtit poſſibilitas finium particularium, per quos explicabilis eſt rerum tam quoad coexiſtentiam, quam quoad ſucceſſionem nexus. Quodſi tandem fines particulares referas ad ultimum; tales deprehenduntur, ut per ultimum ſint explicabiles, cur tales potius eſſe debeant, quam aliæ. Quoniam ea conſpicitur mundi facies, perfectio ipſi tribuitur. Quodſi jam accedat ens intelligens, quod fines iſtos poſſibiles particulares & ultimum intendit eosque ſibi invicem ſubordinavit; perfectio mundi explicari debet per iſtorum finium ſubordinationem. Patet itaque perfectionem mundi eſſe quidpiam eidem intrinſecum, ſed quod non competit niſi in relatione ad aliud. Inde ſane eſt, ut, qui fines rerum negant, & finem ultimum tollunt, nullam quoque mundo rebuſque in eodem contentis tribuant perfectionem.

§. 672.

§. 672.

Perfectio mundi in quo conſiſtat.

Quoniam perfectio enaſcitur ex poſſibilitate ſubordinationis finium particularium & ultimi (§. 671), per fines autem particulares intelligitur, cur tales potius ſint res ſucceſſivæ ac ſimultaneæ, quam aliæ, & per ultimum, cur talis potius ſit tota hæc rerum ſeries, quam alia (§. 932 *Ontol.*); *perfectio mundi conſiſtit in explicabilitate ejus per finium particularium & ultimi ſubordinationem.*

Probe notandum eſt, quod perfectio mundo tribuatur, quatenus per finium ſubordinationem explicabilis, ut intelligatur, quomodo concipi poſſit agnita a Deo antecedenter ad decretum & finis ultimi determinationem, quæ decretum noſtro concipiendi modo præcedit, & quomodo perfectio ſit medium, quo finis, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit, obtinetur (§. 607). Nimirum Deus omnia poſſibilia in ſyſtemata redacta ſibi ab æterno (§. 319) repræſentans (§. 155) vidit, ea referri poſſe ad finem aliquem ultimum, & huic ſubordinari poſſe fines particulares, qui per res ſingulas quoad coexiſtentiam, & ſucceſſionem intendi poſſunt. Finem illum ultimum, quod eum judicaret bonum, intendit & fines particulares non minus probavit, quatenus eos ultimo ſubordinari poſſe perſpexit. Quoniam igitur finem iſtum ultimum obtineri certus fuit, ſi mundus ad actum perduceretur, ejus exiſtentiam decrevit, & ſic perfectio mundi facta eſt medium obtinendi finis ultimi a ſe intenti. Quatenus vero hic mundus fini ultimo magis convenit, quam alius; eundem ob majorem perfectionem ceteris prætulit in ſuo decreto. Vides itaque quomodo omnia inter ſe optime cohæreant, conſpirent autem ſimul cum hypotheſi mundi optimi, tanquam fini ultimo maxime convenientis.

§. 673.

Idem ſpecialius explicatur.

Perfectio mundi conſiſtit in aptitudine patefaciendi perfectionem Dei ſummam ſeu manifeſtandi gloriam ipſius. Conſiſtit enim in explicabilitate ejuſdem per ſubordinationem finium particularium & ultimi (§. 672), conſequenter in eo, quod per ipſum finis ultimus intendi poſſit. Enimvero finis ultimus, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit, eſt patefactio ſummæ, qua gaudet, perfectionis, ſeu manifeſtatio gloriæ divinæ (§. 629), & fines omnes particulares eidem ſubordinantur, ſeu ideo intenduntur a Deo, quia gloriam ſuam per exiſtentiam hujus univerſi manifeſtare vult (§. 632). Conſiſtit adeo perfectio hujus mundi in eo, quod per manifeſtationem gloriæ divinæ explicari poſſit, cur hæc potius rerum ſeries exiſtat, quam alia, conſequenter in aptitudine manifeſtandi gloriam Dei.

Ne præſens propoſitio obſcuritatem quandam alere videatur, ſimili quodam alio eandem illuſtrare lubet. Ponamus horologium conſtrui in uſum aſtronomicum ad tempus in minutis ſecundis exactiſſime dimetiendum; erit hæc ipſa temporis dimenſio finis horologii, quem intendit qui ipſum conſtruit. Dico igitur perfectionem horologii conſiſtere in aptitudine ad tempus in ſcrupulis ſecundis exactiſſime dimetiendum. Nemo non novit, etiamſi ſecundum notionem perfectinnis nonniſi confuſam judicet diſtincta prorſus deſtitutus, horologii perfectionem æſtimari ex eo, quod in tempore dimetiendo intra plures horas, veluti 24 vel 48, ne unico quidem ſcrupulo ſecundo a vero aberret, tantoque cenſeri perfectius, quanto longius eſt illud temporis ſpatium, quo aberratio unius ſcrupuli ſecundi ſenſibilis evadit. Per ſtructuram horologii illa accurata temporis dimenſio poſſibilis, & hinc per eſſentiam ſuam aptum eſt ad tempus tam exacte dimetiendum. Atque adeo vides juxta communem quoque notionem horologii perfectionem deſignare aptitudinem ad temporis dimenſionem accuratam, conſequenter ad finem horologii obtinendum. Constructio horologii poſſibilis, antequam de eodem conſtruendo cogitet artifex, vel ejus ideam animo concipit inventor. Accurata temporis dimenſio ejus ope poſſibilis, antequam eam velit aſtronomus obſervator, adeoque tanquam finem intendat. Ubi vero eam tanquam finem intendit; ex

fine

Digitized by Google

ſine æſtimari poteſt perfectio horologii, tanquam medium iſtius obtinendi, argumentando veluti ab effectu ad cauſam, cum finis ſeſe habeat ad medium per modum effectus ad cauſam. Unde vides perfectionem inhærere horologio per eſſentiam ipſius & cognoſci poſſe, etiam ſi nullus ſtatuatur finis: ubi tamen uſum vi perfectionis horologii obtinendum tanquam finem ſibi proponit obſervator, perfectionem fieri medium ejus obtinendi & recte dici poſſe, quod perfectio ejus conſiſtat in aptitudine ad finem obtinendum. Equidem aſtronomus obſervator in finis cognitionem incidit, nondum cogitans de horologio, veluti quando de modo inveſtigandi aſcenſionem rectam ſtellæ ſollicitus eſt (§. 228 *Aſtron.*), & ex hoc fine deducit vel ipſe, ſi idem fuerit Mechanicus, vel opera alterius eam horologii ſtructuram, quæ huic fini convenit, & perfectum judicas, ubi experimento comprobat, quod fini ſatisfaciat. Sed hæc ita accidunt, quod ob limitatas intellectus vires nonniſi diſcurſive in rerum cognitionem penetremus. Pone autem aſtronomum habere ideam omnium horologiorum, quæ arte humana conſtrui poſſunt, & intuitive cognoſcere, quanta ſit in dimetiendo tempore uniuscujusque aptitudo. Pone porro eundem perſpicere, quod horologium ſibi uſui eſſe poſſit in obſervationibus maximi momenti & hunc uſum ſibi proponere, ac ideo horologii conſtructionem decernere. Manebit ut ante finis horologii accurata temporis dimenſio & perfectio ejus conſiſtet in aptitudine ad tempus accurate dimetiendum, etſi hic cognitio procedat a priori, a cauſa nempe ad effectum, utpote a conditione medii ad finem. Subſtitue horologio mundum, aſtronomo Deum: & eodem modo perſpicies perfectionem mundi, in quo conſiſtat, & quomodo ac cur concipiatur tanquam dependens a fine, etiamſi rei inhæreat ante conſiderationem finis. Nimirum Deus omnes ſibi repræſentavit mundos, ſeu poſſibilia omnia in ſyſtemata redacta (§. 155) ſimul (§. 160). Pervidit eorundem aptitudinem ad manifeſtandam gloriam ſuam & eatenus perſpexit perfectionem ipſis inhærentem. Placuit ipſi gloriæ ſuæ manifeſtatio, ac ideo eam intendit tanquam finem: unde mundum aliquem hujus finis gratia decreviſſe concipitur. Vidit hunc, qui exiſtit, mundum maxime convenire fini a ſe intento, quatenus ipſum decet, ac ideo placuit præ ceteris: unde hunc mundum producere decrevit. Atque ita perfectio mundi concipitur explicabilis per finem a Deo intentum, etſi mundo inhæreat, antequam de fine incidat cogitatio noſtro concipiendi modo. Quodſi hi cognitionis actus concipiantur ſimul, ita tamen ut ſalvus maneat ordo, quo a ſe invicem dependent; habebis actum intellectus divini eo modo explicabilem, quem inſinuant noſtræ demonſtrationes. Quoniam in nobis plerumque cognitio a poſteriori procedit argumentando a fine ad medium; inde eſt quod communiter in Deo quoque ponamus finis cognitionem ante medii cognitionem: unde fluit hypotheſis eſſentiarum arbitrariatum ſuperius reprobata (§. 191). Velim quæ hic prolixe dicuntur, probe perpendantur: confido enim fore, ut omnes difficultates protinus evaneſcant, quæ obſtant, quo minus citra omnem repugnantiæ internæ ſenſum veritati quoad dependentiam mundi a Deo, unde pendet omnis, quam hic tradimus, Dei cognitio, aſſenſus firmus præbeatur.

§. 674.

Quomodo mala phyſica & moralia finibus rerũ implicētur.

Mala phyſica & moralia finibus in hac rerum ſerie a Deo intentis ita implicantur, ut eorundem & finis ultimi ſubordinatio eo, quo nunc, modo iiſdem ablatis non amplius fieri poſſit. Etenim ſublato malo phyſico & morali ex tota hac rerum ſerie, ipſa permanere nequit omnium poſſibilium perfectiſſima (§. 556). Quamobrem cum perfectio mundi enaſcatur ex poſſibilitate ſubordinationis finium particularium & ultimi (§. 671), conſequenter ſumma, quæ huic mundo ineſt (§. 326), perfectio tum demum ſubſiſtere minime poſſit, ſi fines particulares & ultimus non amplius ſibi invicem ſubordinentur eo, quo nunc fit modo; mala phyſica & moralia finibus a Deo in hac rerum ſerie intentis ita implicari debent, ut iiſdem ablatis eorundem ac finis ultimi ſubordinatio non amplius eo, quo nunc, modo fieri poſſit.

Propoſitio præſens nihil difficultatis faceſſit iis, qui rerum in hoc univerſo nexum introſpiciunt, & experientia confirmatur, ſiquidem ad eundem animum advertas, expendendo mala & quæ inde ſecuta ſunt bona, non ſecutura, niſi malis fuiſſet locus. Dabimus poſt-

hac exempla ex hiſtoria Sacra, nec quenquam fore arbitror, cui non ſuppetant domeſtica, ſiquidem fata ſua attento animo perluſtrare eorundemque a ſe invicem dependentiam ſcrutari voluerit. Neque inutilis eſt hic labor: etenim propoſitionis præſentis veritas plurimum influit in praxin & multa præjudicia arcet, unde haud leves difficultates circa bonitatem divinam naſcuntur. Quo fine alia adhuc inde deducere non piget.

§. 675.

Quomodo mala bonis implicentur.

Mala phyſica & moralia in hac ſerie ita implicantur bonis, ut, ſi mala inde auferre velis, bona una cum ipſis auferas. Etenim in hac rerum ſerie mala phyſica & moralia finibus a Deo intentis ita implicantur, ut eorundem & finis ultimi ſubordinatio eo, quo nunc, modo fieri non poſſit, iiſdem ablatis (§. 674). Enimvero perfectio mundi enaſcitur ex poſſibilitate ſubordinationis finium particularium & ultimi (§. 671), adeoque fines ipſi, hoc eſt ea, quæ in hoc univerſo finium loco ſunt (§. 645. 648 & ſeqq.), in perfectionem mundi influunt. Quamobrem cum bonum dicatur, quod in alterius perfectionem influit (§. 370); fines ipſi boni ſunt. Atque adeo patet, mala phyſica & moralia in hac rerum ſerie ita implicata eſſe bonis, ut auferri nequeant, niſi ſimul cum ipſis bona auferre velis.

Hinc jam clarius patet arctus malorum cum bonis in hoc univerſo nexus, ut, qui bonum obtinere velit, malum auferre non debeat. Unde porro patet, quam apte Chriſtus inexiſtentiam mali, præſertim moralis, in hoc univerſo repræſentaverit per zizania inter triticum enata, quorum radices radicibus horum ita implicantur, ut, ſi zizania evellere velis, triticum una evellatur (§. 601). Plenior autem adhuc lux affulgebit acutioribus, ubi in ipſam mali originem inquiremus ex inſtituto: de qua cum hic nondum ſit agendi locus, tantiſper ſeponendæ ſunt difficultates, quæ adhuc reſiduæ eſſe poſſunt, quamdiu ſollicite nondum caveri poteſt, ne ideæ eorum, quæ Deo tribuis, adhuc quidpiam involvant, quod ex humanis in eas irrepit. Neque enim adeo facile eſt, ideas, quas de nobis ipſis habemus, ita purgare, ne quicquam humani in iiſdem ſuperſit, antequam ad Deum transferantur. Inde ſane eſt, quod veritates Theologiæ naturalis complures, etſi in ſe clariſſimæ, videantur tamen obſcuræ, imo erroneæ, cum omnes errores de Deo ex hoc fonte propullulent, quod Deum inſtar hominis nobis repræſentemus, etiam dum divino more de Deo cogitare in animo habemus.

§. 676.

Quomodo malorum in hoc mundo inexiſtentia a ſapiẽtia divina pendeat.

Deus ſalva ſapientia ſua ſumma atque perfectiſſima mala phyſica & moralia tollere nequit ex hac rerum ſerie. Etenim mala phyſica & moralia finibus in hac rerum ſerie a Deo intentis ita implicantur, ut eorundem & finis ultimi ſubordinatio eo, quo nunc, modo non amplius fieri poſſit, iiſdem ſublatis (§. 674). Enimvero cum ſubordinatio finium particularium & ultimi ſapientiæ ſit (§. 678 *Pſychol. rat.*); hoc modo potius, quam alio facta ad ſummam atque perfectiſſimam, qua Deus effulget (§. 640), ſapientiam pertinet. Quamobrem mala phyſica & moralia finibus a Deo in hac ſerie rerum intentis ita implicantur, ut ſalva ſapientia ejus ſumma atque perfectiſſima tolli nequeant.

Qui adeo volunt, mala phyſica & moralia ex hoc univerſo tolli, in ſapientiam divinam injurii ſunt: volunt enim fieri a Deo, quod ſalva ſumma atque perfectiſſima, quæ ipſi eſt, ſapientia fieri nequit.

§. 677.

Cur eadem ipſi

Quoniam malis phyſicis atque moralibus vi ſapientiæ ſuæ ſummæ ac

per-

perfectiſſimæ in hac rerum ſerie locum relinquit Deus (§. 676); hæc ipſa *mala, tam phyſica, quam moralia, minime obſtant, quo minus hujus mundi exiſtentiam & omnia, quæ in eodem ſunt, ſapientiſſime decreverit*, quemadmodum ſupra probatum eſt (§. 642. 643). *non repugnet.*

Patet adeo, quantum a vero aberrent, qui mundi a Deo dependentiam negant, vel Deum prorſus ejus auctorem eſſe in dubium vocant, propterea quod mala phyſica & moralia cum ſapientia ejuſdem pugnare arbitrantur. Nimium enim de rebus non ſufficienter diſcuſſis judicium deproperant. Quamvis vero hactenus evicta admodum clara ſint, uberior tamen lux iiſdem per inferius tradenda iis affundetur, ubi de providentia divina acturi ſumus.

§. 678.

Eodem modo patet, *mala phyſica & moralia etiamſi inſint nexui rerum, non tamen obſtare, quominus is ſapientia divina ſit conſtitutus*, queamdmodum ſupra probavimus (§. 666). *Cur ea nexum rerum non ſubducat ſapientiæ divinæ.*

Qui repugnantiam quandam ad aſſentiendum huic corollario in ſe experiuntur, tacite ſumunt, Deum cum bonis conjunxiſſe mala pro ſuo arbitratu, ex ſerie rerum eadem facilitate omittenda, qua in eundem introducta: unde Deus ipſis videtur facere mala, ut inde eveniant bona. Quamobrem cum tritiſſimum ſit, non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona; non vident, quomodo Deum deceat producere rerum ſeriem, cui mala phyſica & moralia ineſſe ſint. Nemo non videt totum, quicquid eſt, difficultatis enaſci ex hypotheſi de eſſentiis rerum arbitrariis, quam ſupra reprobavimus (§. 191). Unde novo ſpecimine probatur, quam probe excuſſerint rem omnem olim philoſophi, & quam prudenter eos ſecuti ſint Theologi, qui eſſentiarum neceſſitatem defenderunt, ſublatis præjudiciis de arbitrariis, quibus locus eſſe non poteſt, niſi quamdiu accurata mentis trutina non expenduntur omnia. Nimis abjecte de philoſophia ſcholaſtica & ejus auctoribus ſentiunt, qui hoc ſolo nomine quid damnant, quod idem defenderint ſcholaſtici, recentiores vero nonnulli impugnaverint. Nobis placent antiqua, placent nova, quando cum veritate conſentire deprehenduntur diſcuſſione facta. Diſplicent non minus nova, quam antiqua, ubi a veritate recedunt, neque enim veritatem conſentientium auctoritate & multitudine metimur. Deus rerum in hoc univerſo nexum conſtituit, dum vi intellectus infiniti poſſibilia in ſyſtemata redigit, & ea conditione ſyſtematum horum finis ultimi poſſibilitatem pervidens eundem ſibi proponit, ac tandem illud ſyſtema ob rerum inter ſe nexum eligit, quod fini ultimo convenientiſſimum judicat. Etſi enim hæc omnia unico abſolvantur actu, in eo tamen datur hic ordo, ob quem nos ipſum diſtincte concepturi eundem in actus plures reſolvimus a ſe invicem dependentes, cum intellectus finita vi diſtincta eorum, quæ in Deo ſunt, repræſentatio aliter fieri non poſſit: id quod probe notandum per univerſam Theologiam naturalem, ne quando humano more de Deo cogitamus, cum id aliter fieri non poſſit, conſequentias nectamus temerarias.

§. 679.

Malum dicitur *dirigi in bonum finem*, ſi, quando mutari non poteſt, eodem utamur tanquam medio conſequendi finem bonum. *Directio mali in bonum finem.*

E. g. Ponamus Titium luxui deditum feciſſe jacturam ter mille aureorum, quam eſſe malum phyſicum nemo negat. Quodſi eandem perpendens ſibi proponit a luxu deſiſtere; hanc vitæ mutationem eſſe finem bonum, quem intendit, nemo itidem negat. Quoniam adeo ratio mutandi luxus in jactura aureorum continetur, atque adeo ratio, cur mutatus fuerit animus, in jactura iſta continetur, eadem utitur tanquam medio mutandi animum (§. 937 *Ontol.*), cumque per hanc animi mutationem luxum in poſterum evitare intendat, ipſa jactura aureorum utitur tanquam medio. Etſi enim motivum ſit jactura bonorum, quo flectitur voluntas; non tamen hoc obſtat, quo minus & medium dici poſſit: ſunt enim motiva media, quibus flectitur voluntas. Atque adeo patet, quomodo Titius malo phyſico utatur tanquam medio conſequendi finem bonum: quod dum facit, malum dirigit in bonum finem. Non vero, dum ita dirigit, dici poteſt, eum facere malum, ut inde eveniant bona: neque enim jacturam bonorum ideo ipſe promovit, ut haberet motivum flectendi animum; ſed cum ipſo non volente eveniſſet, nec factum infectum fieri poſſit, ipſo

malo bene utitur. Idem eodem modo obtinet, ſi loco mali phyſici ſumas malum morale vel proprium, quod ubi perpetratum fuerit, factum infectum fieri nequit, vel alienum, quod a te impediri non poteſt, veluti cum calumniis & obtrectationibus adverſariorum utaris tanquam motivo ad præclara præſtanda, ut easdem ipſo facto confutes. Equidem non ignoro diſplicuiſſe nonnullis, quod dixerim, malo utendum eſſe tanquam medio conſequendi bonum finem, hunc uſum diverſum judicantibus a directione in bonum finem: ſed nec me fugit, ex quo fonte propullulaverit difficultas, quæ animos ipſorum in tranſverſum egit. Nimirum ſibi perſuadent ſemper de fine prius cogitari, quam de medio, conſequenter ſi malo utaris tanquam medio conſequendi finem, malum ideo a te fieri, ut finem conſequaris. Sed oppido hoc fallit non modo in Deo, verum etiam in homine haud raro, veluti in dato caſu, ubi jacturam bonorum, quæ facta mutari nequit, perpendens diſquirit, cui fini eadem per modum medii ſubordinari poſſit.

§. 680.

Directio divina malorũ in bonum finem.

Deus in hoc univerſo mala phyſica & moralia dirigit in bonum finem. Quoniam enim mala phyſica & moralia finibus in hac ſerie rerum a Deo intentis ita implicantur, ut eorundem & finis ultimi ſubordinatio eo, quo nunc, modo non amplius fieri poſſit, iiſdem ſublatis (§. 674); evidens omnino eſt, niſi in eadem utrique malo relinquatur locus, Deum fines a ſe intentos particulares ſimpliciter, nec ultimum eo, quo nunc, modo conſequi poſſe. Quamobrem cum per ipſa mala phyſica atque moralia intelligatur, cur fines iſti ad actum perducantur in hac rerum ſerie; quin ratio actualitatis ipſorum in illis contineatur dubitari haud quaquam poteſt (§. 56 *Ontol.*). Enimvero cum in numero mediorum ſit, quicquid rationem continet, cur finis actum conſequatur (§. 937 *Ontol.*). Deus malis phyſicis atque moralibus, quæ ſalva ſapientia ſua tollere nequit ex hac rerum ſerie (§. 676), utitur tanquam medio conſequendi fines, qui ipſum decent (§. 638), conſequenter bonos (§. 370). Quamobrem cum malum in bonum finem dirigatur, ſi, quando mutari non poteſt, eodem utimur tanquam medio conſequendi finem bonum (§. 679); Deus quoque in hoc univerſo mala phyſica & moralia dirigit in bonos fines.

Directio malorum in bonos fines omni tempore agnita fuit & a philoſophis, & a theologis. Admiſere autem eandem experientia, non ratione convicti. Quamobrem qui notione medii diſtincta deſtituebantur, vel ſaltem ad eandem animum non advertebant; non perſpexere modum directionis, in quo conſiſtat. Unde præjudicio, quod ante notavimus (*not.* §. 679), deluſi quaſi in Deum injurium exiſtimarunt, aſſerere, quod malis utatur tanquam mediis conſequendi fines intentos, cum tamen directio mali in bonum finem aliter concipi minime poſſit. Etenim malum non poteſt dirigi in finem aliquem, niſi quatenus hujus actualitas efficitur ab eodem dependens, conſequenter quatenus ad finem ſeſe habet per modum medii (§. 937. 851 *Ontol.*). Dubium ex præjudicio enatum, quaſi ſic fierent mala, ut inde eveniant bona, jam ante ſuſtulimus (*not.* §. 679). Agedum vero, convertamus mentis aciem in exemplum aliquod, ut propoſitionis demonſtratio, facta ejus ad ipſum applicatione, clarior evadat. Qui erant inimico in me animo, ut mihi nocere poſſent, horrendo auſu ob ſtudium perficiendi philoſophiam vexas ſine exemplo mihi creare conati ſunt, omne calumniarum & conviciorum genus in eam, quam molior, philoſophiæ emendationem congerentes, quale cum hactenus vix ſubauditum eſſet in orbe chriſtiano, omnium oculos in me convertit & plurimos ad legenda ſcripta mea adduxit, qui alias ad eorum lectionem nunquam animum appuliſſent. Atque ita contigit, ut brevi temporis intervallo philoſophia mea longe lateque fuerit diffuſa & non obſtantibus obtrectationibus, cavillationibus & criminationibus inimicorum ubivis fere locorum in eadem propaganda multum ſtudii collocetur. Nefandum illum auſum adverſariorum & inimicorum meorum

eſſe

eſſe in numero malorum moralium, quæ inſunt huic rerum ſeriei nemo negabit, niſi qui mendacia, calumnias, convitia, criminationes, odium pluſquam Vatinianum, vindictæ cupidinem ineaſatiabilem & his multo graviora, quibus commemorandis jam ſuperſedeo, virtutibus accenſet, aut fucum ſibi facere patitur. Nemo quoque aſſeveraverit, Deo probari ea, quæ Scriptura Sacra magiſtra diabolum parentem agnoſcunt, Deum vero inimicum experiuntur. Fateri autem tenentur omnes, Deum ab æterno prævidiſſe malignas iſtas malevolorum artes, quibus meo philoſophandi ſtudio odium ſint conflaturi. Agnoſcent autem non minus eundem quoque præſciviſſe, admiſſis vexis iſtis prorſus deteſtandis, meam philoſophandi rationem, toti generi humano adeo utilem, breviori temporis intervallo longe lateque propagatum iri, quam iiſdem impeditis. Ecquis ergo non videt, cum Deus propagationem veritatis generi humano utilem utique intenderit tanquam finem, ejus obtinendi gratia quoque permiſiſſe mala moralia; & hoc modo uſum fuiſſe iiſdem tanquam medio ad conſequendum finem, etſi eadem minime approbaverit. Viderunt hæc viri eruditi apud exteros, qui probantibus aliis judicarunt, feciſſe & facere me quod meum eſt philoſophiam conſcribendo, matæologos vero calumniatores & convitiatores feciſſe, quod adhuc deſiderabatur, ut cito, longe lateque propagaretur. Qui norunt, quales ſint inimici mei, agnovere fines adhuc alios bonos, in quos Deus horrenda iſta mala direxit. Quodſi diſertius de hiſce dicere jam liceret, multo evidentius pateret malorum, quæ Deus maxime improbat, in bonos fines directio: ſed cum nemo facile fuerit, qui non in ſeipſo eandem ſit expertus, domeſtica unicuique exempla commendamus. Multum nobis cum hac malorum directione negotium erit in philoſophia practica, cum in ea plurimum ſit præſidii ad animi tranquillitatem & lætitiam in adverſis conſervandam, nec minus auxilii ad vitiorum fugam & virtutis culturam. Quamobrem unicuique commendamus, ut veritatem arduam ac momentoſam ea ſeipſo addiſcere malit adjutus luminibus rationis, quæ ex philoſophia noſtra haurire poteſt; quam ut alienæ experientiæ non ſatis fidens aſſenſum imbecilliorem vacillare patiatur. Ceterum huic directioni divinæ tribuendum, quod veritas quidem prematur, ſed non oprimatur, & quod bona tandem cauſa triumphet, nec quid ſit tam tectum, quin detegatur: quæ & alia his gemina longe plurima experientia comprobata jam dudum auctoritate ſua roboravit antiquitas.

§. 681.

Deus mala phyſica & moralia tandem dirigit ad manifeſtationem gloriæ ſuæ. Dirigit enim mala non minus moralia, quam phyſica ad bonum finem (§.680). Quamobrem cum fines omnes particulares ſubordinet manifeſtationi gloriæ ſuæ (§. 632), per modum medii ad eam conſequendam (§. 634); Deus quoque malis phyſicis & moralibus utitur per modum medii gloriam ſuam manifeſtandi. Quamobrem cum mala, quæ mutari non poſſunt, dirigantur in bonum finem, quatenus dirigens iiſdem utitur tanquam medio eundem conſequendi (§. 679); Deus utique mala phyſica & moralia tandem dirigit ad manifeſtationem gloriæ ſuæ.

Directio malorũ ad gloriã Dei.

Qui ſumunt Deum decreviſſe malorum exiſtentiam, ut eſſent medium illuſtrandi gloriam ſuam, ac inde inferunt, Deum facere mala, ut inde eveniant bona; a vero toto cælo aberrant, quemadmodum jam ſupra notatum eſt (*not.* §. 678). Neque enim Deus vult exiſtere mala, ut ſibi ſint medium illuſtrandi gloriam ſuam; ſed quia in hac rerum ſerie inſunt, nec ſalva ejuſdem perfectione (§. 556), ob quam eandem ceteris prætulit (§. 325), ſalvaque ſapientia ſua (§ 676), qua in decernendo uti omnino debet (§. 643), tolli poſſunt, iis utitur ad manifeſtandam gloriam ſuam, hanc certe rerum ſeriem minime decreturus, niſi hunc habere uſum potuiſſent, utpote nihil decernens niſi reſpiciendo ad finem ultimum (§. 626), gloriæ ſuæ manifeſtationem (§. 629). Quodſi quidam affirmaverint, decreviſſe Deum malorum exiſtentiam, ut eorum faceret uſum in manifeſtanda gloria ſua; durius loqui videntur, quam ſentiunt. Cum enim negent Deum eſſe mali auctorem cauſamque peccati; mentem eorum aliter explicare non licet, quam quod Deus decreverit exiſtentiam hujus ſeriei rerum, cui mala phyſica atque moralia inſunt, propterea quod eorum uſum facere potuit in manifeſtanda gloria ſua, quam tanquam finem ultimum intendit, niſi in interpre-

terpretando iniquum te præbere aliis volueris (§. 922 *Log.*). Ceterum noſtrum eſt in caſibus, quos experimur, particularibus ſcrutari, quomodo per mala phyſica atque moralia, quæ contingunt, gloria Dei manifeſtetur: *id* quod multiplici modo in praxin redundat.

§. 682.

Quomodo poſſibilitas directionis malorũ ad bonos fines faciat ad perfectionem univerſi.

Poſſibilitas directionis malorum phyſicorum & moralium ad bonos fines, ſeu, quod mala phyſica & moralia ita inſint huic ſeriei rerum, ut ad bonos fines & mediantibus hiſce tandem ad gloriam Dei dirigi poſſint, pertinet ad perfectionem hujus univerſi. Etenim quatenus fieri poteſt, ut mala phyſica & moralia dirigantur ad bonos fines; iiſdem uti licet tanquam mediis obtinendi fines bonos, quibus alias in hac rerum ſerie non poterat eſſe locus, naturaliter ſcilicet (§. 679). Et quatenus eadem tandem diriguntur ad gloriam Dei (§. 681), finem ultimum, quem ipſe intendit (§. 629); fines boni, ad quos diriguntur, ultimo ſubordinantur per modum mediorum ad eundem ducentium (§. 679. 635). Quamobrem cum perfectio mundi enaſcatur ex poſſibilitate ſubordinationis finium particularium & ultimi (§. 671); poſſibilitatem directionis malorum ad bonos fines, & mediantibus hiſce tandem ad gloriæ divinæ manifeſtationem, pertinere ad perfectionem hujus univerſi, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt.

Singularis adeo perfectionis ſpecies eſt, quæ ex directione malorum ab bonos fines & mediantibus hiſce ad ultimum oritur. Ea ſane careret hoc univerſum, ſi mala phyſica & moralia ex eo exularent. Etſi itaque illa directio non ſit ratio ſufficiens, cur Deus mala moralia præſertim in hoc mundo exiſtere voluerit; ſuit tamen ſufficiens ratio, cur illis in eodem reliquerit locum, hoc eſt, cur ob *illa* hujus exiſtentiam decernere non intermiſerit. Quibus difficilis eſt aſſenſus, illi ſumunt, quod a veritate alienum probari nequit, Deum decreviſſe malorum exiſtentiam, quæ ex mundo hoc exulare poterant, ut ea ad bonos fines tandemque ad manifeſtationem gloriæ ſuæ dirigere poſſet, fiducia hypotheſeos de eſſentiis arbitrariis: quæ cum a nobis jam ſupra (§. 191) profligata fuerit, non opus eſt ut de difficultate removenda hic ſimus ſolliciti. Sufficit admoneri eos, quibus iſta hypotheſis probatur, ut perpendant, quam infeliciter in philoſophiam fuerit introducta, & quam parum conſulant Theologiæ naturali, qui eſſentias neceſſarias rejicere audent, quas libertati divinæ in decernendo nullibi obſtare ex noſtris demonſtrationibus abunde patet.

§. 683.

Quomodo faciat, ut major ſit in mũdo perfectio.

Quoniam poſſibilitas directionis malorum phyſicorum & moralium ad bonos fines & mediantibus hiſce ad gloriæ divinæ manifeſtationem pertinet ad perfectionem hujus univerſi (§. 682), atque adeo perfectionis univerſi partem quandam ſingularem abſolvit, qua ea careret, ſi nullis malis in eodem eſſet locus; ideo jam patet, *quod mala phyſica & moralia faciant, ut major ſit in hoc univerſo perfectio, etſi ob eorum inexiſtentiam mundus non poſſit dici perfectior.*

Agnovit hoc pro acumine ſuo *D. Thomas*, quod mala faciant, ut major ſit in hoc univerſo perfectio. Qui hebetiores ſunt, quam ut veritates minime obvias capere poſſint; ſumunt mundum dici perfectiorem ob mala moralia, & hinc colligunt, mala moralia per ſe ſeu qua talia perfectionem mundi augere: unde porro conſequentias moleſtas defenſoribus propoſitionis præſentis deducunt. Sed facilis eſt reſponſio. Mala non faciunt mundum perfectiorem, quam foret, ſi quidem iiſdem careret; verum directio eorum ad bonos fines & mediantibus hiſce ad finem ultimum eundem perfectiorem reddit, quam abſque hac directione foret, & ſic demum efficiunt, ut major ſit in hoc univerſo perfectio. Præterea errant, dum mundum malo vacuum, quoad cetera prorſus cum præſente eundem, conferunt

cum

cum mundo præſente, cui mala inexiſtunt. Etenim demonſtravimus, mala pariter phyſica atque moralia huic ſeriei rerum ita implicari, ut iſtis ablatis mundus idem quoad cetera manere minime poſſit. Inſaniret utique qui affirmare auderet, mala per ſe, quatenus talia ſunt, reddere mundum perfectiorem: ſed nemo tam inſanus erit, qui hoc affirmare auſit. Ut vero clarius appareat, quomodo directio mali ad bonos fines & mediantibus hiſce ad finem ultimum, gloriæ divinæ manifeſtationem, mundum perfectiorem reddat, ſequentes adhuc addere lubet.

§. 684.

Directio malorū unde fit.

Directio malorum phyſicorum & moralium proficiſcitur a ſapientia divina. Dum enim Deus mala phyſica & moralia dirigit in bonos fines (§. 680) & mediantibus hiſce ad gloriæ ſuæ manifeſtationem (§.681); fines ſibi conſtituit per mala tanquam media obtinendos (§.679), cumque manifeſtatio gloriæ ſuæ ſit finis ultimus (§.629); fines particulares ultimo ſubordinat. Enimvero ſapientiæ eſt fines conſtituere & media ad eos ducentia eligere fineſque ſibi invicem ſubordinare (§.678 *Pſychol.rat.*). Quamobrem ſapientiæ divinæ eſt malorum phyſicorum atque moralium directio.

Conſiſtit in hac malorum directione ſapientiæ effectus, cui locus nullus futurus erat in univerſo, ſiquidem malis in eodem nullus eſſet locus. Hac ſapientia nos quoque ſæpiſſime opus habemus. Etenim contingit nobis evenire mala phyſica, quæ nulla prudentia evitare licet, vel nos committere mala moralia, quæ evitari quidem debebant ac poterant, ſed facta tamen infecta fieri nequeunt. Atque adeo tum opus eſt, ut mala dirigamus in bonum finem. Contingit præterea mala phyſica evenire aliis & moralia committi ab aliis, quæ a nobis impediri minime poſſunt. Tum vero demum noſtrum eſt eadem dirigere in bonos fines. De hoc officio, ſapientiæ humanæ parte non infima ac prudentia ſæpe non poſtrema, agemus in philoſophia practica, ubi oſtendetur, quo modo fieri poſſit & quo pacto fieri queat iſta malorum directio ſalvis ceteris officiis. Plurimum vero juvat exemplum ipſius Dei. Sed hæc omnia ſuo patebunt loco.

§. 685.

Quomodo mala faciant ad gloriā Dei.

Mala phyſica & moralia faciunt ad manifeſtationem ſapientiæ divinæ. Etenim Deus mala phyſica & moralia dirigit in bonos fines (§.680) & tandem ad gloriæ ſuæ manifeſtationem (§.681). Quamobrem cum directio eorundem ſit ſapientiæ divinæ (§. 684); Deus quoque per eandem hominibus ſuam manifeſtavit ſapientiam, conſequenter mala phyſica & moralia faciunt ad manifeſtationem ſapientiæ ſuæ.

Quoniam directio malorum ſingularis ſapientiæ effectus eſt (*not.* §. 684); Deus quoque ſapientiam ſuam ſingulari quadam ratione per eandem manifeſtat. Atque hoc pacto patet, mala phyſica & moralia facere ad manifeſtationem gloriæ divinæ ſingulari quodam modo. Ubi ad ſpecialia deſcenditur, non modo manifeſtatio ſapientiæ divinæ, verum etiam aliorum attributorum divinorum per eorum directionem illuceſcit.

§. 686.

Sapientia Deo juxta Sacram Scripturam vindicata.

Deus in Scriptura Sacra dicitur ſapiens eodem ſenſu, quo nos eundem ſapientem eſſe probavimus, & juxta eandem ſolus eſt, qui ſapiens dici meretur. 1.*Tim.*I. 17 & *Jud. verſ.* 25 Deus dicitur μόνος σοφὸς, ſolus ſapiens, atque adeo ſapientia Deo tribuitur tanquam prædicatum proprium, ut adeo vulgatus interpres μόνῳ σοφῷ Θεῷ in utroque loco tantummodo vertat, *ſoli Deo*, non vero *ſoli ſapienti Deo*, quemadmodum reddit *Caſtalio* literam ſecutus, propterea quod is, qui ſolus ſapiens dici meretur, ſolus quoque Deus eſt. Vocabulum

Digitized by Google

bulum σοφία Græcis idem ſonare, quod Latinis ſapientia, pervulgatum eſt, & in Hebræo ſermone eidem reſponder vocabulum חכמה, quod ſeptuaginta Interpretes per σοφίαν vertunt, veluti 1. *Reg.*IV. 30. 34 & cap. V. 12. Narratur autem cap. III. 16 & ſeqq. judicium Salomonis de duabus meretricibus, quo ſapientia ejus probatur & unde eam collegerunt Iſaelitæ *verſ.*28. Litigabant coram eo duæ meretrices in eadem domo abitantes & in eodem cubiculo dormientes de infante vivo, quem utraque ſuum eſſe ajebat, altero a dormiente oppreſſo & in locum vivi ſuppoſito. Rex inquiſiturus, cujuſnam eſſet teſtibus deficientibus, infantem vivum dividi & dimidium utrique tradi jubet; meretrice autem altera ad diviſionem provocante, altera infantem integrum alteri cedere, quam eundem dividi malente, tandem definit, eam eſſe infantis vivi matrem, quæ ipſum dividi nolit, adeoque huic rradendum eſſe pronuntiat. In quonam igitur conſiſtebat Salomonis ſapientia, quam hoc facto probatum dedit ſubditis? Detegere volebat matrem infantis vivi, de quo litigabatur, atque adeo hunc ſibi proponebat finem in ſuo judicio (§.932 *Ontol.*), ut jus reddere poſſet. Simulatio de infanre dividendo erat medium, quo vera matre detegebatur (§.937 *Ontol.*), conſequenter quo finem conſequi intendebat. Quoniam itaque ideo ſapientem ſeſe probavit, quia matrem veram, quæ latebat, ſimulatione ſua adeo feliciter detexit: omnino liquet, eum dici ſapientem, quod eligere noverit media ad finem conſequendum apta. Et quoniam prompte admodum hæc media eligere potuit; ipſi fuit habitus eligendi media ad finem ducentia (§. 428 *Pſychol. empir.*). Enimvero nobis ſapientia non eſt niſi finium ſibi convenientium (qualis erat ille, quem ſibi propoſuit Salomo tanquam Rex ſubditis jus controverſum vindicaturus) conſtitutio & mediorum ad eoſdem ducentium electio (§. 678 *Pſychol. rat.*), neque alio ſenſu ſupra Deum eſſe ſapientem probavimus (§. 640). Patet itaque in Scriptura Sacra ſapientiæ vocabulum eodem ſumi ſenſu, quo a nobis accipitur. Quamobrem cum Deus ſapiens dicatur in Sacra Scriptura, eodem ſenſu ejus auctoritate ſapiens dicendus, quo nos eundem ſapientem eſſe probavimus. Nimirum ipſius Sacræ Scripturæ quoque auctoritate dicendum erit, Deum ſibimetipſi præſcribere fines decentes & media eligere ad eos certo & ex aſſe ducentia. Dum vero juxta Sacram Scripturam ſolus eſt, qui ſapiens dici meretur; facile hinc intelligitur, eum eſſe ſapientem in omnibus, cum ex adverſo conſtet neminem hominum in omnibus ſapientem eſſe (§. 692 *Pſychol. rat.*). Nec minus inde perſpicitur juxta Sacram Scripturam tantam eſſe ſapientiam Dei, ut omnis creaturæ ſapientia ejus reſpectu pro nulla reputari debeat: quod utique idem eſt ac Deo tribuere ſapientiam infinitam, ſeu omnium, quæ concipi poſſunt, maximam. Quoniam itaque in Sacra Scriptura Deo ſapientia tribuitur in eodem ſenſu, in quo nos eundem ſapientem eſſe evicimus *per demonſtrata*, hoc ſenſu vero ſapientia

ſumma

Digitized by Google

ſumma atque perfectiſſima eſt ſcientia conſtituendi fines optimos, eligendi media, quæ certo & via breviſſima ad eoſdem ducunt, & quibus finem ex aſſe conſequi datur, fineſque omnes particulares ita ſibi invicem ſubordinandi, ut remotiorum media ſint propiores, & omnes tandem ſimul medium finis ultimi (§. 689 *Pſychol. rat.*), qualem ſane ſcientiam Deo quoque vindicavimus (§. 640); quin juxta Sacram Scripturam ad ſapientiam quoque pertineat finium particularium & ultimi ſubordinatio, conſequenter Deus dicendus ſit fines omnes particulares ſibi invicem, ac omnes tandem ultimo per modum mediorum ad finem ducentium ſubordinare, dubitandum non eſt.

Quodſi nobis prolixioribus eſſe liceret, ſingula ſapientiæ divinæ requiſita ex Sacra Scriptura ſigillatim demonſtrare poteramus, oſtenſuri Deo competere juxta eandem ſapientiam, qualem ipſi vindicavimus in anterioribus, & deinde ſubjungere propoſitionem præſentem, qua probatur, eum quoque eodem ſenſu ſapientem dici, quo nos ſapientem appellamus. Enimvero cum conſenſus in verbis in præſenti ſimul inferat conſenſum in re; ambagibus iſtis minime videtur opus, quæ pro talibus habendæ non ſunt, ubi ex inſtituto attributa divina ex Sacra Scriptura explicare ac demonſtrare volueris.

§. 687.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad finem ultimum & directionem malorum ad eundem.

Deus etiam juxta Sacram Scripturam conſtituit finem ultimum hujus univerſi manifeſtationem gloriæ ſuæ, & ad eundem finem dirigit mala moralia atque phyſica. Docetur hoc *Prov.* XVI. 4, ubi Deus dicitur univerſa feciſſe propter ſeipſum, impium quoque ad diem malum ſeu, quemadmodum *Caſtalio* vertit, ad pœnarum diem. Eſt vero Deus etiam juxta Sacram Scripturam ſibimetipſi ſufficientiſſimus (§. 429), adeoque nulla prorſus re extra ſe quomodocunque indiget. Quamobrem nullus concipi poteſt modus, quo propter ſeipſum quicquam facere poſſit, quam ut gloriam ſuam manifeſtet per hoc, quod facit. Et ſane quod ideo produxerit hunc mundum, ut per eum manifeſtaret gloriam ſuam, diſertis verbis docet Apoſtolus *Rom.* I. 20, quemadmodum jam ſupra explicavimus (§. 420. 423). Jam id, propter quod cauſa efficiens agit, eſt finis, quem intendit (§. 932 *Ontol.*). Manifeſtatio adeo gloriæ divinæ finis eſt, quem Deus per exiſtentiam mundi intendit: cumque omnia, quæ fecit, ad hunc finem referat vi verborum Salomonis, adeoque fines particulares non conſtituat niſi propter manifeſtationem gloriæ ſuæ, hoc eſt, ideo, quod ad eandem faciunt; eſſe illam finem ultimum patet (§. 943 *Ontol.*).

Idem porro Deus dicitur etiam impios feciſſe ad diem malum propter ſeipſum. Nemo non largitur, impios hic dici illos, quorum actionibus inhæret malum morale, & per diem malum intelligi tempus, quo mala phyſica iiſdem infliguntur. Quamobrem cum Deus propter ſeipſum quid faciat, quatenus per id gloriam ſuam manifeſtat; hominem feciſſe dicitur, quem noverat mala perpetraturum, & mala phyſica eidem immittere decrevit, ut hoc ipſo manifeſtaret gloriam ſuam. Patet itaque Deum juxta

Digitized by Google

Sacram Scripturam dirigere mala phyſica & moralia ad manifeſtationem gloriæ ſuæ.

Directionem malorum ad gloriæ divinæ manifeſtationem probari poteramus ex loco Pauli *Rom.* IX. 22. 23. Enimvero cum is ſit interpretationis controverſæ, noſtrum vero jam non ſit in hanc controverſiam inquirere; ſufficit ad ea provocaſſe, quæ de eodem diximus (§. 412), cum inde oſtenderemus velle Deum, quod ipſum deceat. Sane mali directio ad manifeſtationem gloriæ ſuæ decet Deum, cum ea ſit ſingularis quædam ſapientiæ divinæ pars (*not.* §. 685).

§. 688.

Conſenſus Sacræ Scripturæ circa directionem malorum ad bona.

Deus juxta Sacram Scripturam mala dirigit ad bona. Illuſtre exemplum hujus directionis Sacra Scriptura exhibet in Joſepho *Gen.* XXXVII. & ſeqq. Etenim cum is a patre præ fratribus ſuis amaretur, ac ideo tantum eorum odium incurreret, ut eum amice appellare non poſſent; nefando prorſus auſu mercatoribus Iſmaelitis vendebatur, qui eum in Ægyptum abducebant & ſervituti addicebant. Factum fratrum fuiſſe malum, utpote in parentem atque fratrem maxime injurium, nemo inficiabitur. Ecce igitur tibi malum aliquod morale, quod Deus fieri permiſit. Quin ſervitus, in quam deducebatur Joſephus, fuerit malum phyſicum, nemo in dubium vocabit, niſi qui ignorat, quantum inter libertatem & ſervitutem olim receptam, inter nos vero abrogatam, interſit. Servus nimirum cum libertate amittebat omnia jura, nec quicquam habere ſuum poterat totuſque a voluntate alterius pendebat. Jam cum Joſepho, quod Deo ſecundo uteretur, quæcunque tractaret, ea proſpere caderent; herus tantam in eum benevolentiam concepit, ut eum domui ſuæ præficeret ac omnia ſua in manus ejus traderet *Gen.* XXXIX. 2 & ſeqq. Hic heri in ſervum favor, prorſus ſingularis, erat utique eidem bonus. Atque adeo patet, malum morale, quod perpetraverant fratres Joſephi, & malum phyſicum, quod ipſemet perpeſſus fuerat, a Deo fuiſſe directum ad bonum. Porro cum idem Joſephus uxori domini ſui, eum ad concubitum ſollicitanti, annuere nollet; is ab eadem falſo accuſatum in carcerem includi juſſit *Gen loc. cit. verſ* 7 & ſeqq. Invitamentum ad adulterium, in quod conſentire nolebat Joſephus, juvenis caſtus ac pius, erat malum morale, a Deo permiſſum. Calumniæ, quibus innocentem aggravabat mulier peſſima, in eundem omnino cenſum ſunt referendæ. Detentio autem Joſephi in carcere malum erat phyſicum, quod ei eveniebat, propterea quod caſtitati, pietati in Deum, fidelitati in dominum ac prudentiæ ſtuduerat, conſequenter ex benefacto ſuo accedente alterius malefacto enaſcebatur. Accidit vero deinde fato ſingulari *Gen.* XL. XLI. ut Rex Ægypti Pharao ex carcere eductum ad maximum dignitatis faſtigium eveheret, poteſtate ei in omnem Ægyptum permiſſa. Hanc dignitatem in numerum bonorum eſſe referendam, quibus mactatus fuit Joſephus, citra ullam hæſitationem unuſquiſque concedet. Ex malo igitur morali, quod Deus non impedivit, & malo phyſico, quod inde ſecutum, tandem enatum eſt bonum. Unde denuo patet, ut ante, Deum

malum

Digitized by Google

malum morale & phyſicum direxiſſe in bonum. Ceterum ex hac ipſa quoque hiſtoria liquet, quomodo mala & bona a ſe invicem dependeant, ut unum abſque altero naturaliter exiſtere minime poſſit. Sane niſi Jacobus parens amaſſet Joſephum filium natu minimum præ ceteris filiis ſuis; nec fratres eum odio proſecuti fuiſſent. Amor Jacobi, quo Joſephum, adoleſcentem pulcherrimæ formæ ac bonæ indolis complectebatur, non erat malus, ſed omnino bonus: aſt odium fratrum, quo adverſus illum flagrabant, malum erat morale. Dependebat itaque malum morale a bono, ſed non impediendum, niſi ſublato bono, ceſſante nimirum amore patris in filium probum. Ex odio fratrum enaſcebantur conſilia de ipſo occidendo, quibus denuo inter mala moralia locus eſt, & tandem cum mercatores in Ægyptum iter facturi in eos inciderent, decretum de vendendo. Quoniam in venditionem conſentiebant omnes, quod Judas fratrum unus necem ejus diſſuaderet, Judæ autem conſilium eatenus erat bonum, quatenus vitæ fratris conſulebatur; venditio, qua frater ſervituti addicebatur, actus utique in ſe malus, denuo dependebat ab actu bono, non impediendus, niſi bonum conſilium ceſsaſset. Ceterum venditio illa in ſe mala quoad vendentes, bona erat phyſice conſiderata reſpectu venditi, atque adeo uni eidemque actui inhærebat & bonum, & malum. Quodſi Joſephus non fuiſset venditus a fratribus, in Ægyptum nunquam perveniſset, & conſequenter nec ibidem gratiam Potipharis meruiſſet. Unde denuo patet bonum, quod Joſepho eveniebat, dependiſſe a malo, quod perpetrabant fratres. Recte omnino faciebat Joſephus, quod ad committendum adulterium cum uxore domini ſui ſe adduci minime patiebatur: ſed male faciebat mulier improba, quod calumniata audacter innocentem in carcerem adduceret. Unde malum morale dependebat a bono, & a morali denuo malum quodpiam phyſicum. Quodſi Joſephus in carcerem non fuiſſet detruſus, nec ſomniorum interpretatione anſam dare poterat prægustatori Pharaonis, ut eodem fine commendaretur Pharaoni & felici interpretatione ſomnii non modo gratiam ejus ſibi conciliaret, verum etiam ad dignitatem regiæ proximam eveheretur. Unde liquet, quomodo a malo phyſico dependeat bonum. Qui attenta mente modo dicta recolere voluerit, is abunde perſpiciet, ob rerum in hoc univerſo nexum, mala moralia, phyſica & bona ita a ſe invicem dependere, ut niſi malis admiſſis locus eſſe in eodem bonis minime poſſit. Deus itaque, pervidens ab æterno omnem rerum nexum, cum intendat bonum tanquam finem, locum quoque relinquere debet malis tanquam mediis ad idem ducentibus. Agnovit hæc ſatis ſuperque Joſephus quemadmodum inſinuant ea, quæ cum fratribus locutus eſt *Gen.* XLV. 4 & ſeqq. Cum in Scriptura probentur, quæ locutus eſt; directio mali ad bonum eo utique concipienda modo juxta Sacram Scripturam, quo eandem explicavimus.

Modus, quo expendimus directionem malorum ad bona, exemplo eſſe poteſt in aliis caſibus, ubi in eandem directionem inquirendum. Patet nimirum animum advertendum eſſe

ad eventus, qui ſe invicem excipiunt, & perpendendum quibus poſitis ponantur alii, non ponendi niſi poſitis iſtis. Ita enim eorundem mutua a ſe invicem dependentia innoteſcit, atque adeo intelligitur, qunmodo in hac rerum ſerie mala phyſica pendeant a moralibus, moralia ſubinde a phyſicis, & bona ab utriſque. Quodſi jam bona ſumantur tanquam fines a Deo intenti, tum patebit, malis huic rerum ſeriei per naturam rerum inexiſtentibus a Deo relinqui locum, quod ad illorum actualitatem quid conferant, conſequenter quod præbeant ſui uſum ad conſequenda bona per modum medii. Uſus hic cum ſit bonus, & voluntas omnis per naturam ſuam feratur in bonum (§. 904 *Pſychol. empir.*), non repugnat dici, quod Deus uſum iſtum intenderit tanquam finem (§. 648). Nimirum mala, quatenus hunc habent uſum, mala non ſunt, quemadmodum ex ipſa notione mali reſpectiva intelligitur (§. 371), nec proprie loquendo uſum bonum habent, quatenus ſunt mala, ſed quatenus mala moralia ſunt actiones phyſicæ, mala phyſica eventus naturales: quod noſſe cum plurimum referat; noſtrum eſſe videtur, ut malorum in bonum influxum exponamus diſtinctius. Hoc ſane pacto fore confidimus, ut omnes tandem diſpellantur nebulæ, quæ iis offunduntur, quotquot capere non poſſunt, quomodo mala poſſint ſubire locum mediorum conſequendi bona, præſertim ubi in concurſu Dei ad mala oſtendetur adhuc, quantum mala pendeant a Deo, quoad ipſum minime mala, quemadmodum jam vidit *Campanella* perſpicillis thomiſticis uſus.

§. 689.

Modus quo bona a malis dependent in hoc univerſo.

Bona in mundo non dependent a malis quatenus mala ſunt, ſed quatenus mala moralia ſunt actiones phyſicæ, phiſica autem cauſæ naturales. Nimirum bona in mundo dependent a malis, quatenus ratio actualitatis ſuæ in iis, quæ mala ſunt, continetur (§. 851 *Ontol.*), non adeo ponenda niſi hiſce poſitis, in quibus ratio iſta continetur (§. 118 *Ontol.*). Jam cum mala phyſica per eaſdem regulas motus conſequantur, per quas conſequuntur cetera in hac rerum ſerie, quæ mala non ſunt (§. 558), nec in relatione ad mundum integrum (§. 563), ſed tantummodo in relatione partium, imo particularum univerſi ad ſe invicem talia cenſeantur (§. 565); ipſa in hac rerum ſerie continentur, non quatenus mala ſunt, ſed quatenus ſunt effectus rerum aliarum in hac ſerie rerum contentarum. Jam actus contingentium in mundo determinatur per ſeriem contingentium, quæ a ſe invicem dependent ut effectus a ſua cauſa (§. 83 *Coſmol.*). Quamobrem malum phyſicum, quod in ſerie rerum collocatur tanquam effectus naturalis, fit cauſa boni tanquam effectus ab eodem dependentis, atque ſecundum regulas motus inde conſequitur tanquam effectus naturalis (§. 511 *Coſmol.*). Atque adeo patet bonum dependere in hac ſerie rerum a malo phyſico, non quatenus malum eſt, ſed quatenus in ſerie cauſarum naturalium continetur.

Similiter actiones malæ externæ, quatenus phyſice ſpectantur, eodem modo conſequuntur, quo bonæ (§. 572). Quamobrem cum phyſice ſpectentur, quatenus ſunt mutationes in corpore accidentes (§. 568); in ſerie rerum perinde ac mala phyſica una cum actionibus bonis collocantur tanquam effectus naturales. Unde patet, ut ante, alia inde conſequi per modum effectus a ſua cauſa, conſequenter bona in hac rerum ſerie pendere a malo morali, non quatenus actiones hominum moraliter ſpectantur, ſed quatenus ſpectantur phyſice.

Idem multo clarius patet demonſtratione ad caſum particularem applicata.

Digitized by Google

cata. Sumamus itaque exemplum Joſephi, quo directionem mali ad bona divinam ex Sacra Scriptura illuſtravimus. Etſi enim hic ex principiis rationis demonſtranda ſit propoſitionis veritas; nil tamen obſtat, quo minus exemplum petatur ex Sacris, cum hic tantummodo conſideretur tanquam factum, quod fidem humanam meretur, imo ſufficiat idem ſumi tanquam caſum poſſibilem. Vendebatur Joſephus a fratribus mercatoribus Iſmaelitis & ab his in ſervitutem deducebatur in Ægyptum. In Ægypto calumniis mulieris malæ in carcerem conjiciebatur, & ibi ſomniorum interpretandi occaſionem nactus ob artem, qua in iis interpretandis excelluit, Pharaoni commendari merebatur, cui cum eandem probaret, ad ſummam dignitatem evehebatur. Nemo non videt, Joſephum ad tantam in Ægypto dignitatem nunquam fuiſſe aſcenſurum, niſi a fratribus fuiſſet venditus in ſervitutem & a Potiphare in carcerem conjectus, Quoniam venditio iſta erat moraliter mala, nec minus calumniæ uxoris Potipharis, ob quas in carcerem conjiciebatur, malis moralibus accenſeri debent; evectio Joſephi ad ſummam in Ægypto dignitatem dependebat a malo morali. Venditio iſta mala erat, quod proficiſcebatur ex odio fratrum in fratrem, nec ullum venditoribus eſſet jus vendendi. Enimvero non ideo deducebatur in Ægyptum, quod ex odio eſſet venditus & quod eſſet venditus ab iis, quibus nullum vendendi jus erat, ſed ideo tantum, quod eſſet venditus mercatoribus in Ægyptum iter facientibus. Quamobrem evidens eſt, dignitatis ſummæ collationem, quatenus dependet a venditione in ſervitutem, dependere a mala actione, non quatenus moraliter, ſed quatenus phyſice ſpectatur, hoc eſt, quatenus motus in corpore fuere actiones ad venditionem requiſitæ, non quatenus hi motus reſponderunt volitionibus malitioſis atque injuſtis (§. 368), conſequenter a malo morali, non quatenus malum eſt, ſed quatenus in numero rerum naturalium locum habet. Similiter Joſephus non ideo ad dignitatem ſummam evectus, quod per malitiam mulieris laſcivæ & per injuſtitiam Potipharis mariti ejus in carcerem conjectus & per ingratitudinem Præguſtatoris in eodem detentus fuiſſet; ſed ideo tantum evenit, quod in carcerem conjectus & in eodem detentus fuiſſet. Unde patet, ut ante, collationem dignitatis ſummæ, quatenus dependet ab injuſta Joſephi in carcerem detruſione & ejus in eodem detentione, dependere a mala actione, non moraliter, ſed phyſice ſpectata (§. 368), conſequenter non a malo morali qua tali, verum quatenus actiones, quibus malum inhæret, ſunt in numero rerum naturalium. Ceterum cum malum morale inhæreat volitionibus, non quatenus ſunt modificationes animæ & hiſce ſui in corpore motus reſpondent (§. 569. 572), verum quatenus abuſu libertatis diriguntur in finem malum (§. 580. 574. 575); haud difficulter patet, quæ de caſu Joſephi dicta ſunt, eadem ad omnem alium eodem modo applicari debere. Atque adeo liquet bonum in genere a malo non dependere, quatenus

nus

nus malum eſt, ſed quatenus actiones, quibus vitioſitas inhæret, phyſice ſpectantur.

Poteramus uti exemplo domeſtico, ad quod ſupra provocavimus (*not.* §. 680): ſed applicatio eorum, quæ dicta ſunt, ad exempla alia adeo manifeſta eſt, ut eam ulterius explicare ſit actum agere. Quodſi vero fuerint nonnulli hebetiores, qui veritatem ſatis apertam videre nondum poſſunt; hi perpendant velim, ſi Joſephi evectio ad dignitatem ſummam dependeret a malo morali qua tali, cum malum morale proveniat ab intentione agentium, neceſſe fuiſſe, ut & fratres improbi, & mulier calumniatrix, & Potiphar ex credulitate injuſtus, & Præguſtator ingratus improbitate, calumniis, injuſtitia & ingratitudine illam intendiſſent: quod quam ſit a vero alienum, nemo non videt. Malum igitur qua malum in bonum minime influit. Unde etiam eſt, quod malum tribuatur hominibus libertate ſua abutentibus, directio vero ad bonum ad Deum auctorem referatur, a quo eſt rerum in univerſo nexus. Sed hæc apertiora fient, quando inferius de concurſu Dei ad malum acturi ſumus. Maxima in propoſitione præſente ratio habenda mali moralis; de phyſico enim jam oſtendimus, quod fiat, quatenus in ſe ſpectatur, juxta naturæ ordinem (§. 559), nec in relatione ad mundum totum malum ſit (§. 563), ſed tantummodo malum cenſeatur in relatione partium, imo particularum univerſi (§. 365). Non attendimus in demonſtratione illum caſum, quo nos malis perpetratis utimur tanquam motivo emendationis, propterea quod hæc directio mali ad bonum in Deo locum non habet, & de eadem ſuo loco in philoſophia practica acturi ſumus. Ceterum vi propoſitionis præſentis clarius intelligitur, cur mala minime obſtent perfectioni hujus univerſi (§. 683). Cum enim perfectio mundi naſcatur ex poſſibilitate ſubordinationis finium particularium & ultimi (§. 671); bona vero a malis non dependeant, quatenus mala ſunt, ſed quatenus, tanquam quæ ſecundum naturæ ordinem contingunt (§. 559. 572), in ſerie rerum naturalium continentur (*per demonſtrata in* §. 689); malum qua malum non ingreditur perfectionem univerſi, etſi ea, quibus malum inhæret, ſuum ad eandem conferant. Unde jam patet, quæ de malo morali phyſice ac moraliter conſiderato, nec non de malo phyſico in ſe ſpectato & ad alia relato in anterioribus inculcantur, non eſſe inanes diſtinctiones ad palliandas difficultates excogitatas ab iis, qui malam cauſam defendere volunt; ſed ipſis rerum notionibus primis in Ontologia & Coſmologia expoſitis apprime conſentire. Nec minus hinc jam perſpicitur, quod plena luce in doctrina de concurſu Dei perfundetur, quo ſenſu verum ſit, quod dixit *Campanella*, quoad Deum non dari malum in hoc univerſo. Etenim quoad Deum mundus conſideratur tanquam ens unum, cujus perfectio in mutua rerum a ſe invicem dependentia conſiſtit, quatenus per eam ad manifeſtationem gloriæ divinæ mundus efficitur aptus (§. 673). Quamobrem cum res in hoc univerſo ex mutua a ſe invicem dependentia ad conſtituendam perfectionem univerſi excludant malum qua tale; quoad Deum, qui ob perfectionem rerum ſeriem præſentem elegit (§. 325), nullum datur malum, cum non detur, quod tendat ad imperfectionem totius mundi (§. 371).

§. 690.

Imperſcrutabilitas ſapientiæ in quo conſiſtat.

Sapientia dicitur *imperſcrutabilis*, ſi fines ab agente intenti, vel media, quæ ad eoſdem conſequendos eligit, vel finium quoque ſubordinatio penitus nobis non fuerint perſpecta, nec a nobis certo cognoſci poſſint.

Quod imperſcrutabilitas ſapientiæ hic definiatur ſenſu communi, non dubitabit, cui repetere lubet, quæ de voluntatis imperſcrutabilitate a nobis annotata ſunt (*not.* §. 397), mutatis mutandis vi notionis ſapientiæ ſummæ Deo competentis (§. 640) ad ſapientiam facile transferenda (§. 689 *Pſychol. rat.*).

§. 691.

Imperſcrutabilitas ſapientiæ divinæ.

Sapientia divina omni homini, imo intelligenti finito imperſcrutabilis. Totum univerſum eſt plenum finibus a Deo intentis (§. 660), nexus rerum coexiſtentium conſiſtit in dependentia finis a medio, & nexus ſucceſſivorum in dependentia non modo finis a medio, verum etiam actionis cauſæ efficientis

a fine

à fine (§. 665), & in numero finium ſunt, quæcunque ex eſſentia & natura rerum conſequuntur (§.645), omnes rerum naturalium (§. 648) & artificialium uſus (§.649), omnes itidem fortunæ ſecundæ pariter atque adverſæ effectus (§. 651). Nemo igitur hominum fines omnes a Deo intentos perſpicere ac certo cognoſcere valet. Quoniam per media finis ad actum deducitur (§. 937 *Ontol.*); qui fines omnes perſpicere nequit, nec media omnia perſpicere valet, per quæ fines ad actum deducuntur. Unde porro liquet, neminem hominum intelligere media omnia, quibus Deus in hoc univerſo fines ſuos conſequitur. Jam cum fines ſibi invicem ſubordinentur, ut remotiorum media ſint propiores & omnes tandem ſimul medium finis ultimi (§. 635), conſequenter finium ſubordinatio omnis non intelligatur, niſi finibus ſingulis eorumque mediis perſpectis; ultro conſequitur, neminem mortalium omnem finium ſubordinationem perſpicere ac certo cognoſcere poſſe. Quoniam itaque ſapientia imperſcrutabilis eſt, ſi fines ab agente intentos, vel media, quæ ad eoſdem conſequendos eligit, vel finium quoque ſubordinationem penitus perſpicere ac certo cognoſcere non valemus (§.690); ſapientia utique divina nobis imperſcrutabilis eſt.

Idem etiam hoc modo probari poteſt. Nemo mortalium perfectionem totius univerſi comprehendere atque diſtincte explicare valet (§.541 *Coſmol.*). Quamobrem cum mundi perfectio enaſcatur ex poſſibilitate ſubordinationis finium particularium & ultimi (§. 671), & fines ſibi invicem ſubordinentur per modum mediorum ad finem (§. 634), diſtinctam vero rei notionem non habeat, niſi qui ſingula, quæ eidem inſunt, a ſe invicem diſtinguere valet (§. 88 *Log.*); nemo mortalium fines omnes, quibus abundat hic mundus adſpectabilis, ſigillatim perſpicere, ac quibus mediis obtineantur intelligere, finiumque ſubordinationem cognoſcere certo valet. Enimvero ſapientiam divinam perſcrutari nequit, qui fines ab eodem intentos & media ad eoſdem ducentia illorumque ac ultimi ſubordinationem penitus perpicere ac certo cognoſcere nequit (§. 690). Sapientia igitur divina omni homini imperſcrutabilis eſt.

Porro qui intellectu finito præditus eſt, ejus intellectus limitatus eſt (§. 173). Quamobrem cum limes arguat defectum ulterioris realitatis (§. 468 *Ontol.*), intellectus vero in facultate res diſtincte ſibi repræſentandi conſiſtat (§. 275 *Pſychol. empir.*); aliter is limitari nequit, quam quod non extendatur ad omnia poſſibilia, nec eadem prorſus diſtincte ſibi repræſentare valeat, ita ut nihil admittatur, quod confuſe tantummodo percipitur. Unde intellectus limitatus ea omnia, quæ in hoc univerſo inſunt, diſtincte perſpicere ac certo cognoſcere nequit. Fieri adeo non poteſt, cum in numero finium ſit, quicquid ex eſſentia & natura rerum conſequitur (§. 645), & omnis rerum coexiſtentium & ſucceſſivarum nexus in dependentia finis a medio conſiſtat (§. 665), ut intellectus finita vi fines omnes,

qui

qui inſunt huic ſeriei rerum, a ſe invicem diſtinguantur & media ad eoſdem ducentia detegantur, conſequenter nec intellectus finitus finium omnium ſubordinationem penitus perſpiecere ac certo cognoſcere valet. Quoniam itaque ſapientia divina ei imperſerutabilis eſt, qui fines omnes ac media ad eoſdem ducentia finiumque ſubordinationem penitus perſpiecere ac certo cognoſeere minime valet (§. 690); ſapientia divina omni intelligenti finito imperſerutabilis.

Ob imperſcrutabilitatem ſapientiæ divinæ *Carteſius* fines inter arcana Dei retulit, eoſque ex philoſophia proſcripſit tanquam cognitu impoſſibiles, nullum Teleulogiæ inter partes Philoſophiæ locum relinquens. Enimvero quemadmodum ſupra (*not.* §. 398) annotavimus, imperſcrutabilitatem voluntatis divinæ minime obſtare, quo minus eam ſcrutemur; ita hic quoque inculcandum venit, non impedire imperſcrutabilitatem ſapientiæ divinæ, quo minus in eam inquiramus, conſequenter fines ac media, quibus Deus in rerum natura utitur ad eos conſequendos, finiumque ſubordinationem ac mali ad bonum directionem inveſtigemus. Sane cum Deus per creationem hujus mundi adſpectabilis ſapientiam ſuam nobis manifeſtare decreverit (§. 608); fieri autem non poſſit, ut fine ſuo excidat (§. 621); abſurdum omnino exiſtimari debet, eam ea contemplatione hujus univerſi erui minime poſſe. Quamobrem cum ſapientia non agnoſcatur, niſi quatenus nobis fines a Deo intenti, media ad eoſdem ducentia & finium ſubordinationes innoteſcant (§. 640); quin etiam in finium cognitione pro modulo intellectus limitati proficere detur dubitandum non eſt. Et qui expendit quænam ea ſint, quæ in numerum finium referri debere evicimus (§. 645. 648. 649. 651. 665), is tentando oculatam experietur fidem. Imperſcrutabilitas autem ſapientiæ divinæ nos cautos reddere debet, ne temerarie de finibus rerum eorumque ſubordinatione judicemus. Quamobrem ſi quando contingat, nos præcipitati judicii falſitatem deprehendere; ea non ſufficiens ratio eſt ad finium cognitionem proſcribendam, niſi in Teleologia cum Scepticis facere volueris, nihil prorſus ſcire, quam periculo errandi ſeſe exponere malentibus (§. 41 *Pſychol. rat.*). Ecquis enim, niſi Scepticus fuerit, cauſarum inveſtigationem proſcribit, propterea quod præcipitato judicio in errorem ſæpe incidimus? Aliud ſane eſt finium cognoſcendorum impoſſibilitas, aliud eorundem cognoſcendorum difficultas. Aliud eſt finium cognoſcendorum impoſſibilitas ſimpliciter talis, qua ab omni finis cognitione arcemur; aliud vero finium plurimorum cognoſcendorum impoſſibilitas, quæ maximam partem eorum, qui a nobis cognoſci poſſunt, facit minimam illorum, qui cognoſci nequeunt. Imperſcrutabilitas ſapientiæ divinæ arguit finium cognoſcendorum impoſſibilitatem ſimpliciter talem & eorum, qui a cognitione noſtra non prorſus removentur, cognoſcendorum ſubinde difficultatem; non vero tollit omnem finium cognoſcendorum poſſibilitatem, etſi ſubinde nobis iidem videantur inacceſſi. Non video, quod contra finium inveſtigationem proferri poſſint, quæ non eodem modo contra cauſarum cognitionem urgeri poſſunt. Utrobique autem in principium Scepticiſmi fundamentale relaberis, ubi idem facere volueris. Hæc ideo prolixius inculcare libuit, ne præjudicio animum occœcantes Teleologiæ culturam deſeramus, quam ego pulcherrimam philoſophiæ naturalis partem exiſtimo, multiplici modo in felicitatem hominis influentem; id quod ſuo loco ac tempore expreſſius docebimus.

§. 692.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad imperſcrutabilitatem ſapientiæ divinæ.

Sapientia divina etiam juxta Sacram Scripturam imperſcrutabilis. Apoſtolus de occultis Dei judiciis locutus *Rom.* XI, 33. exclamat: O altitudo ſapientiæ! hanc reddens prorſus admirabundus rationem. Quam inperveſtigabiles ſunt viæ ejus! Vocabulum βάθος, quod per altitudinem reddit vulgatus interpres, proprie profunditatem ſignificat. Latinis enim quod profundum eſt, idem & altum dici ſolet, quemadmodum ſæpe apud *Cæſarem* profunditas fluminis altitudinis nomine venit, quemadmodum ex adverſo apud Græcos βάθος quoque altitudinem ſubinde ſignificat. Quicquid vero ſit, ſive ſapientiæ

pientiæ divinæ altitudinem, ſive profunditatem tribuas, in caſu admirationis, quem exclamatio indigitat, ſignificatur, tantam eſſe ſapientiam divinam, ut eam aſſequi minime valeamus. Aſſequimur ſapientiam, ſiquidem nobis perſpicere licet fines ab agente intentos & media ad eoſdem ducentia (§. 678 *Pſychol. rat.*), conſequenter & finium ſubordinationem, quippe quæ fit per modum mediorum ad finem (§. 634). Quare ſi eam aſſequi non valemus, aut fines perveſtigare non poſſumus, aut media detegere nequimus, aut in finium ſubordinatione eruenda fruſtra deſudamus. Ex mente adeo Apoſtoli tanta eſt ſapientia Dei, ut fines omnes, quos Deus intendit, penitus perſpicere, & media ad eoſdem ducentia certo cognoſcere, finiumque ſubordinationem capere minime valeamus. Quoniam itaque ſapientia imperſcrutabilis eſt, ſi fines ab agente intentos vel media, quæ ad eoſdem conſequendos eligit, vel finium quoque ſubordinationem penitus perſpici ac certo cognoſci nequeant (§. 690); ſapientia divina ex mente Apoſtoli imperſcrutabilis dicenda eo ſenſu, quo eandem imperſcrutabilem eſſe modo evicimus (§. 691). Hanc vero fuiſſe Apoſtolo mentem, tanto minus dubitare licet, ubi animum ad rationem advertimus, quam altitudinis aut, ſi mavis, profunditatis ſapientiæ divinæ reddit. Etenim non ſine admiratione exclamat, quam imperveſtigabiles ſunt viæ ejus! Conſtat phraſi Sacræ Scripturæ vias Dei appellari media, quibus utitur ad fines, quos intendit, conſequendos, quatenus ſunt apta ad eos conſequendos, commodiſſima metaphora. Quemadmodum enim via nos ducit ad metam, ad quam contendimus; ita media ducunt ad finem, quem intendimus, ubi fuerint apta. Et ſane hac ipſa appellatione denotatur, Deum ſemper uti mediis, quæ certo & via breviſſima ad finem ducunt: quemadmodum ſupra demonſtratum eſt (§. 625. 636). Ex mente itaque Apoſtoli ſapientiam Dei aſſequi minime valemus, propterea quod comprehendere non poſſumus, cur hoc vel iſto modo agat Deus, ignorantes aptitudinem mediorum ad finem conſequendum, quia nec fines ſatis explorare, nec media, ſi vel maxime illi perſpecti nobis eſſent, ad eos conſequendos maxime apta divinare licet. Nimirum ipſo auctore tanto majorem in admirationem rapimur, quanto ſollicitius inquirimus in fines, quos Deus intendit, & in media, quibus utitur in iis proſequendis, & in aptitudinem illorum mediorum, ubi vis abyſſum cognitionis deprehendentes, quam rationis humanæ vi explorare non valemus. Ratio igitur ab Apoſtolo prolata, cur profunda ſit ſapientia Dei, ejus imperſcrutabilitatem eodem ſenſu palam loquitur, quo eandem evicimus (§. 691).

Apoſtolus in admirationem totus abripitur, ubi ſapientiæ divinæ imperſcrutabilitatem expendit: id quod exinde apparet, quod non ſolum in probanda ſua de eadem ſententia, ſed & in reddenda ratione exclamatione utatur, ac mox interrogatione, ubi rationem rationis redditurus, quanta ſit ſibi certitudo, indigitare intendit. Hoc ſuo exemplo duo nos docet, nimirum quod in fines a Deo intentos & media, quibus ad eoſdem conſequendos utitur, omni ſtudio inquirere debeamus, etiam ubi inanem operam a nobis ſumi pro explorato

habemus, ut imperſerutabilitatis ſapieotiæ divinæ reddamur prorſus certi; deinde quod agnita imperſerutabilitate divina Deum admirabunda mente venerari teneamor, ne ſterilis ſit noſtra imperſcrutabilitatis ſapieotiæ divinæ cognitio. Quamobrem oec nocent errores de finibus a Deo inteotis & eorum mediis, modo oon fiogaotur, quæ Deum dedeceant, ubi iiſdem animadverſis ad imperſerutabilitatem ſapientiæ divinæ coovertimus animum & de ea certiores redditi ad Dei veoerationem rapimur.

ſ. 693.

Immenſitas ſapientiæ divinæ.

Sapientia divina immenſa eſt. Etenim ſapientia divina ſumma atque perfectiſſima eſt (§. 640), adeoque eadem majorem concipi repugnat, conſequenter limitata eſſe nequit (§. 825 *Ontol.*). Eſt igitur illimitata (ſ. 53 *Ontol.*). Quamobrem cum quantitas limitata non poſſit fieri illimitata, quotieſcunque ſumatur (§. 175); fieri nullo modo poteſt, ut ſapientia limitata quæcunque tandem degeneret in divinam, quotieſcunque ſumatur, conſequenter limitata quæcunque, hoc eſt, quæ ineſt intellectui finito, divinæ prorſus heterogenea eſt (§. 364 *Ontol.*), adeoque pro menſura divinæ aſſumi haud quaquam poteſt (ſ. 441 *Ontol.*). Quamobrem cum præter ſapientiam divinam illimitatam & ſapientiam limitatam concipi nulla poſſit (§. 53 *Ontol.*); nulla prorſus reperiri poteſt menſura ſapientiæ divinæ. Quoniam itaque immenſum eſt, quod omnem menſuram reſpuit (§. 41); ſapientia Dei immenſa eſt.

Quodſi qois ſibi perſuadeat, immenſitatem ſapientiæ divinæ facilius patere per imperſerutabilitatem paulo ante evictam (ſ. 691); eum animo recolere jubemus, quæ ſupra de immenſitate intellectus divini, unde ſapientiæ peodet immenſitas, eum ſapientiæ immeolæ non ſit locus niſi in intellectu immenſo, annotavimos (*not.* ſ. 176). Nimirum vulgo immenſitatem nobis repræſentamus per multitudinem eorum, quæ in immenſo continentur, quatenus refertur ad ea perpauca, quæ ſub intellectum finitum caduut, non vero eam concipimus per heterogeneitatem immenſi & menſurabilis, quemadmodum fieri debet, obi non confundenda a ſe invicem ſeparamus. Sapientia divina eſt quid prorſus incomparabile ſapientiæ noa modo humanæ, ſed intelligentis cujuſcunqoe finiti, ut ſapientia finita dici debeat infioite parva reſpectu divinæ phraſi Mathematicorom modernorom, adeoque hujus intoitu pro nihilo habeoda, quatenus partem quandam ſapientiæ divinæ conſtituere nequit aſſignabilem.

§. 694.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad immenſitatem ſapiĕtiæ divinæ.

Sapientia divina etiam immenſa eſt juxta Sacram Scripturam eodem ſenſu, quo nos immenſitatem ejus modo adſtruximus. Deus a Paulo 1. *Tim* I. 17, & a Juda *verſ.* 25, dicitur ſolus ſapiens, etſi hominibus quoque tribuatur ſapientia in Sacra Scriptura, veluti Salomoni 1. *Reg.* IV. 30. 34. Niſi admittere velis contradictionem contra æquitatem in interpretando etiam in humanis (§. 922 *Log.*); fatendum omnino eſt, ex mente Apoſtolorum ſapientiam divinam eſſe quid omni ſapientiæ entis intelligentis finiti cujuſcunque prorſus incomparabile, quemadmodum in genere magnitudinum linea incomparabilis eſt ſuperficiei, ſuperficies autem ſolido, conſequenter ſapientiam divinam eſſe omni ſapientiæ entis intelligentis finiti cujuſcunque heterogeneam, ſicuti linea eſt ſuperficiei, ſuperficies ſolido heterogenea (*not.* §. 364 *Ontol.*). Quamobrem cum menſura menſurato homogenea eſſe debeat (§. 441 *Ontol.*); nulla concipi poteſt juxta Sacram Scripturam ſapientia,

tia, quæ ſit divinæ menſura, conſequenter divina omnem prorſus menſuram reſpuit. Quamobrem cum nobis immenſum ſit, quod omnem menſuram reſpuit (§. 41); juxta Sacram Scripturam ſapientia divina immenſa eſt eodem prorſus ſenſu, quo nos immenſitatem ejus modo adſtruximus (§. 693).

Ut imperſcrutabilitatem ſapientiæ divinæ intelligibilem reddat Apoſtolus iis, qui ultra ſenſus non ſapiunt, adeoque plurimis, eam cum abyſſo confert, cujus tanta eſt profunditas, ut explorari minime poſſit *Rom.* XI. 33. Neque enim imago alia immenſitatem ſapientiæ divinæ magis repræſentat, quam abyſſus immenſæ profunditatis, in ſtuporem conjiciens eos, qui eam explorare conantur.

Probatio propoſitionis præſentis luculento exemplo docet, verba Sacræ Scripturæ ſenſum habere profundum, quem non aſſequuntur, quotquot in ſuperficie hærere ſolent, ſimulque confirmat uſum philoſophiæ in interpretanda Sacra Scriptura, in qua plus videt philoſophus, quam qui a philoſophia vacuum habet animum.

§. 695.

Bonitas quid ſit.

Per *Bonitatem* intelligimus pronitatem ad aliorum perfectionem promovendam, aut ſi mavis, promptitudinem promovendi perfectionem alterius. Unde *Bonus erga alios* dicitur, qui pronus eſt ad aliorum perfectionem promovendam, ſeu qui ſe facilem præbet ad eam promovendam.

Notio bonitatis derivatur ex notione boni reſpectiva. Cum enim bonum in relatione ad aliud dicatur, quod ad perfectionem alterius quid confert, ſeu in eandem quomodocunque influit (§. 370); bonus utique erga alios dicendus erat, qui aliorum perfectionem promovet. Quoniam vero non ſufficit actus externus, qui rationes extrinſecas habere poteſt, etſi primus ab aliorum perfectione promovenda ſit alienus; ſi quidem bonitas animo ineſſe debet, ſeu quid ſpiritui intrinſecum, neceſſe eſt denotet pronitatem ad aliorum perfectionem promovendam, ut adeo actus externi ex hoc fonte fluant. Unde qui bonus eſt erga alios, is ſe facilem præbet aliis, quoties ejus opem implorant, imo quoties ipſemet animadvertit, ſe alteri prodeſſe poſſe.

§. 696.

Quænã faciat, qui erga alios bonus eſt.

Qui bonus eſt in alios, is aliis bona conferre ſtudet pro virili. Etenim qui bonus eſt in alios, ad aliorum perfectionem promovendam pronus eſt, in eaque facilem ſe præbet aliis (§. 695), conſequenter ad eandem promovendam confert, quicquid poteſt. Quicquid ad perfectionem alterius quomodocunque facit, bonum eſt in relatione ad ipſum (§. 370). Quamobrem cum bona in alios conferat, qui ad perfectionem aliorum promovendam confert quod poteſt; bonus in alios aliis utique bona conferre ſtudet, quantum poteſt, ſeu pro virili.

E. gr. Ponamus Mævium ſtudioſo egeno largiri nummos ad emendos libros, quibus opus habet. Cum in Moralibus oſtendatur, opes pertinere ad perfectionem ſtatus externi, & ſcientiam ac eruditionem ſpectare ad perfectionem intellectus, quin nummorum largitione ſtudioſi perfectionem promoveat Mævius, dubitari haud quaquam poteſt. Nummi adeo eum inſerviant comparandis libris, ex quibus ſcientiam atque eruditionem haurit ſtudioſus; in ejuſdem perfectionem hoc ipſo, quem eidem præbent, uſu influunt, adeoque boni ſunt in relatione ad eundem (§. 370). Mævius itaque dum ſe ſtudioſo egeno bonum præbet, bonum quoddam in eundem confert, ſeu eidem benefacit. Inde eſt, quod vulgo bonus erga alios dicatur, qui aliis benefacit, aut bona in alios confert, cum vulgo notiones non ſatis explicentur, ſed in confuſis acquieſcatur.

§. 697.

Character boni in alios.

Qui aliis bona pro virili conferre ſtudet, in alios bonus eſt. Qui aliis bona pro virili conferre ſtudet, is ea facit, quantum poteſt, quæ perfectionem aliorum promovent (§. 370), adeoque facilem ſeſe præbet aliis in eorum perfectione promovenda. Enimvero qui facilem ſeſe præbet aliis in eorum perfectione promovenda, is in alios bonus eſt (§. 695). Quamobrem erga alios bonus eſt, qui iis bona conferre ſtudet.

Patet adeo notionem bonitatis communem tolerari poſſe, modo ſupponatur, quid ſit bonum in relatione ad alios, ut quid ſibi velit boni collatio ſufficienter intelligatur, & in caſu particulari demonſtrari poſſit, bonum aliquod in alterum fuiſſe collatum. Exemplum, quod modo dedimus (*§. not. 696*), propoſitionem præſentem illuſtrat. Nimirum ex eo colligitur, Mævium eſſe bonum erga alios, quod ſtudioſo egeno nummos ad emendos libros, quibus opus habet, largiatur, quia eidem benefacere cenſetur. Aſt ubi probandum, bonum aliquod a Mævio conferri in eundem, ad notionem boni omnino recurrendum.

§. 698.

Quantũ boni Deus conferat in creaturas.

Deus enti cuicunque tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt. Cum enim ideo quid ſit poſſibile, quod ejus idea in intellectu divino detur (§. 192), intrinſeca vero poſſibilitate eſſentia entis abſolvatur (*not.* §. 153 ***Ontol.***); quod eſſentiæ rerum a Deo ſint, extra omnem dubitationem poſitum eſt. Enimvero in conſenſu determinationum eſſentialium continetur perfectio eſſentialis (§. 528 ***Ontol.***). Quamobrem liquet omnem perfectionem eſſentialem a Deo eſſe. Et quia Deus rem nullam aliter facere poteſt, quoad determinationes eſſentiales, quam facit (§. 557); tantundem perfectionis eſſentialis eidem tribuit, quantum recipere valet. Porro modi rerum, qui cum in accidentium numero ſint (§. 779 ***Ontol.***) ad determinationes accidentales ſpectant, rationem ſui ſufficientem in aliis entibus agnoſcunt (§. 160 ***Ontol.***) & in eorum cum determinationibus eſſentialibus conſenſu perfectio accidentalis conſiſtit (§. 528 ***Ontol.***). Quamobrem cum Deus ens unumquodque in perfectiſſima rerum ſerie collocaverit (§. 326) & mala, quæ permittit (§. 585), vi ſapientiæ ſuæ (§. 677) in bonum finem dirigat (§. 680), eaque ſalva ſapientia ſua ſumma atque perfectiſſima tollere nequeat (§. 676); tantundem quoque perfectionis accidentalis tribuit enti cuicunque, quantum ſalva ipſius, quæ ſumma eſt (§. 640), ſapientia fieri poteſt (§. 370).

Ut veritatem propoſitionis præſentis animo comprehendant bonitatis divinæ convincendi ſingula demonſtrationis principia probe perpendant. Nimirum 1. expendant differentiam, quæ inter perfectionem eſſentialem & accidentalem intercedit, expoſitam in philoſophia prima (§. 528 *Ontol.*). Deinde 2. ad animum revocent eſſentiarum, ac independentem perfectionis eſſentialis neceſſitatem & immutabilitatem, ne eſſentiarum arbitrariarum hypotheſi deluſi fingant perfectionem, quæ in entia non cadit finita dati generis dataque ſpeciei. 3. Conſiderent dependentiam perfectionis accidentalis a nexu rerum in hoc univerſo, ſalva totius univerſi perfectione non immutando. 4. Ad animum quoque revocent mala moralia abuſu libertatis in ſeriem rerum irrepere & 5. a Deo tolerari, quæ ſalva perfectione totius mundi inde tolli minime poſſunt; 6. dirigi autem ad bonum finem, ut major inſit toti ſeriei rerum perfectio. Si quis vero vel hebetior fuerit, quam ut tot tamque abſtruſa capere poſſit, vel ignavior, quam ut tantæ rerum diſcuſſioni vacare velit; is non miretur, ſi circa bonitatem divinam tantis difficultatibus implicetur, ut inſtar nodi alicujus Gordii inſolubiles

Digitized by Google

biles videantur. Ceterum ſi quis vel obiter hæc omnia ad animum revocet, unde veritas propoſitionis præſentis pendet; is facile perſpiciet, cur in tota Theologia naturali non detur aliquod caput, quod tot tantiſque difficultatibus implicitum ſit, quam quod de bonitate divina agit. Quoniam vero hinc potiſſimum tela petunt, quotquot religionem tam naturalem, quam revelatam impugnare ſolent; ſole meridiano clarius eſt, mereri ſingula, de quibus diximus, attentionem ſummam. Liquet etiam cur non adeo facile ſit religionem utramque defendere, præſertim cum ii, qui eandem impugnant, principia non modo ignorare ſoleant, verum etiam plerumque aut iis intelligendis non ſufficiant, aut ſtudium ſufficiens impendere tentant. Caveant vero ſibi, qui religionem defendere volunt, ne ipſimet impugnent principia, quibus tanquam telis adverſus hoſtes utendum, neque ſumant principia tanquam vera, unde difficultates naſcuntur, quas nectunt religionis hoſtes, nunquam vincendi armis, quibus ipſimet ad proſternendam religionem utuntur. Non intempeſtive hæc a nobis monentur: ipſimet enim experti ſumus, quam multi ſint in hoc argumento arduo incauti.

§. 699.

Deus ſumme bonus eſt, ita ut bonitatem majorem concipi repugnet. Etenim *Bonitas*
Deus enti cuicunque tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia ip- *Dei*
ſius fieri poteſt (§. 698). Enimvero qui aliis bona pro virili conferre ſtu- *ſumma.*
det, in alios bonus eſt (§.697), conſequenter ſumme bonus, qui tantundem confert boni, quantum fieri poteſt. Deus igitur ſumme bonus eſt, nec bonitas major divina concipi poteſt.

Nemo ſanus bonitatem ad impoſſibilia vel phyſice, vel moraliter talia extendit, ſed bonitati minime adverſum judicat, ſi non fiat, quod phyſice impoſſibile eſt, vel ſi quis facere nolit, quod moraliter impoſſibile. E. gr. Phyſice impoſſibile eſt, ut quis egeſtatem alterius ſublevet, qui ipſemet eget aliena ope. Unde bonitati contrarium non reputatur, ſi egenus non habens, unde opem ferat alteri egenti, eidem non ſuccurrat. Quodſi fur indigeat auxilio alterius ad effringendas fores; in bonitatem non peccat qui eundem deſtituit, cum moraliter impoſſibile ſit, quod juſtitiæ repugnat, ſeu ut juſtus faciat, quod virum juſtum dedecet.

§. 700.

Qui bonus eſt in alterum, eundem amat. Qui enim bonus eſt in alios, is *Signum*
aliis bona conferre pro virili ſtudet (§. 696). Quamobrem cum lubenter *bonita-*
velimus, quicquid volumus (§. 939 *Pſychol. empir.*), adeoque ea, quæ *tis.*
volumus, nobis placeant (§. 938 *Pſychol. empir.*), conſequenter ex iis voluptatem percipiamus (§. 542 *Pſychol. empir.*); qui bonus eſt in alios, is ex eo, quod aliis bonum eſt, conſequenter ex voluptate aliorum voluptatem percipit (§. 558 *Pſychol. empir*). Quamobrem cum alterum amet, qui ex voluptate ejus voluptatem percipit (§. 641 *Pſychol. empir.*); qui bonus eſt in alios, is alios amat.

Idem etiam ſic oſtenditur. Qui in alterum bonus eſt, is in eundem bona conferre ſtudet (§. 696). Quamobrem cum ex bono cognito voluptas percipiatur (§. 558 *Pſychol. empir.*); voluptatem ejus appetit. Quoniam itaque alterum amat, qui ejus voluptatem appetit (§. 650 *Pſychol. empir*); qui in alterum bonus eſt, eundem amat.

Inter bonitatem atque amorem adeo arctus nexus eſt, ut illa ſine hoc eſſe nequeat. Unde ſi contingit ob rationes particulares nos alterius commoda pro virili promovere, quem non amamus; id bonitati minime tribuendum, quemadmodum jam ante monuimus (*not.* §. 695). Nimirum ex amore tanquam fonte ſuo profluit bonitas: quod ut intelligatur, ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 701.

§. 701.

Fons bonitatis. *Qui alterum amat, is erga eum bonus eſt.* Etenim qui alterum amat, ejus animus diſpoſitus eſt ad voluptatem eidem ereandam (§. 652 *Pſychol. empir.*). Quamobrem eum voluptas in inruitu perfectionis conſiſtat (§. 511 *Pſychol. empir.*); diſpoſitum habet animum ad alterius perfectionem promovendam. Quoniam itaque erga alium bonus eſt, cujus animus eſt diſpoſitus ad ipſius perfectionem promovendam (§. 695); qui alterum amat, is erga eum bonus eſt.

Vides itaque non poſſe poni amorem, niſi ſimul ponatur pronitas ad alterius perfectionem promovendam, conſeqnenter bonitas erga eundem. Unde univerſalis amor omninm promiſcue hominum parit quoqne bonitatem erga omnes. Hoc ipſum adeo verum eſt, ut ad ipſas res inanimatas extendatur bonitas, quemadmodum ex propoſitione ſequente intelligitur.

§. 702.

Bonitas erga bruta & res inanimatas. *Qui res inanimatas, vel animantia bruta amat; is erga ea bonus eſt.* Etenim qui res inanimatas vel animantia bruta amat, is tam ad illarum, quam horum perfectionem promovendam pronus eſt (§. 655. 656 *Pſychol. empir.*). Quare cum bonitas in pronitate ad alterius perfectionem promovendam conſiſtat (§. 695); non minus erga res inanimatas, quam animantia bruta bonus eſt.

Ne circa bonitatem erga res inanimatas & animantia bruta ſcrupuli ſuboriantur, relegenda ſunt, quæ de pronitate ad promovendam perfectionem rerum inanimatarum & brutorum animantium in medium alias attulimus (§. 655. 656 *Pſychol. empir.*).

§. 703.

Signum amoris rerũ inanimatarum & brutorũ. *Qui bonus eſt erga animantia bruta vel res inanimatas, is non minus has, quam illa amat.* Cum bonitas in pronitate ad perfectionem alienam promovendam conſiſtat (§. 695), qui bonus eſt erga animantia bruta vel res inanimatas, is pronus eſt tam ad illorum, quam harum perfectionem promovendam. Quamobrem cum ex intuitu perfectionis voluptas enaſeatur (§. 511 *Pſychol. empir.*); animum diſpoſitum habet ad voluptatem ex ipſis percipiendam, & brutis voluptatem, quæ in ea cadit, creandam. Enimvero amor rerum inanimatarum eſt diſpoſitio animæ ad voluptatem ex ipſis percipiendam. Quodſi animantia bruta iiſdem æquiparamus, quatenus ea conſideramus non tanquam voluptatis capacia, ſed tanquam ea, unde voluptas percipi poteſt; amor eorum idem eſt, qui rerum inanimatarum, conſequenter in diſpoſitione animæ ad voluptatem ex ipſis percipiendam conſiſtit. Quodſi vero eadem hominibus æquiparamus, amor eorum idem eſt, qui hominum (§. 657 *Pſychol. empir.*), conſequenter in diſpoſitione animæ ad voluptatem iiſdem ereandam conſiſtit (§. 652 *Pſychol. empir.*). Patet itaque eum, qui erga animantia bruta & res inanimatas bonus eſt, non minus haſce, quam illa amare.

Quemadmodum amor rerum inanimatarum, ita etiam bonitas erga eaſdem aliquid fictitii admittit, quatenus ſcilicet eas fingimus veluti voluptatis capaces. Fictio autem hæc adeo naturalis eſt, ut, qui boni deprehenduntur erga alios, etiam quaſi tales ſe præbeant rebus

inani-

Digitized by Google

inanimatis. Sed ea de re plura trademus in philoſophia morali. Hic ſufficit notaſſe, quod ex bonitate recte colligatur amor, quemadmodum viciſſim ex amore bonitas.

§. 704.

Amoris divini objectū.

Deus amat entia omnia, quæ ut exiſterent decrevit, ſeu quæ fecit. Etenim Deus ſumme bonus eſt, ita ut major bonitas concipi non poſſit (§. 699), cumqe enti cuicunque tantundem boni conferat, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698); erga omnia entia bonus eſt, quæ fecit, ſeu, quod perinde eſt, quæ ut exiſterent decrevit, ſive fuerint animata, ſive inanimata, ſive rationis capacia, ſive expertia. Enimvero non modo qui bonus eſt in alios, eoſdem amat (§. 700); verum etiam qui erga res inanimatas & animantia bruta bonus eſt, tam illas, quam hæc amat (§. 703). Deus igitur entia omnia, quæ fecit, ſeu, quæ ut exiſterent decrevit, ſive animata fuerint, ſive inanimata, ſive rationis capacia, ſive expertia, amat.

Patet adeo univerſalitas amoris divini ad omnes ipſius creaturas extenſi. Cum vero differentia intercedat inter amorem entium ratione præditorum & rationis expertium, & inter amorem rerum animatarum & inanimatarum (§. 657 *Pſychol. empir.*); nemo non videt, Deum entia omnia non eodem complecti amore, & maxime quidem ac proprie amare entia rationis capacia veluti homines. Difficultates, quas objicit, malum morale, cui homines obnoxii ſiunt, diſpaleſcent per ſequentia.

§. 705.

Animus Dei erga homines.

Quoniam, qui alterum amat, ex ejus felicitate voluptatem percipit (§. 633 *Pſychol. empir.*); Deus vero amat entia rationis capacia, adeoque homines propriiſſimo ſenſu (*not.* §. 704). ***Deus*** quoque ***ex hominum ac in genere entium rationis capacium felicitate voluptatem percipit.***

§. 706.

Felicitas entis rationalis objectum voluntatis divinæ.

Deus hominum & in genere creaturæ rationalis cujuſcunque felicitatem vult. Etenim voluptatem percipit ex felicitate hominum & eorum, quæ rationis capacia ſunt (§. 705). Quamobrem cum ea placeant, ex quibus voluptas percipitur (§. 542 *Pſychol. empir.*); felicitas hominum & in genere creaturæ cujuslibet rationalis Deo placet. Jam voluntate libera eligitur quod placet (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque voluntas Dei liberrima eſt (§. 431); quin Deus velit, homines & creaturas rationales eſſe felices, dubitari nequit.

Hæc propoſitio probe notanda eſt, erit enim nobis uſui in demonſtranda obligatione divina ad actus juri naturali conformes.

§. 707.

Cur infelicitatem velle nequeat Deus.

Deus infelicitatem hominum & in genere entis rationalis cujuſcunque velle nequit. Etenim vult felicitatem hominum & entis rationalis cujuſcunque (§. 706). Quoniam vero impoſſibile eſt, ut idem ſimul velit & non velit (§. 28 *Ontol.*), nec fieri poteſt ut eorum felicitatem non velit. Patet autem per ſe eum, qui vult infelicitatem alicujus, non velle felicitatem ejuſdem. Quamobrem Deus infelicitatem hominum & in genere entis rationalis cujuſcunque velle nequit.

Patet

Digitized by Google

Patet adeo ſeriam eſſe voluntatem Dei, qua vult entia felicitatis capacia eſſe felicia; non vero ſimulatam. Manifeſto enim oſtendimus, Deum velle felicitatem hominum & in genere entis cujuslibet rationalis, & nolle eorundem infelicitatem, minime vero, quod tantum videri velit, quaſi illorum felicitatem deſideret, etſi eorundem infelicitatem intendat. Cur tamen hoc non obſtante homines fiant infelices, ex iis, quæ mox ſequuntur, intelligitur.

§. 708.

Infelicitas hominum unde ſit.

Homines fiunt infelices abuſu libertatis. Homines infelices fiunt ob malum morale, quippe quod inhæret actionibus liberis (§. 374) ad imperfectionem agentis ſtatuſque ejus tendentibus (§. 371 *Theol. nat.* & §. 568 *Pſychol. empir.*), unde tædiis ac moleſtiis afficitur animus (§. 518 *Pſychol. empir.*), conſequenter infelix fit homo (§. 637 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum malum morale abuſu libertatis irrepat in actiones liberas (§. 580); homines quoque abuſu libertatis infelices fiunt.

Idem etiam ſic oſtenditur. Malum morale irrepit abuſu libertatis in actiones liberas (§. 580). Quamobrem cum ex malo tædium percipiamus, quam primum illud cognoſcimus (§. 569 *Pſychol. empir.*), idemque conſtans (§. 571 *Pſychol. empir.*), & quicquid homini tædium creat, ad infelicitatem ejus quiddam conferat (§. 639 *Pſychol. empir.*), conſequenter malum morale homines infelices reddat; homines abuſu libertatis infelices fieri patet.

Atque hinc patet non Deo, ſed ſibi tribuere debere homines, ſi ſint infelices. Vult enim Deus ut ſint felices; dum vero libertate ſua abuſi actiones ſuas aliter quam juxta voluntatem Dei determinant, ſemetipſos reddunt infelices. Velim hæc probe perpendant, qui in bonitatem Dei injurii infelicitatis culpam in Deum conjiciunt.

§. 709.

Bonitas Dei defenſa.

Quoniam homines fiunt infelices abuſu libertatis ſuæ (§. 708), Deus vero ipſorum infelicitatem non vult (§. 707); *ex eo, quod homines ſint infelices, colligi nequit, quaſi Deus erga eos non ſit ſumme bonus.*

Noto notius eſt, ex infelicitate hominum argumentum peti adverſus bonitatem Dei ab iis, qui vel exiſtentiam Dei, vel religionem impugnant; ſed quam minus recte ex demonſtratis liquet. Ne tamen quicquam difficultatis relinquatur, quæ ad dilucidandum hoc argumentum facere poſſunt, ulterius explorare lubet. Ceterum in humanis patet, quod infelicitas alicujus non obſtet bonitati alterius erga ipſum. Ponamus enim Mævium impenſe amare Titium, atque adeo ex felicitate ejus voluptatem percipere (§. 633 *Pſychol. empir.*). Quin felicitas Titii Mævio placeat (§. 542 *Pſychol. empir.*), atque is velit ipſum eſſe felicem, minime autem infelicem, dubitandum non eſt (§. 937 *Pſychol. empir.*). Quodſi Titius dictis Mævii aurem benignam præbere renuit & ex actionibus malis perpetratis ſemetipſum infelicem reddit; hoc ſane non obſtat, quo minus Mævius bonus erga Titium dici poſſit, etiamſi maxime improbet, quæ fecit Titius, & ipſum pœnam dare promeritam factis ſuis pronuntiat. Ponamus jam porro Mævium eſſe patrem, Titium filium. Utatur Mævius jure paterno & ſub pœnæ comminatione interdicat Titio actione, quæ ipſum reddit infelicem, propterea quod infelicitatem ab eo avertere ſtudet, imo ubi inobedientem ſe præſtat, exequatur pœnam, quam comminatus eſt. Ecquis non inde colligit ſummam Mævii erga Titium bonitatem? Quodſi vero Titius filius refractarius & in parentem injurius a Mævio exhæredatur, ut non habeat, quæ prodigere poſſit; ex eo contra bonitatem Mævii erga liberos ſuos argumentum peti nequit. Titius enim infelix eſt culpa ſua, non culpa parentis: nec ideo bonitatis patris erga Titium quicquam decedit, quod promeritum jure filii privet, non plus tribuens amori, quam quod eum ratione fieri poteſt.

§. 710.

§. 710.

Potentia libertate abutendi quale ſit malum.

Potentia libertate abutendi eſt malum metaphyſicum. Cum enim potentia libertate abutendi dicat eadem abutendi poſſibilitatem (§.716 *Ontol*), ratio vero ſufficiens eorum, quæ vel actu inſunt, vel ineſſe poſſunt, in eſſentia rei contineatur (§. 168 *Ontol.*); quin per eſſentiam hominis fieri poſſit, ut libertate ſua abutatur patet. Quoniam vero abuſu libertatis homo malis moralibus obnoxius ſit (§. 580), quæ perfectioni eſſentiali contrariantur (§. 578), & in imperfectione accidentali conſiſtunt (§. 577); homo per eſſentiam & naturam ſuam imperfectior cenſetur, quam foret, ſi libertate abuti minime poſſet, ſeu ſi potentia libertate abutendi in eum non caderet. Quamobrem cum malum metaphyſicum ſit, quod per eſſentiam & naturam ſuam rem imperfectiorem reddere cenſetur, quam foret ſi abeſſet (§.372); potentia libertate abutendi eſt malum metaphyſicum.

Quodſi originem mali jam explicaſſemus, potentiam libertate abutendi ex limitationibus determinationum eſſentialium deducere licuiſſet, in quibus malum metaphyſicum conſiſtere conſtat (§. 372). Ceterum probe notandum eſt, quale malum ſit potentia illa abutendi libertate, fons omnis mali moralis ac per hoc omnis miſeriæ, ne Deo tribuamus, quod eſt hominum, & ne bonitati divinæ contrariari judicemus, quæ cum eadem minime pugnant. Fingere ideas rerum pro arbitrio & ex iis judicium ferre de bonitate Dei aliiſque ejus attributis a vera philoſophandi methodo alienum eſt, & ab ipſa ratione abhorret.

§. 711.

An tolli poſſit.

Potentia abutendi libertate ne per miraculum quidem ab homine auferri poteſt. Eſt enim malum metaphyſicum (§.710). Sed malum hocce ne per miraculum quidem ab ente ullo auferri poteſt (§. 381). Quamobrem potentia abutendi libertate ne per miraculum quidem ab homine auferri poteſt.

Idea igitur hominis, in quam libertate abutendi potentia minime cadit, eſt fictitia. Unde revera homo propter iſtam potentiam non poteſt dici imperfectus, niſi in relatione ad ideam hominis fictitiam. Neque enim fieri poteſt, ut homini, hoc eſt, huic enti, cui hominis nomen impoſuimus, iſtiuſmodi conveniat perfectio eſſentialis, quæ potentiam abutendi libertate excludit.

§. 712.

Quomodo ſpectetur in decreto divino.

Potentia abutendi libertate inhæſit ideæ hominis ante decretum, nec per hoc ab eadem ſeparari potuit: ob eam tamen Deus exiſtentiam hominis minime decrevit. Potentia libertate abutendi eſt malum metaphyſicum (§.710). Enimvero malum metaphyſicum per ſe ante decretum rebus decretis inhæſit, nec ab iis per idem ſeparari potuit (§.546); Deus tamen ob ipſum rem nullam decrevit (§. 547). Quare potentia libertate abutendi inhæſit ideæ hominis ante decretum, nec per hoc ab eadem ſeparari potuit, ob eam tamen Deus exiſtentiam hominis non decrevit.

Propter potentiam abutendi libertate Theologi hominem dicunt labilem: unde patet, hominem non factum eſſe labilem per decretum divinum, ſed Deum eundem ſpectaſſe ut labilem, antequam ejus exiſtentiam decerneret, ſeu antecedenter ad decretum ſuum, neque ejus exiſtentiam decreviſſe, propterea quod labilis erat. Aliæ igitur ſuere ipſi rationes, cur decerneret, exiſtere debere hominem, & cur decretum non mutaret, etſi perpenderet eum poſſe labi.

§. 713.

Abuſus libertatis præſcibilitas & præſcientia.

Deo abuſus libertatis præſcibilis fuit ab æterno, eundemque ab æterno præſcivit. Etenim abuſu libertatis mala moralia irrepunt in hanc rerum ſeriem (§. 580). Quamobrem cum Deus mala moralia præſciverit ab æterno (§. 587) & vi omniſcientiæ ſuæ (§. 302) non minus ab æterno (§. 319) noverit, mala moralia abuſu libertatis in hanc rerum ſeriem invectum iri (§. 301); Deus ab æterno præſcivit hominem libertate ſua abuſurum. *Quod erat unum.*

Enimvero quod actu præſcitum poſt decretum, id præſcibile fuit ante decretum (§. 528). Quamobrem cum abuſus libertatis fuerit actu præſcitus *per demonſtrata*, quatenus ſcilicet per decretum divinum factus eſt futurus (§. 522); ante decretum ſpectari utique debet tanquam præſcibilis. *Quod erat alterum.*

Nimirum antequam concipiamus a Deo fuiſſe decretam exiſtentiam hujus ſeriei rerum, Deus prævidit hominem abuſurum eſſe libertate ſua, ſiquidem hanc ipſam rerum ſeriem ad actum perduceret. Poſtquam vero decrevit, hanc rerum ſeriem omnipotentia ſua ad actum deducendam eſſe; actu quoque ipſi perſpectum fuit, hominem libertate ſua abuſurum. Unde patet, quantum præſcientia abuſus libertatis ſeu lapſus, quem Theologi appellant, pendeat a decreto.

§. 714.

Permiſſio abuſus libertatis.

Deus abuſum libertatis permittere ſapientiſſime decrevit. Etenim Deus malum morale permittere decrevit (§. 585). Quamobrem cum idem abuſu libertatis irrepat in actiones liberas (§ 580); abuſum libertatis permittere utique decrevit. *Quod erat unum.*

Porro conſtat Deum mali moralis permiſſionem ſapientiſſime decreviſſe (§. 644). Quoniam itaque abuſum libertatis ideo permittere decrevit, quod malum morale permittere voluit *per demonſtrata*; abuſum quoque libertatis ſapientiſſime permittere decrevit. *Quod erat alterum.*

Recolenda hic animo ſunt, quæ de malis moralibus finibus in hac rerum ſerie a Deo intentis ita implicitis, ut eorundem & finis ultimi ſubordinatio eo, quo nunc, modo iiſdem ablatis non amplius fieri poſſit, demonſtrata ſunt (§. 674), una cum iis, quæ de directione malorum phyſicorum & moralium in bonum finem prolixe diſcutiuntur (§. 680 & ſeqq.). Hoc pacto enim pleniſſime convinceris, permiſſionem abuſus libertatis eſſe ſapientiæ divinæ maxime conformem. Patet vero per propoſitionem præſentem, Deum ſapientiſſime decreviſſe permiſſionem lapſus Adami, etſi eum per miraculum impedire potuiſſet (§ 716).

§. 715.

Abuſus libertatis ad mundum & Deũ relatus.

Abuſus libertatis non obſtat, quo minus hic mundus ſit omnium perfectiſſimus, nec ſalva perfectione mundi ac ſapientia Dei impediri poteſt. Sublato enim malo morali ex tota hac rerum ſerie, ipſa hæc rerum ſeries permanere nequit omnium poſſibilium perfectiſſima (§. 556). Enimvero cum abuſu libertatis malum morale irrepat in actiones liberas (§. 580); abuſu libertatis ſublato malum quoque morale tollitur. Abuſu igitur libertatis ſublato hæc ipſa rerum ſeries permanere nequit omnium perfectiſſima, conſequenter abuſus libertatis impediri nequit ſalva ſumma ejuſdem perfectione.

Porro

Porro Deus, ſalva ſapientia ſua ſumma atque perfectiſſima, mala moralia ex hac rerum ſerie tollere nequit (§. 676). Unde conſequitur, ut ante, Deum ſalva ſapientia, quæ ipſi eſt, ſumma atque perfectiſſima abuſum libertatis impedire minime poſſe.

Denique malum morale non obſtat, quo minus in mundo, qui exiſtit, major ſit perfectio, quam in ceteris poſſibilibus (§. 550). Quoniam itaque abuſu libertatis in actiones liberas irrepit (§. 580), nec abuſus libertatis obſtare poteſt, quo minus in mundo toto major ſit perfectio, quam ſi is impediretur.

Patent hinc rationes, cur Deus abuſum libertatis permittere decreverit, etſi non velit hominem libertate ſua abuti. Quodſi cui non ſatisfaciant, defectus evidentiæ in cauſa non eſt, ſed potius defectus familiaritatis illorum principiorum, quæ paſſim de malo morali inculcavimus. Quamobrem ſi quis capere velit, quomodo abuſus libertatis cum ſumma mundi perfectione conſiſtere poſſit, & cur ſapientiæ Dei conveniat eundem potius permitti, quam impediri; eidem ſuademus ut anteriora probe meditetur, aut ſuum de re ſibi nimis ardua & inacceſſa judicium ſuſpendat, ne inſcius cauſam hoſtium religionis adverſus Deum agat: id quod accidere ſolere pro comperto habeo.

§. 716.

Abuſus libertatis a Deo impediri nequit niſi per miraculum, quando ſcilicet homo aliquis libertate ſua actu abutitur. Ponamus enim Davidem adulterium committere cum Bethſaba. Nemo non novit, quod is adulterium ſibi in hoc caſu repræſentet tanquam bonum jucundum (§. 561 *Pſychol. empir.*), ac ideo ipſum appetat (§. 904 *Pſychol. empir.*), abuſus libertate ſua, quatenus per eam bonum jucundum honeſto præfert (§. 941 *Pſychol. empir.*). Quodſi jam Deus ſola omnipotentia ſua, qua facere poteſt quicquid intrinſece poſſibile (§. 343), actum appetionis in actum averſationis determinaret, cum nulla prorſus ratio in eſſentia & natura animæ adeſſe ponatur, cur hoc fiat, ſupernaturale vero in anima ſit, quod rationem ſufficientem in eſſentia & natura animæ non agnoſcit (§. 510 *Coſmol.*); erit averſatio adulterii eo in caſu ſupernaturalis. Eſt vero miraculum in anima, quod in eadem ſupernaturale eſt (§. 71 *Pſychol. rat.*). Quamobrem & averſatio adulterii in hoc caſu miraculum in anima eſt. Atque adeo patet, abuſum libertatis a Deo impediri non poſſe niſi per miraculum. Quodſi ſupponas, ſtante appetitione adulterii a Deo impediri motus in corpore, qui ad explendum animæ deſiderium requiruntur, ſeu, quod perinde eſt, quibus adulterium conſummatur, quocunque tandem modo commercium inter animam & corpus explices; in corpore accidit quidpiam, cujus ratio ſufficiens in eſſentia & natura ejus non continetur. Quamobrem cum ſtatus iſte corporis ſupernaturalis miraculum ſit (§. 510 *Coſmol.*); conſummatio quoque adulterii, manente appetitione, impediri nequit niſi per miraculum, conſequenter nec abuſus libertatis a Deo impeditur niſi per miraculum. Quoniam itaque abuſus libertatis aliter impediri nequit, niſi vel in anima a Deo appetitio mutetur in averſationem, aut averſatio in appetionem, vel in corpo-

Quomodo abuſus libertatis a Deo impediri poſſit.

te ſtatus, qui reſpondet appetitioni, mutetur in eum, qui averſationi convenit & contra, utrumque vero fieri nequit, niſi per miraculum; abuſum libertatis a Deo impediri non poſſe niſi per miraculum patet.

Si cui dubium oritur, num actus ſupernaturalis in anima, veluti appetitio vel averſatio ſupernaturalis, miraculum dici poſſit; eundem animo recolere jubemus, quæ ad idem tollendum alibi jam notavimus (*not.* §. 71 *Coſmol.*). Ceterum modus, quo abuſus libertatis in caſu quocunque particulari impediri poteſt, probe notandus, ne facile prætendamus, ut Deus eundem impediat, cum miraculum multas poſt ſe trahat mutationes (§. 531 *Coſmol.*). Quodſi quæſiveris, ubi in dato quodam caſu particulari per miraculum abuſus libertatis a Deo tolli ſupponitur, num Deus in anima potius, quam in corpore miraculum patret, an in utroque; mihi quidem probabilius eſt, quia in unaquaque anima datur quædam ſeries perceptionum & averſationum (§. 524 *Pſychol. rat.*), cui ſeries quædam motuum in corpore reſpondet (§. 539. 540 *Pſychol. rat.*), miraculum in anima patrari, in ſyſtemate autem harmoniæ præſtabilitæ in anima & in corpore ſimul (§. 642 *Pſychol. rat.*).

§. 717.

An impedire abuſum libertatis per miraculum Deum deceat.

Non decet Deum abuſum libertatis per miraculum impedire. Etenim abuſus libertatis ſapientia Dei ſalva impediri nequit (§. 715); imo cum idem impediri non poſſit ſalva perfectione mundi (§. *cit.*), ipſa vero hæc perfectio vi cujus hic mundus, utpote omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 326), optimus eſt (§. 370), in cauſa ſit, cur ejus electio ſit ſignum ſpiritus perfectiſſimi (§. 402) & potentiſſimi (§. 403), adeoque Dei (§. 387. 349), & Deus patefactionem ſummæ ſui ipſius perfectionis per exiſtentiam hujus univerſi intenderit (§. 629); ſalva divinitate Dei impediri non poteſt. Quamobrem cum Deum deceat, cujus aliqua ratio in eſſentia & attributis ipſius continetur, cur id potius velle debeat quam aliud (§. 332), conſequenter non deceat, cujus in iiſdem aliqua continetur ratio, cur id potius nolle, quam velle debeat; patet Deum non decere, ut per miraculum abuſum libertatis impediat.

Loquimur hic de impeditione univerſali abuſus libertatis, non vero de particulari. Cum enim ſimpliciter non repugnet, ut Deus per miraculum ſeriem rerum immutando mutet in meliorem (quod num & quando fieri poſſit, ipſius omniſcientiæ ac ſapientiæ ſummæ relinquendum); ita nec dici ſimpliciter poteſt, quod non detur in hac ſerie rerum caſus quidam particularis, ubi impeditio abuſus libertatis miraculoſa facit ad majorem hujus univerſi perfectionem. Sed quoniam nobis a priori judicare non datur, num iſtiusmodi caſus obtingere poſſit; quotieſcunque abuſum libertatis a Deo non impediri obſervamus, id ſalva ipſius divinitate fieri non poſſe dicendum eſt. Abſit autem, ut quis inde inferat neceſſitatem mali moralis abſolutam. Neque enim abſolute neceſſarium eſt, ut ens ratione præditum agat, quod ſe deceat, ſed ex ipſa libertatis notione fluit. Sane nemo noſtrum actiones proprias abſolute neceſſarias pronuntiat, quod eaſdem malit, quam oppoſitas, quia illas ſeſe decere, has vero dedecere cognoſcit. Qui ad antecedentia, quæ paſſim demonſtrata ſunt & per modum principiorum proximorum ac remotorum in demonſtrationem propoſitionis præſentis influunt, animum advertit; ei durum minime videbitur, quod Deus ſalva divinitate ſua abuſum libertatis impedire non poſſit, univerſaliter ſcilicet, ſeu omni eo in caſu, ubi eundem non impediri experimur. Sane Deus mundum facere decrevit, ut ſummam ſui ipſius perfectionem patefaceret (§. 629). Hunc finem conſecuturus mundum facere debebat huic fini convenientem, ſiquidem ſe ſapientiſſimum probare vellet (§. 689 *Pſychol. rat.*). In hac ſerie rerum collocatur homo, qui libertate ſua abuti poterat & quem libertate ſua abuſurum prævidebat Deus, ſiquidem hic mundus produceretur (§. 753). Aut igitur a propoſito ſuo prorſus deſiſtere, aut abuſum libertatis permittere debebat. Quamobrem cum Deum non deceat velle finem, & nolle media, ac media fini convenientiſſima rejicere, nec perfectionem ſuam patefacere tanquam ſummam, ſine qua divinitas concipi nequit (§. 387).

Digitized by Google

(§. 387); omnino dicendum eſt abuſum libertatis ſalva divinitate, hoc eſt, ſumma Dei perfectione non potuiſſe impediri.

§. 718.

An Deus hominem illabilem potuerit facere.

Deus non potuit hominem facere abſque potentia abutendi libertate ſua. Etenim Deus creaturam nullam abſque malo metaphyſico producere valet (§. 380). Quamobrem cum potentia abutendi libertate ſua ſit malum metaphyſicum (§. 710); nec ſine potentia libertate abutendi hominem facere poteſt.

Idem etiam ſic oſtenditur. Ponamus Deum hominem abſque potentia abutendi libertate facere poſſe. Per ſe patet, quod potentia abutendi libertate, quam eidem ineſſe conſtat (§. 170 *Ontol.*), auferri poſſit: quod cum ſit abſurdum, quia ne per miraculum quidem ab homine auferri poteſt (§. 711), dicendum omnino eſt, Deum non poſſe hominem facere abſque potentia abutendi libertate ſua.

Notandum eſt nobis hic eſſe ſermonem de homine, qui terram incolit: de eo utique affirmandum, quod Deus, quemadmodum Theologi loquuntur, eum illabilem facere minime potuerit. An vero per ideas in intellectu divino exiſtentes poſſibile ſit aliquod hominum genus, quod ſit illabile, jam non definio. Qui fingunt hominem hunc ipſum qui terram inhabitat, potuiſſe a Deo fieri illabilem; ſumunt, quod probare neſciunt, potentiam abutendi libertate ſua per decretum in ideam hominis invehi, cum ex eadem exulare potuiſſet. Enimvero cum hic error ex hypotheſi eſſentiarum arbitrariarum tanquam ex fonte ſuo profluat, quam in ſuperioribus jam profligavimus, ut contra eundem diſputemus opus non eſt. Indicandus tamen eſt fons erroris, ut intelligatur, cur principia genuina videantur ſuſpecta, & probentur ea, unde naſcuntur difficultates in doctrina de bonitate Dei. Sane qui ſumunt Deum potuiſſe facere hominem illabilem, feciſſe tamen labilem, docere nequeunt, quomodo hoc cum bonitate Dei conſiſtat. Non vero eſt quod metuas impoſſibilitatem faciendi hominem abſque potentia abutendi libertate arguere in Deo defectum potentiæ: metum enim hunc jam excuſſimus, ubi demonſtravimus impoſſibilitatem faciendi mundum abſque malo metaphyſico non minuere omnipotentiam divinam (§. 378). Homo, de quo nobis ſermo eſt, abſque potentia libertate ſua abutendi, aut, ſi mavis, illabilis, eſt in numero eorum, quæ infactibilia dicit *D. Thomas*, & quæ adeo in ſe talia ſunt, ut fieri non poſſint. Potentia vero ſupponit poſſibile eſſe, quod fieri debet (§. 343), ad impoſſibilia non extendenda (§. 344).

§. 719.

An abuſus libertatis ratio ſufficiens ſit potentia abutendi.

Quoniam quod poſſibile eſt, id ideo non exiſtit (§. 171 *Ontol.*); *ideo homo non abutitur libertate, quod eadem abuti poteſt*, conſequenter cum poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*), poſita autem potentia abutendi libertate nondum ponatur abuſus ejuſdem *per demonſtrata*; *potentia abutendi libertate non eſt ratio ſufficiens ipſius abuſus.*

Non deſunt, qui ubi audiunt Deum non potuiſſe ab homine auferre potentiam abutendi libertate, nec abſque eadem eundem facere, hinc inferunt, quod homo neceſſario libertate ſua abuſus fuerit, vel etiamnum abutatur: enimvero non animadvertunt, ſe a potentia ad actum nulla conſequentia argumentari, conſequenter conſequentiam, qua theſin impugnant, fingere, quæ non datur.

§. 720.

Num neceſſitas inſit abu-

Potentia abutendi libertate abſolute neceſſaria eſt; ipſe autem abuſus abſolute neceſſarius non eſt. Etenim potentia abutendi libertate malum metaphy-

ſicum

Digitized by Google

ſui libertatis. ſicum eſt (§. 710). Sed malum metaphyſicum eſt abſolute neceſſarium (§. 375). Ergo & potentia abutendi libertate abſolute neceſſaria eſt.

Ponamus jam neceſſitatem abſolutam ineſſe quoque ipſi actui abuſus libertatis. Quoniam neceſſitas abſoluta eſt, quæ ex eſſentia oritur (§. 315 *Ontol.*), & abſolute neceſſarium eſt id, cujus in ſe ſpectati oppoſitum impoſſibile (§. 302 *Ontol.*); per eſſentiam & naturam hominis, aut, ſi mavis, animæ humanæ impoſſibile eſt, ut libertate ſua non abutatur, conſequenter ad abuſum per eſſentiam & naturam ſuam determinata eſt (§. 112 *Ontol.*). Inhæret autem malum morale, quod abuſu libertatis irrepit in actiones hominis (§. 580), actionibus liberis ejuſdem (§. 374). Quamobrem homo quoad actiones liberas per eſſentiam animæ ad alterutrum oppoſitorum determinatus eſt: quod cum notioni libertatis animæ in volendo ac nolendo competentis (§. 942 *Pſychol. empir.*) repugnet (§. 941 *Pſychol. empir.*), abuſus libertatis abſolute neceſſarius eſſe nequit.

Idem etiam ſic oſtenditur. Cum abuſu libertatis malum morale irrepat in actiones hominis (§. 580), actiones autem ejus malæ ſint, quæ ipſum ſtatumque ſuum imperfectiorem reddunt (§. 565 *Pſychol. empir.*); homo libertate ſua abutens ea appetit, quæ ipſum ſtatumque ſuum imperfectiorem reddunt, vel averſatur, quæ ipſum ſtatumque ſuum reddunt perfectiorem, conſequenter appetit quod verum malum eſt (§. 568 *Pſychol. empir.*), averſatur quod verum eſt bonum (§. 557 *Pſychol. empir.*). Enimvero quoties quid appetimus, id nobis repræſentamus tanquam bonum; quoties quid averſamur, tanquam malum (§. 892. 893 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum libertate abutimur, quod verum malum eſt, nobis repræſentamus tanquam bonum; quod verum bonum eſt, nobis repræſentamus tanquam malum, ſaltem quod ut malum cognoſcimus, idem certo reſpectu bonum exiſtimamus quoad nos, & quod ut bonum cognoſcimus, idem certo reſpectu malum reputamus quoad nos, conſequenter libertate abutimur, quod bonum verum & apparens (§ 557 *Pſychol. empir.*), nec non malum verum atque apparens a ſe invicem non diſtinguamus (§. 568 *Pſychol. empir*). Non minus ex univerſa Logica, quam ex iis, quæ de facultatis cognoſcendi parte ſuperiori tam in Pſychologia empirica, quam rationali docentur, & in philoſophia practica demonſtrabuntur, conſtat non abſolute impoſſibile eſſe, ut bonum verum ab apparente, & malum apparens a vero diſcernamus, aut ſaltem cognoſcamus, nos in dato caſu id facere minime poſſe; conſequenter libertate non abutamur. Quamobrem cum id abſolute neceſſarium non ſit, cujus oppoſitum impoſſibibile non eſt (§. 279 *Ontol.*); nec abuſus libertatis abſolute neceſſarius eſt.

Probe hic notandum, nobis nunc non eſſe ſermonem de eo, num abuſus libertatis facile evitari poſſit in omni caſu; ſed num prorſus impoſſibile ſit & quidem abſolute, ut evitetur eo in caſu, quo eadem abutimur: plurimum enim differt abuſum libertatis prorſus evi-

tare

Digitized by Google

tate non poſſe & eundem ſubinde difficulter evitare poſſe. Impoſſibilitas abſoluta evitandi abuſum libertatis in omni caſu, quo eadem abutimur, tollit libertatem; aſt difficultas eundem ſubinde evitandi cum eadem conſiſtit. Neque hic ſermo eſt de eo; num in quibuſdam caſibus vel pro certo hominum nonnullorum ſtatu abuſus libertatis pro neceſſario reputari poſſit, cum hæc neceſſitas tantummodo hypothetica ſit, minime vero abſoluta. Sufficit itaque eſſentiam atque naturam hominis in ſe ſpectatam eam reperiri, ut abuſus libertatis eidem neceſſario minime conveniat. Nimirum hæc ſufficiunt ad veritates revelatas de hoc libertatis abuſu defendendas & factorum in Sacra Scriptura revelatorum probabilitatem intrinſecam agnoſcendam. Noſtrum non eſt, ea hic docere apertius, ne alienæ ſegeti falcem immittere velle videamur. Quodſi quis, quæ a nobis dicuntur, ad ea applicare voluerit, quæ de ſtatu integritatis, lapſuque Adami & peccato originis docentur, is ſatis intelliget immunitatem abuſus libertatis ab abſoluta neceſſitate, qualem evicimus, abunde ſufficere ad eorum rationem reddendam, modo diſtinctas factorum in Sacra Scriptura enarratorum notiones habuerit, ad quas perveniri datur ope noſtrorum principiorum ontologicorum & pſychologicorum uſus experti in notionibus Sacræ Scripturæ evolvendis.

§. 721.

An Deus hunc mundum abſque hominibus facere potuerit.

Deus non potuit facere hunc mundum abſque hominibus, qui in eodem exiſtunt. Etenim cum conſtet, homines, qui nunc exiſtunt, per continuas generationes deſcendiſſe ab iis, qui ante extiterunt; nemo non videt, ſi præſente ævo nulli exiſtere deberent homines, nec anterioribus in eodem locum fuiſſe concedendum, anterioribus autem non exiſtentibus nec eos, qui nunc vivunt, exſtituros fuiſſe. Ponamus duos tantummodo fuiſſe homines, quemadmodum refert Sacra Scriptura, a quibus totum deſcendit genus hominum, quod hunc globum terraqueum inhabitat. Si primo iſti hominum pari non fuiſſet locus in Tellure, nec generi humano ullo tempore eſſet in eadem locus. Quodſi ergo Deus hunc mundum facere voluiſſet abſque hominibus, qui globum noſtrum terraqueum incolunt; primos illos humani generis parentes producere non debebat. Quodſi ergo cogitemus eos non fuiſſe a Deo creatos; materia, ex qua facta ſunt ipſorum corpora, cum pertineat ad hunc mundum, alii corpori formando inſervire, aut alterius corporis formam induere debebat, aut ſi eos factos ſummas ex materia ad mundum præſentem minime pertinente, in hanc rerum ſeriem aliquid intruſum, quod ad eam minime ſpectabat. Enimvero ſi contingens unum, quod in mundo contingere debet, mutari ponatur in contrarium, vel in ſeriem rerum aliquid introduci ſupponatur, cujus actus per præcedentia non determinatus; ſequens mundi pars non amplius erit eadem, quæ alias futura erat (§. 116 *Coſmol.*). Quamobrem ſi hominibus non concedatur in mundo locus; nec amplius mundus, quatenus eſt ſeries rerum ſucceſſivarum (§. 55 *Coſmol.*), idem qui nunc erit. Quodſi itaque ponas Deum hunc producere voluiſſe mundum; evidens eſt quod abſque hiſce hominibus eundem producere minime potuerit, qui in eodem exiſtunt.

Idem etiam ſic oſtenditur. Mundus ens unum eſt (§. 60 *Coſmol.*), ac totum aliquod, cujus partes ſunt entia ſingula in eodem vel ſimul, vel ſucceſſive exiſtentia (§. 61 *Coſmol.*), conſequenter etiam homines, qui ter-

ram

tam inhabitant, & quidem hi ipſi, qui eandem inhabitant. Enimvero eſſentia mundi conſiſtit in modo, quo res finitæ datæ, non aliæ inter ſe connectuntur (§. 59 *Coſmol.*). Quamobrem per eſſentiam mundi hi, qui in globo terraqueo exiſtunt, homines ad eundem pertinent. Eſſentiæ vero rerum ſunt immutabiles (§. 300 *Ontol.*), adeoque eſſentiæ entis compoſiti (§. 533 *Ontol.*), conſequenter etiam mundi (§. 62 *Coſmol.*), non aliæ, quam hæ partes eſſe poſſunt, & hinc nec in hoc mundo aliis terricolis locus eſt, quam qui in eodem exiſtunt, neque locus in eodem, quem tenent, iiſdem negari poteſt. Quamobrem ſi ſupponas Deum facere voluiſſe hunc mundum, non alium; hos quoque homines facere debuit, conſequenter fieri non potuit, ut faceret hunc mundum abſque hominibus, qui in eodem exiſtunt, veluti juxta Sacram Scripturam abſque Adamo & Eva, unde deſcendit totum genus humanum.

Poteſt etiam oſtendi hoc modo. Corpora, ex quibus conſtat hic mundus adſpectabilis, ſunt ſubſtantiarum ſimplicium (§. 176 *Coſmol.*), adeoque elementorum aggregata (§. 182 *Coſmol.*), nihilque in mundo materiali datur ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*), ſeu elementa (§. 182 *Coſmol.*). Corpora igitur in hoc mundo adſpectabili oriuntur, quatenus elementa certo quodam modo coexiſtunt. Quare cum eadem elementa alio modo coexiſtere nequeant (§. 571 *Coſmol.*), &, ſi alius exiſtere deberet mundus, elementa alia exiſtere deberent (§. 570 *Coſmol.*); in hoc mundo adſpectabili ea præciſe dentur neceſſe eſt corpora, non alia, nec aliqua eorum ex eodem abeſſe poſſunt. Quoniam itaque experientia ſeu a poſteriori conſtat, in hoc mundo adſpectabili exiſtere homines hoſce, non alios; evidens omnino eſt hoſce præciſe homines, non alios, ad hunc mundum pertinere, nec ſine iis eundem eſſe poſſe. Dum igitur Deus hunc mundum producere decrevit, neque fieri potuit, ut abſque hominibus hiſce eundem faceret.

Poterat eadem propoſitio aliis adhuc modis oſtendi, & populari ſatis modo ejus patet veritas. Ponamus enim nullos eſſe in hoc mundo homines. Ceſſabunt igitur omnia, quæ ab actionibus hominum pendent, atque experientia magiſtra numero non pauca ſunt, ſed magnam partem in ſerie ſucceſſivorum quoad globum hunc noſtrum terraqueum abſolvunt. Materia illa, quæ ſucceſſive corpora humana conſtituit, alias formas indueret, atque adeo in ſeriem rerum ſucceſſivarum multa intruderentur, quæ nunc ex eadem exulant. Nemo igitur non videt, mundum, quatenus eſt ſeries rerum ſucceſſivarum, non amplius fore eundem cum hoc adſpectabili. Quamobrem ſi Deus hunc producere voluit mundum, non alium; neque eum ſine hominibus, neque cum aliis hominibus, quam quorum genus nunc in eodem propagatur, producere potuit.

Propoſitio præſens maximæ utilitatis eſt in diſpellendis nebulis, quæ circa exiſtentiam mali in hoc univerſo coeriuntur. Veritas ejus equidem perceptu facilis, modo animum ad

notio-

notionem mundi & præſertim ad nexum rerum, qui in eodem datur, advertas, ita ut vel ſola attentione opus ſit ad eam comprehendendam, ubi notionem mundi in Coſmologia evolutam familiarem experiris: hoc tamen non obſtante uberius eandem confirmari opus erat, propterea quod vulgo ideam mundi fingunt, quæ a veritate aborret, & propoſitionem præſentem falſitatis ſuſpectam reddit incautis. Etenim plerique ſibi imaginantur ſpatium vaſtum inane, in quo Deus producere potuit, quicquid voluit, potentiam metientes ex voluntate, poſſibilitatem rerum ex potentia. Corpora mundi totalia ſibi repræſentant per modum ædium, quæ Deus pro arbitrio extruxit, ubicunque ipſi commodum viſum fuerit. Quemadmodum itaque domus una in urbe extrui poteſt, ut ideo non neceſſe ſit ſimul extrui alteram, aut una excitari poteſt urbs, ut aliam una condi non ſit opus; ita quoque Deum corpus mundi totale unum feciſſe ſumunt, ut propterea non fuerit aliud eidem coexiſtens una producendum. Porro ſicuti domum, quam extruximus, vel quibuſdam habitandam concedere, vel vacuam ab habitatoribus relinquere poſſumus; ita quoque Deum corpora mundi totalia, & hæc inter tellurem quoque noſtram, vel vacua relinquere potuiſſe, vel creaturis quibuſvis habitanda concedere. Et quemadmodum domino domus integrum eſt, cuinam domus ſuæ uſum concedere velit; ita quoque Deum terram inhabitandam dare potuiſſe non tantum hiſce, qui in eadem degunt, hominibus, ſed etiam aliis melioribus. Quoniam itaque experientia docemur, homines, qui terram incolunt, libertate ſua abuti poſſe, & ab hoc abuſu promanare omne malum; abſque ulla hæſitatione inferunt, potuiſſe Deum hominibus non labilibus terram habitandam concedere, ac malum morale ex terra profligare, conſequenter mundum producere abſque hiſce hominibus, qui terram incolunt. Quamvis vero hæc cum libertate Dei ſumma & omnipotentia ipſius convenire videantur; quam tamen ſint a genuinis principiis philoſophiæ primæ & natura Dei remota ex anterioribus abunde patet, ut ea refutari non ſit opus, utpote per anteriora jam deſtructa. Conſtat vero ex anterioribus Deum quidem potuiſſe condere mundum alium & in eo homines alios, ſed non potuiſſe facere hunc mundum ſine hiſce hominibus; hunc autem mundum feciſſe, ſed libere, etſi ſibimetipſi fecerit hanc legem, ut eum conderet ſapientiſſime, hoc eſt, ut eligeret illud poſſibilium ſyſtema, quod fini per creationem mundi intento eſſet omnium convenientiſſimum.

§. 722.

Num abuſus libertatis permiſſio bonitati repugnet.

Potentia abutendi libertate & permiſſio abuſus ejuſdem non repugnat bonitati divinæ, ſeu, *Deus ſalva bonitate ſumma, quæ ipſi eſt, facere potuit hominem, qui libertate ſua abuti poſſet, & quem eadem abuſurum prævidebat.* Etenim Deus non potuit hominem facere abſque potentia abutendi libertate ſua (§. 718). Quamobrem cum Deus cuicunque creaturæ, adeoque etiam homini, tantundem conferat boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698), adeoque bonitati divinæ non repugnet, quod non conferat perfectionem, quæ in eum minime cadit (§. 695); bonitati ejus haud quaquam repugnat, quod non fecerit hominem abſque potentia abutendi libertate, ſeu qui libertate ſua abuti minime poſſet, conſequenter potentia libertate abutendi, quæ in homine deprehenditur, bonitati, quæ Deo ſumma eſt (§. 699), minime repugnat. *Quod erat unum.*

Porro Deus abuſum libertatis, quem ab æterno prævidit (§. 713), permittere ſapientiſſime decrevit (§. 714), nec ſalva ſapientia ſua impedire eundem poteſt (§ 715), imo ut impediat, ipſum non decet (§. 717). Quoniam itaque Deus homini tantundem boni confert, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698); bonitati, quæ ipſi ſumma eſt (§. 699), minime repugnat, quod in promovenda perfectione hominum (§. 695), conſequenter in bonis in eoſdem conferendis (§. 370), non agat, quod

ſapientiæ ſuæ contrariatur, ipſumque dedecet. Non igitur repugnat bonitati ipſius permiſſio abuſus libertatis, ſeu quod fecerit hominem, quem libertate ſua abuſurum noverat. *Quod erat alterum*.

Idem etiam ſic oſtenditur. Deus non potuit hominem facere abſque potentia libertate ſua abutendi (§. 718), nec facere hunc mundum, cujus exiſtentiam ſapientiſſime decreverat, ita ut majore ſapientia uti non potuerit (§. 642), abſque hominibus (§. 721), quos præviderat libertate ſua abuſuros (§. 713), & quem abuſum ſalva hujus mundi perfectione, ob quam eum præ ceteris elegerat (§. 325), quemadmodum ipſum decet (§. 334), atque ſapientia ſua impediri non poſſe intelligebat (§. 715). Quamobrem ſi potentiam abutendi libertate ſpectes, phyſice; ſi ipſum abuſum reſpicias, moraliter impoſſibile eſt, ut homini plus tribuatur perfectionis, quam eidem largitur Deus. Quamobrem cum in hominem ſumme bonus dicendus ſit, qui tantundem perfectionem ejus promovere ſtudet, quantum fieri poteſt, phyſice ſcilicet ac moraliter (§. 695); Deus quoque non obſtante potentia libertate abutendi, quæ hominibus inhæret, ac permiſſione abuſus libertatis, ſumme bonus erga homines dicendus eſt, atque adeo nec potentia abutendi libertate, nec permiſſio abuſus ejuſdem bonitati divinæ repugnat.

Nemo bonitati hominum adverſari judicat, ſi in gratiam alterius non facit, quod vel phyſice, vel moraliter impoſſibile, etſi alteri id ipſum commodum accideret, imo maxime ſalutare foret. Si cum hominibus nobis eſt negotium, id facile admittunt omnes; ſed quod quoad Deum aliter videatur, vana, quæ multorum animos tenet, perſuaſio in cauſa eſt, quaſi quoad Deum nihil ſit phyſice, nihil moraliter impoſſibile, cum poſſibilitatem potentia, facultatem agendi libertate unice metiantur. Unde cum potentia Dei illimitata ſit, quoad ipſum nihil eſſe impoſſibile colligunt, & quia nullum ſuperiorem agnoſcit, qui libertatem ipſius reſtringere valeret, eum quidvis licite facere poſſe inferunt. Atque hoc pacto nec phyſice, nec moraliter impoſſibilia dantur ex parte Dei. Enimvero præjudicia hæc concidunt per ſuperiora. Etenim non ideo quid poſſibile, quia Deus id facere poteſt, ſed ideo quid facere poteſt, quia poſſibile (§. 324), cum ideo poſſibile ſit, quod ejus idea detur in intellectu divino (§. 192). Atque adeo dantur quoque phyſice, hoc eſt, in ſe ſpectata impoſſibilia, quæ Deus cognoſcit (§. 307), ſed tanquam infactibilia non ſunt objectum potentiæ ipſius (§. 344), ſalva ejus omnipotentia (§. 346). Similiter Deus non vult, niſi quæ ipſum decent (§. 335), etſi nullum ſuperiorem agnoſcat, qui eum ad hoc potius, quam aliud volendum obligare poſſit. Atque adeo dantur quoque moraliter impoſſibilia, quæ quidem potentiam ejus non excedunt, ſed quæ ideo non facit, quia non vult, ſalva ejus libertate ſumma (§. 431). In priorem cenſum venit potentia libertate abutendi (§. 718); in poſteriorem vero abuſus libertatis impeditio miraculoſa (§. 717), qua naturæ ordo turbatur (§. 566. 565 *Coſmol.*), & perfectio hujus univerſi tollitur (§. 713).

§. 723.

Malorũ moraliũ & phyſicorum nexus.

Ex malis moralibus mala phyſica neceſſario conſequuntur. Etenim malum morale eſt, quod inhæret actionibus hominum liberis (§. 374). Quamobrem cum actiones liberæ ſint in ſe malæ, quatenus tendunt ad imperfectionem agentis vel aliorum ejuſdemque ſignum ſunt (§. 371 *Theol nat.* §. 565 & ſeqq. *Pſychol. empir.*); ex malo morali conſequitur imperfectio aliqua accidentalis vel interni, vel externi ſtatus agentis aliorumque. Enimvero malum phyſicum eſt, quod ſtatum mundi quoad effectus naturales imperfectiorem

Digitized by Google

ctiorem reddere cenſetur, quam foret, ſi alii eſſent (§. 373), adeoque quoad homines in particulari, quod ſtatum ſive animæ, ſive corporis, vel etiam eorundem ſtatum externum imperfectiorem reddit, quam is foret, ſi idem abeſſet. Quamobrem ex malo morali conſequitur malum phyſicum. Et quoniam malo morali poſito ponitur quoque phyſicum, neque etiam per eſſentiam atque naturam rerum, ſeu naturaliter (§. 509 *Coſmol.*) fieri poteſt, ut non ponatur, id ipſum vero neceſſarium eſt, cujus oppoſitum impoſſibile (§. 279 *Ontol.*); ex malo morali malum phyſicum neceſſario ſequitur.

Idem multo clarius patet, ſi demonſtratio ad caſum aliquem particularem applicetur. Ponamus itaque, Cajum comedere cibum ſanitati noxium, propterea quod bene ſapit. Sumo, quod in philoſophia practica demonſtrandum abſque demonſtratione facile conceditur, appetitionem ac comeſtionem hujus cibi eſſe malum morale. Sumo porro, quod in philoſophia practica itidem demonſtrandum abſque demonſtratione itidem haud difficulter conceditur, morbum eſſe imperfectionem corporis, ſeu ſtatum ejus reddere imperfectiorem, quam foret, ſi quidem is abeſſet, conſequenter cum reſpectu corporis noſtri malum phyſicum ſit, quod ſtatum ejus, vel ipſummet corpus imperfectioni cuidam obnoxium reddit, quemadmodum reſpectu totius mundi malum phyſicum eſt, ob quod ejus ſtatus imperfectior reddi cenſetur, quam foret, ſi idem abeſſet (§ 373), patet morbum in numero malorum phyſicorum eſſe, præſertim cum ipſemet hic mundus cenſeatur hoc nomine imperfectior, quod per naturam cauſarum naturalium corpora humana fiant morbis obnoxia. Quoniam igitur ex comeſtione cibi corpus incidit in morbum, a quo liberum foret, ſi ab eodem abſtineremus; ex malo morali ſequitur malum phyſicum, cui non foret in hac rerum ſerie locus, niſi in eadem locus eſset malo morali. Et quia naturaliter fieri non poteſt, ut corpus in morbum non incidat, ſi eum capiamus cibum, a quo morbus tanquam effectus proficiſcitur (§. 898 *Ontol.*); evidens eſt ex malo morali neceſſario conſequi malum phyſicum.

Neceſſitas utique in caſu propoſitionis præſentis nonniſi hypothetica eſt, quatenus nimirum ſupponitur, effectum naturalem quemcunque per miraculum a Deo impediri poſſe. Enimvero nec de alia neceſſitate, quam quæ naturæ eſt (§. 102 *Coſmol.*), hypothetica propoſitio præſens intelligenda. Ceterum nexus neceſſarius inter malum morale atque phyſicum probe perpendendus, cum ad intrinſecam actionum malitiam agnoſcendam plurimum faciat. Quamobrem opus eſt, ut ad exemplum propoſitum de comeſtione cibi ſanitati obnoxii animum advertentes in aliis quibuſcunque caſibus ſimiliter inquiramus in mala phyſica, quæ ponuntur, poſitis malis moralibus. Mala autem hæc phyſica conſideranda ſunt non modo in relatione ad corpus, verum etiam in relatione ad animam & ſtatum noſtrum externum. Ita ſi cibum capimus, propterea quod bene ſapit, etſi moneamur eundem ſanitati nocere; ubi in morbum incidimus & ejus moleſtias ſentimus, angitur animus, pœnitet nos facti & indignamur nobiſmetipſis. Illæ autem moleſtiæ, quibus perturbatur tranquillitas animi in numero malorum phyſicorum eſt. Ponamus nos inimicitiam incurrere eorum, quorum monitis aurem benignam præbere recuſamus. Hæc ipſa inimicitia in numerum utique malorum phyſicorum reſpectu ſtatus noſtri externi referenda. Etenim quæ per eſſentiam ac naturam animæ conſequuntur, non minus naturalia ſunt (§. 69. 66. 67 *Pſychol. rat.*), quam

quæ per naturam ac eſſentiam corporum conſequi ſolent (§. 309 *Coſmol.*). Sane quemadmodum vulnus corpori inflictum naturale quid eſt; ita quoque dolor, qui percipitur in anima, naturalis eſt.

§. 724.

In mala quomodo ruat homo.

Homo ruere dicitur *in mala*, quando ea agit, unde mala neceſſario conſequuntur, ſive ea phyſica fuerint, ſive moralia. Unde ſi phyſica fuerint, *in phyſica*; ſi moralia, *in mala moralia ruere* dicitur.

Ita in morbos ruit, qui ex intemperantia morbis fit obnoxius: ruit in paupertatem, qui luxuria opes ſuas dilapidat: ruit in vitia, qui male agendo habitum male agendi acquirit, ſeu vitio fit obnoxius.

§. 725.

Num idem fiat ſalva bonitate Dei.

Non repugnat bonitati divinæ, quod hominem in mala ruere ſinat. Etenim bonitati divinæ non repugnat, ut hominem libertate ſua abuti permittat (§. 722). Quamobrem cum abuſu libertatis malum irrepat in actiones liberas (§. 580), ex malo autem morali neceſſario ſequatur malum phyſicum (§. 723), conſequenter homo, dum libertate abutitur, in mala ruat (§. 724); bonitati divinæ utique non repugnat, quod hominem in mala ruere ſinat.

Etſi propoſitio potiſſimum de malis phyſicis loquatur vi demonſtrationis; per hanc ipſam tamen patet, quod etiam de moralibus intelligenda ſit, ubi homo ea agit, unde mala moralia conſequuntur, veluti dum habitum mala perpetrandi ſibi acquirit, adeoque in vitia incidit, imo dum ex vitio uno incidit in alia plura, & habitus male agendi, ſive vitia in dies majora capiunt incrementa. Ea enim fieri poſſe, non modo experientia proh dolor! obvia manifeſtum eſt, verum etiam ſuo tempore in philoſophia morali demonſtrabitur, cur fieri debeant. Nemini circa propoſitionem præſentem, ſive de malis phyſicis, ſive de moralibus accipiatur, vel minimum dubii ſupererit, modo cogitet non poſſe impediri, ut homo ruat in mala, niſi impediatur ne libertate ſua abutatur (§. 724). Quamobrem cum bonitati divinæ minime repugnet, quod hominem libertate ſua abuti permittat Deus (§. 722); nec eidem repugnare poteſt, quod eum in mala tam phyſica, quam moralia ruere ſinat.

§. 726.

Num ſalva ſapientia.

Deus ſalva ſapientia ſua non impedit, ne homo in mala, ſive phyſica, ſive moralia ruat. Etenim homo in mala tam phyſica, quam moralia ruit, quando ea agit, unde mala conſequuntur (§. 724), conſequenter, cum anima in volendo & nolendo libera ſit (§. 942 *Pſychol. empir.*), quando libertate ſua abutitur. Quamobrem ſi Deus impedire deberet, ne homo in mala ſive phyſica, ſive moralia rueret; abuſum libertatis impedire tenetur. Enimvero abuſum libertatis ſalva ſapientia ſua impedire nequit (§. 715). Ergo ſalva ſapientia ſua non impedit, ne homines in mala phyſica & moralia irruant.

Qui ſatis perſpexit permiſſionem mali moralis, quam ſit ea ſapientiæ divinæ conformis; ei præſens propoſitio minime videbitur paradoxa. Ceterum experientia patet, hominem ruere in mala non minus moralia, quam phyſica, nec idem a Deo impediri. Qui ergo ſibi perſuadent, injuriam Deo fieri, ſi contendamus id ſalva ſapientia divina a Deo non impediri, nec repugnare bonitati ipſius, quod non impediat, concedere tenentur, ſapientiæ divinæ conſentaneum eſſe, ut id impediat, & bonitati ipſius contrariari, quod hominem in mala ruere ſinat. Videant igitur, an non ipſimet in Deum ſint injurii, dum veritas, quam luce notionum diſtinctarum deſtituti non capiunt, ipſis ſuſpecta videtur.

§. 727.

Digitized by Google

§. 727.

Bonitas Dei quomodo dijudicanda.

De bonitate Dei judicari nequit niſi in relatione ad totum univerſum & omnia ipſius attributa. Deus perfectionem rerum æſtimat in relatione ad totum univerſum (§. 391), ita ut optimum cenſeatur in ſuo genere, quod facit ad majorem perfectionem totius univerſi (§. 392), atque omnia ſua attributa (§. 395). Quamobrem ſi judicari debet, quantum perfectionis Deus unicuique enti in hoc univerſo tribuere poſſit, ſalva mundi & ſui ipſius perfectione; ea referenda eſt ad totum univerſum & omnia ipſius attributa. Quamobrem cum bonitas in pronitate ad aliorum perfectionem promovendam conſiſtat (§. 695); nec de bonitate judicari poſſe conſtat niſi in relatione ad totum univerſum & omnia ipſius attributa.

In eo plerumque peccant, quotquot bonitatem divinam ſuſpectam habent, quod homines tantummodo in ſe conſiderent, & ad perfectiones, quæ deſunt, animum advertunt, nec mentis aciem convertentes niſi in potentiam Dei abſolutam, qua poteſt facere, quicquid intrinſece poſſibile (§. 343), modo velit (§. 352), cur non faciat, cauſam in voluntatem ipſius conjiciunt. Unde ipſorum de bonitate Dei judicium erga hunc vel iſtum hominem in ſingulari, vel aliquot homines in particulari prorſus diverſum eſt a judicio Dei. Sane ſi hominem in mala ruentem intuemur; plurimum fallit concluſio, quod dum Deus hoc permittit, in ipſa permiſſione nulla deprehendantur veſtigia bonitatis divinæ. Concipe enim eundem poni in aliis circumſtantiis, adeoque in alia rerum ſerie, & perpende, annon in majora adhuc mala ſit ruiturus & ſibi nociturus, & aliis. Quoniam conſtat, Deum cognoſcere etiam ea, quæ ſub conditione, nunquam implenda, futura eſſent (§. 304); utique bonitati divinæ acceptum referri debet, quod majora mala & ab ipſo, & ab aliis avertat. Sed de his & aliis geminis dicemus plura, poſthac ex inſtituto. Intereſt enim plurimum, ut bonitatem divinam intimius perſpiciamus, & ſcrupulos omnes, qui animum inquietum reddere ac perturbare valent, eximamus, cum hujus attributi magna ſit vis in appetitum hominis, quemadmodum in philoſophia morali docebimus. Ceterum, ſi quis circa propoſitionem præſentem experimentum capere velit; is idem capiat in ſeipſo inquirens ſedulo, quid ipſe ſit facturus, ſi cum aliis in mala ruentibus in iiſdem cicumſtantiis poneretur. Velim vero ut ſimul accurata mentis trutina examinetur, quantæ ſint orituræ confuſiones in ordine hujus univerſi atque naturæ, ſi Deus ſingulorum entium, veluti hominum, in ſe ſpectatorum rationem habere debeat, ut tantundem perfectionis accidentalis in ea conferatur, quantum in ea cadere poſſe videtur, & quam ſit idem prorſus impoſſibile, ubi naturaliter fieri debet. Sed hæc conſideranda relinquimus nonniſi acutioribus, qui modum, quo determinatur actus rerum in hoc mundo adſpectabili (§. 87 *Coſmol.*), ſatis intelligunt, ac ordinis univerſi ac naturæ notionem diſtinctam ſatis ſamiliarem experiuntur (§. 554. 557 *Coſmol.*). Non igitur miramur, ſi hebetiores, quibus perſpicilla coſmologica nondum uſui ſunt, in iis cæcutiant, ubi acutiores iiſdem perſpicillis adjuti pleniſſima luce fruantur. Quemadmodum vero in eo hallucinantur de bonitate Dei judicium laturi, quod homines non referant ad totum univerſum; ita non minus præcipitantiæ rei ſiſtuntur, quod de bonitate Dei judicaturi animum tantummodo advertant ad notionem bonitatis, non vero ſimul ad cetera attributa divina. Unde accidit, ut bonitati in ſe ſpectatæ vel ad ſolam potentiam relatæ contrariari videatur, quod eidem ad alia attributa relatæ minime repugnat. Recolenda hic animo ſunt, quæ modo demonſtravimus, Deum ſalva ſapientia ſua, conſequenter & omnibus illis attributis, quæ notionem ſapientiæ ingrediuntur, ſatis impedire non poſſe, ne homo in mala ſua ſponte ruat (§. 726).

§. 728.

Cautio in dijudicanda bonitate Dei.

Quoniam de bonitate divina judicari nequit ſine relatione ad totum univerſum (§. 727); ***multo minus de eadem judicare licet quoad hominem unum in ſingulari citra relationem ad totum genus humanum.***

Unde

Unde patet abſurdum eſſe, ſi quis a Deo prætendat, ut in ſui gratiam faciat, quod in detrimentum totius generis humani cedit, aut ſi velit Deum bonum hominis in ſingulari præferre bono totius humani generis.

§. 729.

Cur homo non eodẽ, quo Deus, modo de bonitate ipſius judicet.

Homo de bonitate divina eodem, quo Deus, modo judicare nequit. Etenim cum bonitas in pronitate ad promovendam alterius perfectionem conſiſtat (§. 695), adeoque major concipi non poſſit, quam ubi aliorum perfectio tantundem promovetur, quantum fieri poteſt; de bonitate Dei, quam ſummam eſſe conſtat (§. 699), judicaturus inquirere debet, utrum Deus tantum enti cuique tribuat perfectionis, quantum ipſi tribui poteſt, ut adeo tantundem perfectionis recipiat, quantum ſalva mundi perfectione ſalviſque attributis divinis recipere valet (§. 727). Enimvero de rerum perfectione eodem, quo Deus, modo nemo hominum judicare valet (§. 396). Quamobrem nec fieri poteſt, ut homo de bonitate divina eodem, quo Deus, modo judicet.

Ex propoſitione præſente intelligitur, quam lubricum ſit noſtrum de bonitate divina judicium, & quantopere cavere nobis debeamus, ne temerariis judiciis in bonitatem divinam ſimus injurii. Hac cautione opus eſt, quotieſcunque bonitati divinæ quid repugnare nobis videtur.

§. 730.

Incomprehenſibilitas bonitatis divinæ.

Bonitas Dei homini incomprehenſibilis eſt. Etenim homo de bonitate Dei eodem, quo ipſe, modo judicare nequit (§. 729). Eſt vero id, quod cognoſcimus, nobis incomprehenſibile, ſi modum, quo eſt vel eſſe poteſt, nobis minime repræſentare valemus (§. 170). Bonitas igitur Dei homini incomprehenſibilis eſt.

Loquimur hic de incomprehenſibilitate bonitatis divinæ in ſe ſpectatæ, non vero conſideratæ quoad ejus extenſionem ad ſingulas creaturas, quatenus ſcilicet diffuſa eſt per totum univerſum. Non tamen obſtare debet hæc bonitatis divinæ incomprehenſibilitas, quo minus in eandem inquiramus. Cum enim bonitatis divinæ agnitio multum influat in omnem praxin moralem, ſeu legitimam actionum humanarum directionem ad felicitatem agentis aliorumque; non parum refert agnoſci quoque illius incomprehenſibilitatem. Quamobrem cum hanc inſpicere non detur, niſi omni ſollicitudine in bonitatem divinam inquiratur; tanto quidem majore cura in eandem inquirendum, quanto magis apparet, eam eſſe incomprehenſibilem. Nimirum cum ex eo tandem intelligatur bonum nobis eſſe, quod viſum fuerat malum; ubi intelligimus a poſteriori, quænam ab eo pendeant in poſterum quoad nos, quod malum viſum fuerat; noſtrum eſt præſentia conferre cum præteritis, vel ſecutura cum præſentibus, ut incomprehenſibilitatem bonitatis divinæ quadantenus inſpicere nobis detur. Sed de hiſce plura nobis dicenda erunt in moralibus, ubi iiſdem commode in rem noſtram utemur. Qui in bonitatem divinam prorſus non inquirit, propterea quod incomprehenſibilis, ne inanem operam ſumat; ut certam incomprehenſibilitatis habeat cognitionem vix ac ne vis quidem fieri poteſt. Imo facta in eandem inquiſitione idea incomprehenſibilitatis demum efficitur lucida, ne inſtar deceptricis fiat ſuſpecta.

§. 731.

Imperſcrutabilitas bonitatis quid ſit.

Bonitas dicitur *imperſcrutabilis*, ſi modum, quo quis promovet perfectionem alterius, non penitus perſpicimus, nec certo cognoſcere valemus.

Definimus hic imperſcrutabilitatem bonitatis divinæ eodem ſenſu, quo ſupra imperſcrutabilitatem voluntatis (§. 397) atque ſapientiæ (§. 690) definivimus. Quamobrem quæ ibidem de recepto vocabuli ſignificatu annotavimus, ea hic quoque loci tenenda ſunt.

§. 732.

§. 732.

Imperſcrutabilitas bonitatis divinæ.

Bonitas Dei nobis imperſcrutabilis eſt. Etenim nos de bonitate Dei eo, quo Deus ipſe, modo judicare minime valemus (§. 729). Quamobrem fieri poteſt, ut quid ad perfectionem noſtri ſtatuſque noſtri promovendam faciat, quod quomodo ad eandem tendat, perſpicere ac certo cognoſcere minime valemus. Quoniam itaque bonitas imperſcrutabilis eſt, quatenus modus, quo perfectio noſtri ſtatuſque noſtri promovetur, non penitus perſpicitur, nec certo cognoſcitur (§. 731); quin bonitas divina ſit imperſcrutabilis dubitari nequit.

Etſi incomprehenſibilitas & imperſcrutabilitas bonitatis divinæ ex eodem principio demonſtrentur; ex diverſa tamen ejus applicatione patet, utramque non eſſe eandem: ſit ita, quod ob incomprehenſibilitatem etiam imperſcrutabilis ſit. Et ſane res ipſa aperte ſatis loquitur differentiam. Bonitas nimirum Dei nobis incomprehenſibilis eſt, quatenus idea ejus, quæ in Deo datur, animæ noſtræ ineſſe haud quaquam poteſt (§. 729): aſt imperſcrutabilis eſt, quatenus non ſemper nobis certo cognoſcere datur, quod & quomodo Deus in dato caſu perfectionem noſtram promoveat. Quemadmodum vero paulo ante monuimus, non obſtare incomprehenſibilitatem bonitatis divinæ, quo minus in eandem inquiramus; ita mutatis mutandis inculcandum, non impedire imperſcrutabilitatem bonitatis ejuſdem, quo minus bona a Deo in nos collata ſcrutemur.

§. 733.

Bonitatis divinæ effectus ſingularis.

Directio malorum ad bonum finem eſt bonitatis divinæ. Etenim dum Deus mala tam phyſica, quam moralia, quæ ſalva perfectione hujus univerſi (§. 556), & ſapientia ſua ſumma atque perfectiſſima tollere nequit (§. 676), ad bonum finem dirigit (§. 680); iiſdem tanquam mediis conſequendi finem utitur (§. 679). Quamobrem cum homini bonum eſſe conſtet, quicquid ad ipſius vel ſtatus ejus perfectionem facit (§. 554 *Pſychol. empir.*); ſi Deus mala phyſica & moralia dirigit in bonum finem, id intendit, ut mala, quæ permittit, tendant ad perfectionem hominis atque ſtatus ejuſdem, conſequenter malorum directione perfectionem hominis ſtatuſque ejuſdem promovet. Quoniam itaque bonitatis eſt alterius perfectionem promovere (§. 695); directio malorum ad bonum finem eſt utique bonitatis divinæ.

Singularis omnino bonitatis divinæ, qua in homines utitur, effectus eſt malorum tam phyſicorum, quam moralium, cum propriorum, tum alienorum directio ad bonum finem: qua bonitatis ſpecie, fini hujus univerſi apprime conveniente (§. 629), careret hoc univerſum, niſi malis in iiſdem eſſet locus. Sane non evidentius Deus bonitatem ſuam ſummam nobis patefacere poterat, quam hac ipſa malorum ad bonum finem directione, quæ eandem ſcrutantibus ſingularia prorſus ac occulta Dei beneficia offert. Exemplum Joſephi, quod ſuperius expendimus (§. 638), dicta illuſtrat; ſed ea multo clarius confirmat propria experientia. Quamobrem ut bonitatis divinæ convincamur & eandem veluti guſtu percipiamus; in directione malorum ad bonum finem ſcrutanda noſtrum deſiderari haud quaquam pati debemus induſtriam.

§. 734.

Beneficium Dei ſpeciale.

Quamobrem cum malum dirigatur ad bonum finem, ſi homo malis phyſicis utitur ad evitanda moralia (§. 679); *bonitatis divinæ eſt, ſi Deus mala phyſica homini immittit, ut adverſus malum morale præmuniatur, vel ab eodem deſiſtat* (§. 733).

Fieri

Digitized by Google

Fieri poteſt, ut homo multiplicem fructum percipiat ex malis phyſicis quoad moralia, prouti vel vitiis, vel virtuti deditus eſt, vel in limine virtutis adhuc conſtitutus a vitiis quidem adhuc alienus, in ea tamen pronus. Noſtrum vero jam non eſt ea particulatim proſequi, quæ vel ad providentiam divinam referenda, vel in philoſophia morali inculcanda. Sufficit hic ſpargi ſemina ſuo tempore in ſegetem lætam abitura. Tenendum tamen utile eſſe, ut tempeſtive animum ad facta hominum atque naturæ advertamus, ut eorundem collatione pateat eorum veritas, quæ ſicuti ad omnem, ita ad hanc quoque malorum in bonum finem directionem ſpectant. Abſit vero, ut ſibi quis perſuadeat perperam bonitati divinæ tribui, quod homini acceptum ferendum. Etenim mala phyſica diriguntur in bonum finem, in præſente caſu, non quia Deus eadem homini immittit, ſed quia hic iiſdem utitur tanquam motivis voluntatis determinandæ: non igitur a Deo, ſed ab homine fit iſta directio. Enimvero nonne Deus præſcivit omnia ab æterno (§. 534) & ea, quæ naturaliter in hoc univerſo conſequuntur, ſibi invicem ſubordinavit per modum mediorum ad fines? Quamobrem dici omnino debet, Deum decreviſſe, ut hæc mala phyſica obtingant huic homini, quia noverat, quomodo iiſdem erat uſurus, ut iiſdem hoc modo utatur. Uſus igitur, quem facit homo malorum phyſicorum ad moralia vel præcavenda, vel derelinquenda, referri utique debet ad directionem divinam malorum in finem bonum. Unde qui hunc uſum facit, agnoſcit bonitatem divinam & beneficio divinitus ſibi conceſſo fruitur: qui vero eundem uſum non facit, beneficium Dei contemnit.

§. 735.

Aliud. Quoniam ſimiliter malum dirigitur in bonum finem, ſi malo minore avertitur majus (§. 679); ***bonitatis divinæ eſt non modo ſi Deus homini malum phyſicum minus immittit, ut eodem avertatur majus, verum etiam ſi permittit, ut malum morale minus committat, quo a majore avertatur*** (§. 733).

Pleraque, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ad præſentem quoque trahenda. Quodſi quis quoad moralia objecerit, non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona; ſupra jam ſatisfecimus objectioni. Aliud enim eſt permittere mala, quæ impediri non poſſunt, niſi tollere velis bona, quæ fieri debent; aliud facere mala. In mali autem permiſſione tum demum malum, quod permittit, aliqua ex parte imputari poterat, ſi impediret minus, quo impedito ſecuturum præviderat majus. Quodſi quis quoad hanc quoque bonitatis divinæ partem experientiam conſulere velit, ea addiſcet, quorum eximium in omni philoſophia practica experietur uſum.

§. 736.

Adhuc aliud. ***Bonitati divinæ acceptum ferendum, ſi homo in iis ponitur circumſtantiis, quibus & mala phyſica & moralia, quibus ſub aliis obnoxius fieri poterat, avertuntur.*** Cum enim omnium confeſſione bonum ſit evitare malum: ſi homo in iis ponitur circumſtantiis, quibus mala evitat, quæ ſub aliis incurreret, bonum utique in ipſum confertur. Quamobrem quia alii mundi poſſibiles ſunt, quibus ad actum deducerentur poſſibilia, quæ in præſente actum non conſequuntur (§. 101 *Coſmol.*), & quos Deus perinde ac præſentem facere poterat (§. 342); bonum utique in hominem conferre dicendus eſt, quatenus eum produxit mundum, in quo iis collocatur in circumſtantiis, quibus mala evitat, in quæ incurreret, ſi in aliis poneretur. Quoniam itaque in alios bonus eſt, qui bona aliis pro virili conferre ſtudet (§. 697); bonitati omnino divinæ acceptum ferendum, quod homo ſe ſentiat collocatum in iis circumſtantiis, quibus mala evitat, ſive phyſica, ſive moralia, quibus ſub aliis obnoxius fieri poterat.

Propoſitio præſens dirigit aciem mentis ſingulari quodam modo in bonitatem divinam, ut multa beneficia Numinis agnoſcantur, quæ alias ignorantur. Quodſi hic denuo experien-

tiam

tiam magiſtram appellare volueris; quotidie ſeſe offeret ampliſſimus bonitatis divinæ campus, quem attentius perluſtrandum in philoſophia morali ingrediemur. Plurimum autem juvabit, præparaſſe animum, ut memoria præteritorum influat in appetitum & foveat attentionem. Sane non alio fine hic aperimus fontes bonitatis divinæ, quam ut ad eam deguſtandam excitemur. Quod enim plurimis bonitas divina ſuſpecta videatur, vel non tanta æſtimetur, quanta profecto eſt; non alia de cauſa accidit, quam quod non quantum ſatis eſt perſpiciatur, quid tum boni in nos conferat Deus. Quoniam Deus per mundum præſentem perfectionem ſuam ſummam (§. 629), conſequenter etiam bonitatem, quæ ipſi ſumma eſt (§. 697), pateſacere voluerit, nihil ſupereſt dubii, quin ea omnia intenderit, quæ quomodocunque bonitatem ipſius loquuntur.

§. 737.

Adhuc aliud.

Bonitati divinæ acceptum ferendum, ſi homo ponitur in iis circumſtantiis, ſub quibus bonorum tam phyſicorum, quam moralium ſit compos. Quoniam nexus rerum in hoc univerſo ſapientia divina conſtitutus eſt (§. 666), vi ſapientiæ autem res connectuntur per modum mediorum ad fines (§. 689 *Pſychol. rat.*), & Deus unicuique enti tantundem boni conferre ſtudet, quantum vi ſapientiæ ipſius fieri poteſt (§. 698); dubitari ſane haud quaquam poteſt, quin Deus bona, quorum homo compos fit ſub datis circumſtantiis, intenderit tanquam finem, eumque in his ipſis circumſtantiis conſtituerint, ut eorundem compos fieret. Quoniam itaque bonus eſt in alterum, qui eidem bona pro virili conferre ſtudet (§. 697); Deus etiam bonus eſt in homines, quatenus eos conſtituit in hiſce circumſtantiis, ſub quibus bonorum phyſicorum, & moralium compotes fiunt.

Propoſitio præſens probe tenenda, ne homo ſibi tribuat, quæ bonitati divinæ acceptum referre debet. Ampliſſimus hic denuo patet campus bonitatis divinæ, in quem excurrere debent, quotquot eandem veluti guſtu percipere deſiderant. Sane ſi quis in bonitatem Dei juxta propoſitiones modo propoſitas inquirit; nemo erit mortalium, qui, ubi ſeſe exiſtimat omnium miſerrimum, non uberrimos bonitatis divinæ theſauros penes ſe deprehendat. Tantam nimirum experimur bonitatem divinam, ut eam effari minime valeamus, modo non ignoremus, quæ ad eandem referri debeant. Patet autem ex his ipſis, quæ de bonitate Dei demonſtrata ſunt, quo quis eſt in perveſtigandis abditis acutior, eo quoque majorem ab eodem deprehendi bonitatem divinam: videt enim bona, quæ Deus in ipſum confert atque alios; videt mala, quæ is ab ipſo aliiſque avertit, quæ aliis hebetioribus vel negligentioribus non innoteſcunt. Maximum ad artem ſemper gaudendi præſidium in bonitate divina latet, maximo divina bonitas adjumento eſt, ut animus reddatur ſorte ſua contentus. Hortamur igitur omnes, qui hæc noſtra legent, ut juxta demonſtrata bonitatem divinam expendant. Inquirentibus ſeſe offerent multa ſingularia, quæ voluptate animum perfundent, ubi bonitatem Dei ſapere intelligentur. Egregie de humano genere mereretur, qui ex inſtituto ad captum vulgi beneficia Dei vulgo non agnita explicaret, quorum profecto major numerus eſt quam eorum, quæ agnoſcuntur.

§. 738.

Extenſio bonitatis divinæ.

Totum univerſum eſt plenum bonitatis divinæ. Etenim Deus enti cuicunque tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698). Quocunque igitur te vertas in hoc univerſo, ubivis videre licet bona, quæ Deus entibus ibidem exiſtentibus confert, præſertim ſi inquiras juxta demonſtrata (§. 733 & ſeqq.). Quoniam itaque Deus ſe bonum probat erga alios ſeu erga omnia, quæ fecit, entia, quatenus bona iiſdem confert (§. 697); quocunque te in univerſo vertas, bonitatis di-

vinæ theſauros deprehendis, conſequenter totum univerſum plenum eſt bonitatis divinæ.

Quodſi quis vaſtum mundi ſpatium cogitet, & ad animum revocet multitudinem entium, quibus id repletur; is bonitatis divinæ magnitudinem aliquo modo percipiet, cujus alius nullam prorſus habet ideam. Etenim nemo eſt qui neſciat, bonitatis magnitudinem æſtimari non modo ex magnitudine & multitudine bonorum in alios collatorum; verum etiam ex multitudine ſubjectorum, in quæ bona conferuntur. Enimvero ne quicquam prætermittatur, quod in ſerutanda extenſione bonitatis divinæ uſui eſſe poſſit; ſequentem addere lubet propoſitionem.

§. 739.

Bonitas divina per mutuos rerum uſus exercita.

Bonitatis divinæ eſt, quod in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius. Omnes uſus rerum & naturalium (§. 648), & artificialium ſunt fines a Deo intenti (§. 649). Quamobrem cum cauſa efficiens propter finem agat (§. 932 *Ontol.*); Deus has res ſimul fecit, ut unum uſibus alterius inſerviret. Enimvero res una inſervit uſibus rei alterius, quatenus quoad ea, quæ mala non ſunt, conſequenter quæ bona ipſi ſunt (§. 371. 370), ab eadem dependet (§. 646). Deus itaque enti uni confert bonum per alterum, quatenus unum uſibus alterius inſervit. Quoniam adeo Deus erga ens iſtud bonus eſt, cui bona confert (§. 697); divinæ utique bonitatis eſt, quod in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius.

Ita bonitati divinæ acceptum referri debet, quod Deus fecerit Solem, qui nobis in Tellure multiplicem ſui præbet uſum, in Teleologia diſtinctius exponendum & domeſtica experientia confirmandum. Similiter bonitati divinæ tribuendum, quod Deus eum fecerit globum terraqueum, ut ſtato tempore pluvia gignatur terram noſtram irrigatura & agros ac campos fœcundatura. Nec minus Deus ſe bonum probat creaturis viventibus, quod terra proferat & pabulum commodum ſingulis animantibus brutis, & alimentum hominibus præbeat. Quodſi dicas, hæc neceſſario fieri in rerum natura; exceptio nulla eſt. Etenim cum tota rerum natura non exiſtat, nec agat, niſi volente Deo (§. 433); res una inſervit uſibus alterius, non quod inſervire poteſt, ſed quod Deus eam alteri inſervire voluit. Quemadmodum itaque in te bonus eſt, qui jubet alterum, ut commodis tuis pro virili inſerviat, quem novit imperata facturum; ita quoque Deus bonus eſt in creaturas, ac inprimis in homines, ubi jubet creaturam unam inſervire uſibus alterius, quæ voluntati ipſius reſiſtere nequit. Qui bonitatem divinam in mutuis rerum, quos capiuntur, uſibus non agnoſcunt; vel naturæ quoad actualitatem dependentiam a liberrima Dei voluntate non perpendunt, quam in ſuperioribus evictam dedimus (§. 433. 431), vel mundum perperam pro ente a ſe, adeoque neceſſario habent, vel Deum ex neceſſitate naturæ ſuæ mundum feciſſe, nec aliter facere potuiſſe cum *Spinoſa* ſomniant, omnem ex hoc mundo quemadmodum ſapientiam, ita bonitatem divinam proſcribentes.

§. 740.

Dependentia nexus rerum a bonitate Dei.

Nexus rerum in hoc univerſo bonitate divina conſtitutus eſt. Etenim nexus rerum in hoc univerſo eſt vel coexiſtentium, vel ſucceſſivorum (§. 53. 54 *Coſmol.*). Conſiſtit vero nexus coexiſtentium in dependentia finis a medio, nexuſque ſucceſſivorum tam in dependentia finis a medio, quam in dependentia actionis cauſæ efficientis a fine (§. 665). Quoniam itaque in finium numero ſunt quoque omnes rerum tam naturalium (§. 648), quam artificialium uſus (§. 649), bonitati vero divinæ acceptum referri debet, quod in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius (§. 739); quin bonitatis divinæ ſit, quod hunc potius fecerit rerum nexum quam alium, dubitandum

Digitized by Google

dum non eſt. Apparet adeo, præſentem rerum nexum bonitate divina eſſe conſtitutum.

Bonitate divina conſtituitur nexus, quatenus ea influit in decretum ad actualitatem eundem perducendi; ita ut Deus voluerit hanc potius exiſtere rerum ſeriem, in qua res hoc modo connectuntur, quam aliam quamcunque, in qua connectuntur alio modo. Neque enim ideo fieri poteſt, ut res hoc modo connectantur, quia Deus ſumme bonus, cum rerum nexus pendeat ab actu intellectus neceſſario & concipiatur in Deo ante decretum (§. 311. 434); ſed ideo exiſtunt res hoc modo inter ſe connexæ, adeoque hic rerum nexus actu datur, quia Deus ſumme bonus eſt.

§. 741.

Dependentia nexus rerum a ſapiētia & bonitate ſimul.

Quoniam nexus rerum in hoc univerſo bonitate divina conſtitutus eſt (§. 740), & eundem ſapientia divina eſſe conſtitutum ſupra evicimus (§. 666); ideo patet, ***nexum rerum in hoc univerſo ſapientia ac bonitate divina ſimul conſtitutum eſſe.***

Non repugnat, nexum rerum eſſe conſtitutum ſapientia Dei & bonitate ejuſdem ſimul, & tamen unum abſque altero demonſtrari poſſe, ita ut vi propoſitionis præcedentis intelligatur, hunc eſſe rerum nexum, quia Deus eſt ſumme bonus, non attenta ſapientia ejus, & vi ſuperioris (§. 666) pateat, hunc dari rerum nexum, quia Deus ſapientiſſimus, non attenta bonitate ipſius. Etenim vi bonitatis voluntas divina determinata eſt ad eum rerum nexum eligendum, quo earundem perfectionem maxime promovere poſſet, & abundantiam bonitatis ſuæ, quæ per multiplices actus ſeſe exerere poteſt, manifeſtare valeret: aſt vi ſapientiæ finem hunc particularem ſubordinavit ultimo, gloriæ ſcilicet ſuæ manifeſtationi, & hunc rerum nexum judicavit fini, quem intendit, convenientiſſimum. Atque adeo patet non minus ſapientiam, quam bonitatem divinam influere in actum nexus præſentis rerum, etſi neutra influat in poſſibilitatem ejuſdem, influere autem in actualitatem diverſo modo.

§. 742.

Quomodo Deus ſit bonus erga nos & alios.

Bonitati divinæ acceptum ferendum, ſi qui homines nobis quomodocunque inſerviant, ſeu quid boni conferant. Etenim bonitatis divinæ eſt, quod in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius (§. 739). Quamobrem ſi homo unus alteri quomodocunque inſervire ſtudet, conſequenter boni quid ipſi confert, id etiam bonitati divinæ acceptum referri debet.

Nimirum ad præſentem rerum nexum ſpectant quoque actiones hominum: quod igitur bonitati divinæ tribuendum circa actiones creaturarum ceterarum, id eidem quoque adſcribendum quoad actiones hominum. Deus bonitatem ſuam non exercet immediate, ſed per creaturas, quas eum in finem fecit. Quid ergo mirum, quod hominum quoque opera utatur, quos non minus fecit, quam res ceteras. Ceterum modi, quibus Deus ſe bonum nobis præbet, probe conſiderari merentur, tum ut bonitatem divinam penitius inſpiciamus, tum ne in eundem injurii hominibus tribuamus, quod Deo acceptum referendum, noſtroque erga Deum officio deſimus. Non igitur piget veritates obvias, ſed arduas, nec ob oſcitantiam communem ſatis agnitas ſtabilire: neque enim ad pompam, ſed ad utilitatem generis humani philoſophamur.

§. 743.

Incomprehenſibilitas magnitudinis bonitatis divinæ.

Nemo hominum bonitatis divinæ magnitudinem comprehendere valet, ſeu magnitudo bonitatis divinæ eſt omni homini incomprehenſibilis. Cum bonitas conſiſtat in pronitate ad aliorum perfectionem promovendam (§. 695), conſequenter ad bona aliis conferenda (§. 370); magnitudo bonitatis æſtimanda venit, tum ex magnitudine bonorum, quæ conferuntur in alios, tum ex multitudine eorum, in quos bona conferuntur. Enimvero totum univerſum, quocunque te vertas, eſt plenum bonitatis divinæ (§. 738). Quam-

 obrem

obrem bonitatis divinæ magnitudinem nemo animo concipere valet, niſi qui totum univerſum penitus cognoſcit, ut entia ſingula, quæ per omne tempus in eodem exiſtunt, diſtincta notione ſibi repræſentare valeat & quidnam in ſingula boni Deus conferat perſpiciat. Patet autem per ſe, quam ſit exigua pars eorum, quæ in hac ſerie rerum contenta noſtram cognitionem ſubeunt, & quantum confuſionis inſit ideis illarum rerum, quas cognoſcimus. Quare manifeſtum eſt, neminem mortalium magnitudinem bonitatis divinæ ſibi diſtincte repræſentare poſſe. Quoniam itaque id homini incomprehenſibile, quod quomodo ſit, vel eſſe poſſit, ſibi minime repræſentare valet (§. 170); magnitudo bonitatis divinæ eidem incomprehenſibilis eſt, ſeu, quod perinde eſt, nemo hominum magnitudinem bonitatis divinæ comprehendere valet.

Ante evicimus (§. 730), bonitatem divinam ipſam eſſe incomprehenſibilem, quod adeo verum eſt, ut vi demonſtrationis ſubſiſtat propoſitio, etiamſi de individuo quodam ſeu ente ſingulari intelligatur. Cum illa autem incomprehenſibilitate minime confundenda eſt incomprehenſibilitas magnitudinis bonitatis divinæ, quatenus ea per totum hoc univerſum diffunditur, de qua loquitur præſens propoſitio. Uſui hæc eſt ad præcavenda præcipitata de magnitudine bonitatis divinæ judicia, illis familiaria, qui bonitatem divinam intra genus humanum, quod terram hanc incolit, coarctant & ex hominum fatis ex ſuo ingenio dijudicatis de magnitudine bonitatis divinæ ſtatuunt. Quodſi omnem bonitatem divinam per totum hoc univerſum diffuſam emetiri nobis daretur, nullum nobis ſupereſt dubium vi eorum, quæ de ſumma hujus mundi perfectione (§ 326) & de bonitate divina ſumma demonſtrata ſunt (§. 699), quin quam diſtinctiſſime agnituri ſimus, bona prædominari malis, nec ex prædominio mali contra bonitatem divinam argumentum peti poſſe. Quoniam vero vaſtitatem hujus univerſi & multitudinem rerum, quæ bonitatem divinam experiuntur, animo concipere non valet, niſi qui recentiora Aſtronomorum de hoc mundo adſpectabili inventa & Phyſicorum de ſubtilitate rerum in natura exiſtentium detecta, perſpecta atque cognita habet; opportune hic indicamus uſum Phyſicæ in magnitudine bonitatis divinæ repræſentanda, quantum ſufficit, ut toti in ejus admirationem rapiamur.

§. 744.

Bonitas Deo tributa in Sacra Scriptura.

Deus in Sacra Scriptura dicitur bonus eodem ſenſu, quo nos eundem ſumme bonum eſſe demonſtravimus. Ita Deus dicitur טוב bonus *Pſalm.* CVI. 1. CVII. 1. CXVIII. 1. Et bonitas Dei ibidem proponitur tanquam motivum ipſum celebrandi. Ut vero oſtendatur, quod ſit bonus, recenſentur bona, quibus Iſraelitas affecit in deſerto, cum Moſes eos eduxiſſet ex Ægypto, & auxilium deſcribitur, quod Deus fert confidentibus in ipſo; Deus adeo bonus dicitur, quod bona confert hominibus. Quemadmodum vero locis citatis Deus celebratur, quod bonis afficiat homines; ita non minus laudatur, quod bona quoque conferat in creaturas alias, veluti quod terram pluvia irriget, ut herbas ac plantas proferre poſſit, & quod beſtiis det pabulum pulliſque corvorum eſcam *Pſalm.* CXLVI. 8. 9. Juxta Sacram Scripturam itaque ad bonitatem divinam quoque referri debet, quod Deus bona conferat entibus aliis, ſeu eorundem perfectionem, etiam accidentalem, promoveat. Ad perfectionem enim terræ accidentalem facit, quod apta reddatur ad plantas proferendas; quemadmodum ad perfectionem animalium ſpectat vita atque ſanitas, quæ pabuli beneficio conſervatur. Ex his igitur intelligi-

telligitur Deum in Sacra Scriptura dici bonum erga alios, quatenus pronus eſt ad aliorum entium perfectionem ſive eſſentialem, ſive accidentalem promovendam. Et ſane *Geneſ.* I. 31, quemadmodum ſupra abunde expoſuimus (§. 406), Deus dicitur omnia feciſſe optima, quatenus entibus ſingulis dedit perfectionem eſſentialem, quæ ipſis convenit, & eum fecit rerum nexum ac naturæ ordinem, ut eorum quoque perfectio accidentalis promoveatur, quantum fieri poteſt, ſalvo ſcilicet naturæ ordine. Enimvero nobis bonus dicitur erga alios, qui pronus eſt ad aliorum perfectionem promovendam (§. 695), & ex eo, quod Deus enti cuicunque tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698), deduximus, ipſum eſſe ſumme bonum eodem ſenſu, ita ut majorem bonitatem concipi repugnet (§. 699). Quare patet, juxta Sacram Scripturam Deum dicendum eſſe bonum eodem prorſus ſenſu, quo nos eundem ſumme bonum eſſe probavimus.

Quoniam juxta Sacram Scripturam bonitatem Dei nobis repræſentare debemus per bona, quibus afficit creaturas, ac præſertim homines & in his præcipue eos, qui ſpem ac fiduciam ſuam in ipſo collocant eumque timent; in eadem vero paſſim recenſentur bona, quæ Deus in creaturas conferre ſolet; hæc ipſa ſedulo expendere tenemur, ut notionem bonitatis divinæ conſequamur & clariorem, & uberiorem: quod ubi facere libuerit, deprehendemus diverſa illa bonorum genera, quæ ad bonitatem divinam tanquam ad fontem ſuum paulo ante reduximus (§. 733 & ſeqq.), etiam Sacra Scriptura probari & in eadem a bonitate divina derivari. Noſtrum non eſt ea particulatim perſequi: ſufficit in genere annotaſſe, quæ veritati conſentanea reciperet monitis noſtris aurem benignam præbiturus. Nos conformitatem notionum noſtrarum cum Sacra Scriptura evincimus. Sed non ſingula dogmata, quæ ex eadem cum iis, quæ ex principiis rationis a nobis demonſtrantur, conſentientia deduci poſſunt, ex Scripturæ dictis probare intendimus. Id enim iis relinquimus, qui Theologiam revelatam tradunt, quam cum naturali combinari ab inſtituto noſtro alienum eſt. Et eadem ratio eſt, cur non multa Sacræ Scripturæ loca cumulemus, etiamſi cumulatio uſui eſſe poterat, quippe non ſemper reprehendenda.

§. 745.

Bonitas Dei juxta Sacram Scripturam ſumma atque immenſa eſt. Cum quidam ad Chriſtum accedens ipſum appellaret magiſtrum bonum; reſpondit is neminem eſſe bonum niſi unum, nempe Deum, *Matth.* XIX. 16, 17. Quoniam qui Chriſtum magiſtrum bonum appellabat, ab eo doceri deſiderabat, quid fieri a ſe debeat, ut vitæ æternæ compos reddatur; ipſum utique bonum dicebat in relatione ad alios. Quamobrem cum ex interrogatione reſponſionis interpretatio fieri debeat, quia interrogans non aliter accipit mentem reſpondentis, quam quatenus interrogationi ſuæ convenit; dicendum omnino eſt, Chriſtum quoque Deum appellare bonum in relatione ad entia alia. Quoniam tamen Chriſto ſolenne ſemper fuit, ut omnem inſtruendi alios de Deo ac voluntate ejus occaſionem ambabus, quod dicitur, manibus arriperet; nil obſtat, quo minus concedamus, Deum quoque in ſe ſpectatum a Chriſto vocari bonum, præſertim cum bonitas Dei abſoluta eluceat ex doctrina, quam proponit. Docet enim adoleſcentem *verſ.* 21, qui ad perfectionem adſpirare videbatur, quid facere debeat, ut certum

Bonitatis divinæ magnitudo immenſa juxta Sacram Scripturam.

Digitized by Google

certum ac minime fallax in ſe experiatur ſignum perfectionis acquiſitæ. Conſtat vero Chriſtum inculcaſſe, quod perfecti eſſe debeamus, quemadmodum Deus perfectus eſt *Matth.* V. 48, adeoque bonitatem, quæ Deo competit in ſe ſpectato, in exemplum nobis proponere (§. 370). Quicquid hujus ſit, ſufficit nobis in præſente, Deum a Chriſto appellari bonum in relatione ad entia alia, quæ præter eum exiſtunt. Hanc igitur bonitatem relativam, quæ in pronitate ad promovendam aliorum perfectionem (§. 695), aut, ſi mavis, in facilitate bonis alios afficiendi conſiſtit (§. 370), & quam juxta Sacram Scripturam Deo competere & ſub hoc nomine tribui modo evicimus (§. 744), nonniſi uni Deo propriam eſſe Chriſtus pronuntiat. Affirmat enim, unum tantummodo eſſe ens, quod bonum erga alios dici mereatur, & hoc ipſum eſſe Deum. Negat adeo hominem ullum bonum erga alios dici poſſe, ſi bonitatem ejus referas ad divinam. Conſtat Chriſtum ipſum homines quoſdam vocare bonos, eóſque opponere malis, qui inimico ſunt in alios animo *Matth.* V. 45 & ſeqq. Quamobrem niſi contra omnem æquitatem in interpretando, etiam in humanis (§. 922 *Log.*), contradictionem admittere volueris; ad Deum ſolum bonum applicanda ſunt, quæ de Deo juxta Sacram Scripturam ſolo ſapiente (§. 694) adſtruximus. Quemadmodum itaque ibidem oſtendimus, Deum ſolum dici ſapientem, quatenus ejus ſapientia eſt omni ſapientiæ entis cujuſcunque finiti heterogenea, atque hinc deduximus immenſitatem ejus; ita quoque affirmandum, eam eſſe bonitatem divinam, ut bonitas entis cujuſcunque finiti, ſive abſolute, ſive in relatione ad entia alia ſpectata, pro nihilo reputanda ſit, atque adeo bonitatem divinam eſſe omnium maximam, quæ concipi poteſt, prorſuſque immenſam. Hæc vero interpretatio tanto evidentior, quod contextui congrua deprehendatur. Etenim arrogans iſte adoleſcens ſibi jam videbatur feciſſe omnia, quæ lege divina præcipiuntur, neque adeo quidpiam deeſſe, quod ad ſui perfectionem deſiderari poſſit. Præcipiebat igitur Chriſtus, ut omnia, quæ poſſidebat bona, venderet & erogatis in pauperes pecuniis ſe ſequeretur, ipſum convicturus, quod bonitatem in alios nondum ſummam poſſideret, nec bona æterna caducis præferret. Unde liquet, ipſi de bonitate Dei loquenti non modo ſermonem eſſe de bonitate Dei eſſentiali, vi cujus & perfectiſſimus eſt, & ſeipſum talem probat in omnibus actionibus ſuis, ſed & de bonitate ſua erga alios, vi cujus tantundem boni confert in creaturas, quantum moraliter poſſibile, hoc eſt, ſumma ſui ipſius perfectione ſalva conferre poteſt. Nullum igitur dubium reſtat, quin Chriſto doctore Deus ſit non modo ſumme bonus in ſeipſo, ſed etiam erga alios.

Ceterum quæ de profundo Sacræ Scripturæ ſenſu annotavimus, cum ſolum Deum juxta eandem ſapientem oſtenderemus (§. 694); ea quoque hic inculcanda ſunt, ubi ſolum Deum bonum eſſe docemus. Nimirum luculento hoc exemplo palam fit, quantum lucis veritatibus mixtis affundat ratio, ubi intelligere voluerimus, quæ de iis docet Sacra Scriptura, ut adeo valde opportunum ſit rationis ac revelationis, Philoſophiæ ac Theologiæ connubium,

bium; nunquam ſatis deprædicandum, nunquam ſatis commendandum Scripturæ Sacræ interpretibus.

§. 746.

Amor Dei univerſalis erga omnes creaturas juxta Sacram Scripturam.

Deus juxta Sacram Scripturam amat res omnes tam animatas, quam inanimatas, inprimis vero homines. Deus dicitur *Pſalm.* CXLV. 9 טוב bonus erga omnia & miſereri omnium operum ſuorum. Qui bonus eſt in alterum, ipſum amat (§. 700). Juxta Sacram Scripturam igitur Deus amat omnia, ſcilicet omnia opera ſua, quemadmodum ex contextu apparet, hoc eſt, ea omnia, quæ fecit. Fecit autem Deus omnia, quæ ſunt in mundo *Gen.* I. & II. res non minus animatas, quam inanimatas, & in illis quoque hominem. Deus itaque amat res omnes tam animatas, quam inanimatas, ac in his quoque hominem. Porro vocabulum Hebraicum רחם, quod per miſerationem vertit vulgatus, illum animi affectum denotat, quem commiſerationem diximus (§. 687 *Pſychol. empir.*). Quodſi quis alterius commiſeratur, is eum amat (§. 692 *Pſychol. empir.*), & animalium quoque commiſeramur (§. 701 *Pſychol. empir.*), imo etiam rerum inanimatarum quaſi commiſeramur, ſi eaſdem amamus (§. 702 *Pſychol. empir.*). Deus igitur juxta Sacram Scripturam amare dicendus eſt res omnes, quas fecit, tam animatas, quam inanimatas, & in iſtis quoque homines. Quod vero homines inprimis amet, docet Chriſtus *Joann.* III. 16. Et Joannes Epiſt. I. cap. III. 1 Dei erga nos amorem prædicat, & cap. IV. 19 nos hortatus, ut Deum amemus, hoc utitur motivo, quod primus nos dilexerit.

Obiter monemus apparere quoque ex notione commiſerationis rerum inanimatarum, & animantium brutorum, quam ſit philoſophia noſtra utilis ad diſtinctam Sacræ Scripturæ interpretationem, ſive ipſam verborum intelligentiam, ſive veritatum a ſe invicem dependentiam ſpectes.

§. 747.

Voluntatis Divinæ tendentia in felicitatē hominum juxta Sacram Scripturam.

Deus non vult hominum infelicitatem, ſed vult eos eſſe felices juxta Sacram Scripturam. Ipſemet Deus *Ezech.* XXXIII. 11 omni aſſeveratione affirmat, ſe nolle mortem impii, ſed velle, ut convertatur impius a via ſua & vivat. Sumo, quod nemo Interpretum Sacræ Scripturæ in dubium vocat, mortem, cui obnoxius fit homo peccando, deſignare omnem infelicitatem, in quam ſeſe præcipitem dat; ſicuti e contrario vita denotat felicitatem, quæ bene ac recte agentem comitatur. Quamobrem patet, Deum diſertis verbis declarare, quod non velit hominem eſſe infelicem, ſed quod velit eum eſſe felicem.

Si cui dubium ex eo oriatur, quod Deus in Sacra Scriptura dicatur punire impium, adeoque mortem in pœnam decernens neceſſario infelicitatem hominis velle debeat, hic equidem nondum eſt locus objectionem removendi, facilis tamen ad eandem reſponſio. Nulla ſcilicet conſequentia infertur: Deus punit hominem impium, & pœnam ſubiens redditur is infelix. Ergo Deus vult hominem eſſe infelicem. Poſſunt enim ſubeſſe rationes aliæ, cur Deus hominem puniat, etſi eum velit eſſe felicem, adeoque mallet eum a pœna liberum, ſiquidem alia id paterentur. Obtinet ſane idem in civitate, ubi Princeps vult ſalutem ſubditorum, ac ideo pœnam decernit in legum tranſgreſſores, pœnamque exequitur, amorem omnium ſeu totius civitatis præferendo amori unius, qui ſua culpa ſe reddit pœnæ obnoxium, a qua eum liberum eſſe mallet Princeps. Hæc probe notari velim, tum ut a perver-

tendo

tendo ſenſu verbórum abſtineamus, ſi qua extra ſyſtema non ſatis clare enuntiata videtur; tum ut nobis caveamus, ne ad fingendas contradictiones nimis faciles ſimus.

§. 748.

Infelicitas hominum unde juxta Sacram Scripturam.

Homo ſe reddit juxta Sacram Scripturam infelicem abuſu libertatis. Aperte hoc docetur in Sacra Scriptura. Ita Moſes *Deut.* XXXI. 19 teſtes appellat cælum atque terram, quod Iſraelitis propoſuerit vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, atque vitam eos eligere juber. Conſtar per modo dicta ad propoſitionem præcedentem per vitam intelligi felicitatem, per mortem infelicitatem omnem. Quodſi ergo ex mente Moſis in hominis poteſtate poſitum eſt, ut vitam eligat; abuſu omnino libertatis infelicem ſeſe reddit. Docet autem idem Moſes *Deut.* XI. 26, quomodo benedictionis, quomodo maledictionis fiant participes; nimirum illius eos fore compotes, ſi mandatis Dei obediverint; huic evaſuros obnoxios, ſi non obediverint. Quemadmodum itaque homo libertate ſua abutitur, dum potius ea facit, quæ Deus prohibet, quam quæ præcipit, ac ea potius omittit, quæ præcipit, quam quæ prohibet; ita abuſu quoque libertatis infelix evadit.

Poterat propoſitionis præſentis veritas clariſſime oſtendi ex iis, quæ de lapſu hominis eumque ſecuta miſeria narrat Sacra Scriptura ac doceri iſtis Sacræ Scripturæ locis, quibus culpa ſua infelices fieri dicuntur homines. Sed hæc iis relinquimus, qui veritates revelatas ex inſtituto demonſtrant.

§. 749.

Directio mali ad bonum finem juxta Sacrã Scripturam bonitatis divinæ.

Directio mali ad bonum finem juxta Sacram Scripturam tribuenda bonitati divinæ. Probatur hoc ex hiſtoria Joſephi a fratribus in ſervitutem vendiri, qua ſupra directionem mali ad bonum finem illuſtravimus (§. 688). Cum enim Joſephus ſe agnoſcendum præberet fratribus ſuis *Geneſ.* XLV. 5, Nolite, inquit, pavere: neque durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus: pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. Mox addit *verſ.* 4, Non veſtro conſilio, ſed Dei volunrate huc miſſus ſum, ſcilicet ut tempore famis haberet pater ipſius cum fratribus, unde viveret. Patet adeo bona, quæ ex malo conſequebantur, tribui Deo auctori, mala, quæ permittit, in bonum finem dirigenti. Bonorum vero collatio ad bonitatem divinam cum referenda ſit (§. 697); bonitati utique divinæ ex mente Joſephi tribuenda eſt directio malorum phyſicorum atque moralium in bonum finem. Quamvis vero in Sacra Scriptura tantummodo recenſeatur, quænam de directione malorum in bonum finem ſenſerit Joſephus & quemnam experientiæ domeſticæ fecerit uſum; cum tamen conſtet, ea ad nos erudiendos literis conſignata eſſe *Rom.* XV. 4, quin quæ ſenſit Joſephus, ſit ipſa mens Sacræ Scripturæ dubitandum non eſt. Recte itaque ex verbis Joſephi probatur directionem mali ad bonum finem juxta Sacram Scripturam tribuendam eſſe bonitati divinæ.

Quodſi dicas, recenſeri quoque alia aliorum dicta, quæ pro mente Sacræ Scripturæ ideo venditari non poſſunt, quod in eadem narrentur, cum ſubinde ea a veritate aliena eſſe appareat,

Digitized by Google

reat; tenendum eſt, diſtinguendum eſſe inter ea, quæ vera ſunt, & quæ falſa; quæ ſunt bona, & quæ mala. Quodſi recenſeantur, quæ veritati conſentanea demonſtrari poſſunt, quin approbentur ab auctore Sacræ Scripturæ dubitari nequit. Quodſi vero enarrentur aliorum dicta, quæ a veritate & honeſtate aliena agnoſcuntur ex principiis rationis, quod ab auctore Sacræ Scripturæ improbentur, non minus extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Utrumque probatur ex verbis Apoſtoli, ad quæ provocavimus in evincenda veritate propoſitionis præſentis. Unde patet uſus philoſophiæ in demonſtrativa Sacræ Scripturæ interpretatione. Si excipias, hoc pacto ſenſum Sacræ Scripturæ fore ambiguum iis, qui philoſophia minime imbutum habent animum; exceptio illa parum me movet. Multa enim ſunt, quæ regerere poſſumus. Etenim Sacræ Scripturæ interpretatio, præſertim quoad loca difficilia, qualia ipſe agnoſcit Apoſtolus 2. *Petr.* III. 16, non eſt cujuſvis. Deinde nonnullarum veritatum mixtarum evidentia adeo obvia eſt, ut eæ citra demonſtrationem agnoſcantur interno veluti quodam ſenſu, ex confuſis notionibus communibus enato, quibus conſormes percipiuntur. Ac præterea ex ipſis narrationis circumſtantiis elucet plerumque, num approbandi, vel improbandi animo narrentur ab auctore ſacro. Sane in præſente caſui ſecundo & tertio locus eſt. Etenim cum nemo non agnoſcat, directionem malorum ad bonum finem Deo eſſe tribuendam, qui providentiæ divinæ aliquam notionem habet, cumque ejuſdem ad bonitatem divinam relatio loquatur uſum manifeſtum in ſupprimendis odio ac vindictæ cupidine, maximopere in Sacra Scriptura omnibus injuncta *Matth.* V. 44, quam ſint veritati conſentanea, quæ a Joſepho dicuntur, in dubium non vocabit niſi providentiæ divinæ contemptor & vindictæ cupidinis propugnator. Qui igitur admittit, quæ in Sacra Scriptura de providentia divina & animo a vindictæ cupidine alieno inculcantur, nec verba Joſephi niſi vera exemplo agnoſcit. Deinde non alio fine ab auctore ſacro narrantur, quæ dixit Joſephus, quam ut exemplo Joſephi doceamur, quomodo injurias ab aliis nobis factas repræſentare nobis debeamus, animum a vindictæ cupidine liberaturi. Quamobrem ex intentione narrantis, quam ex verbis Apoſtoli *Rom.* XV. 4 colligimus, cuivis ſtatim patet, approbari ea, quæ dixit Joſephus. Velim ad hæc animum advertant, quotquot Sacram Scripturam aliis interpretari debent. Noſtrum enim jam non eſt niſi attentionem eorum excitare, ut fiant oculatiores; non vero exemplo interpretationis præire, quas quippe ambages præſens non fert inſtitutum.

§. 750.

Bonitati divinæ tribuendum juxta Sacram Scripturam quod in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius. Docet hoc Chriſtus cum *Matth.* V. 44. & ſeqq. nos ad amorem inimicorum adhortaturus exemplum proponit ipſius Dei, ut idem imitemur. Jubet enim nos benefacere his, qui oderunt nos, & orare pro iis, qui perſequuntur & calumniantur nos. Addit vero hanc rationem, quod Deus Solem ſuum oriri faciat ſuper bonos & malos, & pluat ſuper juſtos & injuſtos. Et mox præcipit, nos perfectos eſſe debere, ſicuti Deus, pater noſter cæleſtis, perfectus eſt. Uſum adeo Solis, quem experimur in his terris, uſumque pluviæ in numerum beneficiorum refert divinorum. Quamobrem cum beneficia, quæ Deus hominibus præſtat, a bonitate divina proficiſcantur (§. 695); ideo liquet Chriſtum bonitati divinæ tribuere omnem rerum naturalium, quem ſibi invicem præſtant, uſum.

Uſus rerum naturalium juxta Sacram Scripturam ad bonitatē divinam referendus.

Apparet adeo theorema ſuperius (§. 739), quod paradoxum videri poterat nonnullis, qui dependentiam rerum a Deo non ſatis perſpectam habent, eſſe doctrinæ Chriſti conformem. Enimvero quoniam Chriſto probatur concluſio, ejus menti quoque conformia eſſe debent principia omnia, a quibus concluſionis veritas pendet, definienda eo modo, quo demonſtrationem in ſua principia reſolvere docuimus: id quod & in aliis caſibus notandum. Ceterum hinc ſimul patet ipſum quoque Chriſtum nexum rerum naturalium a bonitate divina derivare, quemadmodum ſupra fecimus (§. 740).

Digitized by Google

§. 751.

Beneficia hominum Deo auctori tribuenda juxta Sacram Scripturam.

Bonitati divinæ acceptum ferendum eſt juxta Sacram Scripturam ſi quid boni in nos confertur ab hominibus. Quoniam Sacra Scriptura Deo auctori tribuit inſtar beneficii rerum naturalium uſum, quem nobis præſtant (§. 750); eidem quoque accepta ferenda ſunt beneficia cjus auctoritate, quæ ab hominibus in nos conferuntur. Etenim non alia de cauſa uſus rerum naturalium pro beneficiis a Deo præſtitis haberi poſſunt, quam quod Deus, cui ab æterno cognitum perſpectumque fuit, quemnam uſum res naturales ſint habituræ (§. 232), res haſce exiſtere voluit, ut eundem uſum præſtarent (§. 648). Enimvero novit Deus non minus ab æterno, quænam beneficia homo unus in alterum ſit collaturus (§. 233). Quamobrem non minus dicendum eſt, quod homines exiſtere voluerit, ut aliis beneficia iſta exhibeant.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Joſephus tempore famis patri fratribuſque ſuis alimenta præbebat, ne fame perirent, vel ob annonæ caritatem ad incitas redigerentur. Beneficium hoc erga parentem ac fratres Deo auctori acceptum fert. Etenim *Gen* XLV. 5. Pro ſalute, inquit, veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. Addit *verſ.* 7. Præmiſit me Deus, ut reſervemini ſuper terram & eſcas ad vivendum habere poſitis: & *verſ.* 8. Dei voluntate huc miſſus ſum. Reddit Joſephus ipſemet rationem, cur hoc beneficium ſit Deo auctori ſeu tanquam cauſæ primæ tribuendum, ita ut Deus cenſeri debeat illis per ipſum benefacere. Ait nimirum: Deus fecit me quaſi patrem Pharaonis, & dominum univerſæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti. His autem verbis indigitat, ſe ideo benefacere poſſe patri atque fratribus, quod Deus ipſi largitus fuerit benefaciendi facultatem. Et ex eo, quod Deus ipſi dederit hanc facultatem, ſine qua benefacere non poterat, infert, Deum ipſis per ſe benefacere, propterea quod Deus nemini dat facultatem benefaciendi niſi eo fine, ut aliis benefaciat, quibus hoc modo proſpici vult.

Probatio poſterior recidit in priorem, quemadmodum perſpicaciores facile vident. Si enim homo beneficium exhibet homini, id Deo acceptum referri debet ex mente Joſephi, quia Deus dedit facultatem benefaciendi eo fine, ut beneficium exhibere poſſet. Exinde autem colligitur, uſus rerum naturalium eſſe in numero beneficiorum divinorum, quod Deus res illas, quæ hunc uſum habere poſſunt, eo fine produxit, ut eundem aliis præſtarent, & quidem iis, quibus inſerviunt. Veritas hæc & rationis, & Scripturæ auctoritate nixa ampliſſimi eſt uſus in philoſophia morali, ubi doceri debet, quomodo & benefactores benefaciendo, & beneficiarii gratiam illis pro beneficiis acceptis rependendo, gloriam divinam illuſtrare debeant. In genere equidem hactenus agnitum eſt, hominem in omnibus ſuis actionibus gloriam Dei illuſtrare debere: aſt quomodo idem fieri debeat in quovis actionum genere, hactenus ne a Theologiæ moralis quidem conditoribus, nedum a philoſophiæ moralis auctoribus clare ac diſtincte expoſitum fuit. Ampliſſimũ adeo docendi campum ſuo tempore in philoſophia practica ingrediemur, ubi officia hominis erga Deum ex inſtituto ſumus explicaturi. Ibidem nobis uſui erunt ſingula, quæ in Theologia naturali de Deo demonſtrantur, ob ampliſſimum iſtum prorſuſque eximium uſum probe perpendenda & animo infigenda.

§. 752.

§. 752.

Juxta Sacram Scripturam bonitati divinæ acceptum ferendum, ſi homo ponitur in iis circumſtantiis, ſub quibus bonorum tam phyſicorum, quam moralium ſit compos. Docet idem exemplo ſuo Joſephus *Gen.* XLV. 5 & ſeqq. Etenim in Ægypto ad maximam dignitatem & poteſtatem evectus erat, & non modo grato in parentem, qui ipſum præ ceteris fratribus ſuis impenſe conſtanter amaverat, animo, verum etiam amore inter fratres, qui ipſum ſumma injuria affecerant, ſingulari, & patrem, & fratres beneficiis omnibus mactabar, quæ erant in poteſtate ipſius poſita. Dignitas & poteſtas, qua fruebatur, erant bona phyſica (§. 370. 373); gratus in parentem animus, amor fratrum, animus ab omni vindictæ cupidine alienus, ſtudium benefaciendi non minus inimicis, quam amicis bona erant moralia (§. 370. 374). In iis adeo circumſtantiis poſitus erat, quibus & bonorum phyſicorum, & moralium compos reddebatur. Id vero Deo acceptum ferebat. Ajebat enim, ſe non fratrum conſilio, qui ipſum mercatoribus in Ægyptum abeuntibus vendiderant, ſed Dei voluntate miſſum in Ægyptum, & Deum ipſum feciſſe quaſi patrem Pharaonis & dominum univerſæ domus ejus, ac principem in omni terra. Similiter affirmabat, pro ſalute patris & fratrum ſuorum ſe miſſum in Ægyptum, & ad tantam dignitatem poteſtatemque evectum eſſe, ut & gratum in parentem, & beneficum erga fratres ſuos ſeſe præbere, ac bonum pro malo ipſis rependere poſſet.

Bona omnia juxta Sacram Scripturam ad Deum auctorē referenda.

Quod exemplo ſuo docet Joſephus, idem verbis inculcat Paulus 1. *Cor.* IV. 7. Quid habes, inquiens, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Propoſitum enim eſt Apoſtolo convincere Corinthios, quod omne bonum, quo fruebantur, Deo auctori acceptum referre debeant, qualecunque tandem illud fuerit. Non acquieſcendum igitur in cauſis ſecundis, ſed exemplo Joſephi progrediendum eſt ad cauſam primam, Deum, quippe cujus ſapientia (§. 666) & bonitate nexus rerum conſtitutus (§. 740). Quodſi igitur omnia bona, qualiacunque fuerint, ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ, ad Deum auctorem referre debemus, nihil autem noſtræ induſtriæ vel aliorum favori tribuere tenemur; ſequitur omnino, Dei bonitati tribuendum eſſe, quod in iis circumſtantiis ſimus collocati, ſub quibus bonorum phyſicorum & moralium compotes evaſimus.

Idem quoque hoc modo probari poterat. Jacobus c. I. 17. omne donum bonum & omne munus perfectum ſuperne a Deo deſcendere, affirmat. Quicquid boni homini obtingit, in eo dependet a cauſis ſecundis, in quarum numero ipſe quoque eſt, quatenus operam ac induſtriam ſuam in iis acquirendis collocat. Hæc adeo manifeſta ſunt, ut ignota nemini eſſe poſſint, niſi qui animum ad ea advertere recuſat, quæ contingunt quotidie, etſi nec difficile foret idem a priori demonſtrare. Quodſi ergo inſuper habitis

caúſis ſecundis, ad Deum tanquam datorem omnis boni recurrere debemus; alio ſane pacto is dator boni agnoſci nequit, quam quatenus vi ſapientiæ ac bonitatis ſuæ hunc rerum nexum conſtituit, ac nos in præſente rerum ſerie in iis circumſtantiis poſuit, ſub quibus bona phyſica & moralia nobis obtingunt. Juxta Jacobum igitur Dei bonitati tribuendum, quod in iis collocemur circumſtantiis, ſub quibus bonorum participes reddimur.

Quæ ad propoſitionem præcedentem de uſu ejus in praxi morali & theoria officiorum erga Deum dicta ſunt, ad præſentem quoque trahenda. Ceterum propoſitio præſens principium adeo fœcundum eſt in dijudicandis iis, quæ ad bonitatem divinam referenda ſunt, ut non occurrat eidem tribuendum, quod per ipſum non cognoſcatur. Quamobrem non laboramus amplius de evincendo conſenſu Sacræ Scripturæ cum ratione quoad cetera bonitatis divinæ dijudicandæ principia ſuperius ſtabilita. Obiter vero obſervamus, nonniſi per nexum rerum in hoc univerſo, quatenus eum tanquam a Deo dependentem juxta ſuperiora agnoſcimus, intelligi poſſe, quomodo Deo tribuenda ſint omnia corporis, animi ac fortunæ bona, nihil vero nobis, nihil hominibus aliis, nihil caſui. Quibus adeo rerum nexus ſudes in oculo eſt, illi ſatis ſuperque & mentis ſuæ hebetudinem, & ſuperficiarium veritatum in Sacro codice contentarum intellectum produnt.

§. 753.

Diffuſio bonitatis divinæ.

Juxta Sacram Scripturam totum univerſum eſt plenum bonitatis divinæ. Nimirum *Pſalm.* CXIX. 64 ex verſione vulgati interpretis terra dicitur plena miſericordia Domini, aut ex verſione *Caſtalionis* benignitate Dei plenus eſt orbis terrarum. In textu Hebræo extat vocabulum חסד, quod bonitatem denotare eo ſenſu acceptam, quo nos vocabulum ſumimus (§. 695), ex *Gen.* XXIV. 12. 14. 49 abunde patet. Cum enim ibidem narretur, quomodo Abrahami ſervus juſſu ejus in uxorem duxerit Iſaaco ejuſdem filio Rebeccam: hic tum directionem divinam hujus negotii, tum conſenſum agnatorum Rebeccæ refert ad id, quod חסד appellatur Hebræis. Quoniam ſervus ſibi firmiter perſuadebat, ducta Rebecca ab Iſaaco in uxorem, eundem fore felicem; tam directionem negotii divinam, quam conſenſum agnatorum Rebeccæ in numerum bonorum referebat, quæ in herum ſuum conferri poterant. Unde cum facilitas aliis bona conferendi ſit id, quod bonitatis nomine compellamus (§. 695. 370); patet vocabulum חסד ab Hebræis uſurpari ad denotandam bonitatem eo ſenſu acceptam, quo nos idem ſumimus. Quamobrem in Sacris terra dicitur plena bonitate Dei eo ſenſu, quo nos idem evicimus (§. 738). Equidem in textu Hebræo *He* demonſtrativum digitum quaſi intendit ad tellurem, ut de ea ſola intelligendum videatur ex mente Sacræ Scripturæ quod plena ſit bonitate divina. Enimvero cum terra ex mente Sacræ Scripturæ non poſſit dici plena bonitate divina, niſi quatenus in numerum beneficiorum divinorum referuntur uſus rerum naturalium (§. 750), beneficia ab hominibus nobis præſtita (§. 751) & omnes circumſtantiæ, a quibus bona omnino corporis ac fortunæ pendent (§. 752); quin bonitas Dei, Sacra Scriptura non invita, diffundatur quoque eodem modo per ceteros mundi globos, conſequenter per totum univer-

Digitized by Google

univerſum, minime dubitabit, qui ex Aſtronomia didicit, quænam inter corpora mundi totalia ſimilitudo intercedat.

Scriptura Sacra non excitat niſi attentionem ad ea, quæ a nobis obſervari poſſunt. Quamobrem cum obſervationes communes ultra ſuperficiem Telluris ſeſe non extendant, ſi corpora partialia ſpectes; de diffuſione bonitatis divinæ verba faciens non niſi Telluris mentionem injicit. Quod vero quæ de Tellure dicuntur, ad corpora mundi totalia cetera quoque applicentur, patet ex *Pſalm.* LVII. 11, ubi legitur miſericordiam Dei magnificatam eſſe uſque ad cælos, ſeu, quemadmodum *Caſtalio* vertit, clementiam Dei uſque ad cælos porrigi. In textu Hebræo extat vocabulum חסד, quod reperitur in loco antea citato, quo terra dicitur plena bonitate divina. Et de hac dicitur, quod magna facta ſit uſque ad cælos. Unde patet bonitatem Dei, qua plena eſt terra, magnam quoque eſse in ipſis cælis. Oſtendimus ſupra in demonſtratione (§. 68), cælum & terram phraſi Sacræ Scripturæ denotare totum hoc univerſum, aut, ſi mavis, mundum integrum. Quamobrem cum bonitas divina, qua plena eſt terra, ita ut, quocunque te vertas, bonitatis divinæ veſtigia deprehendas, non minus magna ſit in cælis, quam in Tellure; auctoritate Sacræ Scripturæ dicendum omnino eſt, cælos tam plenos eſſe bonitate divina, quam plena eadem eſt terra, conſequenter totum univerſum eſſe plenum bonitate divina, ita ut, ſi ad quæcunque univerſi ſpatia accedere poſſes, ibidem perinde ac in Tellure ubivis bonitatis divinæ veſtigia ſis deprehenſurus.

Nimirum juxta Sacram Scripturam bonitatis diffuſionem & magnitudinem cogniturus inquirere debes, qualis ea deprehendatur in his terris, ac deinde concludere teneris, ſi inacceſſa mundi corpora accedere & univerſum mundi ſpatium obtutu tuo comprehendere valeres, te quoad bonitatem divinam inter Tellurem ac cetera mundi corpora totalia nihil prorſus diſcriminis reperturum. Multa in Pſalmis continentur, quibus doctrina de bonitate divina illuſtrior effici poterat; ſed theoremata iſta iis extrahenda relinquimus, qui Theologiam revelatam tractant.

CAPUT V.

De Creatione & Providentia divina.

§. 754.

SI mundus aliquis materialis ad actum perducendus, elementa rerum materialium ad actum perducenda ſunt. Mundus materialis conſtat ex corporibus certo ordine diſpoſitis (§. 119 *Coſmol.*). Quamobrem cum in corporibus nihil detur ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*), quæ ſunt corporum ſeu rerum materialium elementa (§. 182 *Coſmol.*); in toto mundo materiali nihil datur ſubſtantiale præter elementa rerum materialium. Et quia mundus ens compoſitum eſt (§. 62 *Coſmol.*), ens

Quænā in producendo mundo ad actū perducenda.

com-

compoſitum vero eſt aggregatum ſubſtantiarum ſimplicium (§. 793 *Ontol.*); totus mundus adſpectabilis eſt ſubſtantiarum ſimplicium, adeoque elementorum rerum materialium aggregatum. Quoniam itaque accidentia ſine ſubſtantiis exiſtere nequeunt (§. 791 *Ontol.*), & ſubſtantiæ ſunt ſubjecta, quibus inſunt eſſentialia & attributa eadem, cum modi in iiſdem ſucceſſive variantur (§. 770 *Ontol.*), præter quæ nihil in ente aliquo exiſtere poteſt (§. 149 *Ontol.*); ſi mundus aliquis materialis producendus, elementa rerum materialium ad actum perducenda ſunt.

Idem etiam indirecte oſtenditur hoc modo. Pone mundum materialem ad actum perduci, nullis elementis materialium rerum ad actum perductis. Quoniam mundus conſtat ex corporibus (§. 119 *Coſmol.*); corpora exiſtere poſſunt, etiamſi nulla dentur rerum materialium elementa, conſequenter cum elementa rerum materialium ſint ſubſtantiæ ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), etiamſi nullæ exiſtant ſubſtantiæ ſimplices. Sunt vero corpora entia compoſita (§. 119 *Coſmol.*). Quamobrem exiſtere poſſunt entia compoſita, etiamſi nulla actu dentur ſimplicia: quod cum ſit abſurdum (§. 686 *Ontol.*), mundus materialis aliquis produci nequit, niſi elementa rerum materialium ad actum perducantur.

Oſtenditur etiam idem hoc modo. Ponamus ut ante, mundum aliquem produci, elementis rerum materialium nullis ad actum perductis. Quoniam mundus eſt ens compoſitum (§. 62 *Coſmol.*); compoſitum exiſtere poteſt, etiamſi nulla dentur entia ſimplicia, utpote rerum materialium elementa (§. 182 *Coſmol.*): quod cum ſit abſurdum (§. 686 *Ontol.*), mundus aliquis materialis ad actum perduci nequit, niſi ad actum perducantur rerum materialium elementa.

Patet idem directe per eadem principia hoc modo. Cum mundus ſit ens compoſitum (§. 62 *Coſmol.*), ens vero compoſitum ſine entibus ſimplicibus exiſtere minime poſſit (§. 686 *Ontol.*); nec mundus aliquis materialis produci poteſt, niſi entibus ſimplicibus ad actum perductis. Quare cum hæc ipſa ſint rerum materialium elementa (§. 182 *Coſmol.*); nec mundus aliquis materialis ad actum perduci poteſt, niſi ad actum perducantur rerum materialium elementa.

Supponitur utique elementa rerum materialium non eſſe entia a ſe: id quod de iiſdem evicimus (§. 52), quatenus ea ſunt ſubſtantiæ ſimplices iſtiuſmodi, quales ea eſſe ſtabilivimus in Coſmologia (§. 182 & ſeqq.). Cum demonſtrari poſſit, atomos materiales non poſſe eſſe entia a ſe (§. 53), demonſtratio propoſitionis præſentis ſubſiſtit in hypotheſi atomorum materialium. Nec minus patet, eandem quoque ſubſiſtere in hypotheſi elementorum quorumcunque materialium, qualia ſcholaſticis ſunt ignis, aer, terra & aqua; ubi eviceris hæc elementa non poſſe eſſe a ſe. Imo ſubſiſtet adhuc in hypotheſi, qua in locum elementorum ſurrogatur materia quædam homogenea indiviſa, qualis ea eſt, quam in coſmologia ſua ſupponit *Carteſius*, cum itidem ante evicerimus materiam iſtam non poſſe eſſe ens a ſe (§. 54). Perpendentibus autem demonſtrationes ſuperiores apparebit, non eſſe facile demonſtratu, cur elementa alia a ſubſtantiis ſimplicibus vel etiam materia in omnes formas tranſmutabilis non ſint entia a ſe, niſi ante notionem entis in genere, quam in Ontologia evolvimus, & notionem entis a ſe, quam in ſuperioribus ſatis diſtincte

expli-

explicatam dedimus, habueris perſpectam: id quod hic inculcandum duximus, ut, qui productionem mundi ex nihilo, conſequenter creationem animo comprehendere voluerit, non ignoret, quomodo omnes nebulæ in ardua hac doctrina intellectum obſcurantes diſpelli debeant.

§. 755.

Quoniam ſi hic mundus exiſtere, ſi hic naturæ ordo dari debet, hæc quoque neceſſario elementa exiſtere tenentur, non alia (§.569.570 *Coſmol.*); *ſi hic mundus ad actum perducitur, hæc quoque elementa rerum materialium ad actum perducenda ſunt* (§. 754).

Quænam elementa produci debuerunt.

In hypotheſi atomorum, vel elementorum materialium, vel materiæ uniformis ac indiviſæ, pro arbitratu dividendæ non implicat, ut ex iiſdem atomis, ex iiſdem elementis materialibus, vel ex eadem materia diverſa formentur corpora & diverſo modo inter ſe jungantur, ut diverſi prodeant mundi: deſunt enim rationes intrinſecæ ſtructuræ corporum ac totius mundi materialis, ordinis mundi ac naturæ, cum ex adverſo in hypotheſi elementorum, ſubſtantiarum ſimplicium, quales nos explicavimus in Coſmologia, nihil omnino ſit in tota hac rerum ſerie, quocunque te vertas, quod non rationem ſufficientem in ipſis elementis rerum agnoſcat, magno illo principio rationis ſufficientis convenienter. Patebit vero ex tractatione capitis præſentis, quantum interſit elementa rerum materialium agnoſci ſubſtantias ſimplices, ut adeo illa non minorem in Theologia naturali, quam in Philoſophia naturali præſtent utilitatem. Si qui vero fuerint, quibus doctrina de elementis coſmologica nimis ſubtilis viſa fuerit, illi ea prætermittant, quæ ab eadem in præſente doctrina pendent, nec ſibi ſed aliis dicta putent, quorum acumen ſubtilitas iſta non ſuperat.

§. 756.

Elementa rerum materialium producta ſunt, ſeu facta ab alio. Etenim contingentia in mundo non habent rationem ſufficientem actualitatis ſuæ in ſerie ſucceſſivorum, ſed in ente alio extra ſeriem iſtam conſtituto, eoque neceſſario (§. 90 *Coſmol.*). Quoniam vero unumquodque elementum continet ſeriem mutationum, quæ diverſa eſt a ſerie alterius cujuſcunque (§. 198 *Coſmol.*), & rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur, in elementis continentur (§. 191 *Coſmol.*); cur ſeries ſucceſſivorum in hoc univerſo hæc ſit, non alia, ex eo eſt, quod hiſce elementis inſint hæ, non aliæ mutationum ſeries. Et quia anima ſenſu nil percipit, niſi quatenus ſibi repræſentat ſubſtantiarum ſimplicium mutationes intrinſecas, ſed in unum confuſas (§. 98 *Pſychol. rat.*); ſeries ſucceſſivorum in mundo, quam contingentium eſſe conſtat (§. 80 *Coſmol.*), & multiplicem eſſe novimus (§. 82 *Coſmol.*), ſunt ipſæ ſeries mutationum in ſubſtantiis ſimplicibus continuo factarum & confuſe a nobis perceptæ. Quamobrem nec in elementis dari poteſt ratio ſufficiens actualitatis contingentium in univerſo, ſed ea quærenda eſt extra hæc elementa in ente quodam alio ab hiſce elementis diverſo, eoque neceſſario. Enimvero poſitis hiſce elementis ponuntur hæ ſeries mutationum ipſis neceſſario inexiſtentes (§. 197 *Coſmol.*), conſequenter hæc quoque in mundo ſenſibili ponitur ſeries contingentium. Quamobrem neceſſe eſt, ut rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ non in ſe habeant elementa, ſed in ente alio neceſſario ab ipſis diverſo, quemadmodum ex demonſtratione liquet. Quoniam adeo per ea, quæ elementis inſunt, nondum ponitur eorundem actualitas (§. 118 *Ontol.*); neceſſe eſt ut actualita-

Elementa num fuerint producta ab alio.

tem

Digitized by Google

tem ipſis impertitum fuerit ens aliud, conſequenter cum quid producatur, dum actualitatem eidem ens aliud impertitur (§. 690 *Ontol.*); elementa rerum materialium producta, ſeu facta ſunt ab ente alio.

Demonſtratio hæc clarior quodammodo & captu facilior evadit, ubi ad caſum aliquem particularem applicatur. In numero ſimplicium ſerierum contingentium eſt continua dependentia actus gallinæ ab ovo & viciſſim ovi a gallina, qua uſos eſſe veteres ad removendam rationem ſufficientem actualitatis intrinſecam a ſerie contingentium, alias monuimus (*not.* §. 90 *Coſmol.*). Quoniam corpora ſunt elementorum aggregata (§. 176. 181 *Coſmol.*), quæ anima ſibi repræſentat, quatenus mutationes elementorum in unum confuſas ſibi repræſentat (§. 98 *Pſychol. rat.*); non minus gallinæ, quam ovo reſpondere debent certa quædam elementa, mutationes datas intrinſecas ſubeuntia, ita ut tamdiu exiſtat gallina, vel ovum, quamdiu iſta mutationum ſeries in elementis iſtis durat. Jam cum elementa alio modo coexiſtere nequeant, quam quo in hoc univerſo coexiſtunt (§. 571 *Coſmol.*), neque hæc elementa, per quæ aggregantur corpora (§. 176 *Coſmol.*), ex quibus mundus hic adſpectabilis conſtat (§. 119 *Coſmol.*), aliter combinari poſſunt, quam ut gallinarum & ovorum actus determinetur per continuam dependentiam mutuam ovi a gallina & gallinæ ab ovo, conſequenter ratio ſufficiens actus ovi & gallinæ in ipſis elementis minime continetur (§. 851 *Ontol.*), utpote deficiente ratione ſufficiente, cur vel gallina prior extiterit ovo, vel ovum prius gallina, quoniam per combinationem elementorum æque poſſibile, ut exiſtat ovum, quam ut gallina exiſtat. Neceſſe igitur eſt, ut ratio ſufficiens, cur vel gallina prior extiterit ovo, vel ovum prius gallina in hac rerum ſerie, quæratur in ente alio ab iſtis elementis diverſo. Quoniam vero entis compoſiti contingentis in mundo exiſtentia ejuſdemque modi determinantur per mundum integrum (§ 87 *Coſmol.*); nec in ceteris elementis ab hiſce, quibus aggregatis prodit gallina, vel ovum, diverſis ratio ſufficiens dari poteſt, cur ovum prius gallina, vel gallina prior ovo extiterit. Quamobrem cum idem eodem modo ſeſe habeat in ſerie quacunque ſimplici contingentium, quæ ingreditur ſeriem ſucceſſivorum (§. 82 *Coſmol.*); patet omnino nullum concipi poſſe in hac ſerie rerum contingens, cujus actualitas determinetur ſufficienter per ea, quæ elementis rerum materialium inſunt. Admittendum igitur aliquod ens neceſſarium ab omnibus iſtis elementis rerum materialium prorſus diverſum, unde deducenda ratio ultima actualitatis contingentium, adeoque ipſa actualitas elementorum, quibus poſitis, ponuntur hæc corpora (§. 193. 194 *Coſmol.*) & hic naturæ ordo (§. 569 *Coſmol.*). Elementis itaque actualitatem impertitum eſt ens aliud, ab ipſis prorſus diverſum, conſequenter ipſa producta ſeu facta ſunt ab alio (§. 690 *Ontol.*).

In gratiam eorum, quibus multa rerum perpendendarum ſeries nebu-

las

las adhuc affundit intellectui, demonſtrationem proxime præcedentem hoc modo proponere viſum eſt. Experientia magiſtra ſumo naturaliter, conſequenter juxta præſentem naturæ ordinem ovum exiſtere non poſſe, niſi præexiſtat gallina, nec gallinam exiſtere poſſe, niſi præexiſtat ovum (§. 566 *Coſmol.*), conſequenter in præſente naturæ ordine non dari rationem ſufficientem cur gallinæ & ova in hac rerum ſerie ad actum perducantur (§. 56 *Ontol.*). Quoniam itaque hiſce exiſtentibus elementis alius naturæ ordo eſſe nequit (§. 569 *Coſmol.*); nec in elementis rerum materialium ratio ſufficiens continetur, cur in hoc mundo adſpectabili ad actum perducantur ova atque gallinæ. Neceſſe igitur eſt, ut ea quæratur in ente alio ab iſtis elementis diverſo, qua poſita ponuntur elementa hæc in eo ſtatu, per quem intelligi poteſt, utrum gallina ovo, vel ovum gallinæ præextiterit. Habent adeo elementa hæc actualitatem ſuam ab ente alio, conſequenter ab alio producta vel facta ſunt (§. 690 *Ontol.*).

Propoſitio præſens hoc modo etiam oſtendi poterat. Ordo naturæ contingens eſt (§. 561 *Coſmol.*), conſequenter non neceſſarius (§. 294 *Ontol.*), adeoque non implicat alium dari naturæ ordinem (§. 279 *Ontol.*). Enimvero ſi alius eſſe debet naturæ ordo, elementa alia exiſtere debent (§. 569 *Coſmol.*). Elementa igitur rerum materialium non neceſsario exiſtunt, adeoque contingenter exiſtunt (§. 294 *Ontol.*), conſequenter rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ente alio a ſe diverſo habent (§. 310 *Ontol.*). Quoniam itaque actualitatem ſuam a ſe non habent (§. 31); ab alio ente a ſe diverſo producta vel facta ſunt (§. 690 *Ontol.*).

Equidem in ſuperioribus jam evicimus, elementa rerum materialium non eſſe entia a ſe (§. 31), unde facile porro inferri poterat, ea eſſe facta ſive producta ab alio, cum quod a ſe non eſt, nec vi propria exiſtat, ſed aliena indigeat, ut exiſtere poſſit (§. 27), conſequenter actualitatem ab alio habere debeat: placuit tamen propoſitionem præſentem independenter ab iis, quæ ſupra demonſtrata ſunt, & diverſis quidem modis demonſtrare, propterea quod non eadem demonſtratio æque ſatisfacit omnibus, quoniam principia demonſtrationem ingredientia non æque familiaria experiuntur, & ſubinde nonnullis inſunt præjudicia ne ipſis quidem animadverſa, quibus nebulæ offunduntur evidentiæ, ut eadem animus convincendus percelli nequeat, quantum ad aſſenſum immotum ſufficit. Quamobrem in re ardua non intentatum relinquendum eſſe duximus, quod ad eam firmandam ullo modo facere poſſit. Demonſtratio ultima, ab ordinis naturæ contingentia petita, facillima omnium videtur & minus intricata anterioribus: quodſi tamen demonſtrationem contingentiæ ordinis naturæ, quem ſuo loco dedimus (§. 561 *Coſmol.*), in ſua principia reſolvere libuerit, quemadmodum exemplo aliquo alias docuimus (§. 992 *Log.*); ſatis ſuperque conſtabit, quam multa præſupponantur, antequam de contingentia ordinis naturæ convictum habere poſſis animum, quodque facilius ſit demonſtrationes ceteras penitus aſſequi, quam principia demonſtrationis contingentiæ, quæ ineſt ordini naturæ, pleno aſſenſu complecti. Extra ſyſtema ſubinde facilia videntur, quæ in ſyſtemate difficillima deprehenduntur, propterea quod ad notiones confuſas reſpicientes tanquam certa admittimus, quæ diſtincte explicanda nonniſi longa notionum evolutione ad certitudinem perducuntur. Sane non dubito fore nonnullos, quibus probatio ſequens propoſitionis præſentis clarior ceteris videbitur: Ordo naturæ contingens eſt, ſeu a neceſſitate abſoluta liber (§. 561 *Coſmol.*), conſequenter cum alia exiſtere debeant elementa, ſi alius eſſe debet naturæ ordo (§. 569 *Coſmol.*), elementa non exiſtunt neceſſario, adeoque facta ſunt; etſi non omnia ſufficienter evolvantur, quæ ad evidentiam faciunt. Sed nos jam non id agimus, ut captui lectorum, ſed ut veri-

veritati accommodemus demonſtrationes: captus enim lectorum variat, veritas eadem ſemper eſt.

§. 757.

Mundũ eſſe factum ab alio.

Mundus hic adſpectabilis factus eſt ab alio. Præter mundum hunc adſpectabilem alii plures poſſibiles ſunt, in quibus ad actum deducerentur poſſibilia, quæ in præſente actum minime conſequuntur (§. 101 *Coſmol.*). Mundus igitur hic non eſt neceſſario talis (§. 279 *Ontol.*), adeoque contingenter exiſtit (§. 294 *Ontol.*), conſequenter rationem exiſtentiæ ſuæ in ente alio a ſe diverſo habet (§. 310 *Ontol.*). Quoniam igitur exiſtentiam ſeu actualitatem ab ente alio accepit; eum ab alio factum eſſe patet (§. 690 *Ontol.*).

Conſulto probamus propoſitionem præſentem independenter a principio ſuperiori, quod mundus non ſit ens a ſe, propterea quod eadem non minus, quam præcedente commode utemur ſuo tempore in iſtiuſmodi caſibus, ubi ad principia anteriora recurrere non commodum videtur. Repetenda præterea ſunt, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Ceterum cum hic independenter ab exiſtentia Dei evicerimus, & mundum hunc adſpectabilem factum eſſe ab alio, & elementa rerum materialium noſtro ſenſu accepta ab alio eſſe producta; ideo jam patet, quomodo exiſtentia Dei demonſtrari poſſit hac argumentatione: Mundus factus eſt ab alio. Ergo datur Deus, dum ſcilicet eidem evidentia fœnerator, qua deſtituitur perinde ac altera: Datur ordo mundi contingens. Ergo datur ordinis auctor, Deus. Nimirum cum per propoſitionem præſentem ac præcedentem certum ſit, mundum atque ipſa elementa rerum materialium, quibus aggregatis oritur mundus, facta eſſe ab alio; inde recte infertur: dari aliquod ens, quod eſt cauſa & auctor hujus univerſi, & vi principii rationis ſufficientis talia eidem tribuenda ſunt prædicata, qualia ſufficiunt, ut intelligatur, cur hic potius mundus fuerit ab eo factus, quam alius, & cur hic potius conſtitutus fuerit naturæ ordo, quam alius. Atque ita recidimus in demonſtrationes anteriores de intellectu & voluntate divina.

§. 758.

Mundi & elementorũ productio cui tribuenda.

Deus fecit mundum & ipſa elementa rerum materialium. Etenim in Deo, qui exiſtit vi propria, independenter ab omni alio ente, ac ſibimetipſi ſufficit ad exiſtentiam (§. 70), continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ mundi hujus adſpectabilis (§. 67), atque elementorum rerum materialium (§. 64). Quamobrem cum per rationem ſufficientem intelligatur, cur mundus hic adſpectabilis & hæc elementa rerum materialium exiſtant (§. 56 *Ontol.*); per ea, quæ de Deo demonſtrantur, intelligitur, quomodo hic mundus & elementa rerum materialium actum fuerint conſecuta. Quoniam itaque quid poſſibile eſt, quod ejus idea detur in intellectu divino (§. 192); mundus quoque & elementa rerum materialium ideo poſſibilia ſunt, quod eorum idea in intellectu divino detur (§. 181). Et quia per decretum divinum, quod poſſibile eſt, efficitur futurum (§. 522); mundus quoque adſpectabilis & elementa rerum materialium per decretum divinum facta ſunt futura. Quoniam denique Deus facere non modo poteſt, quod decrevit, verum etiam facit (§. 525); ideo quoque mundum fecit ac rerum materialium elementa, non exiſtibilia niſi per potentiam ejus (§. 223).

Probari etiam poteſt hoc modo. Mundus non eſt ens a ſe (§. 50), nec elementa rerum materialium ſunt entia a ſe (§. 52), conſequenter vi entis

Digitized by Google

tis alterius indigent, ut exiſtant (§. 27). Quamobrem cum exiſtere nequeat niſi per potentiam Dei, quod præter Deum exiſtit (§. 223); nec mundus hic cum elementis rerum materialium actum conſequi potuit niſi per potentiam Dei, conſequenter cum potentia Dei ſit poſſibilitas ad actum perducendi, quæ in ſe ſpectata poſſibilia ſunt (§. 222), Deus mundum hunc adſpectabilem & elementa rerum materialium ad actum perduxit. Enimvero cum is quid faciat, ſeu producat, qui id ad actum perducit, ſeu actualitatem eidem impertitur (§. 690 *Ontol.*); Deus mundum hunc adſpectabilem atque ipſa elementa rerum materialium fecit, ſive produxit.

Oſtenditur eiam hoc modo. Mundus hic adſpectabilis factus eſt ab alio (§. 757) & elementa rerum materialium ab alio facta ſunt (§. 756). Quoniam nihil exiſtibile, niſi per potentiam Dei (§. 224), & in Deo continetur ratio, cur hic mundus adſpectabilis exiſtat (§. 67), qui ſine hiſce elementis exiſtere nequit (§. 755); ens illud aliud, a quo mundus & elementa rerum materialium facta ſunt, eſſe nequit niſi Deus, conſequenter Deus mundum hunc adſpectabilem & elementa rerum materialium fecit.

Demonſtratio prima ortum mundi a Deo diſtincte declarat, & clariſſime is percipitur, ubi principia anteriora ſatis familiaria experiris. Triplex mundi diſtingui poteſt ſtatus noſtro ſaltem concipiendi modo, nimirum ſtatus nudæ poſſibilitatis, ſtatus futuritionis & ſtatus actualitatis. Status nudæ poſſibilitatis abſolute neceſſarius eſt, competit enim mundo, quatenus ejus idea in intellectu divino (§. 181), neceſſario ac immutabiliter datur (§. 189. 190). Atque adeo ſumitur, non demum quæritur, quomodo is ad hunc ſtatum fuerit perductus, quemadmodum fieri debet in hypotheſi idearum arbitrariarum (§. 191). Status futuritionis conſideratur poſt decretum, quippe cum per hoc in illum mundus ex ſtatu puræ poſſibilitatis fuerit perductus, ceteris in eodem relictis. Status denique actualitatis præſens eſt, & ex ſtatu futuritionis in eundem perductus eſt mundus omnipotentia Dei. Triplicem hunc ſtatum probe diſcernere tenemur, ne in dijudicanda dependentia mundi & rerum in eo contentarum a Deo, aberremus. Hanc ob rationem demonſtrationem primam ceteris præmittere viſum fuit, utut ceteræ videri poterant planiores.

§. 759.

Deus hunc mundum produxit ex nihilo. Etenim Deus non modo hunc mundum fecit, ſed ipſa etiam rerum materialium elementa (§. 758). Enimvero præter elementa rerum materialium, quibus aggregatis orta ſunt corpora (§. 176 *Coſmol.*), nihil datur ſubſtantiale in corporibus (§. 177 *Coſmol.*). Quoniam itaque nihil hujus mundi adſpectabilis extitit, antequam elementa iſta producerentur; ex nihilo Deus hunc mundum adſpectabilem produxit (§. 540. 690 *Ontol.*). *Productio mundi ex nihilo.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Deus dum mundum producere voluit (§. 758), elementa quoque rerum materialium produxit (§. 754). Enimvero elementa rerum materialium ſubſtantiæ ſimplices ſunt (§. 182 *Coſmol.*), adeoque ex nihilo producta (§. 691 *Ontol.*). Deus adeo mundum hunc adſpectabilem ex nihilo produxit.

Apparet adeo, quam plana ſit per principia noſtra productio mundi ex nihilo. Quoniam paulo ante (*not.* §. 754) monuimus, quod cum ſuperius evicerimus, atomos quoque materiales & elementa quæcunque materialia, imo materiam indiviſam ac uniformem, ex qua *Carteſius* mundum factum eſſe fingit, eſſe entia ab alio (§. 53. 54), eadem a Deo facta

 eſſe

eſſe eodem modo probari poſſe, quo elementa rerum materialium, noſtro ſenſu accepta, a Deo facta eſſe ex eorum aſeitate deſtructa deduximus; patet demonſtrationem priorem etiam accommodari poſſe hypotheſi atomorum materialium, vel elementorum quorumcunque ipſorum materialium, ac materiæ uniformis ac indiviſæ: quod ideo monemus, ut, ſi qui hypotheſibus etiamſi a veritate alienis addicti fuerint, productioni mundi ex nihilo aſſenſum non denegent. Patet vero, quo ſenſu dicatur Deus ex nihilo produxiſſe hunc mundum, ex notione productionis hujus in philoſophia prima explicata. Etenim ex nihilo produci diximus, ſi ei, quod ex nihilo oriri debebat, exiſtentia confertur (§. 690 *Ontol.*), & ex nihilo oriri diximus, quod exiſtere incipit, cum nihil ejus antea actu eſſet. Quamobrem mundum ex nihilo produxit Deus, quatenus eidem exiſtentiam ſeu actualitatem impertitus eſt, cum nihil prorſus ejus antea actu eſſet. Nimirum ex iis, quæ de triplici ſtatu mundi paulo ante (*not. §. præced.*) annotavimus, conſtat, antequam mundus a Deo produceretur, totum nonniſi idealiter extitiſſe in intellectu divino, & per voluntatem Dei certum fuiſſe, quod actualitas eidem ſit conferenda, conſequenter nihil prorſus ad eum quomodocunque pertinens actu fuiſſe. Deus igitur, quod in ſe ſpectatum nonniſi poſſibile erat, ad actum perduxit, cum nihil ejus actu extaret.

§. 760.

Creatio mundi. ***Deus creavit mundum hunc adſpectabilem.*** Produxit enim hunc mundum adſpectabilem ex nihilo (§. 759). Quamobrem cum productio ex nihilo dicatur creatio (§. 697 *Pſychol. rat.*); Deus mundum hunc adſpectabilem creavit.

Patet itaque, qualis creatio in ſyſtemate noſtro locum habeat: etenim ex ipſa elementorum, quæ in Coſmologia adſtruximus, natura creationem deduximus. Vanæ igitur ſunt conſequentiariorum maledicæ vociferationes, quod in ſyſtemate noſtro creationi veri nominis non ſit locus. Sane in noſtro ſyſtemate contingentia hujus mundi derivatur ex ipſa contingentia elementorum (§. 570 *Coſmol.*), adeoque ex ipſa eorundem ſubſtantialitate (§. 177 *Coſmol.*). Productio autem mundi ex nihilo, ſeu non præexiſtente, a contingentia ejus, quod ſubſtantiale eſt, in univerſo unice pendet. Et quamvis in ſuperioribus aſeitatem quoque removerimus ab atomis materialibus (§. 53), ac ideo ab elementis quibuſcunque corporeis & materia uniformi ac indiviſa, ex qua factus eſſe mundus a nonnullis dicitur (§. 54), ut veri nominis creationem etiam in iſtis hypotheſibus ſalvaremus, ne iiſdem dediti facile in atheiſmum prolabantur, quemadmodum id fieri poſſe ex *Lucretio* conſtat; id tamen vi noſtrorum principiorum factum eſſe conſtat, per quæ intimius inſpecta ipſamet corruunt, ut adeo per transennam videntes ipſis tribuant, quod elementis veri nominis a nobis aſſertis tribuendum fuerat. Atque ea ratio eſt, cur in hypotheſi atomorum ac elementorum materialium & materiæ uniformis ac indiviſæ difficulter probari poſſe aſſeruerimus productionem mundi ex nihilo, propterea quod juxta hypotheſes iſtas, prouti communiter ſumuntur ab eorum auctoribus & defenſoribus, contingentia mundi adſpectabilis non derivatur a ſubſtantialitatis contingentia, ſed ab indifferentia ad quaslibet formas recipiendas, quæ utique ſubſiſtit, etiamſi entia iſta ſumantur neceſſaria, conſequenter creatio tantummodo explicetur pro transmutatione in varias formas mutabilis in hanc præciſe formam. Inſignis prærogativa ſyſtematis noſtri coſmologici, ac inprimis theoriæ elementorum, cum in Theologia eloceat naturali; principia ejus in eandem haud ægre admiſimus, utpote non tantum probaturi quod ea, quæ veritati conſentanea, ſint, verum etiam rationem reddituri, cur ſint. Quamobrem nec piget actum creationis ac conſervationis, imo omnem providentiam per eadem principia uberius explicare, ne in iis induſtria noſtra deſiderari videatur, quæ ſunt philoſophi (§. 46 *Diſc. prælim.*). Nec alio pacto impietatis ſuſpicio, in quam ſyſtema noſtrum adducere conantur invidi ac malevoli, rectius ab eodem removetur, quam ubi per ipſum demonſtrantur, quæ Scripturæ Sacræ conſentientia ab omnibus agnoſcuntur.

§. 761.

Ordo naturæ quomodo conſtitutus. ***Deus conſtituit hunc naturæ ordinem, dum hæc, non alia rerum materialium elementa produxit.*** Etenim cum naturæ ordo alius eſſe nequeat, niſi elementa alia exiſtant (§. 569 *Coſmol.*); præſens naturæ ordo ex hiſce elementis

Digitized by Google

mentis neceſſario reſultat, ut adeo iiſdem poſitis ponatur & ipſe. Conſtituitur adeo aliquis naturæ ordo, dum certa elementa producuntur, conſequenter hic naturæ ordo a Deo conſtitutus eſt, dum hæc præciſe, non alia rerum materialium elementa ab eodem producta ſunt.

Idem majore claritate in gratiam præſertim eorum, qui theoriam coſmologicam de elementis rerum materialium nondum ſatis familiaria experiuntur, hoc modo oſtendi poteſt. Cum elementa rerum materialium ſingula vi quadam activa prædita ſint (§. 196 *Coſmol.*), unde ſtatus eorum internus continuo ea lege mutatur, ut præſens rationem contineat ſequentis (§. 197 *Coſmol.*), & hinc unumquodque elemenrum contineat ſeriem mutationum, quæ diverſa eſt a ſerie alterius cujuſcunque (§. 198 *Coſmol.*); elementa ab his, quæ exiſtunt, diverſa non aliter differre ab iiſdem poſſunt, quam quomodo a ſe invicem differunt, ſeriebus nempe mutationum, quæ ipſis per eſſentiam & naturam ſuam inſunt, conſequenter ipſis viribus activis, unde ſeries iſtæ conſequuntur. Quia vis motrix oritur ex ſubſtantiis ſimplicibus (§. 180 *Coſmol.*), nec corporibus ineſt, niſi quatenus vires, quæ inſunt elementis, confuſe nobis repræſentamus (§. 110 *Pſychol. rat.*); vis motrix in eorporibus non aliam admittit differentiam, quam in modo, quo modificatur. Quamobrem his elementis exiſtentibus, hoc & non alio modo vis motrix modificari poteſt. Quoniam itaque naturæ ordo in modificationibus virium motricium deprehenditur (§. 558 *Coſmol.*); dum Deus hæc & non alia elementa produxit, hunc quoque naturæ ordinem conſtituit.

Patet adeo, quomodo ordo naturæ contingens ſit, ſeu ab abſoluta neceſſitate liber (§. 561 *Coſmol.*), etſi natura ipſa, quæ in agendo hunc ordinem obſervat (§. 557 *Coſmol.*), neceſſario agat, nec ab eo ne latum quidem unguem recedere poſſit. Patet etiam, quomodo Deus præſcribere potuerit naturæ aliquem ordinem & hæc ipſi obedire teneatur. Nimirum ſubſtantias ſimplicies, quæ activæ ſunt, produxit, quibus inſunt vires hoc & non alio modo modificabiles, & quæ adeo non alio, quam hoc modo agere poſſunt, cum aliæ ſubſtantiæ iſtiuſmodi ſimplices produci poſſent, quæ alio modo modificabiles alio etiam, quam hoc modo agere poterant. Intelligitur hinc porro modus contingentiam naturæ ordinis ex ipſa elemenrorum natura a priori demonſtrandi, etſi nondum plene percipiatur, cum phænomenorum in mundo materiali ex ſubſtantiis ſimplicibus tanquam ex ſuo fonte ortum paulo penitius inſpicere debeamus, antequam demonſtratio concinnari poſſit. Sed talia attentius in Phyſica generali rimari licebit: principia enim coſmologica non modo in uſum Theologiæ naturalis, verum etiam in uſum Phyſicæ generalis a nobis condita ſunt. Obiter obſervamus, quo intimius ſyſtema noſtrum inſpicitur, eo clarius quoque naturæ ac rerum omnium a Deo dependentia innoteſcit & intelligibili modo explicabilis redditur. Videant vero qui elementa noſtro ſenſu accepta non admittunt, an diſtincte ex aliis hypotheſibus explicare poſſint, quomodo naturæ ordo ſit contingens & natura tamen agat neceſſario; quomodo Deus libere conſtituerit naturæ ordinem & eundem naturæ præſcribere, hancque ad obedientiam exactam obligare potuerit, ut non agat, niſi ad nutum ſuum.

§. 762.

Creator mundi dicitur, qui hunc mundum adſpectabilem creavit, ſeu ex nihilo aut non præexiſtente produxit. *Auctor ordinis naturæ* vocatur, qui naturæ ordinem conſtituit. *Creator mundi & auctor ordinis*

Defini-

naturæ quinam dicatur.

Definitiones hæ intelliguntur reſolvendo eas in notiones diſtinctas, quæ eaſdem ingrediuntur & alibi a nobis explicatæ fuere. Etenim quid ſibi velit productio ex nihilo, ex ontologicis (§. 690.540 *Ontol.*); quid ordo naturæ, ex coſmologicis (§. 557 & ſeqq. *Coſmol.*); quid denique conſtitutio ordinis naturæ, ex demonſtratione propoſitionia præcedentis intelligitur.

§. 763.

Quinam ſit.

Deus eſt creator mundi & auctor ordinis naturæ. Etenim Deus mundum hunc adſpectabilem creavit (§. 760) & hunc naturæ ordinem conſtituit, dum hæc, non alia elementa rerum materialium ad actum perduxit (§. 761). Quoniam itaque mundi creator eſt, qui hunc mundum adſpectabilem creavit, & ordinis naturæ auctor, qui eundem conſtituit (§. 762); Deus creator mundi & auctor ordinis naturæ eſt.

Quæ naturaliter fiunt, ſecundum naturæ ordinem fiunt (§. 566 *Coſmol.*). Quamobrem cum Deus ſit auctor ordinis naturæ; ad ipſum tanquam auctorem referri debent, quæ naturaliter fiunt. Unde jam uberius intelligitur, cur etiam uſus rerum in numerum beneficiorum divinorum ſint referendi, & cur in eundem cenſum veniant alia, quæ ſupra bonitati divinæ tribuimus (§. 733 & ſeqq.).

§. 764.

Quomodo Deus hunc mundum produxerit.

Deus hunc mundum adſpectabilem & hæc in eodem, non alia corpora produxit, dum hæc, non alia elementa rerum materialium ad actum perduxit. Etenim cum hæc elementa alio modo coexiſtere nequeant, quam quo coexiſtunt (§. 571 *Coſmol.*); dum Deus ea ad actum perduxit, hoc quoque modo aggregari debuerunt, quo eadem aggregavit. Quamobrem cum corpora non ſint niſi ſubſtantiarum ſimplicium, adeoque elementorum (§. 182 *Coſmol.*), aggregata (§. 176 *Coſmol.*); corpora hæc & non alia extitere, dum Deus hæc & non alia elementa ad actum perduxit, conſequenter cum mundus adſpectabilis ex his corporibus conſtet (§. 119 *Coſmol.*), hic quoque mundus adſpectabilis extitit, dum hæc elementa ad actum fuere perducta. Patet igitur, quod Deus mundum hunc adſpectabilem & hæc, non alia in eodem corpora produxerit, dum hæc, non alia elementa ad actum perduxit.

Patet itaque, quod Deus libere produxerit hunc mundum, quatenus alia rerum materialium elementa alio modo aggreganda producere poterat, nec tamen in hoc mundo alia producere potuerit corpora, quam quæ fecit, libertate ejus ſumma & omnipotentia ſalva, ita ut nullibi quidpiam deprehendatur, quod non ſumma nitatur ratione, nec quicquam tamen dici poſſit niſi liberrime a Deo conſtitutum.

§. 765.

Actus creationis num ſit unicus.

Deus mundum hunc adſpectabilem produxit & ordinem naturæ conſtituit uno eodemque actu. Produxit enim mundum adſpectabilem, dum elementa rerum materialium ad actum perduxit (§. 764), & ſimiliter ordinem naturæ conſtituit, dum hæc, non alia elementa ad actum perduxit (§. 761). Produxit igitur mundum naturæque ordinem conſtituit uno eodemque actu.

Vulgo ſumunt, quemadmodum & *Carteſius* fecit, Deum creaſſe rudem quandam & indigeſtam molem, quam *Chaos* dixere veteres. Ex hac deinde materia variis modis diviſa & in motum concitata feciſſe corpora & ordine ſuo diſpoſuiſſe. Hiſce tandem conveniente modo ordinatis præſcripſiſſe certum ordinem, quem natura obſervaret. Enimvero qui ita ſentiunt, ſecundum notiones imaginarias philoſophantur, ad imitationem earum confictas, quas de

produ-

Digitized by Google

productione operum artificialium conſecuti. In quantas vero difficultates conjiciatur intelligibili modo explicaturus, quomodo corporibus hiſce hic impoſitus fuerit ordo, ſeu hic naturæ ordo conſtitutus, & quomodo natura intellectu & voluntate libera deſtituta agere poſſit juxta leges liberrime ipſi latas: is demum experietur, qui explicationem aggreditur. Aſt ſecundum noſtra principia omnia plana ſunt & aperta, nec in omnibus ad arbitrium Dei recurrendum, id quod minime licere in iſtiuſmodi quæſtionibus, quæ modum, quo quid fieri poſſit, concernunt, ſupra abunde demonſtratum eſt (§. 434).

§. 766.

Actus creationis in quo conſiſtat.

Actus creationis conſiſtit in perducendis ad actus talibus ſubſtantiis, nullo alio præexiſtente in eaſdem influente. Etenim totius creationis actus, quo mundus hic adſpectabilis productus & naturæ ordo conſtitutus (§. 765), conſiſtit in eo, quod Deus hæc rerum materialium elementa ad actum perduxerit (§. 761. 764), & quidem ex nihilo (§. 759), adeoque nullo alio præexiſtente in actualitatem illorum influente (§. 540. 690 *Ontol.*). Enimvero elementa rerum materialium ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), nec præter ea quidpiam ſubſtantiale in corporibus datur (§. 177 *Coſmol.*). Quamobrem actus creationis in eo conſiſtit, quod Deus ſubſtantias nullo alio præexiſtente, in earundem actualitatem influente, ad actualitatem perduxerit.

Artifices & in univerſum homines opus aliquod producentes nihil ſubſtantiale ad actum perducunt, quod antea non erat. Unde ex nihilo nihil facere poſſunt. Quicquid faciunt, ex materia quadam præexiſtente faciunt, ut adeo ipſorum actus cum actu creationis nihil prorſus commune habeat. Crearet artifex horologium, ſi actualitatem conferre poſſet ideæ ejus, quam animo comprehenſam intuetur, nulla materia ad idem uſus, ſed jubens, ut ideatum extra animam ſuam exiſtat. Ita enim ipſum ſubſtantiale produceret, nec tantummodo materiæ varias figuras induceret, quemadmodum nunc fieri ſolet.

§. 767.

Potentia creatrix num Deo propria.

Naturæ rerum nulla competit potentia creatrix; ſed ea ſoli Deo propria eſt. Etenim naturæ vi non producuntur niſi corpora, quemadmodum perenni experientia conſtat, conſequenter cum corpora ſint entia compoſita (§. 119 *Coſmol.*); nonniſi compoſita. Enimvero compoſita oriuntur citra rei cujuſdam ex nihilo ortum (§. 542 *Ontol.*), conſequenter citra ullam creationem (§. 697 *Pſychol. rat.*). Ergo naturæ vi nihil creatur, conſequenter nulla ipſi potentia creatrix competit. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen Deus hunc mundum adſpectabilem creavit (§. 760), potentia creatrix ipſi competit, eidemque propria eſt. *Quod erat alterum.*

Idem etiam ſic oſtenditur. Natura non eſt niſi aggregatum omnium virium motricium, quæ corporibus in mundo coexiſtentibus ſimul ſumtis inſunt (§. 507 *Coſmol.*), cumque vis motrix motui locali adhæreat (§. 137 *Coſmol.*), natura non agit niſi motu locali. Conſiſtit autem motus localis in continua loci mutatione (§. 642 *Ontol.*). Quamobrem cum ex eo, quod quid locum continuo mutat, nihil ſubſtantiale ad actum perducatur, quod antea non exiſtebat, creatione autem ad actum perducantur ſubſtantiæ, nullo præexiſtente in actualitatem earundem influente (§. 766); naturam nihil creare poſſe, conſequenter potentiam creatricem ei non competere, ſed ſoli

Digitized by Google

ſoli Deo, cui eandem convenire demonſtratum eſt, propriam relinquendam eſſe patet.

Idem etiam per indirectum oſtenditur hoc modo. Ponamus, ſi fieri poteſt, naturæ competere potentiam creatricem. Quoniam natura eſt vis motrix (§. 506 *Coſmol.*), vis motrix autem non ſunt niſi vires, quæ inſunt elementis, confuſe perceptæ (§. 110 *Pſychol. rat.*); natura diſtincte percepta eſt aggregatum omnium virium activarum, quæ inſunt elementis. Sunt vero elementa ſubſtatiæ ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), conſequenter cum ens ſimplex ex alio ſimplici exiſtente oriri nequeat (§. 688 *Ontol.*), nec vi elementorum aliæ ſubſtantiæ ſimplices produci poſſunt, ex nihilo utique producendæ (§. 691 *Ontol.*). Naturæ igitur potentia creatrix tribui nequit (§. 697 *Pſychol. rat.*). Quoniam vero Deo, quatenus ſcilicet ens eſt a ſe (§. 67), adeoque mundus adſpectabilis, elementa rerum materialium & animæ humanæ rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in eodem habent (§. 64), potentia creatrix competit (§. 760); eadem quoque ipſi propria eſt.

Probe notandum eſt, Deo potentiam creatricem non tribui propter ſimplicitatem, ſed propter aſeitatem, ne hæreamus, ubi ab entibus ſimplicibus, quæ ſunt rerum materialium elementa, potentia creatria removetur, & Deo tamen enti ſimplici tribuitur. Neque enim ens ſimplex neceſſarium & ens ſimplex contingens, ſeu, quod perinde eſt, ens ſimplex a ſe, quod propria vi exiſtit, & ens ſimplex ab alio, quod vi aliena indiget ad exiſtendum, unum idemque ſunt, adeoque non mirum, ſi ſimplici neceſſario conveniat potentia, quæ ſimplici contingenti convenire nequit. Hæc non perpenderunt, qui cum adverterent, potentiam creatricem nec enti compoſito, quale eſt corpus, nec enti ſimplici, quale eſt anima noſtra, convenire, ac præter compoſitum & ſimplex ens aliud dari non poſſe intelligerent; potentiam creatricem in numerum impoſſibilium retulere, ac ideo mundum pro ente neceſſario habuere.

§. 768.

Creatio mundi miraculum eſt.

Creatio mundi miraculum eſt. Etenim cum potentia creatrix naturæ rerum non competat (§. 767); creatio vires naturæ univerſæ excedit. Quamobrem cum miraculum ſit, quod vim naturæ univerſæ excedit (§. 523 *Coſmol.*); creatio mundi miraculum eſt.

Miraculum hoc ipſo rationis lumine agnoſcitur. Etenim hoc lumine liquet, mundum creatum eſſe a Deo (§. 760), nec eo minus innoteſcit *vi prop. præſ.* creationem mundi eſſe miraculum, agnoſcitur adeo hoc miraculum ipſo lumine rationis. Atque hoc modo patet, Deum, quem miracula patrare poſſe evicimus (§. 363), miraculum quoque magnum patraſſe: neque enim creatione majus miraculum concipi poteſt, quippe quod pertinet non ad partem quandam, vel particulam, ſed ad ipſum totum univerſum. Elucet hinc porro potentiam creatricem eſſe potentiam miraculoſam. Quamobrem cum ſuperius evicerimus potentiam miraculoſam nulli enti communicari poſſe (§. 471); mirum profecto non eſt, quod nec potentia creatrix enti cuidam præter Deum convenire poſſit.

§. 769.

Primus mundi ſtatus qualis fuerit.

Quoniam mundus per creationem cœpit (§. 760), creatio autem miraculum eſt (§. 768); ***mundus per miraculum cœpit***, conſequenter ***primus mundi ſtatus miraculoſus eſt.***

Propo-

Propoſitio hæc probe notanda eſt. Qui enim ad eam animum non advertunt, confunduntur nec niſi tenebras offendunt, ubi in primum mundi ſtatum mentis aciem convertunt.

§. 770.

Ordinis naturæ conſtitutio qualis.

Ordo naturæ per miraculum conſtitutus. Etenim ordo naturæ eodem actu creationis conſtitutus, quo mundus hic adſpectabilis productus fuit (§. 765). Quamobrem cum creatio ſit miraculum (§. 768); ordo naturæ per miraculum conſtitutus.

Agit adeo natura vi miraculi, etſi ad agendum hoc potius, quam alio modo apta deprehendatur. Nimirum per naturam elementorum poſſibile eſt, ut hic detur naturæ ordo: quod vero actu detur, non alius, a creatione elementorum pendet, adeoque a miraculo.

§. 771.

Cur primus mundi ſtatus intelligibili modo explicari nequeat.

Primus ſtatus mundi per eſſentiam & naturam rerum intelligibili modo explicari nequit. Etenim primus mundi ſtatus miraculoſus eſt (§. 769). Enimvero quod miraculoſum eſt in mundo materiali, ejus ratio ſufficiens in eſſentia & natura corporum non continetur (§. 510 *Coſmol.*). Primus itaque ſtatus mundi rationem ſufficientem in eſſentia & natura corporum minime habet. Quamobrem cum per rationem ſufficientem intelligatur, cur quid ſit potius, quam non ſit (§. 56 *Ontol.*); primus mundi ſtatus per eſſentiam & naturam rerum intelligibili modo explicari nequit.

Atque nunc clarius intelligitur, cur contingentia in mundo adſpectabili non habeant rationem ſufficientem actualitatis ſuæ in ipſo mundo: pendet enim eorundem veritas a primo mundi ſtatu, veluti dependentia actualitatis ovi a gallina & gallinæ ab ovo ab exiſtentia ejus, quod in hac ſerie altero fuit prius; ſed primus ſtatus miraculoſus eſt, nec per eſſentiam & naturam corporum explicabilis intelligibili modo, verum ab ente quodam extra hanc ſeriem conſtituto & a mundo diverſo proficiſcitur (§. 524 *Coſmol.*). Res facti eſt, an prior ovo extiterit gallina, an ovum gallina prius ſit, & factum hoc pendet a voluntate Numinis, quæ ſumma ratione ac ſapientia regitur, nulli neceſſitati ſubjacet. Quid ergo mirum, ſi ex eſſentia & natura rerum ratio reddi nequit, ubi quæſtio recidit in id, quod ad ſtatum mundi primævum pertinet? Quid vero ſuadeat ratio, quid ſapientia divina, plerumque ne conjectando quidem aſſequi datur, propterea quod ob nexum omnium inter ſe in ſtatu primævo coexiſtentium difficillimum, imo impoſſibile judicium ferri ab eo, quod huic nexui convenit, quamdiu judicans eundem penitus perſpectum non habeat.

§. 772.

Miraculum primigeniū.

Miraculum primigenium dicitur, unde quid originem ſuam derivat in univerſo, a quo deinceps alia naturaliter pendent.

Ponamus per miraculum ſemen fuiſſe inditum terræ, ex quo pullulaverit naturaliter planta ſemina ſua ferens, per quæ deinceps naturaliter plantæ hujus ſpecies conſervata. Productio ſeminis iſtius miraculum primigenium eſt: etenim ab eo plantæ alicujus ſpecies originem derivat, quæ in hoc univerſo naturaliter conſervatur.

§. 773.

Creatio mundi & conſtitutio ordinis naturæ quale miraculum.

Creatio mundi & ordinis naturæ conſtitutio miraculum primigenium eſt. Creatio mundi (§ 768) & conſtitutio ordinis naturæ miraculum eſt (§. 770). Atque adeo non minus mundus, quam ordo naturæ originem ſuam a miraculo derivat. Quæ vero deinceps fiunt, rationem ſufficientem in eſſentia & natura corporum continent, quemadmodum experiuntur, qui in rationes rerum naturalium inquirunt, & nemo non ultro largitur, adeoque naturaliter fiunt (§. 509 *Coſmol.*). Quoniam itaque miraculum primigenium

Digitized by Google

eſt, unde quid originem ſuam derivat in univerſo, a quo deinceps cetera naturaliter pendent (§. 772); creatio mundi & ordinis naturæ conſtitutio miraculum primigenium eſt.

Non ſine ratione hanc propoſitionem adjicere libuit, propterea quod miraculi primigenei vis vulgo non agnoſcitur, nec a miraculis cetaris eorumque effectibus dignoſcitur. Utile tamen eſt miraculum primigenium ab aliis diſtingui, atque inprimis notari, quænam ad ipſum pertineant, ut conſtet, quandonam in explicandis rebus naturalibus miraculum recte admittatur & tanquam principium ſumatur, quando vero idem perperam fiat cum detrimento ſcientiæ. Sane nos evicimus conſtitutionem ordinis naturæ eſſe miraculum, ſed primigenium: quamobrem quæ deinceps ſecundum hunc ordinem fiunt, intelligibili modo explicari debent. *Carteſius* vero dum miraculum primigenium in perpetuum traſmutat, a vero utique aberrat, nec tantum originem ordinis naturæ a miraculo derivat, ſed omnea naturæ effectus miraculoſos facit. Plurimum autem differt, utrum quid ſit effectus miraculi primigenei, an vero effectus miraculoſus. Nimirum effectus miraculi primigenei per eſſentias & naturam rerum explicabilis, etſi actualitas ejus ſupponat quidpiam miraculoſi: aſt effectus miraculoſus, per naturam & eſſentias rerum explicabilis non eſt, ſed ipſemet in numerum eorum referendus, quæ immediate a Dei potentia proficiſcuntur. Sumamus e. gr. Sacræ Scripturæ convenienter, Deum condidiſſe primum gallum primamque gallinam, per quæ animantia deinceps propagata fuit ſpecies ad noſtra uſque tempora. Quomodo ortus fuerit gallus iſte primus, quomodo eidem ſociata fuerit gallina prima, per eſſentiam & naturam galli atque gallinæ explicari nequit, ſed ad voluntatem Numinis ſapientem ac potentem recurrendum, conſequenter origo gallorum & gallinarum per miraculum explicanda. Enimvero per eſſentiam & naturam galli atque gallinæ explicabile, quomodo generentur & exludantur ova fœcunda & ex iis excludantur pulli. Origo adeo a miraculo derivata non reddit effectum naturæ ipſum miraculoſum. Quodſi vero in explicanda generatione ovi ac excluſione pullorum ex ovis incubatis recurrendum continuo eſſet ad miraculum novum, quod tunc demum fieret; effectus ipſe foret miraculoſus.

§. 774.

Effectus naturales quomodo a miraculo pendeãt. *Quæcunque naturaliter fiunt in mundo adſpectabili, vi miraculi primigenei conſequuntur*. Quæ enim in mundo adſpectabili naturaliter fiunt, ſecundum naturæ ordinem fiunt (§. 566 *Coſmol.*). Enimvero conſtitutio ordinis naturæ eſt miraculum primigenium (§. 773), conſequenter quæ ſecundum eum fiunt, vi miraculi primigenei conſequuntur. Quæ itaque in mundo adſpectabili naturaliter fiunt, vi miraculi primigenei conſequuntur.

Apparet adeo, non repugnare, ut quid ſit naturale & tamen vi miraculi primigenei conſequatur. Unde falluntur, qui ſibi perſuadent, ideo quid non eſſe naturale, quod vi miraculi primigenei conſequatur, ſed quæcunque vi miraculi primigenei conſequuntur, eſſe perpetua miracula. Hinc vero porro fluit, quod in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ ideo non fiant perpetua miracula, quia ipſa ejus conſtitutio, perinde ac conſtitutio ordinis naturæ, miraculum aliquod primigenium eſt. Quamobrem qui in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ perpetua miracula fingunt, quod eam ſine miraculo conſtitui non poſſe intelligunt, per præcipitantiam judicant, primævam conſtitutionem ad actus ſingulares perperam extendentes.

§. 775.

Incommunicabilitas potentiæ creatricis. *Potentia creatrix nulli enti a Deo communicari poteſt*. Cum enim creatio mundi ſit miraculum (§. 768), potentia creatrix, ſoli Deo propria (§. 767), eſt potentia miracula patrandi. Quamobrem cum potentia patrandi miracula nulli enti a Deo communicari poſſit (§. 471); nec potentia creatrix enti ulli a Deo communicari poteſt.

Quodſi excipias, potentiam patrandi miracula communicari poſſe hominibus, teſte Scriptura Sacra, quæ miracula ab iis patrata refert, conſequenter nullam videri rationem,

cur

Digitized by Google

cur potentia creatrix iiſdem, vel enti cuidam alteri communicari non æque poſſit; facilis eſt reſponſio ex ſuperioribus. Deus nimirum potentiam patrandi miracula enti finito confert, quatenus ad ejus nutum miracula patrare decernit (§. 472). Quamobrem ſi ad nutum entis cujuſdam finiti, veluti ad nutum hominis quidpiam creare vel annihilare decernit; quin hoc pacto facta communicatio ſubſiſtere queat, ecquis dubitet? Sed de hac communicatione, quæ apparens eſt, non vera, propoſitio præſens minime loquitur. Negatur enim, potentiam creatricem homini, vel enti cuidam finito alteri ita communicari poſſe, ut eidem inſit tanquam ſubjecto, quemadmodum vis activa ineſt elementis rerum materialium & animabus noſtris.

§. 776.

Differentia potentiæ divinæ a potentia creaturarum.

Potentia divina non modo magnitudine differt a potentia naturæ & animarum noſtrarum; verum ipſa ſpecie, ſeu potentia alterius prorſus generis eſt. Etenim Deus potentia creatrice gaudet, qua ſubſtantiæ ad actum traducuntur, nullo alio præexiſtente in eundem influente (§. 766.). Hæc vero potentia enti nulli communicari poteſt (§. 775), & quæ elementis ineſt vis (§. 197 *Coſmol.*), ipſaque inde reſultans vis motrix, in qua natura corporum conſiſtit (§. 507 *Coſmol.*), nec non vis animarum noſtrarum non tendit niſi ad continuam ſtatus mutationem (§. 56 *Pſychol. rat.*), conſequenter cum ſtatus rei conſiſtat in coexiſtentia mutabilium cum iiſdem fixis (§. 705 *Ontol.*), non niſi modos variat (§. 703 *Ontol.*), adeoque accidentia in ſubſtantia exiſtente (§. 791 *Ontol.*) ad actum perducit (§. 779 *Ontol.*). Patet itaque potentia Dei ad actum perduci ſubſtantias; potentia naturæ atque animarum noſtrarum nonniſi accidentia: præterea potentia divina poſſibilia ad actum perduci ex nihilo, ſeu nullo alio præexiſtente, quod quomodocunque in eorum actualitatem influere poſſit; potentia autem naturæ atque animarum noſtrarum nihil ad actum perduci niſi in ſubjecto præexiſtente. Quamobrem omnipotentia Dei non modo in eo differt a potentia naturæ & animarum noſtrarum, quod illa ſeſe ad omnia poſſibilia, hæc vero ad aliqua tantummodo ſeſe extendat (§. 343), ſeu, cum potentia naturæ & animarum ſit limitata, divina prorſus illimitata ſit (§. 354), verum etiam ipſa ſpecie hæc ab illa differt, ſeu alterius prorſus generis eſt.

Hinc liquet a potentia naturæ & animarum noſtrarum, ſeu, quod perinde eſt, a potentia entium finitorum, non dari conſequentiam ad divinam, ſeu entis infiniti potentiam: id quod minime perpendunt, qui ex eo, quod de anima negatur actio in corpus, aut de ſubſtantia ſimplici actio in aliam ſimplicem, finitam ſcilicet, inde inferunt, de Deo quoque negari debere actionem in animam noſtram, vel in corpora: quo admiſſo deinceps porro multæ fluunt prono quaſi alveo conſequentiæ moleſtæ. Ecquis enim ideo negat Deum poſſe quid creare, ſeu ex nihilo producere, quod neque naturæ rerum, neque animabus noſtris potentiam creatricem competere defendit? Sane enti infinito alterius prorſus generis intellectus competit quam animabus noſtris, aut entibus finitis; cum intellectus divinus prorſus purus ſit (§. 178), qualis enti finito competere nequit, & omnem reſpuat idearum ſucceſſionem (§. 160), quæ enti finito propria, ut adeo nobis prorſus incomprehenſibilis ſit (§. 172). Quid ergo mirum, ſi potentia quoque divina ipſa ſpecie differt a potentia quacunque entis cujuscunque finiti? Cavendum itaque, ne per præcipitantiam eum conſequentiariis inferamus, quæ inferri non poſſunt. Potentia Deo equidem competit tanquam enti ſimplici; ſed vis illius differentia a viribus ceterorum quorumcunque entium ſimplicium oritur ex aſeitate & infinitudine, unde cum aſeitas & infinitudo Deo propria ſit, entia vero cetera in

univerſum omnia ſint entia ab alio atque finita, non eſt quod miremur, potentiam Dei ſpecie differre a potentia entium finitorum quorumcunque.

§. 777.

Creaturæ definitio.

Creatura dicitur ens a Deo creatum, ſeu, quod perinde eſt, ex nihilo productum.

Equidem vocabulum videtur ſumi in ſenſu ſtrictiori, cum creaturæ etiam appellentur, quæ hodienum in mundo generantur, & Sacra Scriptura narrante ex materia quadam inhabili fuere producta, veluti homo ex gleba terræ. Enimvero conſtat omnia, quæ in mundo exiſtunt, quoad actualitatem ſuam dependere a creatione, adeoque vi ejuſdem actum conſequi, conſequenter omnia in mundo a Deo creata ſunt, quatenus id, quod ſubſtantiale eſt, a Deo creatum, ſeu ex nihilo productum. Sane niſi Deus elementa rerum materialium ex nihilo produxiſſet, nec natura rerum exiſteret, cujus vi fierent generationes ac corruptiones, conſequenter nec ullum ad actum perveniret ens compoſitum, quod hodie demum in rerum natura oritur.

§. 778.

Creaturæ quænam ſint.

Totus mundus adſpectabilis & omnia elementa rerum materialium ſunt creatura Dei. Etenim mundus totus adſpectabilis a Deo creatus eſt (§. 760), & ipſa rerum materialium elementa a Deo creata ſunt (§. 758 *Theol. natur.* & §. 691 *Ontol.* atque 182 *Coſmol.*). Jam vero creatura dicitur ens omne, quod a Deo creatum eſt (§. 777). Ergo totus mundus adſpectabilis, & omnia elementa rerum materialium ſunt creaturæ.

§. 779.

Idem ulterius oſtenditur.

Quoniam corpora non ſunt niſi elementorum aggregata (§. 176 *Coſmol.*); *Corpora non modo in prima origine rerum producta, verum etiam hodienum genita, quatenus non ſunt niſi aggregata elementorum, creaturæ Dei ſunt.*

Unde non neceſſe eſt, ut ſignificatum laxiorem vocabuli creaturæ admittamus; ſed ſufficit, corpus nullum dici creaturam, niſi quatenus ex elementis aggregatur, quæ ex nihilo a Deo producta ſunt, nec per naturam ſuam aliter aggregari poſſunt, quam aggregantur ſive a primo rerum ſtatu, ſive hodienum per generationem. Patet adeo, quod corpora in univerſum omnia, etiam in ſingulari ſpectata, propriiſſime creaturæ dicantur, præſertim in noſtra elementorum theoria, ubi per intrinſecas determinationes ſubſtantiarum ſimplicium non modo mechaniſmus omnis; verum etiam corpora omnia in individuo determinantur.

§. 780.

Creatio animarum.

Animæ humanæ a Deo creatæ. Anima enim humana non eſt ens a ſe (§. 59), & rationem exiſtentiæ ſufficientem in Deo habet (§. 67). Quoniam adeo oritur (§. 541 *Ontol.*), oriri autem nequit niſi per creationem (§. 690 *Pſychol. rat.*); animas humanas a Deo creatas patet.

Nobis hic perinde eſt, ſive quis ſtatuat animas humanas in prima ſtatim rerum creatione cum eo, quod ſubſtantiale eſt in omnibus corporibus, fuiſſe creatas, ita ut hodie nihil creetur amplius; ſive defendat, eas tum demum creari, quando in utero vivere incipit fœtus, modo agnoſcatur, eas a Deo creari, etſi theoriæ phyſicæ recentiori magis conſentaneum ſit prius, non tamen intelligendum niſi iis, qui principia moderna de generatione plantarum & animalium hominumque phyſica & de præexiſtentia animarum pſychologica habuerint perſpecta.

§. 781.

Cur animæ ſint creaturæ.

Quoniam animæ a Deo creatæ ſunt omnes (§. 780), quicquid vero ab eo creatur, creatura eſt (§. 777); *animæ humanæ ſunt creaturæ.*

Patet

Patet animas humanas eodem prorſus ſenſu dici creaturas, quo elementis rerum materialium id oominis tribuitur (§. 778). Etenim non minus a Deo ex nihilo ad ſtatum actualitatis perductæ ſunt, quam elementa ad eundem fuere perducta.

§. 782.

Cur totus homo ſit creatura.

Et quia homo ex anima & corpore conſtat (§. 51 *Pſychol. rat.*), anima autem non minus (§. 781), quam corpus creatura Dei eſt (§. 779); *totus homo*, quoad animam ſcilicet atque corpus, *eſt creatura Dei.*

Unde recte dicitur, Deum & corpus, & animam noſtram, adeoque nos, qui corpus & anima ſumus, creaſſe, ac unusquisque hominum eundem auctorem & creatorem ſuum agnoſcere tenetur.

§. 783.

Creatio animarũ brutorum.

Animæ brutorum a Deo creatæ ſunt. Cum animæ brutorum obſervent legem ſenſationum (§. 754 *Pſychol. rat.*), quam ſcilicet obſervant humanæ; eodem prorſus, quo ſupra, modo patet, eas non eſſe entia a ſe (§. 59), conſequenter nec neceſſario exiſtere (§. 32), adeoque ortas eſſe (§. 541 *Ontol.*). Quoniam itaque oriri nequeunt niſi per creationem (§. 768 *Pſychol. rat.*), potentia autem creatrix ſoli Deo propria (§. 767), nec ulli enti alteri communicari poteſt (§. 775), ideo patet, eas a Deo creatas eſſe.

Præter corpora eorumque elementa, per quæ aggregantur, & animas hominum atque brutorum rationis lumine nulla nobis entia innoteſcunt. Quamobrem cum oſtenderimus mundum integrum & ſingula elementa (§. 778), corpora ſingula tam primæva, quam ex iis poſtea genita (§. 779), animas humanas (§. 781) & brutorum eſſe creaturas (§. 783); patet omnino entia omnia, quæ præter Deum exiſtere novimus, eſſe creaturas. Ubi demonſtratum fuerit, Deum non eſſe niſi unum; facile oſtendetur, quodcunque præter Deum exiſtit ens, id omne eſſe creaturam. Etſi autem ex principiis rationis demonſtrari minime poſſit, præter corpora & animas hominum atque brutorum alia quædam entia eſſe creata; nec tamen etiam demonſtrari poteſt, nulla alia creata eſſe.

§. 784.

Speculũ rei quid dicatur.

Ens unum dicitur *ſpeculum rei alterius*, ſi per determinationes illi intrinſecas ſeu per ea, quæ ipſi inſunt, colligi poſſit, quod hæc ſit, quatenus ſcilicet per illius cognitionem pervenitur ad cognitionem hujus.

Ratio denominandi patet a ſpeculo, unde mutuatur denominatio. Etenim cum ea, quæ directe videri a nobis minime poſſunt, per reflexionem videantur in ſpeculo, ut adeo viſum non effugiant, quæ alias eidem ſubducerentur; ita ſimiliter per ens iſtud, quod rei alterius ſpeculum appellatur, res hæc altera nobis innoteſcit, quæ alias cognitioni noſtræ ſubduceretur. Non tamen obſtante hac ſimilitudine, quæ inter ſpeculum communi ſermone ſic dictum & alterum, de quo hic loquimur, intercedit, ſignificatus vocabuli, quem eidem hic tribuimus, proprius eſt (§. 145 *Log.*).

§. 785.

Creaturæ quid ſint.

Creaturæ omnes ſunt ſpecula perfectionum divinarum. Etenim creaturæ a Deo creatæ ſunt (§. 777). Sed finis ultimus, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi, adeoque rerum omnium præter ipſum exiſtentium intendit, eſt patefactio ſummæ, qua gaudet, perfectionis (§. 629). Quamobrem cum finem quemcunque particularem ideo intendat, quia per hoc univerſum perfectionem ſuam patefacere vult (§. 632); creaturas quoque ſingulas ideo fecit, ut per eas perfectiones ſuas patefaceret. Enimvero per ſe patet, Deum alio modo perfectiones ſuas per creaturas patefacere non poſ-

ſe,

Digitized by Google

ſe, quam ſi tales facit, ut ex iis, quæ ipſis inſunt, colligi poſſit, quænam ſint perfectiones divinæ. Quamobrem cum Deus utatur mediis, quibus finem, quem intendit, ex aſſe conſequitur (§. 625); dubio quoque caret, quin talia creaverit omnia entia, ut ex iis, quæ ipſis inſunt, colligi queat, quænam ſint perfectiones divinæ. Quoniam itaque ens unum eſt ſpeculum rei alterius, ſi per determinationes illi intrinſecas ſeu per ea, quæ ipſi inſunt, colligi poſſit, quod hæc ſit (§. 784); creaturæ omnino omnes ſunt ſpecula perfectionum divinarum.

Eſſentia adeo creaturæ qua creaturæ eſt repræſentativa perfectionum divinarum: id quod clarius conſtabit, ſi dependentiam creaturarum a perfectionibus ſeu attributis divinis perveſtigemus.

§. 786.

Quenã perfectionum divinarũ ſpecula dentur.

Quoniam & corpora (§. 779), & animæ tam hominum (§. 781), quam brutorum creaturæ ſunt (§. 783), imo totus mundus adſpectabilis ſeu totum univerſum creatum eſt (§. 778); ***corpora quoque omnia & animæ omnes, imo totum univerſum, ſunt ſpecula perfectionum divinarum*** (§. 785).

A veritate igitur non abhorret, quod vulgo dicitur, ne minimum quidem in natura rerum dari graminulum, quod creatorem ſuum non loquatur. Neque exigui momenti eſt probe perpendere, quod, quicquid in hoc univerſo exiſtit, perfectionis divinæ ſpeculum ſit. Hoc enim principio nititur tota Theologia naturalis experimentalis, de qua mentem noſtram uberius alibi expoſituri ſumus.

§. 787.

Creatio mundi ex nihilo Sacræ Scripturæ conformis.

Deus etiam juxta Sacram Scripturam mundum creavit ex nihilo. Scripturæ Sacræ initium fit hiſce verbis *Gen.* I. 1, In principio creavit Deus cælum & terram. Oſtendimus jam (§. 68) cælum & terram ſtylo Hebræorum ſignificare mundum, & ideo juxta Sacram Scripturam Deus dicendus eſt creaſſe mundum. Quando vero dicitur Deus mundum creaſſe in principio, id ita intelligendum eſſe jam ibidem monuimus, quod mundum creaverit, quando nondum erat ens ab alio, adeoque nihil extra Deum ac præter Deum exiſteret. Antequam igitur mundus crearetur, nihil extitit præter Deum, conſequenter mundus non eſt factus ex aliquo præexiſtente, quod quomodocunque in actualitatem ipſius influere poterat. Atque ideo juxta Sacram Scripturam Deus fecit mundum, cum nihil ejus antea actu eſſet. Jam vero ex nihilo oriri dicitur, quod exiſtere incipit, cum antea ejus nihil actu exiſteret (§. 540 *Ontol.*), & ex nihilo produci, ſi ad actum perducitur, quod ex nihilo oriri debebat (§. 690 *Ontol.*). Patet ergo juxta Sacram Scripturam Deum mundum feciſſe ex nihilo, conſequenter creaſſe eodem ſenſu, quo nos creationem ipſi aſſeruimus (§. 760).

Porro *Hebr.* XI. 4 viſibilia facta dicuntur verbo Dei ex inviſibilibus: quæ verba vulgo adducuntur, ubi probandum auctoritate Sacræ Scripturæ mundum ex nihilo factum eſſe: in textu Græco τὰ βλεπόμενα vocantur, quæ viſibilia vertit vulgatus interpres, ut adeo ſermo ſit Apoſtolo de iis, quæ in ſenſum incurrunt, conſequenter de mundo adſpectabili. Loquitur enim

de vi-

Digitized by Google

de viſibilibus, quatenus in ſe ſpectata talia ſunt, non quatenus a nobis actu videntur, ut adeo *Caſtalio* ſenſum verborum Apoſtoli coarctet præter neceſſitatem, dum τὰ βλεπόμενα vertat per ea, quæ cernuntur, cum potius vertere deberet, quæ cerni poſſunt. De his igitur, quæ viſibilia ſunt, affirmat Apoſtolus, quod facta ſint ex inviſibilibus. In textu Græco facta leguntur μὴ ἐκ φαινομένων, non ex apparentibus, aut, ex non apparentibus. Quæritur itaque, quænam ſint ea, quæ non apparebant? Negat Apoſtolus, ea, quæ in ſenſus incurrunt, facta eſſe ex apparentibus, conſequenter negat, cum mundus fieret, aliquid extitiſſe, quod in ſenſus incurrere poterat. Negat igitur præextitiſſe materiam quandam, ex qua mundus ſeu corpora fieri poterant. Opponit nimirum creationem productionibus naturæ & artis, quibus viſibile fit ex eo, quod apparet, hoc eſt, opus aliquod producitur ex materia aliqua præexiſtente, ut notionem illarum removeat a creatione, ne male eam concipiamus. Quamobrem alia Apoſtolo mens eſſe nequit, quam quod mundus factus ſit, re nulla præter Deum adhuc exiſtente. Unde porro eodem, quo ante, modo patet, mundum a Deo factum eſſe ex nihilo eo ſenſu, quo nos ante ejus ex nihilo productionem evicimus.

Deus in Sacra Scriptura dicitur etiam creaſſe hominem *Gen.* I. 27, ubi in textu Hebræo eadem vox ברא occurrit, quæ legitur *verſ.* 1. Hoc tamen non obſtante cap. II. 7 ipſum formaſſe fertur de limo terræ, atque adeo ex materia quidem inhabili, non tamen ex nihilo, ſeu non præexiſtente, aut, ut Apoſtolus loquitur, non ex apparente, ſeu non ex eo, quod in viſum incurrit: etenim limus terræ in viſum utique incurrit, atque adeo in numero apparentium eſt. Enimvero cum Deus, quemadmodum abunde ſatis evicimus, cælum atque terram ex nihilo, ſeu nullo alio præexiſtente, aut, ut cum Apoſtolo loquamur, non ex eo, quod apparet ſeu cernitur, produxerit; glebam quoque terræ, ex qua formavit hominem, ex nihilo ante fecerat, quam ex ea formaret hominem, conſequenter & hominem ipſum tandem ex nihilo fecit. Sane ſi quis artifex poſſet creare materiam, unde faceret horologium; nemo non affirmaret, ipſum horologium ex nihilo feciſſe. Quamobrem Deus quoque hominem ex nihilo produxiſſe dicendus eſt, quem formavit ex limo terræ a ſe ante ex nihilo producto. Quod Deus hominem creationis vero actu, quam eidem ob contingentiam mundi hujus adſpectabilis tribuimus, ad actum perduxerit, cum antea non eſſet niſi poſſibilis, quatenus ejus idea in intellectu divino continebatur, per quam omnia poſſibilia ſunt (§. 192), rationis lumine innoteſcit, quemadmodum & ante evicimus (§. 764). Utrum vero ſicuti mundus integer adſpectabilis, quatenus ex corporibus mundi totalibus in ordinem digeſtis conſtat, immediate ex nihilo productus, hoc eſt, ex ſtatu poſſibilitatis puræ ad ſtatum actualitatis perductus, an vero ex aliquo demum præexiſtente factus fuerit, quod ex nihilo produxit eo fine, ut inde for-

Digitized by Google

formaret hominem, cum ſit res facti, ex principiis rationis demonſtrari nequit, quemadmodum nec ex iiſdem demonſtrare valemus, quæ hominibus olim facere viſum fuit. Nullus adeo rationis & Sacræ Scripturæ diſſenſus, ſed conſenſus tantus, quantus per rerum naturam dari poteſt.

Solenne philoſophis, ſubinde & Theologis, quemadmodum in aliis materiis, ita quoque in doctrina de creatione, interpretationem Sacræ Scripturæ aptare hypotheſibus, quas amplectuntur. Unde videas eos, quibus hypotheſis chaotica placet, eum defendant, Deum primum produxiſſe chaos, & deinde idem in ordinem redigendo formaſſe mundum, verba Moſis, quod Deus in principio creavit cælum atque terram, interpretantur de productione rudis illius atque indigeſtæ molis, quod chaos dixere veteres. Enimvero mos iſte mihi ſeſe nunquam probare potuit, cum ſic fieri poſſit, ut Auctoribus Sacris tribuantur, quæ non modo ab ipſorum mente, verum etiam a veritate aliena ſunt: unde deinceps multa ſequuntur incommoda non facile evitanda, quibus recenſendis in præſente minime commoramur. Sane verba Apoſtoli ex principiis ſuperioribus duplici modo explicare poteramus. Etenim primo conſtat, ab æterno ea, quæ in creatione a Deo ad actum perducta ſunt, fuiſſe poſſibilia per ideas in intellectu divino exiſtentes (§. 192), adeoque idealiter extitiſſe in intellectu divino, conſequenter quatenus idealem tantummodo habuere exiſtentiam, in numero eorum fuiſſe, quæ non apparebant, ſeu in ſenſum incurrere non poterant. Enimvero Deus eadem in creatione ad actum perduxit, atque hoc modo, quæ ante non apparebant, jam viſibilia effecta fuere. Quamobrem Deus viſibilia fecit ea non apparentibus, aut, ſi mavis, fecit non ex apparentibus. Similiter novimus corpora eſſe elementorum aggregata (§. 176 *Coſmol.*), adeoque facta a Deo ſunt eorundem aggregatione. Enimvero elementa rerum materialium ne oculo quidem armato apparere poſſunt (§. 301 *Pychol. rat.*), conſequenter non apparentia ſunt. Quamobrem Deus ea, quæ in ſenſum incurrunt, non fecit ex apparentibus, conſequenter ex non apparentibus. Utraque explicatio nihil habet, quod ſit a veritate alienum: aſt ipſa tamen ideo dici nequit vera, aberrat enim a mente Apoſtoli. Hujus nimirum temporibus materia illa rudis & indigeſta, quæ chaos dicebatur, ſtatuebatur æterna, nec qui creationem admittebant, mundum ex nihilo factum largiebantur, ſed ex rudi illa & indigeſta materia productum affirmabant. Negabat igitur Apoſtolus, quod vulgo tunc temporis opinabantur, creationis mundi ex nihilo perſuaſus. Unde non aliter interpretari convenit ejus verba, quam quomodo ea interpretati ſumus, niſi iiſdem ſenſum affingere velimus a mente loquentis alienum. Cum ſæpiſſime hac in re peccetur ab interpretibus, non inconſultum duximus ea hic moneri.

§. 788.

Deus creator juxta Sacram Scripturam.

Deus etiam creator dicitur in Sacra Scriptura eodem ſenſu, quo ſupra eundem creatorem eſſe evicimus, & juxta eandem potentia creatrix ipſi propria. Etenim *Rom.* I. 25 Deus dicitur creator ſimpliciter, ubi Apoſtolus reprehendit Gentiles, quod creaturæ potius ſervierint, quam creatori, ita ut creator & Deus verus ipſi ſint ſynonyma. Similiter 1. *Petr.* IV. 19 qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli creatori animas ſuas in benefactis commendare dicuntur: ubi denuo patet, per creatorem intelligi Deum. Nemo non largitur, Deum vocari creatorem ab actu creationis, quo ſcilicet creavit mundum & omnia, quæ in eo ſunt. Creavit autem mundum ex nihilo juxta Sacram Scripturam (§. 787). Quamobrem creator dicitur, quia mundum ex nihilo produxit. Hoc vero ſenſu (§. 762) etiam evicimus, Deum eſſe creatorem (§. 763). Dicitur itaque Deus creator eodem ſenſu, quo ſupra eundem creatorem eſſe evicimus. Enimvero tam Paulus, quam Petrus Deum vocant creatorem ſimpliciter, ita ut ipſis unum idemque ſit appellare Deum & appellare creatorem. Quoniam hæc vocabula pro ſyno-

Digitized by Google

ſynonymis haberi minime poſſent, niſi ſolus Deus eſſet creator (§. 330 *Log.*); potentia utique creatrix juxta Sacram Scripturam ſoli Deo propria eſſe debet.

§. 789.

Creaturæ quæ dicantur in Sacra Scriptura.

Quicquid præter Deum exiſtit, in Sacra Scriptura creatura appellatur eodem ſenſu, quo ſupra creaturas eſſe omnia evicimus. Etenim *Rom.* I. 25 creator & creatura ſibi invicem opponuntur, & creatoris nomine verus Deus, & qui ibidem ſolus Deus eſſe perhibetur, indigitatur. Unde apparet, creaturæ nomine deſignari, quicquid præter Deum exiſtit. Equidem Apoſtolus refert Gentiles mutaviſſe gloriam Dei incorruptibilis in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum & ſerpentium ſeu reptilium, & hinc exprobrat iiſdem, quod ſervierint creaturæ potius, quam creatori. Quemadmodum itaque nomine creatoris Deum incorruptibilem indigitat; ita nomine creaturæ appellat viventia in tellure, quæ tanquam Deos coluere gentiles, conſequenter vocabulum creaturæ quod denotet omnia, quæ præter Deum exiſtunt, ex præſente loco probari poſſe non videtur. Enimvero cum ex iis, quæ modo dicta ſunt, intelligatur, creaturæ vocabulum non poſſe non generaliter accipi pro omni, quod præter Deum exiſtit, ſiquidem creator ſignificare debet ſolum Deum verum; ex eo, quod nomen generis tribuatur ſpeciebus quibuſdam, ne prolixa earundem enarratione repetita opus ſit, adverſus ſignificatum generalem nihil concludi poteſt. Firmum itaque manet in Sacra Scriptura creaturam appellari, quicquid præter Deum exiſtit.

Deus juxta Sacram Scripturam creator dicitur eòdem ſenſu, quo nos eum creatorem eſſe evicimus (§. 788). Quamobrem cum nobis creator ſit, qui mundum hunc adſpectabilem creavit (§. 762); juxta Sacram Scripturam quoque Deus creator dicendus, quod mundum hunc adſpectabilem creaverit. Quemadmodum itaque Deus creator dicitur, quia res alias extra ſe creavit: ita eædem res in oppoſitione ad creatorem non poſſunt dici creaturæ, niſi quatenus ab ipſo ereatæ ſunt. Atque adeo liquet, quicquid præter Deum exiſtir, in Sacra Scriptura appellari creaturas codem prorſus ſenſu, quo nos creaturas eſſe evicimus (§. 777).

Multa oecurrunt Sacræ Scripturæ loca, in quibus creaturarum mentio injicitur, & ex quibus probari poterat, ereaturarum nomine indigitari, quiequid præter Deum exiſtit, quia omnia, quæ præter Deum exiſtunt, vi ereationis actum conſequuntur: enimvero in re vel per ſe ſatis manifeſta ambagibus non eſt opus. Neque tamen reprehendi poteſt, quod ubi evidentiam ſectamur, quæ a notionum evolutione tota pendet, etiam in rebus, quæ per ſe manifeſtæ videntur, notionibus diſtinctis ad evidentiam contendamus. Quantum hoc ipſum uſui ſit ad præcavendam præeipitantiam in rebus arduis & ad augendum acumen, quo extra Matheſin opus eſt, ubi imaginibus non iuvamur; abunde experientur, qui ad res obvias explieandas eandem diligentiam & aſſiduitatem afferunt, qua in intrieatis ac arduis utuntur. Cum non pompæ ſerviamus, ſed utilitati generis humani, metu judieiorum præcocium nos minime abſterrere patimur ab iis, quæ maximi eſſe uſus ipſimet experti ſumus.

§. 790.

Quam late ſumatur. *Creaturæ nomine in Sacra Scriptura non modo vocantur ea, quæ in primæva creatione a Deo producta ſunt; verum etiam omnia, quæ deinceps vi naturæ ad actum perducuntur.* 1 *Tim.* IV. 4. omnis creatura bona dicitur, ubi Apoſtolus refutat errorem illorum, qui prohibent abſtinere a cibis, quos creavit Deus ad percipiendum. Patet itaque cibos, quibus nunc utimur, dici creaturas, & Deum dici eos creaſſe, ut adeo appareat, eos ab actu creationis creaturas appellari. Veſcimur iis, quæ hodie vi naturæ in regno vegetabili & animali producuntur. Quamobrem liquet, in Sacra Scriptura creaturas appellari, & a Deo creata dici, quæ vi naturæ ad actum perducuntur, non tantummodo *Gen.* I. quæ in primæva creatione a Deo producta ſunt.

Idem etiam oſtenditur ex *Eccleſ.* XI. 1, ubi Salomon hortatur homines in univerſum, ut meminerint creatoris ſui in diebus juventutis ſuæ. Appellatur adeo hic Deus creator hominum, qui juxta naturæ ordinem per generationem deſcendunt. In textu Hebræo occurrit vocabulum ברא, quod ſubſtantivum a radice ברא deſcendit, quo utitur Hiſtoricus ſacer cælos atque terram a Deo creata eſſe narrans *Gen.* I. 1. Unde patet ab actu creationis, quo Deus hunc mundum adſpectabilem ad actum perduxit, eundem quoque dici hominum creatorem. Quæcunque demum ratio ſit, cur Deus creare dicatur hominem, qui vi naturæ ad actum perducitur; eandem quoque locum habere debere in aliis quibuſcunque corporibus naturæ vi productis, vel ex eo colligitur, quod per modo demonſtrata Deus non minus dicatur ciborum, quibus veſcuntur homines, adeoque eorum, quæ in regno vegetabili & animali juxta naturæ ordinem generantur, creator, quam hominum. Quoniam itaque in oppoſitione ad creatorem, quod creatum eſt, creatura dicitur *Rom.* I. 25, ideo patet juxta Salomonem creaturarum nomine compellanda eſſe omnia, quæcunque vi naturæ ad actum perducuntur, etſi in primæva rerum creatione actum nondum fuerint conſecuta.

Rationem, cur Deo tribuenda ſit creatio etiam eorum, quæ vi naturæ hodie producuntur, reddidimus ſupra, cum hanc veritatem, quam Sacræ Scripturæ conſentaneam probavimus, a priori demonſtraremus (§. 779).

§. 791.

Creaturæ quid ſint juxta Sacram Scripturam. *Creaturæ etiam juxta Sacram Scripturam ſunt ſpecula perfectionum divinarum eo ſenſu, quo ſupra idem demonſtravimus.* Etenim *Rom.* I. 20 ἀπὸ κτίσεως κόσμου a creatione mundi, hoc eſt, ex quo mundus creatus, vel creatura aliqua extitit, inviſibilia Dei, veluti ſempiterna ejus virtus & divinitas, intellectu conſpiciuntur per ea, quæ facta ſunt. Ex iis adeo, quæ facta ſunt, de Deo cognoſcuntur, quæ in ſenſus minime incurrunt. Quæ a Deo facta ſunt, ſunt creaturæ (§. 777), etiam juxta Sacram Scripturam (§. 789). Ex creaturis adeo cognoſcuntur, quæ Deo inſunt, nec in ſenſus noſtros incurrere poſſunt. Ea, quæ inſunt Deo, non inſunt creaturis, adeoque intuitive

tuitive cognoſci nequeunt. Neceſſe igitur eſt, ut ex iis, quæ creaturis inſunt, ratiocinando colligantur, quæ ſunt in Deo, conſequenter creaturæ hoc modo factæ ſunt, ut per ea, quæ ipſis inſunt, colligi poſſit, quod hæ ſint perfectiones Deo competentes. Quamobrem cum nobis ſpeculum rei alterius dicatur ens iſtud, cui inſunt, per quæ colligi poteſt, quod hæc inſint alteri (§. 784); juxta Sacram Scripturam creaturæ ſunt ſpecula perfectionum divinarum eo ſenſu, quo nos idem probavimus in ſuperioribus (§. 785).

Quoniam principia, ex quibus propoſitionem præſentem demonſtravimus, Sacræ Scripturæ conformia eſſe in anterioribus probavimus; citra probationem novam jam conſtare poterat, eam eſſe Sacræ Scripturæ conformem. Conſultius tamen viſum fuit, eandem ex ipſis Sacræ Scripturæ verbis immediate deducere.

§. 792.

Tempus & ſpatiū quando cœperit.

Ante creationem mundi nec tempus, nec ſpatium erat; utrumque vero cum ipſo mundo cœpit. Etenim Deus, qui mundum hunc adſpectabilem creavit (§. 760), non modo corpora, ex quibus is conſtat (§. 119 *Coſmol.*); ſed ipſa etiam elementa rerum materialium fecit (§. 758). Quamobrem antequam crearetur, nec corpora, nec elementa exiſtebant; quibus aggregatis illa oriuntur (§. 176 *Coſmol.*), conſequenter nec extra Deum quædam coexiſtebant. Quamobrem cum ſpatium non ſit niſi ordo ſimultaneorum, quatenus ſcilicet coexiſtunt (§. 589 *Ontol.*), nec idea ſpatii in anima niſi confuſe repræſentet nexum rerum a ſtatu elementorum interno pendentem (§. 104 *Pſychol. rat.*), quatenus ſcilicet per eum coxiſtendi quidam ordo reſultat (§. 105 *Pſychol. rat.*); ante creationem ſpatium nullum extitit.

Similiter cum Deus omnia ſimul cognoſcat (§. 160) & velit (§. 355); nulla in eodem ſucceſſio locum habet. Quoniam vero ipſe mundum hunc adſpectabilem creavit (§. 760), in quo dantur res ſucceſſivæ (§. 52 *Coſmol.*), quæ inter ſe connectuntur (§. 54 *Coſmol.*), certoque ordine ſe invicem conſequuntur (§. 76 *Coſmol.*), atque animas noſtras (§. 780), quæ ſingulæ propriam ſibi perceptionum ac appetitionum & averſationum, adeoque ſucceſſivorum inter ſe connexorum ſeriem continent (§. 524 *Pſychol. rat.*); ante creationem mundi hujus nulla ſucceſſiva exiſtebant. Quamobrem cum tempus non detur niſi exiſtentibus ſucceſſivis in continua ſerie (§. 574 *Ontol.*), & animæ non ſint creatæ niſi cum ipſo mundo hoc adſpectabili (§. 780); ante hujus creationem tempus nullum fuit.

Enimvero dum Deus hunc mundum adſpectabilem creavit (§. 760) & una cum ipſo animas noſtras (§. 780), & ſeries continuæ ſucceſſivorum in mundo adſpectabili (§. 52. 54 *Coſmol.*), & in animabus noſtris cœperunt (§. 524 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum tempus detur, quam primum res ſucceſſivæ in continua ſerie exiſtunt (§. 574 *Ontol.*); cum ipſo mundo adſpectabili tempus quoque cœpit.

Et quia ſimiliter in mundo dantur res ſimultaneæ inter ſe connexæ (§. 51.

Digitized by Google

53 *Coſmol.*) & in his quidam ordo (§. 76 *Coſmol.*); quamprimum mundus hic adſpectabilis a Deo creatus fuit, extitere ſimultanea certo quodam ordine. Quoniam itaque ſpatium non eſt, niſi ordo ſimultaneorum, quatenus ſcilicet coexiſtunt (§. 589 *Ontol.*); cum ipſo etiam mundo adſpectabili ſpatium cœpit.

Qui notione ſpatii imaginaria confiſi, ipſum ens abſolutum eſſe fingunt, in quo Deus mundum tanquam in receptaculo quodam collocavit, concedere tenentur ſpatium extitiſſe, antequam mundus crearetur, imo eundem a Deo creari non potuiſſe, antequam ſpatium extaret, in quo eundem collocaret. Unde aut ſpatium ante mundum a Deo creatum, aut ipſum æternum ac increatum eſſe admittere tenentur. Sed quicquid horum ſtatuas, inextricabilibus difficultatibus intricaris, manifeſto indicio in notione ſpatii ſumi, quæ a veritate abhorrent. Ex demonſtratione autem propoſitionis præſentis liquet, difficultates ſupereſſe nullas, ubi veram ſpatii notionem amplexus ex eadem ratiocinaris. Idem propemodum dicendum eſt de tempore, ſiquidem habeas pro ente abſoluto, quod juxta durationem rerum fluit, atque adeo extitiſſe fingitur, antequam crearetur mundus, ita ut æternitas concipiatur per modum temporis infiniti, quemadmodum ſpatium per modum extenſionis infinitæ.

§. 793.

An mundus citius creari potuerit.

Quoniam ante creationem mundi tempus nullum fuit, ſed cum ipſo mundo demum cœpit (§. 792); *mundus citius creari non potuit, quam creatus eſt.*

Nimirum quæſtio hæc, utrum mundus citius creari potuerit, nec ne, nullum habet ſenſum, ſi ad notionem realem temporis non imaginariam animum advertas: quemadmodum levi attentione agnoſcitur, modo non ignores, quæ de tempore dicta ſunt in philoſophia prima, & non hæreas amplius circa ea, quæ ab imaginibus ſeparata ſunt.

§. 794.

An mundus major & minor condi potuerit.

Similiter quia ante creationem mundi ſpatium fuit nullum, ſed cum ipſo demum mundo cœpit (§. 792), mundus vero ens unum (§. 60 *Coſmol.*) atque machina eſt (§. 73 *Coſmol.*), cui adeo nec addi, nec demi quidpiam poteſt, ut maneat idem, eſſentiis rerum inſtar numerorum exiſtentibus (§. 345 *Ontol.*); *mundus majus ſpatium occupare non potuit, quam occupat, nec major, nec minor condi potuit.*

Hæc denuo ſatis manifeſta ſunt, ubi ad rationem ſpatii realem animum advertere volueris, in philoſophia prima ſatis explicatam & in Pſychologia rationali ab imagine, quam idea confuſa animo objicit, ſeparatam. Intelliges enim quæſtionem nullum habere ſenſum, utrum Deus mundum hunc adſpectabilem majorem, vel minorem condere potuerit, nec ne. Nimirum cum corpora, ex quibus hic mundus adſpectabilis conſtat (§. 119 *Coſmol.*), ſint ſubſtantiarum ſimplicium, elementorum rerum materialium (§. 182 *Coſmol.*), aggregata (§. 176 *Coſmol.*), nec hæc elementa alio, quam hoc modo coexiſtere poſſint (§. 571 *Coſmol.*), rationes vero ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur, in elementis contineantur (§. 191 *Coſmol.*); alius coexiſtendi ordo in hoc mundo adſpectabili poſſibilis non eſt, quam qui datur. Quamobrem cum ſpatium non ſit, niſi ordo coexiſtendi (§. 589 *Ontol.*); nec mundus ſpatium majus, nec minus occupare potuit, quam actu datur. Non negamus, Deum potuiſſe condere res alias alio ordine exiſtentes, & ſic proditurum fuiſſe ſpatium magnitudine ab hoc, quod datur, diverſum, cum plures ſint mundi poſſibiles (§. 101 *Coſmol.*), qui potentia divina non minus ad actum deduci poterant, quam præſens (§. 342), ſiquidem Deus voluiſſet (§. 433). Sed negamus hunc mundum fieri potuiſſe majorem, vel minorem. Multum adeo fallerentur conſequentiarii, ſi propoſitionem præſentem omnipotentiæ divinæ adverſam judicarent, eam, ut cum *D. Thoma* loquamur, ad infactibilia extendentes.

§. 795.

§. 795.

An extra mundum detur ſpatium.

Nullum datur extra mundum ſpatium: ſpatia tamen diverſa ab eo, quod mundus hic occupat, poſſibilia ſunt. Etenim mundus tantummodo unus exiſtit (§.117). Quamobrem cum ſpatium ſit ordo ſimultaneorum, quatenus coexiſtunt (§. 589 *Ontol.*), & ſeries ſimultaneorum inter ſe connexorum integra ad hunc mundum adſpectabilem ſpectet (§. 55. 60 *Coſmol.*); extra mundum etiam ſpatium nullum datur. Enimvero cum præter hunc mundum adſpectabilem ſint plures alii poſſibiles (§. 101 *Coſmol.*), qui non minus ad actualitatem perduci poſſunt (§.342), ſiquidem Deus vellet (§.433), omnibus vero iſtis mundis inſint ſeries ſimultaneorum inter ſe connexorum (§. 48 *Coſmol.*), perinde ac huic adſpectabili (§. 55 *Coſmol.*); plures poſſibiles ſunt ac fieri poterant ordines ſimultaneorum, quatenus coexiſtunt. Quoniam itaque ordo ſimultaneorum, quatenus coexiſtunt, ſpatium eſt (§. 589 *Ontol.*); quin plura ſpatia ſint poſſibilia præter hoc, quod mundus hic adſpectabilis occupat, dubitandum ſane non eſt.

Qui notionem ſpatii imaginariam amplectuntur, cum non videant, ubi idem terminari debeat, ipſum in infinitum extenſum concipiunt. Cumque ſpatium prærequiri opinentur, ut in eo corpora locari poſſint; hoc pacto omnipotentiæ divinæ proſpectum eſſe opinantur, ne reſtringi videatur ad ea tantum, quæ Deus fecit. Enimvero etſi juxta ſpatii notionem realem extramundana ſpatia admitti minime poſſint quoad actum, ſed quod actu datur omne a corporibus exiſtentibus occupetur; admitti tamen poſſunt ſpatia extramundana quoad potentiam, quatenus Deus plures adhuc mundos producere poteſt, & ſic plura exiſterent ſpatia a ſpatio mundano diverſa. Cum potentia Dei non pendeat in creatione corporum a ſpatio; non ideo reſtringitur ad ea, quæ extant, corpora, etſi extra mundum non dentur ſpatia ulla. Quoniam vero ſpatia extramundana tantummodo poſſibilia ſunt; apte admodum a ſcholaſticis ſpatia imaginaria appellantur, quippe quæ imaginamur, quatenus potentiam Dei ultra hunc mundum ad plura, imo infinita alia, extenſam cogitamus. Et ſi quis ſpatia extramundana admittit, quatenus produci a Deo poſſunt corpora alia, ad hunc mundum minime ſpectantia; is non defendit, quæ a veritate aliena ſunt, modo ſibi caveat, ne imaginatio erronei quid admiſceat. Ceterum hanc propoſitionem addi conſultum viſum eſt, ne potentiam Dei creatricem reſtringi velle videamur, dum ſpatium nonniſi cum mundo cœpiſſe adſtruximus, illudque adeo eidem coextendere videmur.

§. 796.

Quomodo ſpatiū a Deo factum.

Deus fecit ſpatium, dum produxit elementa rerum materialium inter ſe connexa. Etenim dum elementa rerum materialium produxit, quæ inter ſe connectuntur, coextitere ſimultanea certo quodam ordine, cum ea hoc & non alio modo coexiſtere poſſint (§.571 *Coſmol.*). Quamobrem cum ordo ſimultaneorum in coexiſtendo ſit ſpatium (§. 589 *Ontol.*); hoc ipſo aderat ſpatium, quod elementa rerum materialium exiſterent. Atque adeo patet, feciſſe Deum ſpatium, dum elementa rerum materialium produxit, quæ inter ſe connectuntur.

Dici non poteſt, Deum creaſſe ſpatium, cum nihil creetur niſi ſubſtantia, ſpatium vero, utpote nonniſi coexiſtendi ordo (§. 589 *Coſmol.*), ſubſtantia non ſit, ſed ex modo coexiſtendi ſubſtantiarum ſimplicium reſultat. Creavit igitur Deus ſubſtantias ſimplices (§.182 *Coſmol.*), vi determinationum intrinſecarum hoc, non alio modo coexiſtere valentes (§. 573 *Coſmol.*). Et ſic una adfuit ſpatium, ad quod nullo peculiari actu fuit opus. Qui ſpatium ens abſolutum imaginantur, quod abſque corporibus exiſtere poteſt, nec idem increatum ponere volunt; ipſum pro ſubſtantia a Deo ex nihilo creata, adeoque peculiari creationis actu producta

ducta

ducta venditare tenentur: ſit ita, quod ſimul cum eo, quod ſubſtantiale eſt in corporibus, idem creaverit. Unicus enim creationis actus noſtro concipiendi modo erit multiplex, propterea quod ſpatium in iſta hypotheſi creatu poſſibile, etiamſi nulla creentur corpora, quæ in eodem locantur.

§. 797.

Quomodo Deus tempus fecerit.

Deus fecit tempus, dum elementa rerum materialium continuis mutationibus obnoxia produxit. Etenim dum Deus elementa rerum materialium fecit continuis mutationibus obnoxia (§. 197 *Coſmol.*); ſucceſſiva exritere in continua ſerie (§. 569 *Ontol.*). Enimvero quamprimum res ſucceſſivæ in continua ſerie exiſtunt, tempus datur (§. 574 *Ontol.*). Dabatur itaque tempus, quamprimum elementa rerum materialium continuis mutationibus obnoxia exiſterent, conſequenter Deus tempus fecit, dum elementa rerum materialium continuis mutationibus obnoxia produxit.

Quodſi ſumamus, Deum produxiſſe chaos, antequam faceret hunc mundum adſpectabilem, imo ſi ponamus, chaos extitiſſe increatum ab æterno, cum in eodem nullæ concipiantur mutationes, ſed omnia, quæ in rude illa & indigeſta mole concipiuntur, ſint in quiete; nullum quoque dabitur tempus (§. 574 *Ontol.*): ſed id demum incipiet, ubi continuum in eodem oriri motum ponas, ut mutationes continuæ conſtituant ſucceſſivorum quandam ſeriem (§. *cit.*). Qui ſibi imaginantur temporis aliquod intervallum, per quod chaos extiterit, aut ſaltem exiſtere potuerit, retro eidem coextendunt ſucceſſivorum quandam continuam ſeriem, ut habeant tempus, quo metiantur illius durationem. Nulla eſt objectio, exiſtentiam iſtiuſmodi chaos ſaltem eſſe poſſibilem, quæ præcedat ortum mundi, & eam adeo longo, vel exiguo intervallo mundi creationem præcedere debere: etenim fingis, quæ a rei veritate abhorrent, ſiquidem ad notiones diſtinctas revoces omnia, nec in confuſis notionibus acquieſcas. Quamobrem ne fictionibus perplexi reddamur, notiones primæ rerum probe excutiendæ ſunt, quas ideo in Ontologia evolvimus, & in Coſmologia ac Pſychologia ad ea, quæ exiſtere novimus, entia applicavimus. Ceterum quæ de ſpatio annotavimus, de tempore quoque jam clarent, ſcilicet quod nullo peculiari actu creationis fuerit opus, ut daretur tempus, etſi idem referri debeat ad Deum auctorem. Quæ vero hic de ſpatio & tempore inculcantur, non majorem habent difficultatem, quam ſi de numero creaturarum affirmas, quod is nullo peculiari creationis actu fuerit productus, ſed factus a Deo, dum elementa rerum materialium, phænomenis hujus mundi adſpectabilis exhibendis ſufficientia, produxit, quorum aggregatione prodiit numerus corporum primævorum, continuis autem mutationibus intrinſecis derivantur corpora, quæ ſucceſſive oriuntur ſuo numero.

§. 798.

Quomodo creaturæ ſint ſpecula perfectionum divinarum.

Creaturæ ſunt ſpecula perfectionum divinarum, quatenus ab attributis divinis dependent. Etenim cum quid ab altero dependeat, quatenus ei quidpiam inexiſtit, cujus ratio in eodem continetur (§. 851 *Ontol.*); creaturæ ab attributis divinis dependent, quatenus ex iis reddi poteſt ratio, cur hoc vel iſtud ipſi inſit, conſequenter quatenus per attributa divina intelligitur, cur hoc vel iſtud iiſdem inſit (§. 56 *Ontol.*). Quatenus igitur creaturæ ab attributis divinis dependent, ex iis, quæ iiſdem inſunt, colligere datur, quænam ſint attributa divina. Eſt vero creatura ſpeculum attributorum divinorum, quatenus per ea, quæ ipſi inſunt, colligere poſſumus, quænam ſint attributa divina (§. 784). Quamobrem creaturæ ſunt ſpecula attributorum ſeu perfectionum divinarum, quatenus ab attributis iſtis dependent.

Creatu-

Creaturæ aptæ ſunt ad divinitatem Dei inviſibilis repræſentandam, ut per viſibilia cognoſcatur quod inviſibile. Illa igitur aptitudo repræſentandi Deum, quæ in creatura datur, non eſt niſi dependentia eorum, quæ ipſi inſunt, a divinis attributis. Per hanc igitur efficiuntur ſpecula divinitatis.

§. 799.

Mundus quomodo ſit ſpeculum exiſtentiæ neceſſariæ Dei.

Mundus integer & quicquid in eodem exiſtit, eſt exiſtentiæ Dei neceſſariæ ſpeculum quoad contingentia. Quatenus enim mundus & quicquid in eodem exiſtit, ens contingens eſt, rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ſe non habet, ſed in alio a ſe diverſo (§. 310 *Ontol.*), nempe in Deo (§. 67), cujus exiſtentia abſolute neceſſaria (§. 71). Quoniam adeo ens contingens exiſtere nequit, niſi detur ens neceſſario exiſtens (§. 118 *Ontol.*); ex contingentia mundi hujus integri colligitur exiſtentia Dei neceſſaria. Quamobrem mundus & quicquid in eo exiſtit, quoad contingentiam eſt ſpeculum exiſtentiæ divinæ neceſſariæ (§. 784).

Hinc non mirum, quod exiſtentia Dei ex iis, quæ de creaturis nobis innoteſcunt, firmiter concludi non poſſit niſi a contingentia earundem. Unde & *D. Thomas* pro eo, quo pollebat, acumine a contingentia mundi exiſtentiam Dei probavit, rejectis argumentis aliis, quæ tantummodo moralem, quam vocant, certitudinem inducunt, ſeu ultra aliquem probabilitatis gradum non aſcendunt. Atque hæc eadem ratio eſt, cur & nos a poſteriori exiſtentiam Dei firmiter demonſtraturi, a contingentia creaturarum tanquam per ſcalam ad exiſtentiam Dei neceſſariam aſcendimus. Ceterum cum nihil ſit in hoc univerſo, quod contingenter exiſtere non intelligatur per principia, quæ in Coſmologia ſtabilivimus; nihil profecto datur, quod exiſtentiam Dei neceſſariam non loquatur, modo naturam loquentem intelligamus: quod in omni caſu non facile. Exemplo ſunto, quæ de exiſtentia Dei ex ordine naturæ demonſtranda oſtendimus in Horis ſubſecivis A. 1730. Trim. aut. num. 3.

§. 800.

Dependentia mundi a Deo quoad contingentiam.

Quoniam mundus integer & quicquid in eodem exiſtit, ſpeculum exiſtentiæ Dei neceſſariæ eſt, quatenus contingens (§. 799), creaturæ autem ſpecula perfectionum divinarum ſunt, quatenus ab attributis divinis pendent (§. 798); *mundus integer & quicquid in eodem exiſtit, quatenus contingens eſt, ſeu quoad contingentiam ab exiſtentia Dei neceſſaria dependit.*

Poterat hæc propoſitio etiam hoc modo oſtendi. Quia mundus ens contingens eſt (§. 55), una cum elementis rerum materialium (§. 56) & animabus noſtris (§. 61), & ſeriem contingentium, quatenus ſucceſſiva in eodem dantur, continet (§. 81 *Coſmol.*), ens vero contingens rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ extra ſe in ente alio a ſe diverſo habet (§. 310 *Ontol.*); mundus & quicquid in eo datur, rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in alio ente a ſe diverſo habere debet, quatenus contingens eſt. Habet vero mundus hic adſpectabilis cum elementis rerum materialium, conſequenter omnibus, quæ in eodem dantur, corporibus (§. 176 *Coſmol.*), & animabus noſtris rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ente a ſe (§. 63), quod Deus eſt (§. 67), cujus exiſtentia abſolute neceſſaria (§. 71). Unde intelligitur, exiſtere poſſe mundum, & quicquid in eo datur, contingenter, quia Deus neceſſario exiſtit, conſequenter exiſtentia Dei neceſſaria ratio eſt, cur mun-

dus

Digitized by Google

dus & quicquid in eo eſt, exiſtat, etiamſi contingens ſit (§. 56 *Ontol.*). Mundus igitur & quicquid in eodem exiſtit, quatenus contingens eſt, ab exiſtentia Dei neceſſaria dependet (§. 851 *Ontol.*).

Vidimus in antecedentibus, ut mundus exiſtat, non ſufficere, quod exiſtat Deus; neque enim mundus ex Deo neceſſario emanavit, quemadmodum lumen ex ſole, ſed liberrime ab eodem productus eſt. Quamobrem verum quidem eſt, niſi exiſteret Deus, ens neceſſarium, nec extiturum mundum, ens contingens; non tamen ideo quod Deus neceſſario exiſtit, neceſſario quoque exiſtit mundus hic adſpectabilis: poterat enim Deus & nullum creare mundum (§. 430), & creare alium ab hoc diverſum (§. 342). Quamobrem mundus quoad exiſtentiam ſuam non unice dependet ab exiſtentia Dei neceſſaria. Enimvero notandum eſt, nos hic non loqui de integra exiſtentia, ſed tantummodo de contingentia, quæ eidem ineſt. Quatenus enim quid contingens eſt, eatenus ſupponit ens neceſſarium, cum contingenter exiſtere nihil poſſet, niſi quid neceſſario exiſteret. Atque eatenus neceſſitas exiſtendi in ente uno eſt ratio, cur quid contingens exiſtere poſſit, ſicque quod contingenter exiſtit, non quoad exiſtentiam, ſed quoad contingentiam, quæ eidem ineſt, ab eo dependet. Contingentiam vero ab ipſa exiſtentia ſeparandam eſſe, haud difficulter patet; etenim eidem jam locus eſt in ſtatu idealitatis, antequam eſſentiæ exiſtentia ſuperaccedat. Per eſſentiam entis contingentis intelligitur, quod exiſtere nequeat, niſi virtute alterius, & ad exiſtendum & non exiſtendum indifferens ſit, quodque exiſtere non poſſit niſi dependenter ab ente neceſſario, antequam actu exiſtat. Et hæc ſane ratio eſt, cur ex contingentia mundi & animarum tantummodo concludatur in ſuperioribus, dari ens a ſe, ſeu neceſſarium, quod contineat rationem ſufficientem exiſtentiæ hujus mundi, cetera vero de Deo collegerimus ex eo, quod ens a ſe ſeu neceſſarium tale ſit concipiendum, ut inde intelligi poſſit, cur hic potius mundus adſpectabilis exiſtat, quam alius. Quodſi mundus quoad contingentiam in exiſtendo dependeret a ceteris attributis divinis, non tantummodo ab exiſtentia neceſſaria & iis, quæ per ſuperiora eidem connexa ſunt; ſola quoque contingentia ſufficeret omnibus, quæ de Deo cognoſci poſſunt, demonſtrandis: aſt contrarium patet abunde ex anterioribus. Dependentia creaturarum a Deo accurate cognoſcenda, ut in demonſtrandis exiſtentia & attributis divinis argumentis genuinis utamur. Omnes ſane diſceptationes de robore & valore argumentorum ad exiſtentiam Dei evincendam in medium allatorum protinus ceſſarent, ſi controvertentes animum ad dependentiam rerum a Deo diſtincte explicatam & methodi demonſtrativæ leges adverterent. Sed accidit plerumque, ut, qui de illo litigant, cæci de coloribus judicent, & methodi ignari, & de modo, quo quæ exiſtunt in hoc univerſo a Deo pendent, parum ſollliciti.

§. 801.

Dependentia mundi quoad eſſentiã a Deo.

Mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, quoad eſſentiam ſuam dependet ab intellectu divino. Cum enim ideo quid poſſibile ſit, quod ejus idea detur in intellectu divino (§. 192), in intellectu autem ipſius continuo exiſtit idea mundi hujus adſpectabilis (§. 181); mundus quoque hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, ideo poſſibilis (§. 61 *Coſmol.*), quia datur ejus idea in intellectu divino, conſequenter cum ſine intellectu divino nihil poſſibile intelligatur, ratio poſſibilitatis intrinſecæ mundi hujus adſpectabilis & omnium, quæ in eo ſunt, in intellectu divino continetur (§. 56 *Ontol.*). Quoniam itaque unum dependet ab altero, quatenus quid eidem inexiſtit, quod rationem ſui in altero agnoſcit (§. 851 *Ontol.*); mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, quoad poſſibilitatem ſuam intrinſecam ab intellectu divino dependet. Enimvero poſſibilitate entis intrinſeca eſſentia ejuſdem abſolvitur (*not.* §. 153 *Ontol.*). Mundus adeo hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, quoad eſſentiam ſuam ab intellectu divino dependet.

Si

Digitized by Google

Si nullus eſſet intellectus divinus, nec mundus hic foret poſſibilis, nec poſſibile foret quicquam eorum, quæ in mundo hoc exiſtunt (§. 192), conſequenter nec poſſibiles forent animæ, quæ hunc ſibi mundum limitato quodam modo repræſentant (§. 62 *Pſychol. rat.*) per eſſentiam atque naturam ſuam (§. 66. 67 *Pſychol. rat.*). Quod vero mundus hic neceſſario ſit poſſibilis, cum omnibus, quæ in eo ſunt, atque animabus noſtris, quæ eumdem ſibi ſuo modo repræſentant; id quidem a Deo eſt (§. 194), ad cujus eſſentiam pertinet intellectus idearum conditor (§. 188) & cujus exiſtentia abſolute neceſſaria (§. 71). *Deus* per eſſentiam ſuam exiſtit (§. 72) & rerum omnium ideas producit (§. 188). Res igitur tam neceſſario poſſibiles ſunt, quam neceſſaria eſt exiſtentia Dei, & quam neceſſarius actus intellectus ipſius. Eſſentiarum adeo ab intellectu divino dependentia ſatis manifeſta.

§. 802.

Mundus quomodo intellectum divinū repræſentet.

Quoniam creaturæ ſunt ſpeculum perfectionum divinarum, quatenus ab attributis divinis pendent (§. 798), mundus autem hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, quoad eſſentiam ab intellectu divino dependet (§. 801); *mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem datur, eſt ſpeculum intellectus divini per eſſentiam ſuam.*

Intellectus adeo divinus a nobis cognoſcitur per eſſentiam mundi hujus adſpectabilis, quemadmodum ex ſuperioribus patet. Nec alio fine in Coſmologia expoſuimus, quæ ad eſſentiam mundi atque corporum pertinent, quam ne nobis deeſſent principia ad intellectum divinum penitius cognoſcendum requiſita.

§. 803.

Dependentia mundi a potentia & liberrima Dei voluntate.

Mundus & quicquid in eo eſt, quoad actualitatem dependet a potentia Dei, quoad actualitatis contingentiam a liberrima ejus voluntate. Etenim Deus mundum hunc adſpectabilem & quicquid in eo eſt (§. 61 *Coſmol.*), produxit ex nihilo (§. 759), conſequenter exiſtentiam eidem impertitus eſt, cum nihil ejus actu eſſet (§. 690. 540 *Ontol.*). Quamobrem cum productio ex nihilo ſit creatio (§. 697 *Pſychol. rat.*); actualitas mundi concipi nequit ſine potentia Dei creatrice, adeoque per hanc intelligitur, qui fieri potuerit, ut mundus actualitatem conſequeretur. Ratio adeo ſufficiens actualitatis mundi, quatenus ſcilicet in ſe ſpectatur, a potentia creatrice, ſoli Deo propria (§. 767), petenda. Nempe quia Deus potentia creatrice pollet, ideo fieri potuit, ut mundum hunc adſpectabilem & quicquid in eodem exiſtit, ad actum perduceret, nunquam ad actualitatem perventurum, ſi Deus potentia creatrice deſtitueretur. Quoniam itaque unum dependet ab altero, quatenus aliquam ſui rationem in altero habet (§. 851 *Ontol.*); mundus hic adſpectabilis & quicquid in eo exiſtit, dependet a potentia Dei quoad actualitatem ſuam. *Quod erat unum.*

Porro Deus hunc mundum elegit ex ceteris æque poſſibilibus (§. 101 *Coſmol.*) ob majorem perfectionem, quæ ipſi quam ceteris ineſt (§. 325), quod ipſi omnium maxime placeret (§. 331), & ejus electio cum maxime decere (§. 334), citra omnem coactionem externam (§. 321) & internam (§. 351). Quamobrem per voluntatem Dei liberrimam intelligitur, cur mundus ad actum fuerit perductus, & cur hic potius ad eundem perductus fuerit, quam alius (§. 941 *Pſychol. rat.*). Quoniam itaque in voluntate Dei liberrima continetur ratio, cur hic mundus ad actum fuerit perdu-

ctus, & cur hic potius quam alius actualitatem conſecutus (§. 56 *Ontol.*), ens vero unum ab altero dependet, quatenus ipſi ineſt, cujus in altero ratio continetur (§. 851 *Ontol.*); mundus hic adſpectabilis & quicquid in eo exiſtit, dependet a libertima Dei voluntate, quatenus præter ipſum plures alii poſſibiles (§. 101 *Coſmol.*), qui per omnipotentiam Dei ad actualitatem perduci poterant (§. 342), ſiquidem ipſi viſum fuiſſet (§. 433). Quamobrem cum actualitas mundi contingens ſit, quatenus non repugnat, ut alii quoque mundi, quam qui exiſtit, ad actum perducantur (§. 294 *Ontol.*), & per eos alia ab iis, quæ nunc exiſtunt, diverſa (§. 101 *Coſmol.*); mundus & quicquid in eodem exiſtit, dependet a voluntate Dei liberrima quoad contingentiam actualitatis. *Quod erat alterum.*

Contingentiam actualitatis ab actualitate diſtinguimus, & ſigillatim dependentiam actualitatis in ſe ſpectatæ, ſepoſita contingentia, a Deo conſideramus, etſi mundo non conveniat alia actualitas, quam quæ contingens eſt. Notio enim contingentiæ notioni actualitatis ſuperaccedit, cum exiſtentia etiam neceſſaria detur, quæ Deo convenit. Quamobrem ſi mundus, quemadmodum defendit *Spinoſa* fatalis neceſſitatis aſſertor, ex Deo neceſſario emanaret, ita ut ſine mundo actuali concipi minime poſſet, quemadmodum denuo ſtatuit *Spinoſa*; hoc tamen non obſtante actualitas ejus dependeret a Dei potentia. Quamobrem mundus a potentia Dei creatrice dependet, quatenus ejus actualitas in ſe ſpectatur, ſepoſita inquiſitione, utrum ea ſit contingens, nec ne. Enimvero ubi jam conſideras actualitatem mundi tanquam contingentem, tum ea amplius intelligi nequit, niſi animum ſimul ad liberrimam Dei voluntatem advertas. Breviter: Exiſtentia ſeu actualitas mundi dependet a voluntate Dei liberrima & omnipotentia ſimul, ſed ab ea, quatenus ſpectatur, ut contingens; ab hac, quatenus ſpectatur ſimpliciter: quæ igitur in ſe diſtincta ſunt, in propoſitione quoque a ſe invicem diſcerni debuere.

§. 804.

Quomodo mundus Dei potentiam & liberrimam ejus voluntatem repræſentet.

Quoniam mundus & quicquid in eodem exiſtit, eſt ſpeculum attributorum divinorum, quatenus ab iiſdem dependet (§. 798), a potentia vero Dei dependet quoad actualitatem ſimpliciter ſpectatam, a liberrima vero ejus voluntate quoad actualitatis contingentiam (§. 803); *Mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, eſt ſpeculum potentiæ divinæ quoad actualitatem ſuam; ſpeculum liberrimæ voluntatis ejuſdem quoad actualitatis contingentiam.*

Nimirum potentia repræſentativa potentiæ divinæ, quæ ineſt mundo, eſt dependentia a potentia Dei creatrice, & potentia repræſentativa voluntatis liberrimæ Dei, quæ in eodem deprehenditur, eſt dependentia ab ejus liberrima voluntate. Actualitas adeo, quatenus poſſibilitati intrinſecæ ſuperaccedit, quæ ad exiſtendum nondum ſufficit, mundum aptum efficit ad potentiam divinam repræſentandam, & quatenus actualitas illa contingens eſt, mundus aptus evadit ad liberrimam Dei voluntatem repræſentandam. Atque hoc modo patet, quomodo mundus fiat ſpeculum omnipotentiæ ac liberrimæ voluntatis divinæ. Hæc utique diſtinctius a nobis explicanda ſunt, ut natura creaturæ penitius intelligatur: id quod multiplici uſui erit in Moralibus, ubi de officiis hominis erga Deum acturi ſumus.

§. 805.

Dependentia mundi a ſapientia Dei.

Mundus hic adſpectabilis, & quicquid in eodem exiſtit, a ſapientia divina dependet quoad nexum univerſalem omnium cum omnibus. Etenim in hoc univerſo ſeu mundo adſpectabili coexiſtentium nexus conſiſtit in dependentia finis a medio; nexus vero ſucceſſivorum in dependentia finis a medio & actio-

Digitized by Google

actionis cauſæ efficientis a fine (§. 665). Enimvero Deus in hoc univerſo ſapienter omnia decrevit (§. 643), & ſapientiæ eſt conſtituere fines, ac media ad eos ducentia eligere (§. 678 *Pſychol. rat.*). Quamobrem per ſapientiam divinam intelligitur, cur Deus ita potius conſtituerit nexum rerum, quam aliter, conſequenter in ea conſiſtit ratio nexus univerſalis rerum omnium cum omnibus (§. 56 *Ontol.*). Quoniam itaque unum ab altero dependet, quatenus quid, quod in eodem datur, rationem ſufficientem in altero habet (§. 851 *Ontol.*); mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, quoad nexum univerſalem omnium cum omnibus a ſapientia divina dependet.

Idem etiam hoc modo oſtenditur. Nexus rerum in hoc univerſo ſapientia conſtitutus eſt (§. 666), adeoque per eam intelligitur, cur talis potius ſit quam alius. Unde porro deducitur ut ante, mundum hunc adſpectabilem quoad nexum rerum univerſalem omnium cum omnibus a ſapientia Dei dependere.

Qui adeo nexum rerum tollunt, in ſapientiam divinam injurii ſunt: ſublato enim rerum nexu tolluntur fines, nec omnia in hoc univerſo ad omnia ſeſe habent per modum finis ad medium. Si enim fines in rerum natura admittis, admittere etiam teneris media, quibus illi obtinentur, conſequenter eum media & fines inter ſe connectantur (§. 18 *Coſmol.*), nexum rerum in univerſo admittere teneris. Quodſi admittatur nexus rerum in hoc univerſo, qui in dependentia finis a medio conſiſtit; per principia ſuperiora facile demonſtratur, neaum iſtum eſſe debere univerſalem. Sane nexum rerum ad ſapientiam divinam referre teneris, ſive ejus univerſalitatem animo concipias, ſive eum nonniſi particularem ſtatuas (§. 666). Quodſi vero Deo ſapientiam ſummam atque perfectiſſimam tribuere velis (§. 640), univerſalitatem neaus agnoſcere teneris (§. 689 *Pſychol. rat.*). Ex nexu rerum ſimpliciter admiſſo, independenter a ſapientia divina, colligitur per ſuperiora eius univerſalitas: ſed noſtrum jam non eſt demonſtrationem contexere, quæ ſuum ſibi locum in Teleologia vindicare videtur, præſertim cum obiter ſaltem redarguere viſum fuerit eorum oſcitantiam, qui univerſalitatem nexus in dubium vocant a fatali ſibi neceſſitate metuentes, quem metum inanem jam ſupra expulimus (*not.* §. 667).

Quomodo mundus ſapientiam Dei repræſentet.

§. 806.

Quoniam mundus & quicquid in eodem exiſtit, eſt ſpeculum attributorum divinorum, quatenus ab iiſdem dependet (§. 798), a ſapientia vero Dei dependet mundus hic adſpectabilis, & quicquid in eodem exiſtit, quoad nexum univerſalem omnium cum omnibus (§. 805); *mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, eſt ſpeculum ſapientiæ divinæ quoad nexum univerſalem omnium cum omnibus.*

Patet itaque, Deum effeciſſe mundum hunc adſpectabilem & quicquid in eodem exiſtit, ſpeculum ſapientiæ ſuæ, quatenus res in eodem ipſi connectere viſum, & quidem effeciſſe ſpeculum ſapientiæ omnium perfectiſſimæ atque ſummæ, quam ipſi competere evicimus (§. 640), quatenus nexum hunc fecit univerſalem, atque adeo ipſa nexus univerſalis conſtitutione indidiſſe mundo & omnibus, quæ in eodem dantur, potentiam repræſentativam ſapientiæ ſuæ omnium perfectiſſimæ atque ſummæ: qua utique caret, ſi is a mundo abeſſet. Quoniam nexus iſte conſiſtit in dependentia mediorum a fine, per eundem in univerſam hanc rerum ſeriem, qua mundus adſpectabilis conſtituitur (§. 55 *Coſmol.*), fines introducti ſunt. Et ideo fines rerum ſunt ſcala, per quam ad ſapientiam divinam aſcenditur. Dari fines in hoc univerſo & nexum rerum conſiſtere in dependentia finis a medio non ante conſtare poteſt, niſi ubi probatum fuerit, cauſam efficientem dari hujus univerſi, quæ ſit agens intelligens, & eam ideo produxiſſe cauſas, ut ea iſtere poſſint in hac rerum ſerie cau-

Digitized by Google

ſata (§. 31 *Coſmol.*). Unde a finibus rerum exiſtentia Dei demonſtrativa ratione probari nequit, quemadmodum alias monuimus: ſit ita quod probabiliter adſtrui poſſit, quatenus probabiliter ſumitur dari fines in univerſo. Nimirum non repugnat dari nexum in cauſarum ſerie, ſiquidem ea ponatur neceſſaria quoad actum, ſive mundus fingatur ens a ſe, ſive ex neceſſitate naturæ divinæ productus, quemadmodum defendit *Spinoſa*. Aſt ubi per contingentiam mundi exiſtentiam Dei demonſtraveris, & dari fines in rerum natura ex natura Dei evinceris, quemadmodum a nobis factum; finium conſideratio facit ad ſapientiam divinam demonſtrandam. Utile adeo eſt dependentiam mundi a Deo accurate cognoſcere, ut conſtet, quomodo in probanda divinitate ex operibus creationis rite procedatur.

§. 807.

Dependentia mundi a bonitate Dei.

Mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, a bonitate divina dependet per rerum nexum, quatenus vi ejuſdem unum inſervit uſibus alterius. Etenim bonitatis divinæ eſt, quod in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius (§. 739), adeoque per eam intelligitur, cur hæc ita ſeſe habeant potius, quam aliter, conſequenter ratio in bonitate divina continetur, cur Deus talem conſtituerit nexum rerum, & unum alterius uſibus inſervire teneatur (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum quid ab altero dependeat, quatenus quidpiam eidem inexiſtens in eo rationem ſui agnoſcit (§. 851 *Ontol.*); mundus utique & quicquid in eodem exiſtit, a bonitate divina per nexum rerum dependet, quatenus unum vi ejuſdem uſibus alrerius inſervit.

Pertinent huc omnia, quæ de bonitate divina in ſuperioribus demonſtrata, ideo in hac rerum ſerie locum habent, quia omnia inter ſe connectuntur. Ita huc referri debet directio malorum ad bonum finem, quam eſſe bonitati divinæ acceptam ferendam oſtendimus (§. 733). Diriguntur enim mala ad bonum finem, quatenus Deus iiſdem utitur tanquam mediis conſequendi bonum finem, quando ſapientia ſalva ex hac rerum ſerie tolli nequeunt, quemadmodum ſupra explicavimus (§. 680). Quamobrem cum medium & finis inter ſe connectantur (§. 18 *Coſmol.*); malorum ad bonum finem directio ad nexum rerum in hoc univerſo ſpectat, utpote in dependentia finis a medio conſiſtentem. Non igitur opus eſt, ut in dependentia mundi a bonitate divina demonſtranda directionis malorum ad bonum finem in ſpecie mentionem injiciamus. Etenim ubi ad uſus quoſcunque animum advertimus, directio quoque malorum ad bonos fines nobis ſeſe præſentem ſiſtet. Et idem tenendum eſt de aliis, quæ inter uſus rerum commemoranda ad nexum rerum eodem modo referuntur.

§. 808.

Eadem alterius expenditur.

Mundus & quicquid in eodem datur, a bonitate Dei dependet quoad perfectionem ſuam. Oſtendimus in ſuperioribus, Deum enti cuicunque tantundem boni conferre, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt, quatenus ab ipſo proficiſcitur omnis cujuslibet entis perfectio eſſentialis & per nexum rerum proſpicitur perfectioni ejuſdem accidentali (§. 698). Quamobrem cum bona in alios conferendo quis bonum ſe probet (§. 697); per bonitatem Dei intelligitur, cur hæc toti mundo adſpectabili inſit perfectio, & cur hæc inſit ſingulis rebus perfectio eſſentialis atque accidentalis, conſequenter ratio omnis perfectionis, quæ datur in toto mundo adſpectabili, quocunque te vertas, in bonitate divina continetur (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem neceſſe eſt mundum hunc adſpectabilem & quicquid in eodem exiſtit, a bonitate divina dependere quoad perfectionem ſuam (§. 851 *Ontol.*).

Inprimis

Inprimis quoque notandum eſt, mundum a bonitate Dei ſumma, quatenus ſumma eſt, dependere quoad ſummam, qua ceteros mundos poſſibiles vincit, perfectionem, gradu perfectionis hujus univerſi gradui bonitatis divinæ reſpondente. Quamobrem apparet, quam utile ſit agnoſcere, quod Deus mundum fecerit omnium poſſibilium optimum, ut bonitatis divinæ ſummæ convincaris. Ita ubivis hypotheſis mundi optimi cum attributis divinis conſentit, & eum in iis agnoſcendis præbet uſum, quem oppoſita habere nequit. Sane qui Theologiam naturalem methodo demonſtrativa tradere vult, veritatibus omnibus inter ſe connexis, ut eorundem eluceſcat conſenſus; quomodo fieri poſſit ut ſtatuat, mundum hunc, a Deo creatum, non eſſe omnium poſſibilium optimum, ego non video.

§. 809.

Quomodo mundus bonitatem divinam repræſentet.

Mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, eſt ſpeculum bonitatis divinæ quoad perfectionem ſuam & nexus rerum utilitatem. Etenim mundus hic adſpectabilis & quicquid in eo eſt, a bonitate divina dependet non modo quoad perfectionem ſuam (§. 808); verum etiam per rerum nexum, quatenus vi ejuſdem unum inſervit uſibus alterius (§. 807), adeoque alteri utile eſt, conſequenter quoad utilitatem hujus nexus. Enimvero mundus & quicquid in eo datur, eſt ſpeculum perfectionum divinarum, quatenus ab attributis Dei dependet (§. 798). Eſt igitur ſpeculum bonitatis divinæ quoad rerum perfectionem & earundem nexum, quatenus vi ejuſdem unum alterius uſibus inſervit, ſeu unum alteri utile.

Vides adeo perfectionem rerum eſſentialem & accidentalem a nexu reru dependentem, nec non nexum rerum, vi cujus unum alteri utile efficitur, eſſe ſcalam, per quam ad bonitatem divinam aſcenditur. Et ſane per nexum rerum, in quo continetur directio malorum ad bonum finem, ſalvatur bonitas divina, quæ in dubitationem adducitur, quamprimum animum ab eodem avertis. Sane qui ea, quæ fiunt in mundo, bonitati divinæ adverſa judicant, hunc rerum nexum eſſe omnium poſſibilium optimum non agnoſcunt, imo nexum rerum univerſalem non cogitant, vel prorſus rejiciunt. Fecit adeo Deus mundum hunc bonitatis divinæ ſpeculum, quatenus enti unicuique largitus eſt perfectionem ſuam eſſentialem, & res ita inter ſe connectere voluit, ut unum inſerviat uſibus alterius, & ex ipſo malo naſcantur bona, atque unumquodque perfectionem nanciſcatur accidentalem, quæ ipſi tanquam parti reſpectu totius convenire poteſt. Quamobrem qui nexum rerum rejiciunt, qui eum optimum eſſe agnoſcere nolunt, quomodo bonitatem divinam tueri & animum a ſcrupulis liberare velint, quæ circa eam hominibus ſuboriri quotidie ſolent, animumque ſæpius haud parum angunt, ego quidem non video.

§. 810.

Dependentia mundi ab omniſcientia Dei.

Mundus hic adſpectabilis & quicquid in eo datur, dependet ab omniſcientia Dei per nexum rerum, quatenus univerſalis & optimus. Etenim in Deo per eminentiam datur veritatum omnium univerſalium & ſingularium ſcientia, quia omnia in hoc univerſo inter ſe connectuntur, adeoque nexus rerum univerſalis eſt, quemadmodum ſupra oſtendimus (§. 300). Et ideo eligere potuit nexum rerum optimum, quatenus ceteri quicunque poſſibiles ipſi ſimul perſpecti fuere, quod per ſe patet. Etenim ſi non æque ipſi perſpecti fuerint ceteri, quam qui in hoc mundo adſpectabili ſeu hac rerum ſerie (§. 55 *Coſmol.*) exiſtit; quod hic ſit omnium optimus eidem conſtare minime poterat. Optimum adeo nexum rerum efficere potuit, quod omnes poſſibiles penitus perſpexit. Quamobrem cum omniſcientia, quæ Deo competit (§. 302), ſit ſcientia omnium cognitu poſſibilium tam ſingularium, quam univerſalium (§. 301); per eam utique intelligitur, quomodo

modo res omnes in hoc univerſo optimo modo inter ſe connecti potuerint. Itaque in omniſcientia divina continetur ratio, cur res omnes inter ſe in hoc mundo adſpectabili optimo modo connectantur (§. 56 *Ontol.*), conſequenter cur rerum nexus, qui datur in hac ſerie rerum, ſit univerſalis atque optimus. Patet igitur mundum hunc adſpectabilem & quicquid in eo eſt, a Dei dependere omniſcientia per rerum nexum, quatenus is univerſalis eſt atque omnium optimus.

Nimirum quia Deus omniſcius eſt, ipſi quoque perſpectum, quot modis omnia poſſibilia intet ſe connecti poſſint, & qualis ex nexu coexiſtentium elementorum rerum materialium naſcatur nesus ſucceſſivorum vi eſſentiæ ac naturæ eorundem, nec eum ſugere potuit, in quonam mundo nexus rerum optimus locum habeat. Fieri adeo potuit, ut omnia cum omnibus optimo modo connecterentur, quia omniſcius eſt. Quodſi omniſcientia deſtitueretur, non niſi caſu in nesum rerum optimum incidere potuiſſet: ſit ita, quod univerſalitas ſua veluti ſponte ex eſſentia & natura rerum reſultaſſet, ſiquidem quid poſſibile fingatur abſque diſtincta ejus in intellectu divino idea contra id, quod demonſtratum eſt in ſuperioribus (§. 192).

§. 811.

Quomodo mundus omniſcientiā Dei repræſentet. Quoniam *mundus* ab omniſcientia Dei pendet per nexum rerum, quatenus is univerſalis eſt & optimus (§. 810), ſpeculum vero perfectionum divinarum exiſtit, quatenus ab attributis divinis dependet (§. 798); *ſpeculum utique omniſcientiæ divinæ eſt per nexum rerum, quatenus is univerſalis atque optimus eſt.*

Ecce igitur tibi ſcalam, per quam ex contemplatione creaturarum ad omniſcientiam divinam aſcendere datur. Etſi enim nemo mortalium nexum rerum univerſalem penitus perſpicere poſſit, multo minus autem ex collatione ejus, qui in præſente ſerie rerum datur, cum ceteris in reliquis ſeriebus rerum deprehendendis ſummam ejus bonitatem, qua eoſdem vincit, agnoſcere valeat; hoc tamen non obſtante principiorum philoſophicorum, imo communium, ex obviis experientiis derivandorum, gnarus nexum objecti cujuſcunque cum ceteris omnibus deprehendere ac inde ejuſdem univerſalitatem certo aſſequi poteſt. Et quamvis ſepoſitis iis, quæ de voluntate divina ex lumine rationis nobis innoteſcunt, difficile videatur, demonſtrativa ratione cognoſcere, quod præſens rerum nexus ſit omnium poſſibilium optimus, conſtat tamen idem ſumma probabilitate a poſteriori agnoſci. Sed de hiſce alibi dicemus apertius, dictis fidem experimentis manifeſtis facturi.

§. 812.

Dependentia mundi. ***Mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem datur, dependet a ratione Dei ſumma per nexum rerum univerſalem, quatenus eidem inſunt veritates univerſales inter ſe connexæ.*** Quoniam idea mundi intelligibilis, qualis vi intellectus divini formatur (§. 200. 203), ideam mundi rationalis includit (§. 261), hic vero omnes veritates univerſales inter ſe connexas continet (§. 263. 271); patet mundo huic adſpectabili & omnibus ſingularibus in eodem ineſſe veritates univerſales, quatenus Deus ſingularia eo modo in ſyſtema aliquod redegit, ſeu inter ſe connectit, ut aliquod veritatum univerſalium ſyſtema in ſingularibus contineatur. Quamobrem cum Deus ſingularia ita inter ſe connectere potuerit, ut ipſis inſint veritates univerſales inter ſe connexæ, quatenus ſumma ipſi competit ratio (§. 279), qua ſimul omnem veritatum univerſalium nexum poſſibilem perſpicit (§. 483 *Pſychol.*

Pſychol. empir.); per rationem divinam intelligitur, cur mundo huic adſpectabili inſint veritates univerſales inter ſe connexæ, ſeu cur ſyſtemati ſingularium inſit aliquod ſyſtema univerſalium, conſequenter in ratione divina datur ratio, cur nexui rerum univerſali in hoc univerſo inſit veritates univerſales inter ſe connexæ (§. 56 *Ontol.*). Dependet igitur mundus hic adſpectabilis, & quicquid in eodem datur, a ratione Dei ſumma per nexum rerum univerſalium, quatenus eidem inſunt veritates univerſales inter ſe connexæ (§. 851 *Ontol.*).

Ad rerum nexum non modo pertinet dependentia mutua rerum a ſe invicem quoad modificationes ſuas; verum etiam dependentia attributorum & eorum, quæ per modum attributorum potentia inſunt, dependentia ab eſſentialibus. Univerſalitas vero iſtius dependentiæ eſt a rerum ſimilitudine, qua genera, ſpecies ac caſus nituntur. Etenim ex hoc fonte manant judicia univerſalia tam categorica, quam hypothetica, quæ inter ſe connexa ſyſtema veritatum univerſalium conſtituunt. Quemadmodum vero rationis in nobis eſt eas cognoſcere; ita utique rationi acceptum ferendum eſt, quod eædem inſint ſyſtemati ſingularium, hoc eſt, huic univerſo. Quodſi doctrinam ontologicam de ente ſingulari & univerſali, coſmologicam de nexu rerum in hoc univerſo & dependentia actus contingentium a ſe invicem, & ſuperiorem de mundo rationali (§. 258 & ſeqq.) probe perpendere volueris, de dependentia mundi a ratione divina nihil ſupererit obſcuri. Ceterum quia mundus a ratione divina dependet, nihil quoque datur in hoc univerſo, quod non habeat rationem ſufficientem, cur ſit potius, quam non ſit.

§. 813.

Quoniam mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem datur, per nexum rerum univerſalem a ratione divina dependet, quatenus eidem inſunt veritates univerſales inter ſe connexæ (§. 812), creaturæ vero ſpeculum ſunt perfectionum divinarum, quatenus ab attributis divinis dependent (§. 798); *Mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem datur, eſt ſpeculum rationis divinæ ſummæ per nexum rerum, quatenus eidem inſunt veritates univerſales inter ſe connexæ.*

Quomodo mundus rationem divinam repræſentet.

Nexus igitur rerum eſt quoque ſcala, per quam mens noſtra in rationem divinam aſcendit. Pone enim res in hoc univerſo inter ſe non connecti, ſed omnia a ſe invicem independenter exiſtere, quemadmodum in mundo fabuloſo, cujus mentionem injecimus alias, cum principium rationis ſufficientis ſtabiliremus (§. 77 *Ontol.*): nemo non videt, fieri haud quaquam amplius poſſe, ut nil quicquam fiat niſi cum ratione ſufficiente, cum ex eo nexus rerum reſultet, quod enti uni inſint determinationes conſtantes, quarum rationes ſufficientes continentur in aliis, nec inſint modi, quorum non detur in aliis ratio ſufficiens, cur hi potius jam inſint, quam alii. Quodſi in nonnullis nexum quendam admitteres, in aliis negares, ejuſdem univerſalitate in dubium vocata; ratio divina non repræſentaretur tanquam ſumma per hoc univerſum: univerſalitas enim nexus tantum probat, ut major concipi minime poſſit ratio divina, quæ ex operibus creationis elucet. Aptus adeo mundus hic adſpectabilis eſt ad rationem divinam ſummam repræſentandam per mundum rationalem eidem immerſum, cui cognoſcendo deſtinantur ſcientiæ philoſophicæ, rationem ejuſque uſum in nobis amplificantes.

§. 814.

Mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, dependet ab æternitate Dei per eſſentiarum æternitatem & veritatem rerum tranſcendentalem. Etenim eſſentiarum æternitas a Deo eſt (§. 195), ut adeo non intelligatur, cur ſint æternæ, niſi quatenus ideo quid poſſibile, quia ejus idea datur neceſſario (§. 189) in intellectu Dei (§. 192) æterni (§. 74). Quamobrem eſſen-

Dependentia mundi ab æternitate Dei.

eſſentiarum æternitas rationem ſufficientem agnoſcit in æternitate Dei (§. 56 *Ontol.*). Quoniam itaque ens unum ab altero dependet, quatenus quid ipſi inexiſtens rationem ſui agnoſcit in eodem (§. 851 *Ontol.*); mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem exiſtit, ab æternitate Dei per eſſentiarum æternitatem dependet. *Quod erat unum.*

Porro quoniam in omni ente, adeoque etiam in toto mundo, qui ens unum eſt (§. 60 *Coſmol.*), veritas tranſcendentalis determinatur per principia contradictionis & rationis ſufficientis (§. 498 *Ontol.*), adeoque per hoc intelligitur, quod nihil ſit intrinſece poſſibile, niſi quatenus determinationes quædam ſimul in eodem ſubjecto ineſſe poſſunt (§. 85 *Ontol.*), nec quicquam ſit extrinſece poſſibile, niſi quatenus rationem ſufficientem actus ſui habere poteſt (§. 70 *Ontol.* & §. 111 *Coſmol.*); nullum poni poteſt tempus, quo veritas eorum, quæ in mundo contingunt, determinata fuit, adeoque nec tempus quoddam fingi poteſt, quo hoc vel iſtud cœperit eſſe verum: imo eodem modo patet, nec tempus aliquod poni poſſe, quo verum eſſe deſinet, conſequenter veritatem omnem, quæ rebus ineſt, determinatam eſſe ab æterno liquet (§. 39). Conſtat vero ex iis, quæ de præſcibilitate rerum omnium (§. 232 & ſeqq.) & recordabilitate earundem (§. 239 & ſeqq.) demonſtrata ſunt, veritatem, quæ rebus ineſt, determinatam ſpectari in ideis rerum, quæ ab æterno in Deo exiſtunt (§. 181. 74). Per æternitatem adeo intelligitur, cur veritas, quæ rebus ineſt, ab æterno jam fuerit determinata, conſequenter in æternitate Dei continetur ratio æternitatis veritatis tranſcendentalis determinatæ, quæ rebus omnibus in hoc univerſo ineſt. Quamobrem cum quid ab altero dependeat, quatenus rationem aliquam cujuſdam ſibi competentis in altero habet (§. 851 *Ontol.*); mundus hic adſpectabilis ac quicquid in eodem datur, ab æternitate Dei dependet, quatenus veritas tranſcendentalis, quæ ipſi ineſt, ab æterno determinata jam fuit. *Quod erat alterum.*

Nimirum quia Deus æternus, intellectus quoque ejus ab æterno actuoſus fuit, quippe in actu puro, non in nuda aliqua potentia, quemadmodum humanus, conſiſtens (§. 163). Vi igitur idearum, quæ in intellectu divino extitere, poſſibilia ab æterno fuere hæc entia, quæ mundum hunc adſpectabilem componunt, quoad eſſentiam & attributa. Nec minus ab æterno poſſibile fuit ea hoc modo inter ſe connecti, quo in hac ſerie rerum connectuntur, & vi hujus nexus haſce ſubire mutationes, quas nunc ſubeunt. Atque adeo quicquid in hoc mundo exiſtit & quocunque modo contingit, quod exiſtere poſſit & hoc modo contingere, ſiquidem mundus hic creatus, ab æterno verum fuit, nec ullum fingi poteſt tempus, quo verum eſſe cœperit. Quodſi ergo Deus non eſſet æternus, nec veritas rerum ab æterno determinata concipi poſſet &, ubi ex principiis a poſteriori ſtabilitis intelligitur, quod ab æterno determinata concipi debeat, non pateret ratio ulla æternæ hujus determinationis. Quamprimum vero Deum æternum agnoſcis, tanquam rerum omnium fontem; a priori patet determinatio veritatis ab æterno & ejus intelligitur ratio.

§. 815.

Quomodo mundus æternitatem

Quoniam creatura eſt ſpeculum attributorum divinorum, quatenus ab iiſdem dependet (§. 798), mundus autem ab æternitate Dei dependet per eſſentiarum æternitatem & veritatem tranſcendentalem, quæ rebus ineſt (§. 814);

(§. 814); *mundus & quicquid in eodem exiſtit, eſt ſpeculum æternitatis divinæ per eſſentiarum æternitatem & veritatem tranſcendentalem, quæ rebus omnibus ineſt.* *Dei repræſentet.*

Patet adeo æternitatem eſſentiarum & veritatem determinatam rerum ab æterno aptum reddere mundum & quicquid in eodem eſt, ad æternitatem Dei repræſentandam. Nimirum quia eſſentiæ in ſe ſpectatæ æternæ ſunt & actus iu potentia æternus eſt, ex eo æternitatem auctoris rerum cognoſcere licet, poſtquam ante demouſtratum eſt, auctorem rerum dari, nec mundum hunc adſpectabilem aut, verius loquendo, elemeuta rerum materialium ſimplices ſubſtantias (§. 182 *Coſmol.*), eſſe entia a ſe, adeoque æterna. Ita enim quod in ſe contingens eſt, atque nonniſi contingenter exiſtit, & ab æterno poſſibile fuit, atque neceſſarium, & omnes ejus modificationes veritatem determinatam habuere ab æterno, quod ſcilicet hiſce elementis ad actum perductis ſint exituræ. Quodſi neges æternitatem eſſentiarum & veritatem determinatam contingentium ab æterno; nil amplius relinquitur in ſerie rerum contingente, quod æternitatem Dei aperte loquatur, ita ut non demum eam ex aliis colligi ſit opus.

§. 816.

Quoniam veritas logica non datur propoſitionum univerſalium, niſi quia datur in rebus veritas tranſcendentalis (§. 499 *Ontol.*), mundus vero ſpeculum eſt æternitatis divinæ per veritatem tranſcendentalem, quatenus ſcilicet æterna intelligitur (§. 815); *ideo patet, mundum quoque & quicquid in eodem datur, eſſe ſpeculum æternitatis divinæ, quatenus ipſis inſunt veritates logicæ, ſine ullo temporis reſpectu, aut ab æterno tales.* *Idem ulterius expenditur.*

Nimirum veritas logica cum conſiſtat in determinabilitate prædicati per notionem ſubjecti (§. 513 *Log.*); ex notionibus rerum demonſtrari poteſt, adeoque propoſitio univerſalis logica vera cognoſcitur abſque ullo tempore, ita ut nec quæri poſſit, quando ea cœperit eſſe vera, quando deſitura ſit eſſe vera. Atque ita æterna intelligitur veritas logica cujuſvis propoſitionis univerſalis (§. 39). Notiones rerum, unde pendet hæc veritas, inſunt ideis rerum ſingularium, quæ in hoc mundo adſpectabili exiſtunt. Et hoc pacto veritas logica recidit in neceſſitatem idearum divinarum (§. 189), conſequenter eſſentiarum æternitatem (§. 195). Quamobrem cum mundus æternitatem Dei repræſentet per eſſentiarum æternitatem; quid mirum, ſi eam etiam repræſentet per veritatem logicam propoſitionum univerſalium? Sunt qui negant veritatem tranſcendentalem æternam & logice tamen verum fuiſſe admittunt ab æterno, quod hoc futurum ſit in tempore: ſed eos hic non moramur, cum & veritatem rerum tranſcendentalem & dependentiam logicæ a tranſcendentali ſatis ſtabiliverimus in philoſophia prima (§. 495. 499 & ſeqq. *Ontol.*) & per ea, quæ de ideis rerum in intellectu divino & veritatibus univerſalibus dicta ſunt in ſuperioribus.

§. 817.

Ens omne a Deo dependet quoad poſſibilitatem intrinſecam ab intellectu ejus, quoad extrinſecam a voluntate, quoad exiſtentiam a potentia, quoad certitudinem futuritionis ab immutabili decreto, & quoad contingentiam actus ab aſeitate & exiſtentia Dei neceſſaria. Etenim cum ideo quid poſſibile ſit, quia ejus datur idea in intellectu divino (§. 192); ratio poſſibilitatis entis cujuſcunque continetur in intellectu divino (§. 56 *Ontol.*). Ens igitur omne (diverſum nempe a Deo) ab intellectu divino dependet (§. 851 *Ontol.*). *Quod erat primum.* *Dependentia entis omnis a Deo.*

Extrinſece ens poſſibile eſt, quod determinatam cauſam in mundo adſpectabili habet (§. 111 *Coſmol.*). Quamobrem cum actualitas rerum a voluntate Dei pendeat (§. 433); nihil extrinſece poſſibile eſt, niſi quatenus

Deus cauſam ejus exiſtere voluit. Quoniam itaque ratio ſufficiens poſſibilitatis extrinſecæ a voluntate divina arceſſenda (§. 56 *Ontol.*); ens quoque omne, quod in hoc univerſo datur, quoad poſſibilitatem extrinſecam a voluntate divina dependet (§. 851 *Ontol.*). *Quod erat ſecundum.*

Enimvero quicquid præter Deum exiſtere poteſt, id exiſtere nequit niſi per potentiam ejus (§. 223). Quamobrem in ea continetur ratio ultima, cur ens unumquodque exiſtat (§. 56 *Ontol.*). Atque hoc modo ens omne quoad actum ſuum ſeu exiſtentiam dependet ab omnipotentia Dei (§. 851 *Ontol.*). *Quod erat tertium.*

Per decretum Dei res quælibet facta eſt futura (§. 522) & quidem, cum Deus omnia ab æterno decreverit (§. 504), ab æterno. Quoniam vero decretum Dei immutabile eſt (§. 509); ideo ab omni æternitate certum fuit, ens hoc in hoc univerſo extiturum (§. 291 *Ontol.*). Certitudo igitur futuritionis entis cujuſcunque rationem habet in immutabilitate decreti divini (§. 56 *Ontol.*), conſequenter ens unumquodque in hoc univerſo quoad certitudinem actus conſequendi dependet ab immutabili Dei decreto (§. 851 *Ontol.*). *Quod erat quartum.*

Contingentia in mundo non habent rationem ſufficientem actualitatis ſuæ in ſerie ſucceſſivorum, ſed in ente alio extra ſeriem iſtam conſtituto, eoque neceſſario (§. 90 *Coſmol.*), nimirum in Deo (§. 67), tanquam ente a ſe (§. 63). Ens igitur unumquodque, quod in hoc mundo exiſtit, quatenus contingenter exiſtit, ſeu quoad contingentiam actus, a Dei aſeitate dependet (§. 851 *Ontol.*), conſequenter ab exiſtentia ejus neceſſaria (§. 32). *Quod erat quintum.*

Conſtat itaque, quomodo dependentia entis cujuſcunque a Deo pateat per notionem entis in genere. Maximi vero uſus eſt hæc propoſitio in Teleologia, ubi inter principia heuriſtica locum ſuum tueri poteſt, quando aſcenſus mentis in Deum, ut ſtylo *Bellarmini* utar, per rerum naturalium contemplationem expliceandus. Atque ſic demonſtrativa ratione intelligitur, quomodo ens unumquodque, qualecunque tandem fuerit, hoc ipſo, quod in numero entium ſit, creatorem ſuum loquatur. Uſui nobis erit hæc propoſitio, ubi in parte ſecunda de Theologia naturali experimentali dicturi ſumus.

§. 818.

Quomodo ens omne Deum repræſentet.

Quoniam ens omne, quatenus ens eſt, a Deo dependet quoad poſſibilitatem intrinſecam ab intellectu, quoad extrinſecam a voluntate, quoad actum ſeu exiſtentiam a potentia, quoad hujus certitudinem ab immutabili decreto & quoad contingentiam denique ab aſeitate & exiſtentia Dei neceſſaria (§. 417), ens vero unumquodque a Deo dependens, ſpeculum eſt attributorum divinorum, quatenus ab iis dependet (§. 798); *ens omne in hoc univerſo, quatenus ens eſt, eſt ſpeculum aſeitatis & exiſtentiæ neceſſariæ, intellectus, voluntatis, potentiæ ac immutabilis voluntatis divinæ*, conſequenter *Deum repræſentat tanquam ens a ſe & neceſſarium, quod intellectu, voluntate & potentia præditum, & vi immutabilis ejus decreti auctorem ſui agnoſcit.*

Nimirum

Nimirum hoc modo Deum repræſentat, quatenus in ſe ſpectatur, citra relationem ad alia. Ubi vero tanquam in ſyſtema cum aliis relatum conſideratur, accedunt porro, quæ de dependentia totius univerſi & eorum omnium, quæ in eodem exiſtunt, a perfectionibus divinis demonſtrata ſunt.

§. 819.

Quomodo ens omne Deum in ſyſtemate repræſentet.

Ens omne, quatenus ſpectatur cum ceteris in ſyſtema relatum, Deum repræſentat tanquam ſapientem & bonum, eundemque omniſcium ac ſumma ratione præditum. Etenim ens tanquam cum ceteris in ſyſtema relatum ſpectatur, quatenus cum iiſdem connectitur tum quoad coexiſtentiam, tum quoad ſucceſſionem (§. 142), conſequenter in ſyſtemate ſpectatur tanquam cum ceteris omnibus connexum. Enimvero quicquid in hoc univerſo exiſtit, quoad nexum cum ceteris omnibus eſt ſpeculum ſapientiæ (§. 806), bonitatis (§. 809), omniſcientiæ (§. 811) & rationis ſummæ divinæ (§. 813). Quamobrem cum ex ſpeculo perfectionum divinarum attributa divina colligere liceat (§. 784); ens omne, quatenus cum ceteris in ſyſtema relatum ſpectatur, Deum repræſentat ſapientem, bonum, omniſcium ac ſumma ratione præditum.

Videmus adeo, quam neceſſarium ſit ea, quæ in hoc univerſo exiſtunt, ſpectari inter ſe connexa, ſiquidem divinitatem ex operibus creationis cognoſcere volueris. Etenim ſi ſingula tantummodo in ſe ſpectentur, fieri non poteſt, ut Dei ſapientiam, bonitatem, omniſcientiam & rationem ſummam loquantur (§. 818). Nexu rerum univerſali Deus utitur tanquam medio certiſſimo per opera creationis nobis manifeſtandi ſapientiam, bonitatem & rationem ſummam una cum omniſcientia. Medium vero hæc Dei attributa ſane pulcherrima & ea, quorum cognitio multiplici modo in praxin influit, patefaciendi cum fatali neceſſitate unum idemque non eſt, quemadmodum nugantur, qui ignarorum credulitate in rem ſuam abutuntur.

§. 820.

Quomodo totus mundus Deum repræſentet.

Mundus totus adſpectabilis Deum repræſentat tanquam ens æternum, quod neceſſario exiſtit, intellectu & voluntate liberrima atque omnipotentia præditum, ſapientia ac bonitate ſumma, omniſcientia & ratione maxima inſtructum. Etenim mundus hic adſpectabilis eſt ſpeculum æternitatis (§. 815) ac neceſſariæ exiſtentiæ Dei (§. 799), intellectus non minus (§. 802) atque liberrimæ voluntatis (§. 804), quam omnipotentiæ ejuſdem (§. *cit.*), nec non ſapientiæ (§. 806), bonitatis (§. 809), omniſcientiæ (§. 811) & rationis ſummæ, quibus effulget (§. 813). Quoniam itaque ens aliquod eſt ſpeculum rei alterius, quatenus per ea, quæ ipſi inſunt, pervenitur ad cognitionem eorum, quæ inſunt alteri (§. 784), & eatenus rem alteram repræſentat; mundus totus adſpectabilis Deum repræſentat tanquam ens æternum, quod neceſſario exiſtit, intellectu & voluntate liberrima atque omnipotentia præditum, ſapientia & bonitate ſumma, omniſcientia & ratione maxima inſtructum.

Hæc quidem de repræſentatione Divinitatis in mundo hoc adſpectabili tanquam in ſpeculo conſequuntur ex ſuperioribus: neque enim plura in anterioribus demonſtrata ſunt. Non tamen ideo negatur, non plus Divinitatis in mundo repræſentari: ſed methodi leges jubent, ut cetera tradantur ſuo loco, ubi demonſtrari poſſunt. Si quis enim ea propoſitioni præſenti jungit, ubi vi demonſtrationis aſſenſu firmo eadem amplectitur; repræſentationem Divinitatis in mundo tanquam in ſpeculo efficiet pleniorem.

§. 821.

Auctor naturæ quinam dicatur.

Auctor naturæ dicitur, qui naturam fecit.

Nimirum quemadmodum auctor ordinis naturæ denotat eum, qui naturæ ordinem conſtituit (§. 762); ita quoque naturæ auctor dicendus, qui fecit, ut natura detur.

§. 822.

Quinam ſit auctor naturæ.

Auctor naturæ Deus eſt. Natura enim univerſa eſt aggregatum omnium virium motricium, quæ corporibus in mundo coexiſtentibus ſimul ſumtis inſunt (§. 507 *Coſmol.*). Enimvero vis activa ſive motrix corporum ex ſubſtantiis ſimplicibus reſultat (§. 180 *Coſmol.*), adeoque ex elementis corporum (§. 182 *Coſmol.*), quatenus ſcilicet anima eas ſibi confuſe repræſentat (§. 110 *Pſychol. rat.*), conſequenter poſitis elementis corporum & ipſa ponitur. Quamobrem naturam fecit, qui elementa corporum produxit. Enimvero elementa rerum materialium Deus produxit (§. 758). Ipſe igitur etiam naturam rerum fecit. Quamobrem cum auctor naturæ dicatur, qui naturam fecit (§. 421); Deus naturæ auctor eſt.

Cum creatio ſit productio ex nihilo (§. 697 *Pſychol. rat.*); proprie loquendo Deus naturam non creavit; ſed creavit ſubſtantias, quibus natura ineſt, atque hoc modo Auctor naturæ factus. Hinc & communiter non dicitur creator naturæ; ſed naturæ auctor. Et hinc Scholaſtici Naturam rerum, quæ datur in hoc univerſo, dicunt *naturam naturatam* in oppoſitione ad Deum, quem *naturam naturantem* appellant. Malim tamen Deum appellari auctorem naturæ, quam naturam naturantem. Etſi enim terminus commode explicari poſſit, ne errori locum dare queat; qui tamen res & terminos a ſe invicem diſtinguere non didicere, dictione facile offenduntur: quod offendiculum cum evitari poſſit, evitandum utique videtur. Ceterum ut appareat, quo ſenſu Deus dici poſſit natura naturans, & natura rerum in hoc univerſo natura naturata; noſtrum eſſe videtur, ut explicetur diſtinctius. Nimirum cum Deus ex nihilo produxerit mundum hunc adſpectabilem (§. 759); quin vi activa polleat dubitandum non eſt. Quoniam itaque principium internum actionum dici ſuevit natura (§. 145 *Coſmol.*); quin Deo quoque ob vim activam, qua pollet, tribuenda ſit natura, dubitandum non eſt. Enimvero natura rerum ponitur poſitis elementis rerum materialium, ſubſtantiis ſimplicibus, quemadmodum modo vidimus. Quamobrem cum Deus produxerit iſta elementa, quibus vis activa ineſt, vi ſua activa (§. 758); natura divina naturam indidit elementis & per ea huic mundo, atque hoc pacto mundum termino Scholaſticorum naturavit: ut adeo natura divina ſit naturans, natura vero mundi naturata. Hoc modo ſibi concepere Scholaſtici dependentiam naturæ rerum a natura divina, abſque ullo ſane errore, modo nihil imaginarii admiſceas, quod per notiones diſtinctas ſubſiſtere non poteſt. Etſi autem ſubſtantia non ſit natura; cum tamen ſubſtantia appareat (§. 508 *Coſmol.*); quatenus apparet, a Deo creata dicitur ab iis, qui apparentia a realibus non diſtinguunt. Atque adeo patet, quo ſenſu Deus appelletur creator naturæ, & natura viciſſim creatura.

§. 823.

Quomodo natura in creatione facta.

Deus mundum hunc adſpectabilem creavit & naturam fecit uno eodemque actu. Etenim mundum hunc adſpectabilem creavit, dum hæc non alia elementa rerum materialium ad actum perduxit (§. 764). Enimvero fecit quoque naturam univerſam, dum hæc elementa ad actum perduxit, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet. Patet igitur Deum hunc mundum adſpectabilem creaſſe, atque naturam rerum feciſſe uno eodemque actu.

§. 824.

§. 824.

Naturæ & Dei diverſitas.

Natura in hoc univerſo diverſa eſt ab omnipotentia Dei. Natura enim rerum conſiſtit in vi motrice, quæ omnibus corporibus per totum hunc mundum adſpectabilem diſpoſitis ineſt (§. 507 *Coſmol.*), conſequenter cum vis motrix ex ſubſtantiis ſimplicibus reſultet (§. 180 *Coſmol.*), tandem tota ad eam vim redit, quæ elementis rerum materialium inexiſtit (§. 196 *Coſmol.*). Enimvero hæc vis, quæ ineſt elementis, non eſt eadem cum omnipotentia Dei, quæ ipſi competit (§. 349). Eſt igitur ab eadem diverſa.

Patet itaque, qui vim activam elementis rerum adimunt, & in iiſdem nihil agnoſcunt præter extenſionem quandam uniformem, Deo autem tanquam auctori tribuunt omnem motum, a potentia ipſius in caſu quolibet immediate arceſſendum, naturam rerum tanquam idolum proſcribentes, quod natura rerum differat a Deo, oſtendere minime poſſe; ſed differentiam potius ſumere, quam probare. Enimvero per noſtram elementorum theoriam naturæ a Deo diverſitas liquida eſt, & Deus tamen ejus auctor agnoſcitur per actum creationis, utut proprie dici non poſſit creata, niſi vim ad ipſam ſubſtantialitatem referre volueris in compoſito, quemadmodum utique referri debet in ſimplici, vi ipſius definitionis ſubſtantiæ (§. 768 *Ontol.*), utpote perdurabilis & modificabilis (§. 724 *Ontol.*). Nulla adeo ſtante iſta theoria metuenda eſt Dei atque Naturæ confuſio, nec verendum, ne natura a Deo fiat independens & Numen aliquod vicarium aut ſocium evadat.

§. 825.

Quomodo Deus naturæ leges præſcripſit.

Deus naturæ leges præſcripſit ab eſſentia corporum minime pendentes, quatenus produxit elementa, quibus inſunt vires hoc, non alio modo modificabiles. Cum enim ex demonſtratione propoſitionis præcedentis pateat, naturam rerum tandem redire ad vim activam elementorum; natura in agendo alias leges obſervare nequit, quam quæ ex modo, quo vires activæ in elementis modificantur, reſultant. Quamobrem Deus effecit, ut natura rerum has in agendo obſervaret leges, quatenus produxit elementa, in quibus vis activa hoc modo, non alio modificatur. Jam vero corpora ſunt elementorum aggregata (§. 176 *Coſmol.*), & aggregata fiunt extenſa, quatenus extra ſe invicem exiſtunt & uniuntur (§. 221 *Coſmol.*). Quamobrem cum in genere de elementis rerum materialium, non ſpectata eorum, quæ actu datur, differentia ſpecifica, evicerimus, ea extra ſe invicem exiſtere (§ 219 *Coſmol.*) ac unita eſſe (§. 220 *Coſmol.*), quin alia quæcunque elementa extra ſe invicem exiſtere debeant, ſi a Deo producerentur, & inter ſe uniri poſſint, dubitari nequit, conſequenter extenſio non modo oritur ex aggregatione horum elementorum, verum etiam oriri poterat ex aggregatione elementorum aliorum. Quoniam itaque extenſio non dependet a modo, quo vires elementorum modificantur, conſequenter a differentia ſpecifica eorundem, ab eadem vero dependent leges, quas natura in agendo obſervat; leges quoque iſtæ in extenſione rationem ſufficientem minime habent (§. 851 *Ontol.*). Jam vero corporis eſſentia conſiſtit in modo, quo partes tales, non aliæ junguntur (§. 140 *Coſmol.*); conſequenter ad modificationes extenſi tota redit. Leges adeo, juxta quas operatur natura, rationem nullam agnoſcunt in eſſentia corporum *per demonſtrata*. Deus igitur naturæ præ-

ræ præſcripſit leges ab eſſentia corporum minime pendentes, quatenus produxit rerum materialium elementa, quibus inſunt vires hoc modo modificabiles, non alio.

Ex propoſitione præſente intelligitur, quomodo natura agat ſecundum leges ipſi a Deo præſcriptas. Etenim cum alii mundi poſſibiles ſint præter hunc adſpectabilem (§. 101 *Coſmol.*), quos Deus omnipotentia ſua ad actum perducere poterat (§. 342), ſi vero alius exiſtere deberet mundus, elementa alia exiſtere deberent (§. 370 *Coſmol.*); quin Deus alia elementa creare potuiſſet dubitandum non eſt. Quodſi vero produxiſſet elementa alia, in quibus aliæ inextitiſſent vires alio modo modificabiles; natura quoque alias in agendo obſervaret leges. Atque hoc pacto patet, quomodo hæ leges naturæ, quas nunc obſervat, non ſint neceſſariæ, utut his elementis exiſtentibus natura ſecundum alias leges agere nequeat. Et hoc pacto ſimul liquet, quomodo Deus corporibus alium imponere potuerit ordinem juxta doctrinam *D. Thomæ*. Cum enim ex elementorum quorumcunque unione prodeant extenſa; elementis quibuſcunque productis oritur materia, quæ extenſa eſt & cujus diverſa modificatione per figuras atque ſitus producuntur corpora. Quoniam vero vires elementorum quoad modificationum leges a ſe invicem differre debent; natura ejuſque leges variari debent pro varietate elementorum. Quamobrem cum ordo naturæ legibus motus contineatur (§. 559 *Coſmol.*), quas ex modo, quo modificantur vires elementorum, reſultare debere e demonſtratione præſentis propoſitionis patet; ideo rebus creatis alius impoſitus fuiſſet ordo, ſiquidem Deo alia elementa producere viſum fuiſſet. Per noſtram adeo elementorum theoriam a priori patet, quæ quomodo intelligibili modo (quod eſt philoſophi) per alia principia explicari poſſint, non liquet. Ineſt rebus creatis agendi neceſſitas, agunt tamen ex liberrima Dei voluntate ſic & non aliter. Et hoc modo contingentia rerum a libertate voluntatis divinæ derivatur, quæ in rebus creatis deprehenditur.

§. 826.

Quomodo leges naturæ a Deo præſcriptæ.

Deus naturæ leges præſcripſit in prima rerum creatione. Etenim Deus naturæ leges præſcripſit, dum elementa rerum materialium produxit, quibus inſunt vires hoc & non alio modo modificabiles (§. 825), conſequenter tum eas præſcripſit, cum elementa iſta produceret. Enimvero Deus hunc mundum adſpectabilem & hæc in eodem corpora produxit, dum hæc, non alia rerum materialium elementa ad actum perduxit (§. 764), conſequenter cum mundum adſpectabilem creaverit (§. 760), ipſo creationis actu elementa rerum materialium ad actum perduxit. Præſcripſit igitur naturæ leges, quas in agendo obſervare tenetur, in prima rerum creatione.

Unde patet a primo creationis momento naturam rerum egiſſe juxta eas, quas in agendo obſervare tenetur, leges, quo ſcilicet naturæ ordo cœpit (§. 761).

§. 827.

Cur natura leges a Deo præſcriptas violare nequeat.

Natura rerum leges a Deo ipſi præſcriptas obſervare tenetur in agendo. Etenim Deus naturæ præſcripſit leges, quatenus produxit elementa, quibus inſunt vires hoc & non alio modo modificabiles (§. 825). Quoniam igitur leges naturæ præſcriptæ in elementis rationes ſufficientem habent (§. 56 *Ontol.*), atque adeo his poſitis ponuntur (§. 118 *Ontol.*); natura quoque agere nequit niſi juxta leges a Deo ipſi præſcriptas, ſeu, quod perinde eſt, eas in agendo obſervare tenetur.

Ab hiſce legibus naturæ, quas Deus in prima ſtatim rerum creatione eidem præſcripſit, & quas ipſa violare neſcit, pendet immutabilitas ſcientiæ naturalis. Etenim quemadmodum natura rerum egit in prima rerum creatione; ita quoque hodie agit. Quamobrem cum per naturam ad actum perducantur, quæ per eſſentias rerum poſſibilia ſunt, inviolabili quodam ordine, quod initio creationis verum erat, idem etiam verum hodie

eſt;

Digitized by Google

eſt; verum erit, quamdiu mundus hic ſubſiſtet, quoad facta ſcilicet, ſeu ſingularia in mundo contingentia. Alias enim conſtat, veritatem omnem in ſe ſpectatam eſſe æternam & manere æternam. Ita ab æterno verum fuit frigore in glaciem concreſcere aquas & in æternum verum manebit. Quamdiu autem mundus hic adſpectabilis ſubſiſtit, verum eſt, quod aquæ actu frigore ſuo conſtanter tempore in glaciem ſint concretura & quod eadem cauſa idem producatur effectus. Non alia igitur Phyſica opus habemus noſtro tempore, quam quæ fuit in prima ſtatim rerum creatione, ad effectus naturæ explicandos, & quæ hodie ſufficit, eadem ſufficiet per omne tempus futurum.

§. 828.

Conſtantia ordinis & curſus naturæ.

Quamdiu hic mundus adſpectabilis durat, idem naturæ ordo conſervatur & curſus naturæ idem eſt. Cum enim ordo naturæ contineatur regulis motus (§. 559 *Coſmol.*), adeoque legibus motus nitatur (§. 303 *Coſmol.*), Deus vero haſce leges naturæ præſcripſit, quatenus produxit elementa, quibus inſunt vires hoc modo, non alio modificabiles (§. 825); naturæ ordo tamdiu conſervari debet idem, quamdiu hæc elementa ſubſiſtunt. Produxit vero Deus hunc mundum adſpectabilem & hæc in eodem, non alia corpora, dum hæc, non alia elementa ad actum perduxit (§. 764), adeoque hic mundus adſpectabilis tamdiu ſubſiſtit, quamdiu hæc elementa rerum materialium ſubſiſtunt. Patet itaque eundem naturæ ordinem conſervari, quamdiu mundus hic adſpectabilis durat.

Idem etiam hoc modo oſtenditur. Deus conſtituit naturæ ordinem, dum hæc, non alia rerum materialium elementa produxit (§. 761). Tamdiu igitur conſervatur, quamdiu hæc elementa ſubſiſtunt. Unde patet, ut ante, ordinem naturæ tamdiu ſubſiſtere debere, quamdiu hic mundus adſpectabilis durat.

Poterat etiam probari hoc modo. Si alius eſſe debet ordo naturæ, alia exiſtere debent elementa (§. 569 *Coſmol.*), nec minus alia requiruntur elementa, ſi alius exiſtere debet mundus (§. 570 *Coſmol.*). Quamobrem hiſce exiſtentibus elementis, & hic mundus adſpectabilis exiſtit, & hic datur ordo naturæ. Quamdiu itaque mundus adſpectabilis durat, tamdiu quoque idem naturæ ordo conſervatur. *Quod erat primum.*

Quamdiu mundus hic adſpectabilis durat, hæc quoque corpora, non alia exiſtunt (§. 119 *Coſmol.*), nec exiſtere poſſunt (§. 97 & ſeqq. *Coſmol.*), & idem conſervatur naturæ ordo *per primam hujus.* Quoniam itaque quod naturaliter fit in hoc mundo adſpectabili, rationem ſufficientem in eſſentia & natura corporum agnoſcit (§. 509 *Coſmol.*); quamdiu hic mundus adſpectabilis durat, omnia in eodem conſequuntur iiſdem eſſentiis & eidem naturæ ordini convenienter. Quamobrem cum curſus naturæ ſit eventuum eſſentiis corporum atque naturæ eorundem conformis conſecutio (§. 567 *Coſmol.*), adeoque idem maneat, corporibus iiſdem & naturæ ordine eodem manentibus; quamdiu hic mundus adſpectabilis durat, curſus naturæ idem eſt. *Quod erat ſecundum.*

Inde eſt, quod curſui naturæ conforme ſumatur, quod conſtanter fieri obſervamus, etiamſi idem a priori demonſtrare minime valeamus, & hinc porro concludamus, idem

poſthac

Digitized by Google

poſthac conſtanter ad finem uſque mundi futurum. Ita conſtat, homines & animalia propagari per generationem, nec ullum allegari poteſt exemplum in contrarium. Hic adeo modus propagandi hominum & animalium curſui naturæ conformis dicitur, etiamſi a nobis demonſtrari non poſſit impoſſibilitas ortus hominis vel animalis abſque generatione. Unde citra ullam hæſitationem affirmamus, homines & animantia bruta ſemper per generationem fuiſſe propagata & in poſterum propagatum iri ad finem uſque mundi. Similiter quia experientia conſtat, homines pariter atque animantia utriuſque ſexus ſemper fuiſſe genita eo numero, ut nec hominum genus, nec ulla animantium ſpecies defectu ſexus alterutrius interierit; naturæ curſui conforme ſumitur generatio hominum & animantium utriuſque ſexus eo numero, qui & humano generi, & animantium cuilibet ſpeciei conſervandæ ſufficit. Atque ita affirmamus non eſſe verendum, ne defectu alterutrius ſexus vel genus humanum, aut animantium aliqua ſpecies intereat, vel ſaltem numerus individuorum veluti ad interitum vergente ſpecie notabiliter decreſcat. Continuam eſſe noctium atque dierum, hiemis atque æſtatis viciſſitudinem, nemo non obſervat &, quantum per monumenta hiſtorica patet, ſemper fuiſſe conſtat. Unde hanc viciſſitudinem curſui naturæ conformem judicamus & fiduciæ hujus judicii porro pronuntiamus, fore eam in poſterum quoque perennem.

§. 829.

Interitus mundi.

Mundus hic adſpectabilis interire nequit, niſi per annihilationem. Conſtat enim mundus ex corporibus (§. 119 *Coſmol.*), quæ cum ſint ſubſtantiarum ſimplicium aggregata (§. 176 *Coſmol.*); mundus interire nequit niſi ſubſtantiis ſimplicibus iſtis intereuntibus. Enimvero ſubſtantia ſimplex interire nequit niſi per annihilationem (§. 698 *Ontol.*). Quamobrem nec mundus hic adſpectabilis interire poteſt niſi per annihilationem.

Corpora intereunt & oriuntur citra cujoſpiam annihilationem, vel ex nihilo productionem (§. 125 *Coſmol.*), ſive creationem (§. 697 *Pſychol. rat.*). Unde uno corpore intereunte ſubſtantiæ ſimplices, quibus aggregatis ortum fuerat, ſuperſtites remanent, & ſic nova aggregatione oritur corpus aliud. Hinc curſui naturæ conforme pronuntiarunt veteres (§. 828), quod unius corruptio ſit alterius generatio. Quamvis ergo ſumas, quod tamen probare non potes per ea, quæ hodie nobis cognitæ ſunt, faciem mundi hujus adſpectabilis mutari in aliam, quam nunc habet, ita ut prodeat mundus externa ſpecie ab eo, qui nunc exiſtit, prorſus diverſus; cum tamen iſta transformatio rationem ſufficientem habere debeat in elementis rerum, mundus vero contineat omnem ſucceſſivorum ſeriem per modificationes elementorum explicabilem; mundus aliam a præſente faciem referens non erit ab hoc, qui exiſtit, diverſus, iſta mutatione & eo, quod per eam ſequitur, ad præſentem pertinente. Si excipias omnipotentia Dei alium effici mundum adſpectabilem; cum præſentia elementa alio modo exiſtere nequeant (§. 372 *Coſmol.*), neceſſe eſt ut a Deo annihilentur & ejus loco producantur elementa alia ab hiſce diverſa. Deſinit igitur mundus per annihilationem & alius ex nihilo producitur, adeoque novus a Deo creatur (§. 697 *Pſychol. rat.*). Nulla igitur eſt objectio, cum veritatem propoſitionis præſentis confirmet, nullo autem pacto infirmet.

§. 830.

Elementorum conſtans conſervatio.

Si corpus interit, nullum elementum rei materialis interit. Etenim corpus interit citra cujuſpiam annihilationem (§. 125 *Coſmol.*). Enimvero elementa rerum materialium ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), adeoque interire nequeunt, niſi per annihilationem (§. 698 *Ontol.*). Quando igitur corpus interit, elementum nullum rei materialis interit. Imo cum mundus ſit ſeries rerum ſimultanearum & ſucceſſivarum inter ſe connexarum (§. 55 *Coſmol.*), nexus vero rerum materialium a nexu elementorum pendeat (§. 205 *Coſmol.*), hic autem in ipſis elementis rationem ſufficientem agnoſcat, tum quatenus ſimul exiſtunt, tum quatenus hoc potius modo, quam alio coexiſtunt; ſalva hac rerum ſerie, conſequenter ſalvo

mundo

Digitized by Google

mundo adſpectabili, nullum elementum annihilari poſſe intelligitur. Quamobrem nec fingi poteſt, quod Deus in interitu corporum elementa quædam annihilet. Atque adeo tanto clarius patet, in corporum interitu elementum nullum annihilari.

Conceſſum eſt a Philoſophis in Corporum corruptione nihil annihilari, ſed mixta tantummodo reſolvi, cum nec experientia aliud inſinuet, nec ratio ulla ſuadeat. An vero aliunde, quam ex noſtra elementorum & nexus univerſalis theoria idem eadem evidentia demonſtrari poſſit, aliis dijudicandum relinquo. Nimirum vulgo materia habetur pro ipſo ſubſtantiali rerum corporearum, ac ideo ſtatuitur, nihil materiæ interire in corporum interitu. Sed præſtat ex noſtris notionibus ſingula evolvi diſtinctius, ut pleniſſima iiſdem lux affundatur.

§. 831.

Conſervatio ſubſtantialis in corporum interitu.

Quoniam in corporibus nihil datur ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*), rerum materialium elementa (§. 182 *Coſmol.*), in corporum vero interitu nullum elementum rei materialis interit (§. 830); *in corporis interitu nihil ſubſtantiale perit.*

Inſtar axiomatis hoc jam dudum receptum eſt a Philoſophis, quod experientiæ conſonum judicarent. Firmior tamen eſt aſſenſus, ubi demonſtratio a priori accedit.

§. 832.

Elementorum novorum ortus deſtructus.

In ortu corporum nullum elementum rei materialis oritur. Etenim corpus oritur citra cujuſpiam ex nihilo productionem (§. 125 *Coſmol.*). Enimvero elementa rerum materialium cum ſint ſubſtantiæ ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), oriri nequeunt, niſi ex nihilo producantur (§. 691 *Ontol.*). Quando igitur corpus aliquod oritur, nullum rei materialis elementum oritur. Patet vero ut ante (§. 830), nec fingi poſſe, quod Deus in ortu corporum elementa nova ex nihilo producat. Quamobrem extra omnem dubitationem poſitum eſt, in ortu corporum nullum elementum rei materialis oriri.

Conceſſum eſt a Philoſophis in ortu corporum nihil a Deo creari, ſeu ex nihilo produci, quia obſervarunt, naturam tantum miſcere materias diverſas & corpuſcula mixtorum unire, ut prodeant corpora.

§. 833.

Conſervatio ſubſtantialis in ortu corporum.

Quoniam in corporibus nihil datur ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*), rerum materialium elementa (§. 182 *Coſmol.*), in ortu corporum vero nullum elementum rei materialis oritur (§. 832); *in corporis ortu nihil ſubſtantiale producitur.*

Inſtar axiomatis jam dudum hoc ſumſere philoſophi freti experientia, de qua modo diximus (*not. §. præced.*). Notandum vero hic eſt, quod de ſubſtantiali in corporis interitu non pereunte annotavimus (*not. §. 831*).

§. 834.

Cur Deus hodie nil creet.

Deus hodie nihil amplius creat, nec creabit quicquam, quamdiu hic mundus adſpectabilis exiſtet. Series enim ſucceſſivorum, quæ ingreditur hunc mundum adſpectabilem (§. 55 *Coſmol.*), non continet niſi corpora, quorum unum interit, alterum oritur, & modificationes ejuſdem corporis per aliquod temporis intervallum durantis: id quod experientia conſtat. Enim-

Digitized by Google

vero in ortu corporum nullum elementum oritur (§. 832), conſequenter ſubſtantia nulla ſimplex (§. 182 *Coſmol.*), adeoque nihil ex nihilo producitur (§. 691 *Ontol.*). Quamobrem patet, in corporum ortu nihil creari (§. 697 *Pſychol. rat.*). Quod in interitu corporum nihil creetur novi per ſe patet. Modificationes vero corporum exiſtentium & per aliquod temporis intervallum durantium non ſunt niſi variationes limitationum (§. 830 *Ontol.*), neque ideo quicquam in iiſdem ex nihilo producitur (§. 833 *Ontol.*), conſequenter nihil in iiſdem creatur (§. 697 *Pſychol. rat.*). Quamobrem hodie nihil amplius creatur. Competit vero potentia creatrix ſoli Deo (§. 767). Quamobrem patet, Deum hodie nihil amplius creare.

Enimvero quæ hodie datur ratio, cur Deus nihil amplius creet, eadem ſubſiſtit, quamdiu mundus hic adſpectabilis ſubſiſtet; & quod futurum eſt tempus, erit aliquando perinde ac hoc præſens. Quamobrem cum poſita ratione ſufficiente, cur quid ſit potius, quam non ſit, ponatur etiam id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); quamdiu mundus hic adſpectabilis exiſtet, ponetur non creatio rerum, aut ſi mavis, ceſſatio creationis. Deus itaque nihil creabit, quamdiu hic mundus adſpectabilis exiſtit.

Idem etiam probari poteſt hoc modo. Totus mundus hic adſpectabilis ens unum eſt (§. 60 *Coſmol.*), cui adeo nihil demi poteſt, ſalva ejus eſſentia: id quod etiam ex immutabilitate eſſentiæ claret (§. 300 *Ontol.*). Jam eſſentia mundi & natura ſunt medium, quibus finem per ejus creationem intentum conſequitur Deus (§. 645). Quamobrem cum per mundi hujus adſpectabilis exiſtentiam finem a ſe intentum ex aſſe conſequatur (§. 621); non opus habet, ut nova creatione in hanc ſeriem rerum quicquam intrudat, & alia in eadem exiſtentia annihilet, conſequenter mundi partem ſecuturam diverſam efficiat ab ea, quæ reſpondet mundo a ſe creato. Quamobrem cum Deus ſit ſapientiſſimus (§. 640), ſapiens vero contra finem, quem intendit, nil agit (§. 678 *Pſychol. rat.*); ideo patet, Deum hodie nil amplius creare, nec quicquam in poſterum creaturum, quamdiu hic mundus adſpectabilis exiſtit.

Conſentiunt non modo philoſophi, qui ſumunt experientiæ fiducia nihil hodie amplius creari, poſtquam mundus ad actum perductus omnipotentia divina; verum etiam Theologi, qui Sacræ Scripturæ auctoritate idem defendunt *Gen.* II. 2, cum qua principia noſtra mirifice conſentiunt.

§. 835.

Quamdiu eadē elementa ſubſiſtāt.

Quamdiu mundus hic adſpectabilis durat, eadem ſemper elementa rerum materialium ſubſiſtunt. Cum enim mundus hic adſpectabilis ens unum ſit (§. 60 *Coſmol.*), & conſtet ex corporibus (§. 119 *Coſmol.*), quæ non ſunt niſi elementorum alio modo coexiſtere minime valentium (§. 571 *Coſmol.*) aggregata (§. 176 *Coſmol.*); hæc elementa ita ad conſtitutionem hujus mundi per-

di pertinent, ut nulla abeſſe, nec alia adeſſe poſſint, ſalva mundi hujus adſpectabilis eſſentia (§. 345 *Ontol.*). Quamobrem eadem elementa rerum materialium ſubſiſtere debent, quamdiu mundus hic adſpectabilis durat.

Nimirum mundus quilibet ex elementis aggregatur, quemadmodum numerus ex unitatibus, ſed ſalva differentia in modo aggregandi, qui utique longe alius in unitatibus numerum componentibus, quam in elementis rerum materialium, vi differentiæ unitatis numericæ & unitatis phyſicæ, ſeu elementi rerum materialium, quam integro capite expoſuimus in Coſmologia (§. 196 & ſeqq.). Quemadmodum itaque ſalvo numero nulla unitas demi, nec ulla addi poteſt; ita & fieri nequit, ut aggregato elementorum, ex quorum mutationibus intrinſecis reſultat mundus ſenſibilis, ullum elementum accedat, vel ab eodem demartur. Et quemadmodum in numero concreto unitates ſunt entia dati generis vel datæ ſpeciei, nec quædam unitates demi & aliæ, quæ ſunt entia alterius generis vel ſpeciei, in eorum locum ſuccedere poſſunt; ita nec in mundo adſpectabili, elementorum dati generis dataque ſpeciei aggregato, ullum elementum, quod adeſt, abeſſe; nec aliud, quod abeſt, adeſſe poteſt. Non igitur mirum, quod eadem ſemper ſubſiſtere debeant elementa, quamdiu idem mundus adſpectabilis durat. Qui vel atomos materiales pro elementis corporum, vel certam quandam materiæ quantitatem pro elementari venditant; propoſitionem præſentem ideo concedere tenentur, quod hæc materiæ quantitas, vel hæc atomorum materialium congeries ſufficiat generationibus & corruptionibus corporum & conſtitutioni corporum perennium, ſeu, ut verbo dicam, omnibus mundi phænomenis exhibendis. Enimvero non tanta evidentia, qua in noſtra elementorum theoria, patet quod alia elementa hiſce, quæ exiſtunt, ſuper accedere nequeant, cum ceſſet omnis ratio objectiva: id quod & in aliis propoſitionibus liquet, ubi ex natura elementorum procedit demonſtratio.

§. 836.

Cur in mundo nihil annihiletur.

Nihil annihilatur, quamdiu mundus hic adſpectabilis exiſtit. Quamdiu enim mundus hic adſpectabilis durat, eadem ſemper elementa rerum materialium ſubſiſtunt (§. 835), adeoque nullum eorum interit (§. 541 *Ontol.*). Quamobrem cum elementa rerum materialium ſint ſubſtantiæ ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), quæ adeo interire nequeunt, niſi annihilentur (§. 698 *Ontol.*); corporum interitu nihil annihilatur, quamdiu mundus hic adſpectabilis exiſtit. Intereunt vero corpora citra cujuſpiam annihilationem (§. 125 *Coſmol.*), nec in modificationibus quidpiam annihilatur (§. 833 *Ontol.*). Quamobrem cum nullus interitus poſſibilis intelligatur in mundo adſpectabili niſi vel elementorum, vel corporum inde aggregatorum, vel limitum, qui in modificationibus variantur (§. 830 *Ontol.*); ideo liquet, quamdiu hic mundus adſpectabilis durat, nihil prorſus in eodem annihilari.

Propoſitio hæc jam dudum probata & a philoſophis & Theologis, qui ut novam rerum creationem, ita & ullius exiſtentis annihilationem improbarunt, ſed fiducia experientiæ, quod in corporum interitu compoſita dividi & mixtum reſolvi obſervarent, quemadmodum ex adverſo omnia generari & augmentari experiebantur ex materia præexiſtente.

§. 837.

Immutabilitas naturæ.

Natura rerum non mutatur, ſed eadem ſemper manet, quamdiu hic mundus adſpectabilis durat. Cum enim natura rerum ſit aggregatum omnium virium motricium, quæ corporibus in mundo exiſtentibus ſimul ſumtis inſunt (§. 507 *Coſmol.*), vis motrix vero ex ſubſtantiis ſimplicibus, cor-

porum elementis (§. 182 *Coſmol.*), reſultet (§. 180 *Coſmol.*); natura rerum tamdiu eadem manere debet, quamdiu elementa rerum materialium ſubſiſtunt. Enimvero elementa eadem ſubſiſtunt, quamdiu hic mundus adſpectabilis durat (§. 835). Quamobrem & natura rerum eadem ſemper manet, nec mutatur adeo (§. 290 *Ontol.*), quamdiu hic mundus adſpectabilis durat.

Quæ igitur a prima creatione ſeu primo rerum principio fuit natura, eadem adhuc eſt & erit in poſterum. Cumque ideo conſtanter ſit naturæ ordo (§. 828), ordo vero naturæ regulis motus contineatur (§. 559 *Coſmol.*); natura quoque ſemper agit eodem modo. Et quia Deus naturæ leges præſcripſit in prima ſtatim creatione rerum (§. 826), nec ea has violare in agendo poteſt (§. 827); verendum minime eſt, ne minima quoad eam accidat mutatio. Neque enim Deus præſcripſit eidem leges, niſi quas ab æterno ab eadem obſervari decrevit (§. 504), ut adeo nulla ſit ſuſpicio, num forſan Deus naturam rerum immutet, quem potius ejus, quod decrevit & decreto convenienter fecit, pœnitere nequit (§. 510).

§. 838.

An natura ſenio langueſcat.

Quoniam natura rerum non mutatur, ſed eadem ſemper manet, quamdiu hic mundus adſpectabilis exiſtit (§. 837), tamdiu quoque ordo naturæ conſervatur (§. 828), conſequenter eædem ſemper ſubſiſtunt regulæ motus (§. 559 *Coſmol.*), adeoque & leges (§. 303 *Coſmol.*) ab eadem in agendo violari neſciæ (§. 827); *naturæ vires nunquam deficere, nec ipſa quaſi ſenio langueſcere poteſt.*

Qui obſervarunt, naturam corporis humani ſenio langueſcere, viribus continuo magis magiſque deficientibus, cum naturam univerſam non cognoſcerent, ſed nonniſi confuſam aliquam, ſi non prorſus obſcuram ejus ideam haberent, in eam ſuſpicionem delapſi ſunt, quaſi natura quoque mundi ſeneſcentis langueſcat, viribus ejus paulatim deficientibus. Enimvero quam ſit rationi contraria hæc opinio, ex anterioribus abunde conſtat. Nullo autem experimento, nulla obſervatione eandem firmari poſſe non minus certum eſt, cum a natura corporis humani ad naturam univerſam nulla ſit argumentatio, in corporis interitu nullo elemento pereunte (§. 830): quod utique fieri deberet, ſiquidem naturæ univerſæ aliqua accideret mutatio, quemadmodum ex iis intelligitur, quæ in demonſtratione propoſitionis præcedentis continentur.

§. 839.

An Deus vires naturæ reficere teneatur.

Quoniam *naturæ vires* nunquam deficiunt, *a Deo* quoque *per miraculum reficiantur opus non eſt.*

Qui ſtatuunt Deum ſubinde vires naturæ reficere teneri, eas quoque ſenſim ſenſimque deficere affirmant, adducti rationibus, quæ veræ naturæ notioni repugnant. Cum vero nullum virium deficientium indicium obſervent a poſteriori, ad earundem defectionem tanquam ad ſacram quandam anchoram confugere tenentur. Sed abjecte nimis ſentiunt de ſapientia & omnipotentia Dei, qui naturam ſubinde manu emendatrice opus habere ſtatuunt, ne in confuſionem ruant omnia, quemadmodum index horologii eget nonnunquam directione, ut bene indicet tempus. Quodſi vires naturæ ſubinde refici foret opus, id aliter fieri non poſſe, quam miraculi beneficio, & definitio miraculi loquitur (§. 510 *Coſmol.*), & ſimile ab horologio deſumtum declarat (§. 534 *Coſmol.*).

§. 840.

An creaturæ propria virtute exiſtentiam continuare poſſint.

Creatura exiſtentiam propria virtute continuare nequit. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, creaturam exiſtentiam, quam in creatione a Deo accepit (§. 777. 766), propria virtute continuare poſſe. Neceſſe igitur eſt, ut a creatione ipſi inſint ea, per quæ intelligi poteſt, cur potius exiſtat, quam non exiſtat. Quamobrem cum id, per quod intelligitur, cur quid potius ſit

quam

quam non ſit, ejus ratio ſufficiens ſit (§. 56 *Ontol.*); creaturæ a creatione rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ſe habent. Enimvero cum ratio eorum, quæ enti conveniunt, in alio contineri nequeat, quam in eſſentia rei, ſiquidem intrinſeca fuerit ratio (§. 168 *Ontol.*); ratio exiſtentiæ a creatione in eſſentia creaturæ continetur. Quamobrem cum enti a ſe proprium ſit, ut rationem exiſtentiæ ſuæ in eſſentia ſua habeat (§. 31); creatura per creationem convertitur in ens a ſe. Quod cum ſit abſurdum, quia ens a ſe & ab alio conſtanter quoad modum exiſtendi differre debent (§. 27); creaturæ exiſtentiam, quam in creatione a Deo accepere, propria virtute continuare nequeunt.

Idem etiam hoc modo oſtenditur. Propria virtute exiſtere, eſt attributum entis neceſſarii (§. 26). Quamobrem cum attributa ſint incommunicabilia (§. 45 *Pſychol. rat.*); fieri omnino nequit, ut enti contingenti, conſequenter huic mundo adſpectabili (§. 55), detur, ut propria ſibi virtute exiſtat. Quamobrem exiſtentiam propria virtute continuare nequit. Imo creatura omnis, propterea quod a Deo creata (§. 777), adeoque ad actum perducta eſt, cum antea non exiſteret (§. 766), ens contingens eſt (§. 310 *Ontol.*). Creatura igitur nulla exiſtenriam in creatione acceptam propria virtute continuare poteſt.

Equidem non deſunt, qui ſibi perſuadent, ſi quod ens a Deo fuerit creatum, id propria virtute deinceps exiſtere poſſe, ſeu, quod perinde eſt, exiſtentiam independenter a Deo perennare, quamdiu ſcilicet is voluerit; deſituram, ubi eandem Deus enti iterum adimere, ſeu ens, quod actu eſt, in nihilum redigere maluerit: attamen hoc pacto exiſtentia entis a ſe & entis ab alio, aut, quod perinde eſt, exiſtentia neceſſaria & contingens intrinſece non amplius differunt. Quemadmodum exiſtentia entis a ſe eſt independens, ita etiam exiſtentia entis contingentis erit independens a Deo. Creatura ſeſe habebit ad Deum, ſicuti horologium ad fabrum, quod non amplius ejuſdem indiget auxilio, ut exiſtentiam continuet, ubi ab ipſo fuerit perfectum. Quodſi excipias, hoc pacto creaturas, opera Dei, ſummi artificis, fore deterioris conditionis, quam opera hominum arte conſtructa; haud difficilis eſt reſponſio. Neque enim homo artifex exiſtentiam largitur horologio propria virtute continuandam, cum idem non ſubſiſtat niſi beneficio materiæ, quæ in mixtione ſua per naturam conſervatur. Unde horologium interit, ſi materia corrumpitur. Quamdiu hæc ſalva eſt, tamdiu quoque ipſum durat, cum adeſſe non poſſet, niſi materia exiſteret, ex qua fabrefactum. Ceterum propoſitio hæc coincidit cum illa *D. Thomæ*, quod Deus non poſſit creaturæ communicare, ut conſervetur in eſſe, ſua actione ceſſante, ſicut non poteſt ei communicare, quod non ſit cauſa illius. Nimirum virtute propria exiſtere ſeu in eſſe ſuo conſervari, nec ad hoc indigere vi alterius, & virtute propria non exiſtere aut in eſſe ſuo conſervari non poſſe, ſed ad hoc indigere vi alterius, ſunt duo contraria attributa. Unum eorum convenit enti a ſe, ex cujus notione fluit; alterum enti ab alio, ex cujus notione deduci nequit prius (§. 27). Attributum adeo entis a ſe communicare enti ab alio idem eſt, ac ens ab alio convertere in ens a ſe: quod propter eſſentiarum incommunicabilitatem utique abſurdum (§. 345 *Ontol.*). Refertur adeo a *D. Thomæ*, quemadmodum a nobis, dare alteri ut virtute propria exiſtat, inter impoſſibilia, quod adeo ne a Deo quidem fieri poteſt (§. 344).

§. 841.

Quoniam *creaturæ exiſtentiam* propria virtute continuare nequeunt (§. 840), eam vero, utpote a Deo creatæ (§. 777), a Deo accepere in principio rerum (§. 766); *neceſſe eſt ut virtute Dei eandem continuent*, conſequen- *Virtute Dei quomodo creaturæ exiſtant.*

ſequenter *Deus*, *quam in principio dedit creaturis exiſtentiam*, *eandem quoque dare pergit*, *quamdiu durant*.

Hoc pacto intelligitur, quam neceſſaria ſit Dei actio ad durationem mundi hujus adſpectabilis, & omnium eorum, quæ in eodem exiſtunt, conſequenter quomodo entis uniuſcujuſque actualitas ad Deum conſtanter ſit referenda, ita ut nullum fingi poſſit momentum, quo creatura carere poſſit creatore ſuo. Erit hoc uſui in Morum praxi: quamobrem neceſſe eſt, ut hic probe expendatur & lucida quadam idea memoriæ infigatur.

§. 842.

Conſervationis definitio.

Conſervatio eſt actio, qua rebus creatis datur, ut in eſſe ſuo perſeverent, ſeu ut exiſtere pergant.

Nimirum quemadmodum creatio eſt actio, qua quid ad actum perducitur, quod nonniſi poſſibile erat, adeoque poſſibili datur, ut exiſtat; ita conſervatio dici debet actio, qua datur poſſibili, ut *in* actu, ad quem perductum fuit, perſeveret, ſeu exiſtere pergat.

§. 843.

Creaturæ conſervatio.

Creatura nulla ſeipſam conſervare poteſt; ſed a Deo conſervetur neceſſe eſt. Etenim creatura nulla propria virtute exiſtentiam continuare valet (§. 840). Quamobrem nec in ipſa concipi poteſt actio, qua eidem datur, ut exiſtere pergat. Quoniam itaque hæc actio, qua creaturæ datur, ut exiſtere pergat, eſt conſervatio (§. 842); quod creatura nulla ſeipſam conſervare poſſit, patet. *Quod erat primum.*

Jam vero Deus exiſtentiam creaturæ dare pergit, quam in principio dedit (§. 841), conſequenter ipſius eſt actio, qua datur, ut exiſtere pergat. Quamobrem cum hæc ipſa actio ſit conſervatio (§. 842); creaturæ a Deo conſervantur, cumque ſeipſas conſervare nequeant *vi num.* 1, neceſſe eſt ut a Deo conſerventur. *Quod erat ſecundum.*

Equidem hæc propoſitio plana & perſpicua eſt, & admiſſis ac perſpectis anterioribus de ejus veritate nullum ſupereſt dubium: ne tamen in applicatione ad res particulares, quæ in hoc univerſo exiſtunt, dubia ſuboriantur; actus conſervatorius paulo uberius explicandus venit. Etenim id utile quoque erit in concurſu Dei ad actiones hominum, ut pateat, quomodo ſalva libertate Deus concurrat, & citra ullam culpam ad actiones quoque malas non minus concurrat, quam ad bonas.

§. 844.

Qualis actio ſit conſervatio.

Actio conſervationis & creationis in Deo non differunt. Etenim actio creationis in eo conſiſtit, quod Deus ad actum perducat ſubſtantias, nullo alio præexiſtente in eandem actualitatem influente (§. 766). Actio vero conſervationis itidem in eo conſiſtit, quod Deus ſubſtantiæ, quam ad actum perduxit, det ut exiſtere pergat (§. 843. 842) ſeu, quod perinde eſt, dare pergat exiſtentiam (§. 841), cum nec propria virtute eandem continuare poſſit (§. 840), nec ſit præter Deum, qui ad ejus continuationem quidpiam conferre valeat, quod per ſe patet. Actio igitur conſervationis & creationis in Deo non differunt.

Hodie quidem adhuc oriuntur corpora, quæ ante non aderant, intereuntibus aliis, quæ jam aderant. Quemadmodum vero in interitu corporis nihil ſubſtantiale perit (§. 831); ita nec in ortu corporum quicquam ſubſtantiale producitur (§. 833). Corpora autem in univerſo ſpectata non indigent conſervatione, niſi quatenus ſubſtantiale conſervatur. Quamobrem Deus pergit dare actualitatem ſubſtantiali, quemadmodum dare cœpit in prima rerum origine.

origine. Unde quoad Deum creatio & conſervatio non differunt; ſed una potius eademque actio ſunt.

§. 845.

Conſervatio cur ſit continuata creatio.

Quoniam actio conſervationis & creationis quoad Deum minime differunt (§. 844); *conſervatio continuata creatio eſt.*

Propoſitio hæc jam dudum probata Theologis, qui cum *D. Thoma* defendunt conſervationem rerum a Deo non fieri per aliquam novam actionem, ſed per continuationem actionis, qua dat eſſe, hoc eſt, creationis. Et nunc clarius adhuc patet, cur Deus etiam dicendus ſit creator corporum, quæ hodie gignuntur: id quod jam ſupra evicimus (§. 779). Ratio nimirum in ſuperioribus data hic ſingulari quadam ratione confirmatur.

§. 846.

Potentia conſervatrix cur Deo propria.

Potentia conſervatrix, qualis Deo competit, ipſi ſoli propria, naturæ rerum non competit. Quoniam enim actio creationis & conſervationis in Deo una eademque eſt (§. 844), ita ut hæc non ſit niſi continuatio prioris (§. 845); potentia quoque conſervatrix cum creatrice una eademque eſt. Quamobrem cum potentia creatrix ſoli Deo propria ſit, naturæ vero rerum competere nequeat (§. 767); potentia quoque conſervatrix ſoli Deo propria eſt, nec naturæ rerum competit.

Loquimur hic de conſervatione ſubſtantiarum, ſeu ejus, quod ſubſtantiale eſt in corporibus; non autem conſervatione corporum, qua corporum talium, quæ quemadmodum oriri ac interire poſſunt ſine ſubſtantiæ ejuſdem ortu (§. 833) atque interitu (§. 831), ita nec eo indigent actu conſervatorio, ut aliquamdiu perdurent, quo opus habet, quod in iiſdem ſubſtantiale eſt. Hæc probe tenenda ſunt, ne actum conſervationis divinum trahamus ad ea, quæ naturæ ſunt, nec ſcrupulis inanibus locum concedamus, ubi ab iiſdem prorſus liber eſſe poteſt animus. Quamobrem conſultum ducimus hæc declarare dilucidius.

§. 847.

Quomodo mundus & ordo naturæ a Deo conſervetur.

Deus mundum adſpectabilem & hæc in eodem corpora atque hunc naturæ ordinem conſervat, quatenus actum indeſinenter largitur hiſce rerum materialium elementis. Etenim Deus hunc mundum adſpectabilem & hæc in eodem corpora creavit (§. 764), atque hunc naturæ ordinem conſtituit, dum hæc elementa rerum materialium ad actum perduxit (§. 765), ſeu, quod perinde eſt, actualitatem iiſdem largitus eſt. Enimvero conſervatio nonniſi continuata creatio eſt (§. 845). Quamobrem Deus hunc mundum adſpectabilem & hæc in eodem corpora atque hunc naturæ ordinem conſervat, quatenus actum indeſinenter largitur hiſce rerum materialium elementis.

Quibus ex principiis coſmologicis ac iis, quæ in ſuperioribus de mundo intelligibili & ſenſibili dicta ſunt, perſpectum eſt, quomodo elementorum, quoad ſtatum internum continuo mutabilium, coexiſtentia conſtituatur mundus intelligibilis, ac inde oriatur ſenſibilis quoad nos; ii conſervationem hujus univerſi multo clarius percipient, quam qui hiſce notionibus vacuum poſſident animum. Etenim elementa rerum materialium, ſubſtantiæ ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), ſunt entia ab alio (§. 58), non vero entia a ſe (§. 52), adeoque exiſtere nequeunt, niſi virtute Dei mundum adſpectabilem conſervantis (§. 27. 843). Enimvero dum Deus omnipotentia ſua iiſdem continuo impertitur actum, quem per eſſentiam habere nequeunt; mundus intelligibilis exiſtit, & exiſtere pergit, qui quoad nos ſenſibilem exhibet. Actus adeo conſervatorius Dei non conſiſtit niſi in eo, quod actualitatem indeſinenter conferat elementis, quam in creatione conferre cœpit.

§. 848.

Digitized by Google

§. 848.

Actus conſervatorius verſatur circa ſubſtantiale rerum.

Quoniam in corporibus nihil datur ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§. 177 *Coſmol.*), Deus vero hunc mundum adſpectabilem conſervat, & hæc in eodem corpora, huncque naturæ ordinem, quatenus actum indeſinenter largitur hiſce rerum materialium elementis (§. 847); ***Mundus hic adſpectabilis & quicquid in eodem eſt, una cum ordine naturæ conſervatur***, quatenus Deus indeſinenter efficit, ut ſubſtantiale exiſtat, conſequenter ***dum, quod ſubſtantiale eſt in corporibus, conſervat***.

Propoſitio hæc probe notanda eſt, ne deinceps in doctrina de concurſu Dei ad malum naſcantur difficultates invincibiles.

§. 849.

Quod omnia conſerventur uno actu.

Deus mundum hunc adſpectabilem & quæcunque in eodem ſunt corpora, atque naturam rerum ejuſque ordinem conſervat uno eodemque actu. Etenim Deus hunc mundum adſpectabilem & quicquid in eodem exiſtit, creavit & naturam rerum fecit, atque hujus ordinem conſtituit uno eodemque actu (§. 765. 823), adeoque nulla peculiaris requiritur actio ad faciendam naturam rerum & conſtituendum ejus ordinem, quæ ſit diverſa a creatione. Enimvero creatio & conſervatio ſunt in Deo una eademque actio (§. 844), qua enti datur, ut exiſtat (§. 842), quod ſcilicet per eſſentiam ſuam exiſtere nondum poteſt. Quamobrem Deus mundum hunc adſpectabilem & quæcunque in eodem ſunt corpora, atque naturam rerum ejuſque ordinem conſervat uno eodemque actu.

Agnoſcant Theologi in Deo tanquam ente infinito ac ſimplici non admittentes, quæ a ſe diverſa ſunt & ſibi invicem ſuccedunt, actum creationis & conſervationis eſſe unum eundemque atque ſimplicem, in plures non reſolubilem, quemadmodum habet propoſitio præſens. Enimvero quomodo uno eodemque actu, quæ prorſus diverſa apparent, ſi in phænomenis acquieſcamus (§. 225 *Coſmol.*), & primum fieri, & ſemel facta conſervari queant, hactenus explicatum non eſt intelligibili modo. Per noſtra vero principia coſmologica omnia in aprico poſita ſunt: quæ adeo ratio eſt, ut in demonſtrandis theſibus receptis ad ea recurrendum nobis fuerit.

§. 850.

Quomodo mundus ſenſibilis conſervetur.

Mundus ſenſibilis conſervatur, ſi materia & vis motrix, ſeu natura rerum conſervetur. Etenim quæ in mundo adſpectabili, quem ſenſibilem eſſe conſtat, quatenus ſpectatur ſub ea forma, qua in ſenſus incurrit (§. 202), naturaliter fiunt; eorum ſufficiens ratio in eſſentia & natura corporum continetur (§. 509 *Coſmol.*). Quamobrem cum eſſentia corporum in modo, quo partes tales, non aliæ inter ſe junguntur (§. 140 *Coſmol.*), natura autem in vi activa ſive motrice conſiſtat (§. 145 *Coſmol.*); poſita materia & vi motrice ponitur mundus ſenſibilis (§. 118 *Ontol.*). Quoniam itaque per conſervationem enti datur, ut exiſtere pergat, ubi exiſtere cœpit (§. 842); mundus ſenſibilis conſervatur, ſi materia & vis motrix, ſive natura rerum conſervetur.

Poterat etiam oſtendi hoc modo. Mundus hic adſpectabilis conſervatur, dum, quod ſubſtantiale eſt in corporibus, conſervatur (§. 848). Enimvero ſi mun-

ſi mundus ſpectatur ſub ea forma, qua in ſenſus incurrit, conſequenter ut ſenſibilis (§. 202); vis activa ſive motrix & materia inſtar ſubſtantiæ concipi debent (§. 168. 169. 300 *Coſmol.*). Mundus adeo ſenſibilis conſervatur, ſi materia & vis motrix, ſeu natura conſervetur.

Hanc propoſitionem addimus in eorum gratiam, qui elementa rerum materialium non agnoſcunt, adeoque mundum intelligibilem prorſus ignorantes ultra ſenſibilem mentis aciem minime intendunt. Hi enim ſubſtantiale nihil agnoſcunt niſi materiam & eodem jure, quo hanc pro ſubſtantia habent, vim quoque motricem in ſubſtantiarum numerum referre tenentur, niſi naturam ex mundo prorſus proſcribere & potentiam Dei cum potentia naturæ confundere velint. Habet nimirum etiam uſum ſuum in ſequentibus, ſi intelligatur quousque extendenda ſit actio conſervatrix in conſervatione mundi, ſi ultra phænomena non progrediaris, nec fontem ipſum rerum materialium attingas. Quæcunque in mundo adſpectabili contingunt, ſola materiæ modificatione peraguntur, & modificatio beneficio motus abſolvitur. Quamobrem ſi a Deo materia conſervetur atque vis motrix corporibus indita; natura generationes & corruptiones perficit.

§. 851.

Limites rerum nulla indigent conſervatione divina, quemadmodum nec creatione. Etenim cum limes ſit id ultra quod nihil amplius in re concipere licet ad eandem pertinens (§. 468 *Ontol.*); defectus eſt ulterioris realitatis in re limitata, adeoque in ſubſtantia limitata defectus ulterioris ſubſtantialitatis, veluti in materia, quæ inſtar ſubſtantiæ concipi debet (§. 168 *Coſmol.*), defectus ulterioris extenſionis (§. 141 *Coſmol.*). Enimvero facile patet, ſi ſubſtantiæ limitatæ exiſtentia conferatur, adeoque ſi eadem vel creetur (§. 766), vel conſervetur (§. 842), per ſe adeſſe limites, veluti ſi materia ſeu extenſum limitatum (§. 141 *Coſmol.*), creetur vel conſervetur, per ſe adeſſe figuram (§. 621 *Ontol.*). Limites adeo rerum nulla indigent conſervatione divina, nulla creatione. *Num limites indigeant conſervatione & creatione.*

Poterat idem oſtendi hoc modo. Res conſervantur a Deo, dum, quod ſubſtantiale eſt in corporibus, conſervatur (§. 848). Enimvero eodem prorſus modo, quo evicimus, figuram eſſe accidens (§. 782 *Ontol.*), patet, limitem omnem nonniſi accidens eſſe: id quod etiam ſine probatione conceditur, quia limes inhærere concipitur ſubſtantiæ limitatæ. Quamobrem cum accidentia ſubſtantiæ non ſint (§. 768 *Ontol.*); nec peculiari indigent conſervatione (§. 848): conſequenter cum conſervatio non ſit niſi continuata creatio (§. 845); nec cratione opus habent.

In exemplis veritas propoſitionis præſentis adeo clare elucet, ut, qui vel ad unum animum advertit, eam percipiat ſine ulla probatione. Limes ligni eſt figura ovalis menſæ. Quamdiu lignum conſervatur figura quoque ſubſiſtit, nec ulla conſervatione indiget. Similiter figura rotarum ſubſiſtit in horologio, quamdiu integrum conſervatur ferrum, ex quo conſtructæ ſunt, nec opus eſt aliqua cauſa conſervante figuram. Limites inſunt per ſe ſubſtantiis rerum & poſitis iiſdem ponuntur & ipſi, conſequenter quamdiu ſubſtantia ſubſiſtit, ſubſiſtunt quoque limites ab ea in idea ejus inſeparabiles. Cavendum vero ne, quæ in compoſito apparent, confundas cum iis, quæ revera inſunt ſubſtantiis elementaribus, & ab illis ad hæc promiſcue argumenteris. Præcavebitur præcipitantia, ubi memor fueris theoriæ elementorum & ortus corporum ex iiſdem, quæ in Coſmologia integris capitibus expoſuimus.

§. 852.

Naturæ actio quo ſeſe extendat. *Limites creaturarum mutabiles a natura mutantur*. Elementa ſingula vi quadam prædita ſunt (§.196 *Coſmol.*), qua eorum ſtatus internus continuo mutatur (§. 197 *Coſmol.*). Quamobrem cum mutatio omnis rei durantis in variatione modorum conſiſtat (§. 703 *Ontol.*), adeoque modificatio ſit (§. 704 *Ontol.*), & hinc nonniſi in variatione limitum terminetur (§. 830 *Ontol.*); elementis inſita vi nonniſi limites variantur. Enimvero quia principium mutationum internum entis, adeoque vis, quæ eidem ineſt (§.870 *Ontol.*), natura eſt (§.145 *Coſmol.*); in elementis rerum limites variantur a natura eorundem.

Jam in elementis continentur rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur (§. 191 *Coſmol.*), conſequenter & mutationum, quæ in corporibus contingunt. Cum adeo in corporibus nulla ponatur mutatio, niſi poſitis aliis elementis rerum (§. 118 *Ontol.*), in his vero omnis mutatio fiat a natura eorundem *per demonſtrata*; omnis quoque corporum mutatio a natura elementorum proficiſcitur. Vis motrix, quæ naturam rerum mundi hujus adſpectabilis abſolvit (§. 506 *Coſmol.*), non eſt niſi vis elementorum confuſe percepta (§. 110 *Pſychol. rat.*), atque adeo a natura elementorum, quæ in vi ipſis inſita conſiſtit *per demonſtrata*, minime differt. Mutationes igitur omnes, quæ corporibus accidunt, a natura fiunt. Omnis eorum mutatio, cum ad mutationem ſeu variationem limitum redeat *per demonſtrata*; a natura quoque in corporibus variari limites rerum materialium patet.

Idem etiam de corporibus independenter a theoria elementorum oſtendi poteſt hoc modo. Mutatio omnis rei durantis, adeoque etiam corporum, in variatione modorum conſiſtit (§. 703 *Ontol.*), cumque adeo modificatio ſit (§. 704 *Ontol.*), variatione limitum tota abſolvitur (§. 830 *Ontol.*). Enimvero in corporibus nulla accidere poteſt mutatio, niſi per motum (§. 128 *Coſmol.*). Limites adeo variantur in corporibus per motum, nec per eum aliud quid in iiſdem efficitur niſi limitum variatio. Motus pendet a vi motrice (§. 137 *Coſmol.*) & hæc natura corporum eſt (§. 145 *Coſmol.*), nec natura univerſa eſt niſi aggregatum omnium virium motricium, quæ corporibus in mundo coexiſtentibus ſimul ſumtis inſunt (§. 507 *Coſmol.*). Limites adeo corporum a natura mutantur.

Quoniam animabus hominum ſimiliter ineſt vis quædam, qua actuantur, quæ per facultates ejuſdem in eadem poſſibilia intelliguntur (§. 55 *Pſychol. rat.*), & in vi iſta natura animæ conſiſtit, quatenus actuantur (§. 60 *Pſychol. rat.*); eodem, quo ante, modo evincitur, limites in anima variari a natura ejuſdem.

Denique brutorum animæ ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§.753 *Pſychol rat.*), quarum ſtatus mutatur (§. 754 & ſeqq. *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum ſubſtan-

ſubſtantiis ejus generis, quarum ſtatus mutatur, vis quædam inſita ſit (§. 776 *Ontol.*); animæ quoque brutorum vi quadam inſtructæ ſunt, adeoque principium mutationum ipſis ineſt (§. 870 *Ontol.*). Principium iſtud internum cum ſit natura entis (§. 145 *Coſmol.*); vis illa natura animæ eſt. Unde porro conſequitur, ut ante, in animabus brutorum limites variari a natura.

Poteſt idem etiam oſtendi hoc modo. Animæ brutorum ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§. 753 *Pſychol. rat.*), quarum ſtatus mutatur (§. 754 & ſeqq. *Pſychol. rat.*), conſequenter finitæ (§. 835 *Ontol.*). Quamobrem cum omnis ſubſtantia finita contineat in ſe principium mutationum (§. 871 *Ontol.*), adeoque vim quandam (§. 870 *Ontol.*); inde porro conſequitur, ut ante, in animabus brutorum limites variari a natura.

Elementa rerum materialium (§. 778), corpora omnia in hoc mundo adſpectabili (§. 779), animæ humanæ (§. 781) & brutorum ſunt creaturæ Dei (§. 783. 777). Quamobrem cum præter hæc entia non cognoſcantur alia rationis lumine, in his autem omnibus limites mutentur a natura *per demonſtrata*; evidens omnino eſt limites creaturarum, quotquot earum cognoſcimus, a natura variari.

Atque adeo jam patet, quid circa ea, quæ in rerum natura fiunt, Deo ſit tribuendum, quid naturæ. Nimirum Deus conſervat, quod ſubſtantiale eſt in corporibus, & per hoc ipſam quoque rerum naturam (§. 848); natura autem variat limites ſubſtantiali inhærentes (§. *præſ.*) & nulla conſervatione, nulla creatione divina indigentes (§. 851). Nimirum Deus omnipotentia ſua exiſtentiam largitur elementis vi activa inſtructis, vi vero elementorum, quæ omnipotentia divina indigent, ut ſubſiſtant, ſtatus elementorum continuo mutatur, ſicque quoad nos reſultant mundi ſenſibilis phænomena. Similiter Deus exiſtentiam largitur animabus, quæ ceſſante actione ejus exiſtere nequeunt; vi vero ipſis inſita continuo variatur ſtatus illarum. Et ſic liquido apparet, quomodo natura agat quod ſuum eſt, nec tamen agat ſine Deo, nulla virium naturæ & omnipotentiæ divinæ confuſione facta.

§. 853.

Quoniam quod ſubſtantiale eſt in corporibus, a Deo conſervatur (§. 848), nec in ortu corporum quicquam ſubſtantiale producitur (§. 833), ac multo minus in modificationibus eorundem (§. 832 *Ontol.*), natura vero nonniſi limites ejus, quod ſubſtantiale eſt, mutat (§. 852); *potentia naturæ non eſt niſi potentia modificandi ſubſtantias* (§. 703 *Ontol.*), *ſeu potentia modificatrix*. *Potentia naturæ qualis ſit.*

Atque adeo apparet, quænam potentia naturæ ſuperiora ſunt, & quænam eandem minime excedunt. Nimirum quicquid fieri poteſt per modificationes ſubſtantialis exiſtentis, id a natura fieri poteſt; quod vim aliam requirit, a natura proficiſci nequit.

§. 854.

Natura rerum tantummodo accidentia ad actum perducere & conſervare, nihil vero ad actum ejus, quod ſubſtantiale eſt, conferre valet. Etenim naturæ non competit niſi potentia modificatrix (§. 853). Quamobrem cum modificatio in variatione modorum conſiſtat (§. 704 *Ontol.*), modi vero accidentia ſint (§. 779 *Ontol.*); a natura tantummodo accidentia ad actum perduci, *Quænam natura efficere valeat.*

Kkk 2 duci,

§. 852.

Naturæ actio quo ſeſe extendat. *Limites creaturarum mutabiles a natura mutantur*. Elementa ſingula vi quadam prædita ſunt (§.196 *Coſmol.*), qua eorum ſtatus internus continuo mutatur (§. 197 *Coſmol.*). Quamobrem cum mutatio omnis rei durantis in variatione modorum conſiſtat (§. 703 *Ontol.*), adeoque modificatio ſit (§. 704 *Ontol.*), & hinc nonniſi in variatione limitum terminetur (§. 830 *Ontol.*); elementis inſita vi nonniſi limites variantur. Enimvero quia principium mutationum internum entis, adeoque vis, quæ eidem ineſt (§.870 *Ontol.*), natura eſt (§.145 *Coſmol.*); in elementis rerum limites variantur a natura eorundem.

Jam in elementis continentur rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur (§. 191 *Coſmol.*), conſequenter & mutationum, quæ in corporibus contingunt. Cum adeo in corporibus nulla ponatur mutatio, niſi poſitis aliis elementis rerum (§. 118 *Ontol.*), in his vero omnis mutatio fiat a natura eorundem *per demonſtrata*; omnis quoque corporum mutatio a natura elementorum proficiſcitur. Vis motrix, quæ naturam rerum mundi hujus adſpectabilis abſolvit (§. 506 *Coſmol.*), non eſt niſi vis elementorum confuſe percepta (§. 110 *Pſychol. rat.*), atque adeo a natura elementorum, quæ in vi ipſis inſita conſiſtit *per demonſtrata*, minime differt. Mutationes igitur omnes, quæ corporibus accidunt, a natura fiunt. Omnis eorum mutatio, cum ad mutationem ſeu variationem limitum redeat *per demonſtrata*; a natura quoque in corporibus variari limites rerum materialium patet.

Idem etiam de corporibus independenter a theoria elementorum oſtendi poteſt hoc modo. Mutatio omnis rei durantis, adeoque etiam corporum, in variatione modorum conſiſtit (§. 703 *Ontol.*), cumque adeo modificatio ſit (§. 704 *Ontol.*), variatione limitum tota abſolvitur (§. 830 *Ontol.*). Enimvero in corporibus nulla accidere poteſt mutatio, niſi per motum (§. 128 *Coſmol.*). Limites adeo variantur in corporibus per motum, nec per eum aliud quid in iiſdem efficitur niſi limitum variatio. Motus pendet a vi motrice (§. 137 *Coſmol.*) & hæc natura corporum eſt (§. 145 *Coſmol.*), nec natura univerſa eſt niſi aggregatum omnium virium motricium, quæ corporibus in mundo coexiſtentibus ſimul ſumtis inſunt (§. 507 *Coſmol.*). Limites adeo corporum a natura mutantur.

Quoniam animabus hominum ſimiliter ineſt vis quædam, qua actuantur, quæ per facultates ejuſdem in eadem poſſibilia intelliguntur (§. 55 *Pſychol. rat.*), & in vi iſta natura animæ conſiſtit, quatenus actuantur (§. 60 *Pſychol. rat.*); eodem, quo ante, modo evincitur, limites in anima variari a natura ejuſdem.

Denique brutorum animæ ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§. 753 *Pſychol rat.*), quarum ſtatus mutatur (§. 754 & ſeqq. *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum ſubſtan-

ſubſtantiis ejus generis, quarum ſtatus mutatur, vis quædam inſita ſit (§. 776 *Ontol.*); animæ quoque brutorum vi quadam inſtructæ ſunt, adeoque principium mutationum ipſis ineſt (§.870 *Ontol.*). Principium iſtud internum cum ſit natura entis (§. 145 *Coſmol.*); vis illa natura animæ eſt. Unde porro conſequitur, ut ante, in animabus brutorum limites variari a natura.

Poteſt idem etiam oſtendi hoc modo. Animæ brutorum ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§. 753 *Pſychol.rat.*), quarum ſtatus mutatur (§.754 & ſeqq. *Pſychol. rat.*), conſequenter finitæ (§.835 *Ontol.*). Quamobrem cum omnis ſubſtantia finita contineat in ſe principium mutationum (§. 871 *Ontol.*), adeoque vim quandam (§. 870 *Ontol.*); inde porro conſequitur, ut ante, in animabus brutorum limites variari a natura.

Elementa rerum materialium (§.778), corpora omnia in hoc mundo adſpectabili (§. 779), animæ humanæ (§. 781) & brutorum ſunt creaturæ Dei (§. 783. 777). Quamobrem cum præter hæc entia non cognoſcantur alia rationis lumine, in his autem omnibus limites mutentur a natura *per demonſtrata*; evidens omnino eſt limites creaturarum, quotquot earum cognoſcimus, a natura variari.

Atque adeo jam patet, quid circa ea, quæ in rerum natura fiunt, Deo ſit tribuendum, quid naturæ. Nimirum Deus conſervat, quod ſubſtantiale eſt in corporibus, & per hoc ipſam quoque rerum naturam (§. 848); natura autem variat limites ſubſtantiali inhærentes (§. *præſ.*) & nulla conſervatione, nulla creatione divina indigentes (§. 851). Nimirum Deus omnipotentia ſua exiſtentiam largitur elementis vi activa inſtructis, vi vero elementorum, quæ omnipotentia divina indigent, ut ſubſiſtant, ſtatus elementorum continuo mutatur, ſicque quoad nos reſultant mundi ſenſibilis phænomena. Similiter Deus exiſtentiam largitur animabus, quæ ceſſante actione ejus exiſtere nequeunt; vi vero ipſis inſita continuo variatur ſtatus illarum. Et ſic liquido apparet, quomodo natura agat quod ſuum eſt, nec tamen agat ſine Deo, nulla virium naturæ & omnipotentiæ divinæ confuſione facta.

§. 853.

Quoniam quod ſubſtantiale eſt in corporibus, a Deo conſervatur (§. 848), nec in ortu corporum quicquam ſubſtantiale producitur (§.833), ac multo minus in modificationibus eorundem (§. 832 *Ontol.*), natura vero nonniſi limites ejus, quod ſubſtantiale eſt, mutat (§.852); *potentia naturæ non eſt niſi potentia modificandi ſubſtantias* (§. 703 *Ontol.*), *ſeu potentia modificatrix*. *Potentia naturæ qualis ſit.*

Atque adeo apparet, quænam potentia naturæ ſuperiora ſunt, & quænam eandem minime excedunt. Nimirum quicquid fieri poteſt per modificationes ſubſtantialis exiſtentis, id a natura fieri poteſt; quod vim aliam requirit, a natura proficiſci nequit.

§. 854.

Natura rerum tantummodo accidentia ad actum perducere & conſervare, nihil vero ad actum ejus, quod ſubſtantiale eſt, conferre valet. Etenim naturæ non competit niſi potentia modificatrix (§. 853). Quamobrem cum modificatio in variatione modorum conſiſtat (§.704 *Ontol.*), modi vero accidentia ſint (§. 779 *Ontol.*); a natura tantummodo accidentia ad actum per- *Quenam natura efficere valeat.*

 duci,

Digitized by Google

§. 852.

Naturæ actio quo ſeſe extendat. *Limites creaturarum mutabiles a natura mutantur*. Elementa ſingula vi quadam prædita ſunt (§. 196 *Coſmol.*), qua eorum ſtatus internus continuo mutatur (§. 197 *Coſmol.*). Quamobrem cum mutatio omnis rei durantis in variatione modorum conſiſtat (§. 703 *Ontol.*), adeoque modificatio ſit (§. 704 *Ontol.*), & hinc nonniſi in variatione limitum terminetur (§. 830 *Ontol.*); elementis inſita vi nonniſi limites variantur. Enimvero quia principium mutationum internum entis, adeoque vis, quæ eidem ineſt (§. 870 *Ontol.*), natura eſt (§. 145 *Coſmol.*); in elementis rerum limites variantur a natura eorundem.

Jam in elementis continentur rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus deprehenduntur (§. 191 *Coſmol.*), conſequenter & mutationum, quæ in corporibus contingunt. Cum adeo in corporibus nulla ponatur mutatio, niſi poſitis aliis elementis rerum (§. 118 *Ontol.*), in his vero omnis mutatio fiat a natura eorundem *per demonſtrata*; omnis quoque corporum mutatio a natura elementorum proficiſcitur. Vis motrix, quæ naturam rerum mundi hujus adſpectabilis abſolvit (§. 506 *Coſmol.*), non eſt niſi vis elementorum confuſe percepta (§. 110 *Pſychol. rat.*), atque adeo a natura elementorum, quæ in vi ipſis inſita conſiſtit *per demonſtrata*, minime differt. Mutationes igitur omnes, quæ corporibus accidunt, a natura fiunt. Omnis eorum mutatio, cum ad mutationem ſeu variationem limitum redeat *per demonſtrata*; a natura quoque in corporibus variari limites rerum materialium patet.

Idem etiam de corporibus independenter a theoria elementorum oſtendi poteſt hoc modo. Mutatio omnis rei durantis, adeoque etiam corporum, in variatione modorum conſiſtit (§. 703 *Ontol.*), cumque adeo modificatio ſit (§. 704 *Ontol.*), variatione limitum tota abſolvitur (§. 830 *Ontol.*). Enimvero in corporibus nulla accidere poteſt mutatio, niſi per motum (§. 128 *Coſmol.*). Limites adeo variantur in corporibus per motum, nec per eum aliud quid in iiſdem efficitur niſi limitum variatio. Motus pendet a vi motrice (§. 137 *Coſmol.*) & hæc natura corporum eſt (§. 145 *Coſmol.*), nec natura univerſa eſt niſi aggregatum omnium virium motricium, quæ corporibus in mundo coexiſtentibus ſimul ſumtis inſunt (§. 507 *Coſmol.*). Limites adeo corporum a natura mutantur.

Quoniam animabus hominum ſimiliter ineſt vis quædam, qua actuantur, quæ per facultates ejuſdem in eadem poſſibilia intelliguntur (§. 55 *Pſychol. rat.*), & in vi iſta natura animæ conſiſtit, quatenus actuantur (§. 60 *Pſychol. rat.*); eodem, quo ante, modo evincitur, limites in anima variari a natura ejuſdem.

Denique brutorum animæ ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§. 753 *Pſychol rat.*), quarum ſtatus mutatur (§. 754 & ſeqq. *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum ſubſtan-

ſubſtantiis ejus generis, quarum ſtatus mutatur, vis quædam inſita ſit (§. 776 *Ontol.*); animæ quoque brutorum vi quadam inſtructæ ſunt, adeoque principium mutationum ipſis ineſt (§. 870 *Ontol.*). Principium iſtud internum cum ſit natura entis (§. 145 *Coſmol.*); vis illa natura animæ eſt. Unde porro conſequitur, ut ante, in animabus brutorum limites variari a natura.

Poteſt idem etiam oſtendi hoc modo. Animæ brutorum ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§. 753 *Pſychol. rat.*), quarum ſtatus mutatur (§. 754 & ſeqq. *Pſychol. rat.*), conſequenter finitæ (§. 835 *Ontol.*). Quamobrem cum omnis ſubſtantia finita contineat in ſe principium mutationum (§. 871 *Ontol.*), adeoque vim quandam (§. 870 *Ontol.*); inde porro conſequitur, ut ante, in animabus brutorum limites variari a natura.

Elementa rerum materialium (§. 778), corpora omnia in hoc mundo adſpectabili (§. 779), animæ humanæ (§. 781) & brutorum ſunt creaturæ Dei (§. 783. 777). Quamobrem cum præter hæc entia non cognoſcantur alia rationis lumine, in his autem omnibus limites mutentur a natura *per demonſtrata*; evidens omnino eſt limites creaturarum, quotquot earum cognoſcimus, a natura variari.

Atque adeo jam patet, quid circa ea, quæ in rerum natura fiunt, Deo ſit tribuendum, quid naturæ. Nimirum Deus conſervat, quod ſubſtantiale eſt in corporibus, & per hoc ipſam quoque rerum naturam (§. 848); natura autem variat limites ſubſtantiali inhærentes (§. *præſ.*) & nulla conſervatione, nulla creatione divina indigentes (§. 851). Nimirum Deus omnipotentia ſua exiſtentiam largitur elementis vi activa inſtructis, vi vero elementorum, quæ omnipotentia divina indigent, ut ſubſiſtant, ſtatus elementorum continuo mutatur, ſicque quoad nos reſultant mundi ſenſibilis phænomena. Similiter Deus exiſtentiam largitur animabus, quæ ceſſante actione ejus exiſtere nequeunt; vi vero ipſis inſita continuo variatur ſtatus illarum. Et ſic liquido apparet, quomodo natura agat quod ſuum eſt, nec tamen agat ſine Deo, nulla virium naturæ & omnipotentiæ divinæ confuſione facta.

§. 853.

Quoniam quod ſubſtantiale eſt in corporibus, a Deo conſervatur (§. 848), nec in ortu corporum quicquam ſubſtantiale producitur (§. 833), ac multo minus in modificationibus eorundem (§. 832 *Ontol.*), natura vero nonniſi limites ejus, quod ſubſtantiale eſt, mutat (§. 852); *potentia naturæ non eſt niſi potentia modificandi ſubſtantias* (§. 703 *Ontol.*), *ſeu potentia modificatrix*. *Potentia naturæ qualis ſit.*

Atque adeo apparet, quænam potentia naturæ ſuperiora ſunt, & quænam eandem minime excedont. Nimirum quicquid fieri poteſt per modificationes ſubſtantialis exiſtentis, id a natura fieri poteſt; quod vim aliam requirit, a natura proficiſci nequit.

§. 854.

Natura rerum tantummodo accidentia ad actum perducere & conſervare, nihil vero ad actum ejus, quod ſubſtantiale eſt, conferre valet. Etenim naturæ non competit niſi potentia modificatrix (§. 853). Quamobrem cum modificatio in variatione modorum conſiſtat (§. 704 *Ontol.*), modi vero accidentia ſint (§. 779 *Ontol.*); a natura tantummodo accidentia ad actum per- *Quænam natura efficere valeat.*

Digitized by Google

duci, conſequenter cum conſervatione enti detur, ut exiſtere pergat (§.842), in actu conſervari poſſunt. *Quod erat primum*.

Quoniam itaque ſubſtantia accidens non eſt (§.768 *Ontol.*), natura nihil ad actum ejus, quod ſubſtantiale eſt, conferre poteſt. *Quod erat ſecundum*.

Poſterius etiam oſtenditur hoc modo. Cum in corporibus nihil ſit ſubſtantiale præter entia ſimplicia (§.177 *Coſmol.*), rerum materialium elementa (§.182 *Coſmol.*); ad actum ejus, quod ſubſtantiale eſt, nil conferri poteſt, niſi quatenus efficitur, vel ut elementum, quod antea non exiſtebat, exiſtere incipiat, vel ut exiſtere pergat. Enimvero enti ſimplici nondum exiſtenti dari nequit, ut exiſtat, niſi ubi ex nihilo producitur (§.691 *Ontol.*), conſequenter creatur (§. 697 *Pſychol. rat*), & cum conſervatione detur, ut exiſtere pergat, quod cœpit (§. 842), conſervatio vero continuata creatio ſit (§. 845); nec enti ſimplici dari poteſt, ut exiſtere pergat, niſi eadem actione, qua creatur. Quoniam itaque naturæ nulla competit potentia creatrix (§.775), nec conſervatrix, quæ continuata creatione ſeſe exerit (§. 846); natura quoque ad actum ejus, quod ſubſtantiale eſt nihil prorſus conferre valet.

Ceterum hinc intelligitur, quo ſenſu accipiendum ſit, quando affirmatur, Deum creaturæ non poſſe communicare, ut conſervet ſeipſam; poſſe tamen communicare, ut conſervet aliam. Etenim ſi creaturæ denegatur potentia conſervatrix ſui ipſius, veluti homini, id inprimis accipitur de ea actione, qua quid confertur ad ſubſtantialis actum: ubi vero ipſi tribuitur potentia conſervatrix corporis, id intelligitur de ea actione, quo quid confertur ad accidentium actum. Sed ut hæc clarius intelligantur, de ortu & conſervatione corporum adhuc nonnulla nobis annotanda ſunt.

§. 855.

Qualis ſit potentia naturæ.

Quoniam natura tantummodo accidentia producere & conſervare valet (§. 854); *potentia naturæ non eſt niſi productrix & conſervatrix accidentium*, conſequenter *ſola divina eſt productrix & conſervatrix ſubſtantiarum*.

Notandum hic obiter, potentiam conſervatricem, quatenus a nobis accipitur, proprie denotare eam, qua conſervantur ſubſtantiæ. Unde eandem ſoli Deo vindicavimus & naturæ ſimpliciter denegavimus (§. 846). Dicitur ea a Scholaſticis *potentia conſervatrix directa*. Quemadmodum vero communiter, vel Grammatica teſte, accidentia per modum ſubſtantiæ conſideramus, fictione non inutili non modo in communi ſermone, verum etiam in ſcientiis; ita quoque quoad conſervationem per modum ſubſtantiarum ſpectari poſſunt, & hinc dici poteſt quædam conſervari a natura, quatenus nimirum non conſervantur niſi accidentia. Et hæc *potentia conſervatrix* a Scholaſticis dicitur *indirecta*, quoad Deum, quatenus nimirum Deus utitur cauſis ſecundis ad conſervationem accidentium. Sed hæc omnia clariora evadent ex ſequentibus.

§. 856.

Cur naturæ potentia corpora oriantur. & côſerventur.

Quoniam nonniſi mera accidentia oriuntur, ſi quod corpus novum ex aliis præexiſtentibus oritur: nec niſi accidentia intereunt, ſi interit (§.126 *Coſmol.*); a natura rerum accidentia ad actum perduci & conſervari poſſunt, (§. 854), adeoque *potentia naturæ corporibus ex aliis præexiſtentibus producendis & productis conſervandis ſufficit*.

Atque adeo patet a priori, cur natura corpus nullum creare poſſit, corpora tamen generare valeat: cur rebus conſervandis non ſufficiat, corpora tamen, quorum ſubſtantialitas

ab ipſa prorſus independens, qua talia conſervare poſſit. Ita naturæ potentia generatur ex ſemine arbor & eadem quoque conſervatur ac vegetatur, etſi eandem, nullo ſemine præexiſtente, & abſque materia in vegetationem ſeminis influente, ad actum perducere non poſſit, nec ſine pabulo conveniente ejus incrementum procurare valeat. Similiter patet, cur naturæ potentia intereant corpora, quamvis ea nihil annihilare valeat. Ita patet cur arbor poſſit mori & lignum, ex quo conſtat, corrumpi, non alia vi requiſita niſi ea, quæ naturæ eſt: quemadmodum in Phyſicis exponitur diſertius.

§. 857.

Animarum humanarū conſervatio.

Animæ humanæ non poſſunt conſervari a natura, ſed a ſolo Deo conſervantur. Etenim anima hominis ſubſtantia ſimplex eſt (§. 48 ***Pſychol. rat.***), per eſſentiam & naturam ſuam incorruptibilis (§. 729 ***Pſychol. rat.***), quæ interire nequit niſi per annihilationem (§. 732 ***Pſychol. rat.***). Quoniam itaque natura rerum tantummodo accidentia conſervare, nihil vero ad actum ejus, quod ſubſtantiale eſt, conferre valet (§. 854); natura quoque rerum animam conſervare nequit.

Enimvero creatura nulla quoque ſe ipſam conſervare valet, ſed a Deo conſervetur neceſſe eſt (§. 843). Quamobrem cum anima humana ſit creatura Dei (§. 781), quæ nonniſi per creationem oriri poteſt (§. 698 ***Pſychol. rat.***); evidens eſt, eandem etiam non aliter conſervari poſſe niſi a Deo, continuato creationis actu (§. 845).

Ceſſat nimirum in anima ratio conſervationis, quæ locum habet in conſervatione corporum. Etenim ut corpora conſerventur ſeu exiſtere pergant (§. 842), nonniſi accidentia conſervanda ſunt, cum eorum eſſentia tanquam entium compoſitorum (§. 119 *Coſmol.*) meris accidentibus conſtet (§. 789 *Ontol*). Enimvero ſi anima conſervari debet, quæ ſubſtantia ſimplex eſt (§. 48 *Pſychol. rat.*), ſubſtantia conſervanda. Corporum conſervatio, quæ ſit naturæ vi, ſupponit conſervationem ſubſtantialitatis; ſed conſervatio animæ eſt ipſa ſubſtantialitatis conſervatio.

§. 858.

Conſervatio animarum brutorum.

Animæ brutorum non poſſunt conſervari a natura, ſed a ſolo Deo conſervantur. Sunt enim ſubſtantiæ ſimplices (§. 753 ***Pſychol. rat.***), in ſe incorruptibiles (§. 769 ***Pſychol. rat.***), quæ interire nequeunt niſi per annihilationem (§ 769 ***Pſychol. rat.***). Enimvero natura rerum tantummodo accidentia conſervare, nihil vero ad actualitatem ejus, quod ſubſtantiale eſt, conferre valet (§. 854). Quamobrem natura nil quicquam ad conſervationem animarum brutorum conferre, adeoque multo minus eas vi ſua conſervare poteſt.

Conſtat vero creaturam nullam conſervare poſſe ſemetipſam, ſed neceſſe eſſe ut conſervetur a Deo (§. 843). Quamobrem cum animæ brutorum ſint creaturæ Dei (§. 783. 777), quæ non oriri poſſunt niſi per creationem (§. 768 ***Pſychol. rat.***); patet omnino eaſdem etiam aliter conſervari non poſſe, quam a Deo, continuato creationis actu (§. 845).

Quæ ad præcedentem propoſitionem annotavimus, ea quoque ad præſentem repetenda ſunt.

§. 859.

Quomodo quid annihiletur.

Si conſervatio divina ceſſet, creaturæ annihilantur. Quoniam enim per conſervationem enti datur, ut exiſtere pergat (§. 842), quemadmodum per

per creationem, ut exiſtere incipiat, nullo alio præexiſtente, quod in actualitatem ejus quomodocunque influere poterat (§. 697 *Pſychol. rat.* & §. 540 *Ontol.*), actione creationis & conſervationis quoad Deum non differente (§. 844); ſiquidem conſervatio divina ceſſare ponatur, creatura amplius exiſtere nequit, & dum exiſtere deſinit, nihil ejus actu ſupereſt. Quoniam adeo annihilatur, ſi, quod exiſtit, ita exiſtere deſinit, ut nihil ejus amplius actu ſuperſit (§. 540 *Ontol.*); ceſſante conſervatione divina creaturæ annihilentur neceſſe eſt.

Patet adeo modus, quo quid annihilari poſſit.

§. 860.

Cur annihilatio actionem poſitivā non requirat.

Quoniam creatura annihilatur, ceſſante conſervatione divina (§. 859), adeoque tantummodo requiritur, ut actio aliqua ceſſet; ***ad annihilationem nullam requiri actionem poſitivam, ſed tantummodo actionis omiſſionem patet.***

Quodſi a Deo creaturæ dari poſſet, ut ſemetipſam conſervaret, ſeu ceſſante actione divina exiſtere pergeret; poſitiva quadam opus eſſet actione ad ejus annihilationem, quemadmodum horologium, quod conſtruxit artifex, ab eodem deſtrui nequit niſi actione quadam poſitiva, propterea quod ad ſui conſervationem nulla artificis actione opus habet, ſed ceſſante ejus actione, qua idem conſtruxit, exiſtere pergit.

§. 861.

Cur annihilatio ſoli Deo poſſibilis.

Solus Deus aliquid annihilare poteſt; natura nihil annihilare valet. Ut enim quid annihiletur, non opus eſt actione quadam poſitiva, ſed tantummodo ceſſatione actionis (§. 860), nempe conſervationis divinæ (§. 859). Quoniam itaque hæc potentia conſervatrix ſoli Deo propria eſt, nec naturæ rerum competere poteſt (§. 846); ideo quoque actio conſervatrix ceſſare nequit niſi voluntate Dei, conſequenter nonniſi Deus quidpiam annihilare valet, nec naturæ vis annihilandi, qualis nulla datur, competere poteſt.

Qui creaturæ a Deo dari poſſe opinantur, ut ceſſante actione divina exiſtere pergat, ad annihilationem actionem quandam poſitivam requirere tenentur (*not.* §. 860), conſequenter & peculiarem potentiam annihilandi ſtatuere debent, quæ a potentia creatrice differt. Tum vero non adeo in propatulo eſt, cur potentia annihilandi ſit Deo ſoli propria, nec creaturæ ulli communicari poſſit. Conceſſum tamen ſemper ab omnibus naturæ vi nihil annihilari poſſe, experientiæ fide, quod iſtiuſmodi quid nunquam fuerit obſervatum.

§. 862.

Cur ab ejus voluntate dependeat.

Quoniam Deus facere poteſt, quicquid vult (§. 352), & mundum liberrime creavit (§. 431); ***a voluntate divina unice pendet, num quid annihilare velit.***

De hac voluntate cum nullum per hanc rerum ſeriem nobis præbuerit indicium, nec ex attributis divinis a priori colligi poſſit, num quid annihilare velit; ex lumine rationis demonſtrari nequit, num Deus quidpiam annihilaturus ſit, quod creavit. Qui defendunt, Deum nihil eorum, quæ creavit, annihilaturum; vel argumenta petunt ex Scriptura Sacra, quæ non ſunt hujus fori; vel rationes probabiles afferunt, quas jam in medio relinquimus. Sufficit itaque hic eviciſſe, a liberrima Dei voluntate pendere, utrum quid annihilare velit, nec ne.

§. 863.

Digitized by Google

§. 863.

Mundus *quomodo interire poſſit.*

Mundus adſpectabilis a Deo annihilari poteſt. Etenim creatura omnis, conſequenter & totus mundus hic adſpectabilis (§. 778), a Deo conſervatur (§. 847). Quamobrem cum creaturæ annihilentur ceſſante conſervatione divina (§. 859); totus quoque hic mundus adſpectabilis annihilabitur, ſi Deus eundem conſervare ceſſet. Quoniam vero mundum producere liberrime decrevit (§. 506); ita & liberrime eundem fecit & conſervat (§. 525). Quare cum a voluntate ipſius liberrima pendeat, utrum eundem conſervare velit, nec ne; quin actio conſervatrix ceſſare poſſit, dubitari haud quaquam poteſt. Patet itaque Deum mundum hunc adſpectabilem annihilare poſſe.

Annihilatio mundi non confundenda eſt cum interitu, quæ in transformatione conſiſtit, ut aliam ſui exhibeat faciem. Quodſi enim ponas eum in aliam faciem transformari; idem fiet ſalvis rerum elementis, eo modo, quo corpora intereunt & per transformationem prodeunt alia. Utrum iſtiusmodi transformatio totius mundi ſit poſſibilis nec ne, ſalvis nempe rerum elementis, conſequenter ſalva tota mundi ſubſtantia (§. 177 *Coſmol.*), ego non definio.

§. 864.

An mundus per ſe in nihilum recidere poſſit.

Ipſa natura mundum annihilare nequit, nec mundus vi propria tandem in nihilum recidere poteſt. Etenim natura nihil annihilare valet, ſed ſolus Deus aliquid annihilare poteſt (§. 861). Quamobrem nec natura ipſa mundum annihilare poteſt, nec mundus vi propria ſenſim ſenſimque tandem in nihilum recidere poteſt.

§. 865.

An animæ ſeipſas annihilare poſſint.

Animæ hominum atque brutorum ſeipſas annihilare nequeunt. Etenim ſolus Deus aliquid annihilare poteſt (§. 861), conſequenter animæ hominum atque brutorum nihil annihilare poſſunt. Quamobrem cædem nec ſeipſas annihilare valent.

§. 866.

Animæ interitus in ipſius poteſtate non eſt.

Quoniam anima interire nequit niſi per annihilationem (§. 732 *Pſychol. rat.*), ſeipſam vero annihilare minime valet (§. 865); ***anima efficere nequit, ut ipſamet intereat, aut ſemetipſam deſtruere non poteſt.***

Hæc propoſitio probe tenenda eſt, cum maximi ſit momenti in philoſophia practica. Poteſt homo violentas ſibi inferre manus & hoc modo deſtruere corpus; ſed animæ interitum non æque in poteſtate ſua habet.

§. 867.

Annihilatio cur ſit miraculum.

Annihilatio miraculum eſt. Etenim annihilatio vim naturæ univerſæ excedit, utpote nihil prorſus annihilare valentis (§. 861). Jam vero quod vim naturæ univerſæ excedit miraculum eſt (§. 523 *Coſmol.*). Eſt igitur annihilatio miraculum.

Cum conſtet Deum aliquid (§. 861) & ipſum mundum adſpectabilem annihilare poſſe (§. 863); hoc etiam modo patet, Deum miracula facere poſſe. Eſt autem annihilatio miraculum negativum, non poſitivum, quia non requirit peculiarem quandam actionem, ſed tantummodo actionis ceſſationem (§. 859).

§. 868.

§. 868.

Conſervatio totius mundi miraculū eſt.

Conſervatio divina miraculum eſt. Creatio enim mundi miraculum eſt (§. 768). Enimvero conſervatio non eſt niſi creatio continuata (§. 845). Ergo & conſervatio divina miraculum eſt.

Mundus quemadmodum per miraculum cœpit, ita per miraculum quoque conſervatur, etſi in eodem continuo oriantur & intereant corpora naturaliter, & corpora etiam conſerventur qua talia naturaliter citra miraculum. Nimirum quod a Deo provenit immediate, conſervatio nempe ejus, quod in mundo ſubſtantiale eſt, miraculum eſt; quod vero naturæ debetur, nimirum quod continua materiæ modificatione oritur & conſervatur, naturale eſt. Magnum adeo iſtud miraculum, cui mundus ortum ſuum debet, hodie ſubſiſtit & ſubſiſtet, quamdiu aliquis erit mundus, imo aliqua præter Deum exiſtet creatura.

§. 869.

Neceſſitas conſervationis divinæ ad actiones naturæ.

Sine conſervatione divina natura rerum nihil agere poteſt. Quoniam potentia naturæ non eſt niſi productrix & conſervatrix accidentium (§. 855), accidentia vero ſine ſubſtantiis exiſtere nequeunt (§. 791 *Ontol.*); natura agere nequit niſi ſubſtantiis exiſtentibus. Quamobrem cum Deus ſubſtantiale in corporibus conſervet (§. 848), potentia ſibi propria (§. 846); natura rerum nihil agere poteſt ſine conſervatione divina.

Nimirum natura ſe haber ad ſubſtantiale, quod in corporibus eſt, non abſimili prorſus modo, quo ſe habet artifex ad materiam, quam ipſe nec producere, nec conſervare valet. Quemadmodum enim artifex agere nequit materiam modificando, niſi aliena virtute producatur & conſervetur, aut ſi mavis, niſi adſit materia, quam modificare valet; ita nec natura accidentium mutatione producere valet corpora & producta conſervare atque porro modificare, niſi Deus producat & conſervet, quod ſubſtantiale eſt. Dixi aliquali ſimilitudini hic eſſe locum; non omnimodæ. Neque enim diffitemur, ſi ad fontem ejus, quod apparet ſeu ſenſu percipitur, ſubſtantias nempe ſimplices, rerum materialium elementa, recurritur, aliquam deprehendi diverſitatem. Sed quibus eam perſpicere datum eſt, illi hac illuſtratione opus minime habent.

§. 870.

Neceſſitas conſervationis divinæ ad actiones creaturarum.

Nulla creatura ſine conſervatione divina quicquam agere valet. Etenim ſi conſervatio divina ceſſet, creaturæ omnes annihilantur (§. 859). Quamobrem cum id, quod annihilatur, ita exiſtere deſinat, ut nihil ejus amplius actu ſuperſit, quod annihilatur (§. 540 *Ontol.*); creatura quæcunque ceſſante conſervatione divina exiſtere deſinit, nec quicquam ejus amplius actu ſupereſt. Quoniam itaque per ſe patet, quod non exiſtit, id nec agere poſſe; nulla creatura ſine conſervatione divina agere quicquam valet.

Poterat hæc demonſtratio etiam applicari ad propoſitionem præcedentem. Conſtat enim elementa rerum materialium eſſe creaturas Dei (§. 778), nec mundum hunc adſpectabilem, nec naturam rerum ejuſque ordinem ſubſiſtere poſſe, niſi conſervatis elementis (§. 847. 848). Quamobrem ſi ceſſet conſervatio divina, nulla amplius exiſtit materia, quam modificare valet natura (§. 853); nulla exiſtit natura, quæ materiam modificare poteſt. Unde patet, abſque conſervatione nullam poſſe concipi naturæ actionem, conſequenter conſervationem divinam ad naturæ actiones abſolute neceſſariam eſſe.

§. 871.

Neceſſitas ejuſdem ad

Quoniam animæ noſtræ (§. 781), nec non animæ brutorum ſunt creaturæ Dei (§. 783. 777): imo quia totus homo quoad animam & corpus creatura

tura Dei eſt (§. 782); *neque animæ humanæ, neque animæ brutorum agere poſſunt, nec totus homo quicquam agere valet ſine conſervatione divina.*

actiones animarum.

§. 872.

Ens unum dicitur *concurrere ad actionem entis alterius*, quatenus in actione ipſius continetur aliquid rationis, cur agat alterum.

Quando ens unum concurrat ad actionem alterius.

Ita ad homicidium concurrit, qui illud ſuadet vel jubet: etſi enim ſuaſio vel juſſio noo contineat homicidii rationem ſufficientem, continet tamen aliquid rationis, ac ideo ab homicida quæſito, cur hoc fecerit, allegatur. Similiter qui dat artifici materiam operis faciendi, ad opus concurrit. Et qui ex marſupio nummos extractos inſcius perdit, ad eorum inventionem concurrit.

§. 873.

Concurſus adeo *ad actionem alterius* eſt actio, quæ in ſe continet aliquid rationis, cur agens agat, vel egerit. Quamobrem cum per rationem intelligatur, cur quid potius ſit, quam non ſit (§. 56 *Ontol.*); *per concurſum ex parte intelligitur, cur agens agat, vel egerit.*

Concurſus quid ſit.

Ita concurſus ejus, qui homicidium ſuadet, ad homicidium in ipſa ſuaſione conſiſtit, & per hanc intelligitur, cur ipſum perpetraverit homicida, alias forſan non perpetraturus, aut ſaltem non adeo prompte perpetraturus. Similiter concurſus ejus, qui dat aurifabro aurum & gemmas ad faciendum annulum, ad annulum in ipſa datione auri atque gemmarum conſiſtit, ac ex eadem intelligitur, cur ex hoc auro atque hiſce gemmis ab aurifabro hoc tempore factus fuerit anoulus. Concurſus denique ejus, qui ex marſupio extractos nummos inſcius perdit, ad eorum inventionem in ipſa extractione conſiſtit, ac ex eadem intelligitur, cur hoſce nummos invenire potuerit alter. Ut adeo intelligatur, qualis ſit concurſus unius ad actionem alterius, & quantum is ad eandem concurrat, probe diſpiciendum, quid ad actionem alterius intelligendam faciat actio concurrentis. Neque hoc ſua caret utilitate, ubi agitur de imputatione actionis alienæ, quemadmodum clarius conſtabit in Moralibus: imo uſui eſt, ut ſatis circumſpecti ſimus, ne alterius actio mala oobis imputari poſſit.

§. 874.

Deus ad ſingulas actiones naturæ, & ſingulas creaturarum actiones, imo actiones animarum tam hominum, quam brutorum, & quaſcunque hominum actiones, per conſervationem concurrit. Etenim ſine conſervatione divina natura rerum nihil agere poteſt (§. 869), nec creatura ulla (§. 870), neque animæ ſive hominum, ſive brutorum, neque homo integer qua animam atque corpus, quicquam agere valent (§. 871). Quoniam adeo ſine conſervatione divina intelligi nequit, cur natura, vel creatura ulla, in ſpecie animæ hominum & brutorum, & homo integer quoad animam ac corpus agant; in conſervatione divina quin contineatur aliquid rationis, cur natura & creatura quælibet, ipſæ animæ hominum atque brutorum, imo hinc integer homo agat, dubitari haud quaquam poteſt (§. 56 *Ontol.*). Enimvero ens unum concurrit ad actionem entis alterius; quatenus in actione ipſius continetur quidpiam rationis, cur agat alterum (§. 872). Deus itaque concurrit ad ſingulas naturæ & ſingulas creaturarum actiones, imo ad actiones animarum tam hominum, quam brutorum & quaſcunque hominum actiones per conſervationem.

Concurſus Dei ad actionem naturæ & creaturarum.

Concurſus hic divinus ad ſingulas creaturarum actiones adeo manifeſtus eſt, ut in dubium revocari non poſſit niſi ab eo, qui vel conſervationem divinam ignorat, vel concurſus notione diſtincta deſtituitur. Quamobrem ne quid circa eum dubii remaneret, noſtrum fuit

notionem concurſus exemplis obviis illuſtrare, ut clarius percipiatur. Maximi autem momenti eſt concurſum divinum ad creaturarum actiones non modo agnoſcere, verum etiam intimius perſpicere, quemadmodum ex ſequentibus eluceſcet.

§. 875.

Univerſalitas concurſus divini.

Quoniam Deus per conſervationem concurrit ad ſingulas creaturæ cujuſlibet actiones (§. 874); *concurſus Dei per conſervationem univerſalis eſt.*

§. 876.

In quonã concurſus univerſalis conſiſtat.

Deus in concurſu univerſali conſervat ſubſtantiam agentis & largitur vires agendi. Etenim concurſus univerſalis fit per conſervationem creaturarum (§. 875). Enimvero quod ſubſtantiale eſt in corporibus, conſervat Deus (§. 848), & animæ humanæ, ſubſtantiæ ſimplices (§. 66 *Pſychol. rat.*), ab eodem conſervantur (§ 857), nec non brutorum animæ (§. 858), ſubſtantiæ itidem ſimplices (§. 753 *Pſychol. rat.*). In concurſu adeo univerſali Deus conſervat ſubſtantiam agentis. *Quod erat unum.*

Jam ſubſtantiale, quod datur in corporibus, ſunt elementa eorundem (§. 177. 182 *Coſmol.*), quæ ſingula vi agendi prædita (§. 196 *Coſmol.*), unde vis activa corporum reſultat (§. 180 *Coſmol.*). Quoniam itaque Deus conſervat corpora quatenus indeſinenter iſtis elementis actualitatem ſeu exiſtentiam largitur (§. 847); evidens eſt, ipſum in concurſu univerſali corporibus largiri vires agendi.

Porro anima humana vi agendi prædita eſt, unde omnes ejus actiones proficiſcuntur (§. 53. 60 *Pſychol. rat.*), nec ſine iſtiuſmodi vi brutorum animæ, ſubſtantiæ ſimplices (§. 753 *Pſychol. rat.*), mutabiles (§. 754 & ſeqq. *Pſychol. rat.*), concipi poſſunt (§. 776 *Ontol.*). Quamobrem cum Deus animas humanas (§. 857) & brutorum conſervet (§. 858); patet denuo Deum animabus quoque tam hominum, quam brutorum in concurſu univerſali largiri vires agendi.

Quoniam itaque præter corpora & elementa, per quæ aggregantur, atque animas hominum & brutorum nulla nobis naturali lumine innoteſcunt agentia, hiſce vero ſingulis Deus in concurſu univerſali largitur vires agendi *per demonſtrata*; liquet omnino, in concurſu univerſali Deum agenti largiri vires agendi. *Quod erat alterum.*

Atque adeo patet, quid ſibi velint Theologi ac philoſophi affirmantes Deum naturam agentis in agendo ſuſtentare. Etenim per naturam non intelligunt, niſi vires agendi, quæ creaturis inſunt. Suſtentat vero Deus agens, quatenus eidem exiſtentiam largitur, adeoque ſubſtantiam conſervat, ut agere poſſit. Aſt in agendo ſuſtentat, quatenus conſervat cum vi agendi. Enimvero cum plurimum interſit, ut rite intelligatur, quomodo Deus vires agendi largiatur, in concurſu præſertim ad actiones malas, ne quid eidem tribuatur culpæ; lubet modum largiendi vires agendi diſtincte explicare.

§. 877.

Quomodo Deus largiatur in concurſu

Deus agenti in concurſu univerſali tribuit agendi vires, quatenus actum indeſinenter impertitur ſubſtantiis abſque viribus iſtis exiſtere minime valentibus. Vis, quæ animæ humanæ unica ineſt (§. 57 *Pſychol. rat.*), ipſi eſſentialis (§. 66 *Pſychol. rat.*). Et cum brutorum animæ non minus ſint ſubſtantiæ muta-

mutabiles (§. 754 & ſeqq. *Pſychol. rat.*), quæ quoad facultates inferiores cum animabus humanis conveniunt (§. 754 & ſeqq. *Pſychol. rat.*); idem de ipſis quoque intelligitur. Cumque vis illa, qua prædita ſunt elementa rerum materialium (§. 196 *Coſmol.*), & unde vis activa corporum reſultat (§. 180 *Coſmol.*), ſit primum, quod de ipſis concipi poteſt, & unde cetera deducuntur, quæ de eiſdem cognoſcuntur (§. 197 & ſeqq. *Coſmol.*); quin ipſis quoque ſit eſſentialis, dubio caret (§. 168 *Ontol.*). Quamobrem cum eſſentiæ rerum ſint immutabiles (§. 300 *Ontol.*); nec Deus animas hominum atque brutorum & elementa rerum materialium abſque iſtis viribus ad actum perducere poteſt. Quoniam itaque Deus in concurſu univerſali, utpote qui ſit per agentis conſervationem (§. 875), agenti dat, ut exiſtere pergat (§. 842); vires eidem aliter non tribuit, niſi quatenus indeſinenter impertitur actum ſubſtantiæ abſque vi iſta exiſtere minime valenti.

univerſali vires agendi.

Propoſitio hæc probe perpendenda ob rationes paulo ante (*not.* §. 876) adductas. Nimirum Deus conſervat ſubſtantias ſimplices, elementa rerum materialium (§. 847), & animas tam hominum (§. 857), quam brutorum (§. 858), continuato creationis actu (§. 845) impertiendo ipſis exiſtentiam (§. 842), quam in prima rerum creatione iiſdem dare cœpit (§. 766). Elementis (§. 196 *Coſmol.*) & animabus (§. 53 *Pſychol. rat.*) ineſt vis activa, qua continuo modificantur. Atque ita agunt vi ſibi propria, nec minus natura univerſa cum vi motrice omnium corporum ex elementorum viribus reſultante (§. 180 *Coſmol.*) eadem vi ſibi propria agit, ſuntque ſingulorum agentium actiones ipſis propriæ, utut vires eorundem non ſubſiſtant niſi per omnipotentiam Dei agentis. Produxit Deus in prima creatione & in hunc uſque diem conſervat, ac in poſterum conſervabit entia, quæ, ubi exiſtunt, per ſe agere poſſunt & agunt, etiamſi non agant ceſſante actione divina. Actioni debetur divinæ, quod entia per ſe agere valentia exiſtant, ſed ipſorum actionibus acceptum referendum, quod modificentur & per eorum modificationes oriantur atque intereant corpora in mundo ſenſibili. Hæc qui rite perpendit, quæ Dei ſunt & creaturarum, optime diſcernit citra ullam confuſionem, & manifeſtam differentiam inter naturam atque Deum perſpiciet, illiuſque ab hoc continuam in agendo dependentiam agnoſcet.

§. 878.

Specificatio actionum a creaturis eſt. Actiones ſunt quædam ſtatus agentis mutatio (§. 713 *Ontol.*). Quamobrem cum eorum, quæ præter eſſentiam enti cuidam inſunt vel ineſſe poſſunt, in eſſentia ejus contineatur ratio (§. 167 *Ontol.*), per rationem vero intelligatur, cur quid potius ſit, quam non ſit (§. 56 *Ontol.*); per eſſentiam quoque agentis intelligitur, cur tales ſint ipſius actiones, adeoque tales ſunt agentis actiones, quia hæc ipſi eſſentia eſt. Specificantur adeo actiones creaturarum per eſſentiam earundem, conſequenter actionum ſpecificatio a creatura eſt.

Specificatio actionum creaturarum undenam ſit.

Inde ſane eſt, quod actionem explicaturi, qualis ſit, & rationem reddituri cur talis ſit, ad eſſentiales determinationes confugiamus, & quod per eas explicari intelligibili modo poſſit, non attento concurſu divino. Exemplo res manifeſta. Homo movet brachium. Quodſi intelligere volueris, cur hoc modo brachium movere poſſit; ea ſtructura ejuſdem redditur ratio. Structura brachii eſt eſſentia ejuſdem (§. 276 *Coſmol.*). Redditur adeo ratio ex eſſentia brachii, cur iſtiuſmodi ſit motus. Per eam intelligitur poſſibilis, etiamſi actu hoc modo non moveatur brachium. Concurrit Deus ad motum brachii, tum quatenus ſine ejus actione non conſervatur brachium hoc modo mobile, tum quatenus homini largitur vires, quibus motus brachii per eſſentiam poſſibilis ad actum perducitur. Perducitur autem ad actum viribus homini propriis & ſpecificatur ſeu talis ſit per eſſentiam brachii. Homo adeo movet brachium per naturam ſuam, & movet hoc modo per eſſentiam ſuam, ſed movere

non poſſet, niſi Deus ſubſtantiam ejus conſervaret & vires agendi largiretur, hoc eſt, niſi ipſi daret, ut brachium movere poſſet.

§. 879.

Dependentia creaturarum in agendo a Deo.

Creaturæ in agendo dependent a Deo. Erenim nulla creatura agere quicquam poteſt ſine concurſu divino (§. 870. 872), quo non modo ſubſtanriam agentis conſervat, verum etiam vires agendi impertitur (§.876). Quamobrem cur agat penirus intelligi nequit, niſi per concurſum divinum, Dei actionem (§.873). Quoniam itaque id ratio eſt, per quod inrelligitur, cur quid potius ſit, quam non ſit (§. 56 *Ontol.*); in Deo continetur ratio, cur creatura agar. Quoniam itaque ens unum ab altero depender, quatenus ejus, quod ipſi inexiſtir, ratio in alrero contincrur (§. 851 *Ontol.*); creatura quælibet a Deo in agendo depender.

Ut dependentia creaturæ a Deo in agendo rite intelligatur, nec ad ea trahatur, quæ ad eandem minime ſpectant; probe perpendendum eſt, quomodo ea demonſtretur: demonſtratio enim diſtinctam hujus dependentiæ notionem animo inſinuat. Nimirum dependentia creaturæ a Deo in agendo tota eſt a concurſu divino. Quamobrem cum in anterioribus eundem ſatis diſtincte explicaverimus, nihil quoque obſcuri circa dependentiam creaturarum a Deo in agendo ſupereſſe amplius poteſt. Nobis enim jam negotium eſt cum dependentia univerſali, quæ creaturis omnibus communis eſt. Patebit autem ex ſequentibus hominem in agendo moraliter quoque dependere: ſed ea dependentia ſuo loco explicanda non eſt hujus loci.

§. 880.

Dependentia hominis in agendo a Deo.

Quoniam homo eſt crearura Dei (§. 782), crearuræ autem omnes in agendo a Deo dependent (§. 879); *homo* etiam *a Deo in agendo dependet*. Et eodem modo etiam pater, quod *anima in volendo quoque a Deo dependeat* (§. 781).

Quando de actionibus hominum hic nobis ſermo eſt, has intelligimus, quæ ab anima atque corpore ſimul proficiſcuntur, & ideo *humanæ* appellari ſolent, liberæ autem, quatenus a libertate voluntatis pendent. Vi igitur corollarii præſentis homo in agendo a Deo etiam depender, quando libere agit. Quod autem hæc dependentia minime obſter, quo minus libere agat, nec libertatem ullo modo lædat, mox diſertius docebimus, etſi acutiores per ſe vi anteriorum idem perſpicere jam valeant.

§. 881.

Dependentia actionis creaturarum a Deo qualis ſit.

Actiones creaturarum qua actiones, hoc eſt, in genere ſpectatæ a Deo dependent; non vero qua tales, ſeu in ſpecie conſideratæ. Erenim Deus in concurſu univerſali conſervar ſubſtantiam agenris & vires agendi largitur (§. 876), quatenus indeſinenrer impertitur actum ſubſtantiæ abſque viribus iſtis exiſtere minime valenti (§. 877). Atque adeo per concurſum divinum inrelligitur, cur exiſtar ereatura, quæ agere poteſt, conſequenter actionis qua actionis, ſeu in genere ſpectatæ, ratio in Deo eonrinetur (§. 56 *Ontol.*), & hinc actio qua actio, ſeu in genere ſpectata, a Deo dependet (§.851 *Ontol.*). *Quod erat primum*.

Enimvero ſpecifieatio actionum a creatura eſt (§. 878), atque adeo per ea, quæ creaturæ agenti inſunr, intelligitur, cur ralem jam potius edat actionem, quam aliam, non vero per ea, quæ inſunt Deo. Quoniam itaque ratio, cur talis ſit actio creaturæ, in Deo non continetur (§. 56 *Ontol.*);

Digitized by Google

tol.); nec actio qua talis, hoc eſt, in ſpecie ſpectata, a Deo dependet (§. 851 *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Quodſi actio qua talis, ſeu in ſpecie ſpectata, a Deo dependeret, ratio aliqua ejus in Deo contineretur, cur talis potius ſit, quam alia (§. 851 *Ontol.*), adeoque intelligi penitus non poſſet, cur talis ſit, niſi per ea, quæ Deo inſunt (§. 56 *Ontol.*). Enimvero vel Phyſica loquitur, nos actiones creaturarum intelligibili modo explicare poſſe per ea, quæ rebus inſunt, non recurrendo ad attributa divina. Et idem quoque de actionibus humanis quoad animam eluceſcet ex philoſophia morali: imo de actionibus animæ jam patet ex Pſychologia rationali. Cavendum vero, ne propoſitionem præſentem male interpreteris, quaſi actio quælibet in ſingulari ſpectata a Deo independens dicatur. Etenim vi principiorum anteriorum nulla datur creaturæ actio in ſingulari, quæ non dependeat a Deo, ſiquidem is concurrit per conſervationem ad quamlibet in ſingulari, cum quolibet momento & ſubſtantiam agentis conſervet, & vires agendi largiatur, ita ut ſine concurſu divino actio illa perpetrari minime poſſet (§. 876). Sed quatenus actio iſta in ſingulari talis eſt, rationem ſui agnoſcit non in Deo, ſed in creatura (§. 878). Unde actio quælibet in ſingulari, qua actio, ſeu in genere ſpectata, a Deo dependet; non vero qua talis, ſeu in ſpecie conſiderata. Abſit vero, ut quis ſibi perſuadeat, diſtinctionem inter actionem in genere & in ſpecie ſpectatam eſſe inanem. Niſi enim eam probe perſpectam habueris, nullo modo intelligi poteſt, quomodo homo agat dependenter a Deo & tamen agat libere, & quomodo non obſtante dependentia a Deo actiones tamen ſint creaturarum propriæ & agentibus liberis imputari, a Deo autem omnis culpa removeri poſſit. Ubi vero eandem intime perſpexeris, omnis in argumento hoc intricato protinus evaneſcet obſcuritas, nec ulli amplius difficultati relinquetur locus, quæ alias inſuperabilis apparet.

§. 882.

Dependentia actionum humanarum & volitionũ a Deo.

Quoniam homo eſt creatura Dei (§. 782), ipſa etiam anima ejuſdem (§. 781); *actiones quoque ſingulæ hominis, qua actiones, ſeu in genere ſpectatæ, non autem qua tales, ſeu in ſpecie conſideratæ, a Deo dependent*, & in ſpecie *ſingulæ etiam volitiones qua volitiones, ſeu in genere ſpectatæ, a Deo dependent, non autem qua tales, ſeu quatenus tendunt ad hoc objectum, non ad aliud.*

E. gr. Ponamus hominem injurias ſibi illatas vindicaturum velle necem inimici. Quod velit a Deo eſt: niſi enim Deus actualitatem impertiretur & vim activam largiretur, fieri non poſſet ut vellet, propterea quod ceſſante actione divina, qua actualitatem & vim activam adipiſcitur, in nihilum recideret (§. 859). Enimvero quod hæc volitio dirigatur in necem inimici, id homini tribuendum, non Deo. Volitio itaque in genere ſpectata, quatenus ſcilicet eſt actus quidam volendi, a Deo dependet; ſed quatenus ea dirigitur in necem inimici, adeoque ſpecifice conſiderata, a Deo minime dependet. Ipſum hoc exemplum illuſtrat, quæ ad propoſitionem præcedentem de utilitate diſtinctionis actionum in genere & in ſpecie ſpectatarum annotavimus. Nec inutile eſt, ſi quis ad plura exempla animum advertit, ut applicatione evadat lucidior & familiarior. Utemur propoſitione præſente deinceps tanquam principio in demonſtrandis aliis, atque adeo conſultum duximus eam ſub præcedente, ſub qua continetur, ſubſumi.

§. 883.

Concurſus Dei ad actiones malas.

Deus ad actiones malas hominis non concurrit, quatenus malæ ſunt; ſed quod malæ ſint, ab homine habent. Conſtat ex anterioribus creaturas in agendo a Deo dependere per concurſum univerſalem (§. 879), quo ipſis tribuitur vis agendi earumque ſubſtantia conſervatur (§. 876). Enimvero actiones hominum a Deo dependent qua actiones, ſeu quatenus in genere ſpectantur, non autem qua tales actiones, ſeu quatenus in ſpecie ſpectantur (§. 882). Quamobrem Deus non concurrit concurſu univerſali ad actio-

Digitized by Google

actiones humanas niſi qua actiones, ſeu in genere ſpectatas, non vero qua tales, ſeu in ſpecie ſpectatas. Actiones internæ malæ ſunt, quatenus animam & ejus ſtatum reddunt imperfectiorem (§. 574); externæ autem ſunt malæ, quatenus corpus & ſtatum noſtrum externum reddunt imperfectius (§. 575). Quatenus igitur ſpectantur tanquam malæ, non ſimpliciter tanquam actiones, ſed tanquam actiones tales conſiderantur. Patet igitur Deum ad actiones hominis malas non concurrere, quatenus malæ ſunt. *Quod erat unum*.

Enimvero cur actiones ſint tales, ſeu earundem ſpecificatio a creatura (§. 878), adeoque in homine ab homine eſt (§. 782). Quamobrem porro patet, quod ab homine habeant actiones, ut ſint malæ. *Quod erat alterum*.

Poterat quoque propoſitio præſens hoc modo oſtendi. In concurſu univerſali Deus conſervat ſubſtantiam agentem & largitur vires agendi, quatenus actualitatem indeſinenter impertitur ſubſtantiæ abſque viribus iſtis exiſtere minime valenti (§. 876. 877). Quoniam itaque vi concurſus univerſalis Deo tribui nequit, niſi quod agens, dum agit, exiſtat & vi agendi præditum ſit, conſequenter quod jam agat; Deus utique vi concurſus univerſalis non concurrit niſi ad actiones qua actiones, ſive in genere ſpectatas. Jam actionum ſpecificatio a creatura (§. 878), adeoque etiam humanarum ſpecificatio ab homine eſt (§. 782), conſequenter homini tribuendum, non concurſui divino, quod actiones ſint tales. Quamobrem cum actiones hominis tam internæ, quam externæ malæ ſint, quatenus animam & ejus ſtatum reddunt imperfectiorem (§. 574. 575); actiones malæ ſunt malæ, non quatenus in genere ſpectantur, tanquam actiones, ſed quatenus in ſpecie ſpectantur, tanquam tales actiones. Patet igitur quod actiones humanæ ſint malæ, non tribuendum eſſe concurſui Dei, ſed homini eas perpetranti, conſequenter Deum non concurrere ad actiones malas, quatenus malæ ſunt; ſed eas ab homine habere, quod ſint malæ.

Puto me concurſum Dei ad actiones malas in demonſtratione propoſitionis præſentis modo principia in anterioribus ſufficienter demonſtrata percepta fuerint, tanta claritate expoſuiſſe, ut liquido appareat malum, quod actionibus hominum inhæret, eſſe ab homine ſalvo quidem concurſu divino, ſalvaque hinc orta dependentia hominis in agendo a Deo nihil tamen mali a concurſu divino & hominis in agendo a Deo dependentia in actionem derivari. Lubet tamen argumentum difficile, ubi non ſingula ad vivum reſecentur reductione ad notiones diſtinctas, ſimilitudine aliqua illuſtrare, quod ideam quandam inſinuet animo acumine ſufficiente deſtitutorum, qua juvetur attentio ad demonſtrationem rite percipiendam requiſita. Ponamus itaque patrem nullis pepercisse ſumtibus, ut filius ad mercaturam exercendam idoneus evaderet. Ponamus porro eundem filium, cui de alimentis abunde proſpicit, tabernæ mercibus inſtructæ præficere. Ponamus denique hunc incautum merces credere emptoribus, qui ſolvendo non ſunt, ac nummos a ſolventibus acceptos erogare deſideriorum ſuorum explendorum gratia, ut rationem adminiſtrationis redditurus bona parentis dilapidaſſe deprehendatur. Patet omnino, parentem concurrere ad actiones filii improbandas, qua actiones ſeu in genere ſpectatas; ſed non quatenus cenſuram merentur. Quod vero iſtiuſmodi ſint, filio unice tribuendum eſſe. Etenim niſi pater ad mercaturam exercendam educaſſet filium, eundemque tabernæ præfeciſſet; nec merces debitoribus, qui

ſolvendo

Digitized by Google

ſolvendo non ſunt, credere, nec nummos pro mercibus acceptos profundere potuiſſet. Concurrit adeo parens ad haſce actiones, quatenus agendi largitus eſt potentiam & alimentorum præſtatione filium conſervat (§. 842). Enimvero contra voluntatem parentis eſt, quod rem ſuæ fidei commiſſam male adminiſtret, & improbanda maxime adminiſtratio tota tribuenda imprudentiæ & malæ voluntati filii. Ecce igitur, quomodo fieri poſſit, ut quis concurrat ad alterius conſervationem & vires agendi largiatur; hoc tamen non obſtante alteri in totum tribuendum ſit, ut male agat, conſequenter quod concurſus, qui præſtatur agentis conſervatione ac virium agendi largitione, non fiat niſi ad actiones in genere ſpectatas, non vero in ſpecie tales, ac ideo, quod malum ipſis inhæret, totum eſſe ab agente.

§. 884.

Concurſus Dei ad actiones malas ulterius explicatur.

Deus concurrit ad id, quod phyſicum eſt in actionibus malis, non vero ad id, quod morale eſt, ſeu, quod perinde eſt, *concurrit ad actiones malas, quatenus phyſice ſpectantur, non autem quatenus ſpectantur moraliter*. Concurrit enim ad actiones malas in genere ſpectatas, non vero in ſpecie tales, veluti quatenus volitiones & motus corporis ſunt, non vero quatenus volitiones ad hoc objectum tendunt, & motus iiſdem reſpondet qua talibus (§. 882), ſeu quatenus actiones tam internæ, quam externæ malæ ſunt (§. 883). Enimvero actiones hominis internæ, quatenus ſpectantur ut volitiones & nolitiones animæ ſimpliciter ſeu in genere, & motus corporis, quatenus ſimiliter conſiderantur ut motus ad nutum animæ ſecuti vel intermiſſi, ſunt actiones phyſice ſpectatæ: eædem vero, quatenus internæ conſiderantur tanquam malæ, & externæ tanquam motus corporis iiſdem reſpondentes, adeoque & ipſi mali, moraliter ſpectantur (§. 568). Deus igitur ad actiones hominis malas concurrit, quatenus phyſice; non autem quatenus moraliter ſpectantur.

E. gr. Ponamus furem extendere brachium ad rem alienam auferendam. Quod brachium extendere velit, concurſui divino tribuendum. Quod idem ad nutum animæ extendere valeat, huic itidem acceptum ferendum. Enimvero quod velit extendere ad rem alienam auferendam & ea intentione actu extendat; id nonniſi hominis eſt, libertate ſua, qua fruitur, abutentis. Extenſio brachii & volitio hujus extenſionis phyſicum quid eſt, homini quippe naturalis. Quod vero hæc actio tendat ad auferendum alteri, quod ſuum eſt, moralitatem habet, & quidem mala eſt. Atque adeo patet Deum concurrere ad id, quod phyſicum eſt in actione furis, non vero ad id, quod morale eſt. Nimirum phyſicum actionis tantummodo concurſu divino indiget, non vero morale ejuſdem. Etenim Deo concurrente, fur qua homo, animo & corpore conſtans, exiſtit & velle, & brachium movere ad nutum animæ poteſt. Sed quatenus libere vult ac brachium movet, rem alienam appetit & ad eam auferendam brachium extendit; id ipſi tribuendum, libertate ſua abutenti.

§. 885.

Concurſus Dei ad abuſū libertatis.

Deus non concurrit ad abuſum libertatis, qua abuſum. Ponamus enim, Deum concurrere ad abuſum libertatis, qua abuſum. Quoniam malum morale abuſu libertatis irrepit in actiones liberas (§. 580); Deus ad actiones malas concurrit, quatenus malæ ſunt, determinando ſcilicet appetitum ad malum, conſequenter quod actiones ſint malæ, a Deo eſt, non ab homine. Quod cum ſit abſurdum, quia conſtat Deum ad actiones malas non concurrere, quatenus malæ ſunt, ſed quod malæ ſint, homini in totum tribuendum eſſe (§. 883); fieri quoque nequit, ut Deus ad abuſum libertatis concurrat, qua abuſum.

Idem

Idem etiam directe oſtenditur hoc modo. Deus homini in concurſu univerſali tribuit agendi vires, quatenus actum indeſinenter impertitur ſubſtantiæ, quoad animam ſcilicet atque corpus, ſine viribus iſtis exiſtere minime valenti (§. 877). Quod vero hoc agat modo, ab homine eſt (§. 878). Quamobrem cum homo in volendo ac nolendo liber ſit (§. 942 *Pſychol. empir.*), adeoque polleat facultate ex pluribus poſſibilibus ſponte eligendi, quod ipſi placet, cum ad nullum eorum per eſſentiam ſuam determinatus ſit (§. 941 *Pſychol empir.*) atque vi, qua pollet (§. 53 *Pſychol. rat.*), ipſi eſſentiali (§. 66 *Pſychol. rat.*), ac naturali (§. 67 *Pſychol. rat.*), eliciantur appetitiones atque averſationes tales (§. 55 *Pſychol. rat.*), homo autem libertate abutatur, quatenus malum appetit ſub ratione boni, & bonum averſatur ſub ratione mali (§. 896 *Pſychol. rat.*); patet homini tribuendum libertatis abuſum, non vero Deo, conſequenter Deum ad abuſum libertatis non concurrere, qua abuſum.

Nimirum Deus conſervat hominem, qui libertate ſua abuti poteſt per eſſentiam atque naturam ſuam; homo autem ſua ſponte eadem abutitur, Deo in determinationem appetitus ad malum minime influente. Aliter vero ſeſe res habet in actionibus bonis, quemadmodum inferius ſumus demonſtraturi. Cavendum itaque, ne, quæ de actionibus malis dicuntur, perperam ad bonas applicentur: quantum enim ſit diſcrimen inter concurſus ad actiones bonas atque malas, ſuo eluceſcet loco, hic autem deficientibus adhuc principiis demonſtrari nondum poteſt. Quodſi dependentiam hominis in agendo a Deo eo uſque extendere velis, ut ipſe animam determinet ad volendum hoc potius, quam aliud, & ad hoc potius, quam aliud nolendum; abuſus libertatis totus a Deo derivandus, nec homo appeset malum, niſi quia Deus vult, ipſum malum appetere, nec averſabitur bonum, niſi quia Deus vult ipſum bonum averſari. Conſtat autem, & animam ſe ipſam determinare ad volendum, vel nolendum motivis ſuis convenienter (§. 932 *Pſychol. empir.*), & fieri non poſſe, ut Deus velit malum morale (§. 581), conſequenter dependentia hominis in agendo a Deo in præjudicium libertatis hominis & voluntatis ipſius divinæ extendi nequit. Ceterum hic nobis tantummodo cum viribus naturæ negotium eſt, non autem cum viribus gratiæ, quæ fori philoſophici non ſunt, adeoque Theologis ex altiori lumine ſapientibus diſcutiendæ relinquuntur, ne falcem in alienam ſegetem immittamus.

§. 886.

An Deus ad imperfectionem hominis concurrat.

Deus non concurrit ad imperfectionem hominis accidentalem. Etenim malum morale conſiſtit in imperfectione accidentali (§. 577). Enimvero Deus non concurrit ad malum morale, quod actioni hominis inhæret (§. 374. 884). Deus igitur non concurrit ad imperfectionem hominis accidentalem.

Ponamus hominem negligere occaſionem ſcientia rerum ſcitu ipſi maxime neceſſariarum animum imbuendi, adeoque in craſſa ſibique ac aliis nocua verſari ignorantia, quam evitare potuiſſet, modo voluiſſet. Cum Deus non determinet voluntatem ad neglectum iſtum, ſed homo (§. 932 *Pſychol. empir.*) libertate ſua abutens (§. 580), etſi actus volitionis phyſice ſpectatus non eliciatur ſine concurſu divino (§. 884); homo ignorantia illa laborat Deo non concurrente. Quamobrem quia nemo non fatetur, iſtiuſmodi ignorantiam ad imperfectionem hominis eamque accidentalem referri debere (§. 528 *Ontol.*); evidens eſt, Deum ad hanc imperfectionem accidentalem minime concurrere. Eodem prorſus modo idem patet in exemplo quocunque alio, ut adeo, quod in medium attulimus ad propoſitionem illuſtrandam, non invitis methodi legibus, demonſtrationis vicem ſubire queat.

§. 887.

Digitized by Google

§. 887.

Quod homo ſeipſum reddat accidentaliter imperfectum.

Quoniam Deus minime concurrit ad hominis imperfectionem accidentalem (§. 886); *imperfectio accidentalis tota ab homine eſt*, conſequenter *homo ſemetipſum reddit accidentaliter imperfectum.*

Liquido hoc apparet ex modo allato exemplo de ignorantia craſſa & nocua hominis occaſionem proficiendi negligentis (*not.* §. 886). Neque enim Deo tribui poteſt, quod eadem laboret, propterea quod ipſe voluntatem ejus ad neglectum occaſionis proficiendi minime determinavit; ſed homini ipſi eadem laboranti, qui & appetitum ſuum ad neglectum iſtum ſua ſponte determinavit, & volitioni pravæ convenienter agit. Si qua cuidam dubia adhuc ſuboriri poſſunt, non aliunde eſt, quam quod anteriora non ſatis perceperit, quibus tanquam fundamento nititur præſens propoſitio. Juvabit tamen ad diſpellendas tenebras animum advertere ad ſimile, quo ſuperius uſi ſumus ad concurſum Dei ad actiones malas illuſtrandum (*not.* §. 884).

§. 888.

Quatenus imperfectio hominis accidentalis a Deo dependeat.

Deus non vult, ſed tantummodo permittit, hominem fieri accidentaliter imperfectum. Fieri non poteſt, ut Deus velit malum morale (§. 581). Quamobrem cum malum morale in imperfectione accidentali conſiſtat (§. 577); nec fieri poteſt, ut Deus imperfectionem hominis accidentalem velit, ſeu ut velit ipſum fieri accidentaliter imperfectum. *Quod erat unum.*

Similiter cum Deus malum morale permittere decreverit (§ 585), quæ vero ab æterno decrevit, ea in tempore facit, quemadmodum decrevit (§. 525); quin malum morale permittat dubitandum non eſt. Conſiſtit vero malum morale in imperfectione accidentali (§. 577). Quamobrem patet, Deum imperfectionem hominis accidentalem permittere, ſeu, quod perinde eſt, Deum permittere, ut homo fiat accidentaliter imperfectus. *Quod erat alterum.*

Ita Deus non vult hominem negligere occaſionem animum ſcientia rerum ipſi ſcitu maxime neceſſariarum imbuendi, ac ideo verſari in craſſa ſibique ac aliis nocua ignorantia, quam evitare potuiſſet, modo voluiſſet. Permittit tamen, ut homo proficiendi commodiſſimam occaſionem negligat, ac ideo in tanta ignorantia verſetur, quemadmodum idem ab æterno permittere decrevit (§. 504. 585).

§. 889.

Concurſus Dei ad intrinsecā actionum malitiā non extendendus.

Deus non concurrit ad actiones malas, quatenus tendunt ad imperfectionem hominis & ſtatus ipſius; ſed homo ſe ſtatumque ſuum ipſemet imperfectiorem reddit. Etenim Deus ad actiones hominis malas non concurrit, quatenus malæ ſunt, ſed quod malæ ſint, ab homine habent (§. 883). Enimvero actiones malæ internæ atque externæ, quatenus moraliter ſpectantur, conſequenter quatenus malæ ſunt (§. 568), hominem ejuſque ſtatum, quoad animam atque corpus, reddunt imperfectiorem (§. 574. 575). Quamobrem Deus non concurrit ad actiones malas, quatenus ad imperfectionem hominis ejuſque ſtatum tendunt; ſed quod eo tendant, ab homine habent, conſequenter homo ſe ſtatumque ſuum ipſemet imperfectiorem reddit.

Equidem hæc propoſitio jam continetur ſub anteriore, qua concurſus Dei ad imperfectionem hominis accidentalem rejicitur (§. 886); etenim imperfectio hæc non conſiſtit niſi in ea, de qua ſermo eſt in propoſitione præſente: quoniam tamen hæc ipſa plurimum habet uſum,

uſum, in philoſophia præſertim practica; ideo conſultum fuit eandem non omitti, ne inutiles poſthac in demonſtrando cauſentur ambages.

§. 890.

Quomodo Deus verſetur circa actiones malas qua tales.

Deus velle nequit, ut homo ſe ſtatumque ſuum reddat imperfectiorem, ſed tantummodo permittit, ut homo hoc faciat. Etenim fieri non poteſt, ut Deus velit hominis actiones malas qua malas (§. 581). Quamobrem eum actiones hominis tam externæ, quam internæ, quatenus moraliter ſpectantur, adeoque quatenus malæ ſunt (§. 568), ad imperfectionem hominis ſtatuſque ejus, quoad animam & corpus, tendant (§. 574. 575); fieri omnino nequit, ut Deus velit, hominem ſe ſtatumque ſuum reddere imperfectiorem. *Quod erat unum.*

Permittit autem Deus malum morale (§. 585. 525), conſequenter actiones malas, quibus inhæret (§. 374). Quoniam itaque actiones malæ qua tales tendunt ad imperfectionem hominis ſtatuſque ipſius *per demonſtrata*; Deus utique permittit, ut homo ſe ſtatumque ſuum reddat imperfectiorem. *Quod erat alterum.*

Poſterius etiam probatur a poſteriori. Etenim homo ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem reddit, quemadmodum indubia experientia conſtat, nec ab ullo in dubium revocari poteſt. Jam vero Deus velle nequit, ut homo hoc faciat *per demonſtrata num. 1*, ad actiones ipſius, quatenus tendunt ad imperfectionem ipſius atque ſtatus ejus, minime concurrens (§. 889): & quia hominem, etiam male agentem, conſervat viresque agendi largitur ipſi (§. 874. 876); dici nequit, quod nolit hominem ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem reddere. Quamobrem cum id permittat, quod, eum ab homine neque fieri, neque non fieri velit, quo minus idem fiat, impedire non vult (§. 584); quin Deus permittat, ut homo ſe ſtatumque ſuum reddat imperfectiorem extra omnem controverſiam poſitum eſt.

Equidem vulgo ex eo, quod homines faciunt, quæ Deus non vult, infertur, eum ut hoc faciant permittere, nec fallit illatio; ſed ut ſatisfaciat philoſopho, qui evidentiam rationis ſectatur, ex ipſa notione permiſſionis hoc deducendum, quemadmodum a nobis factum. Ceterum quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ad præſentem quoque applicanda.

§. 891.

An permiſſio imperfectionis accidentalis Deum dedeceat.

Non dedecet Deum permittere, ut homo ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem reddat. Neque enim dedecet Deum permiſſio mali moralis (§. 586), conſequenter nec dedecet ut permittat, perpetrari ab homine actiones, quibus id inhæret (§. 374). Enimvero actiones malæ, quatenus moraliter ſpectantur, adeoque malæ ſunt (§. 568), tendunt ad imperfectionem hominis ſtatuſque ipſius (§. 574. 575), adeoque homo eas perpetrans ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem reddit. Non igitur Deum dedecet permittere, ut homo ſe ſtatumque ſuum reddat imperfectiorem.

Equidem hæc propoſitio demonſtratu facillima videtur; ſed ut ejus veritas percipiatur, haud pauca ſunt, quorum ſcientia animus imbutus eſſe debet. Patebit hoc, ſi demonſtratio in ſua principia remota reſolvatur eo modo, quem in Logica (§. 992) docuimus. Quam-

obrem

obrem caveant, ne demonſtrationi tribuant inevidentiam, quam ex eo male colligunt, quod ſe nondum convictos ſentiant, qui ſuam ignorantiam agnoſcere & accuſare tenentur.

§. 892.

An imperfectio hominis accidentalis repugnet perfectioni ſummæ mundi & fini a Deo intento.

Quod homo ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem reddat minime obſtat, quo minus mundus ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus, nec quo minus fini a Deo per creationem univerſi intento magis ſatisfaciat ceteris. Etenim malum morale non obſtat, quo minus in mundo, qui exiſtit, major ſit perfectio quam in ceteris (§. 550), conſequenter quo minus idem ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus, ſeu ſumma ejus, quæ dari poteſt, perfectio: neque obſtat idem, quo minus fini a Deo intento omnium maximo conveniat (§. 617). Jam actiones malæ, quatenus moraliter ſpectantur, conſequenter quatenus malæ ſunt (§. 568), adeoque malum morale ipſis inhæret (§. 374), tendunt ad imperfectionem hominis atque ſtatus ejuſdem (§. 574. 575), atque adeo homo male agens ſe ſuumque ſtatum imperfectiorem reddit. Quare quod homo ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem reddat, non impedit, quo minus hic mundus ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus, adeoque ſumma ejus ſit, quæ in mundo aliquo dari poteſt, perfectio: nec idem obſtat, quo minus hic ipſe, qui exiſtit, mundus fini a Deo per creationem ejus intento magis ſatisfaciat ceteris poſſibilibus omnibus.

Toto igitur cælo a vero aberrant, qui ex imperfectione hominis accidentali imperfectionem mundi hujus adſpectabilis inferunt. Sed ut errorem agnoſcant ſuum, tenenda ſunt, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus.

§. 893.

Concurſus divini ad actiones malas reſtrictio.

Deus non concurrit ad actiones malas, niſi quatenus concurrit ad ordinis naturæ conſervationem, ſive eum quoad animam ſpectes, ſive eundem in mundo adſpectabili conſideres. Etenim Deus non concurrit ad actiones malas hominum, quatenus moraliter ſpectantur, ſed tantummodo quatenus ſpectantur phyſice (§. 884). Enimvero actiones malæ internæ ſi phyſice ſpectentur, per eaſdem leges appetitus ac averſationis naſcuntur, quibus bonæ (§. 569). Quamobrem cum ordo naturæ quoad animam conſervetur, quatenus actiones internæ hominis juxta eandem legem appetitus ac averſationis conſequuntur (§. 570); Deus non concurrit ad actiones malas, niſi quatenus concurrit ad ordinis naturæ quoad animam ſpectari conſervationem.

Porro actiones malæ externæ, quatenus phyſice ſpectantur, eodem modo conſequuntur, quo bonæ (§. 572). Quamobrem cum ordo naturæ conſuetus in mundo adſpectabili conſervetur, aut ſaltem nonniſi ordinario quodam modo ſecundum peculiarem quendam ordinem turbetur per actiones malas, quatenus phyſice ſpectantur (§. 573); Deus ad actiones malas non concurrit, niſi quatenus concurrit ad ordinem naturæ in mundo adſpectabili ſpectatum.

Propoſitio præſens oſtenditur etiam hoc modo. Deus ad actiones hominum quaſcunque concurrit per conſervationem (§. 874). Quamobrem

Digitized by Google

eum in concurſu univerſali conſervet ſubſtantiam agentis & largiatur vires agendi (*§*.876); ad actiones quoque malas concurrit, quatenus conſervat ſubſtantiam animæ atque corporis, & homini quoad utramque ſubſtantiam agendi vires largitur. Enimvero anima in appetendo etiam malo (§. 896 *Pſychol.empir.*) ſequitur legem appetitus (*§*.904 *Pſychol.empir.*), & in averſando etiam bono (*§*. 896 *Pſychol. empir.*) legem averſationis (*§*. 907 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum Deus impertiatur vires agendi, quatenus actualitatem indeſinenter confert ſubſtantiæ abſque viribus iſtis exiſtere minime valenti (*§*. 877); animæ quoque largitur vires appetendi & averſandi, quatenus continuo ad actum perducit ſubſtantiam, cui non ineſt vis niſi appetitiones & averſationes malas ſecundum eandem legem eliciendi, juxta quam eliciuntur bonæ. Quoniam itaque lex iſta appetitus & averſationis animæ naturalis eſt (§.522 *Pſychol. rat.*) & per eam datur ordo quoad appetitiones & averſationes in anima (§.478 *Ontol.*); non datur ordo naturæ in anima, quatenus appetitiones & averſationes, adeoque actiones internas hominis (§. 567), ſpectas, niſi quatenus appetitiones & averſationes ſingulæ per eandem legem conſequuntur, adeoque ordo naturæ quoad animam conſervatur, quatenus animæ datur vis non aliter eliciendi appetitiones ac averſationes, niſi juxta iſtam legem. Patet itaque Deum non concurrere ad actiones malas internas, niſi quatenus concurrit ad conſervationem ordinis naturæ quoad animam.

Porro cum actiones externæ ſint motus corporis volitionibus ac nolitionibus animæ reſpondentes (§.567), atque adeo vi commercii inter animam & corpus intercedentis conſequantur (§. 962 *Pſychol. empir.*); Deus ad hoſce motus concurrit, quatenus conſervat ſubſtantiam utramque & largitur vires agendi dependenter a ſe invicem (§. 874. 876), conſequenter quatenus conſervat commercium inter animam atque corpus. Quodſi jam hoc commercium explices per harmoniam a Deo præſtabilitam (§.638 *Pſychol. rat.*); actiones malæ externæ ſecundum conſuetum naturæ ordinem contingunt (§. 573), conſequenter commercium inter animam & corpus conſervatur, dum conſuetus naturæ ordo conſervatur, atque adeo Deus ad actiones malas externas non concurrit, niſi quatenus ad conſervationem ordinis naturæ conſueti concurrit. Quodſi vero commercium iſtud influxui phyſico tribuere malis; actiones malæ externæ fiunt ſecundum peculiarem ordinem, quo conſuetus continuo interrumpitur (*§*. 573). Quoniam iſta interruptio ordinis naturæ in mundo adſpectabili ſtante influxu phyſico inevitabilis eſt (§.579 *Pſychol. rat.*); non alius naturæ ordo in ſyſtemate influxus phyſici per naturas rerum poſſibilis, quam iſto modo continuo interrumpendus, conſequenter nec a Deo aliter conſervari poteſt. Atque adeo nec in iſto ſyſtemate Deus ad actiones malas externas concurrit, niſi quatenus ad conſervationem ordinis naturæ concurrit.

Nimirum

Digitized by Google

Nimirum ordo naturæ a Deo non aliter conſervatur, quam qualis per naturam rerum poſſibilis. Datur aliquis ordo naturæ in mundo adſpectabili, qui eſt rerum materialium. Datur alius ordo naturæ animæ unicuique proprius, quem ex Pſychologia, præſertim rationali, cognoſcere licet. Sed quia datur aliqua harmonia inter mutationes, quæ in anima contingunt, & inter mutationes, quæ in mundo adſpectabili accidunt (§. 540 *Pſychol. rat.*); ordo uterque aliter conſervari nequit, quam hac harmonia ſalva poſſibilis. Etſi itaque in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ ordo naturæ in mundo adſpectabili in gratiam animæ nunquam interrumpitur, ſed idem conſtanter ſalvus fit; in ſyſtemate autem influxus phyſici continuo interrumpatur (§. 577 *Pſychol. rat.*); in præſente tamen negotio, ubi de concurſu Dei ad actiones malas agimus, perinde eſt, qualis eſſe debeat ordo naturæ, ut harmonia animæ ac corporis ſubſiſtat. Et ſane ſi concurſus divinus in ſe ſpectetur, in utroque ſyſtemate unus idemque eſt: neque enim Deus aliud agit, quam ut actualitatem impertiatur animæ & corpori ſimul certo quodam modo, qualiſcunque tandem ille ſit, dependenter a ſe invicem agere valentibus. Ceterum cum concurſui divino tribui nequeat, niſi quod actiones malæ phyſice ſpectatæ non repugnent ordini naturæ, ſive eum quoad animam, ſive quoad mundum integrum adſpectabilem ſpectes, ita ut Deus non concurrat ad eaſdem, niſi quatenus per hunc concurſum non obſtante malo morali, quod actionibus inhæret, ordo naturæ conſervatur; hinc demum clariſſime perſpicitur, quid velit *Campanella* affirmans, ſi quæ in mundo eveniunt, ad Deum referuntur, nullum dari in eodem malum. Etenim actiones malæ, quatenus a Deo pendent, nihil habent mali; ſed cum bonis in eundem cenſum veniunt, quoniam actiones malæ & bonæ, ſiquidem phyſice ſpectentur, ambæ eodem modo conſequuntur & ſecundum naturæ ordinem fiunt. Quatenus vero vitium ipſis inhæret, a Deo minime dependentes nullum ad ordinem univerſi, nec ordinem ſeriei mutationum in anima naturalis reſpectum habent. Hæc qui probe perpendit, clariſſime jam perſpicit, cur malum morale tantummodo ſit imperfectio in parte, nullam autem invehat imperfectionem in totum. Veritatem ſublimem qui capere non poſſunt; judicium ſuum ſuſpendant venerabunda in auctorem naturæ mente, ne temerariis judiciis in Majeſtatem divinam injurii fiant.

§. 894.

Limitationes originariæ dicuntur, quæ per eſſentiam rebus inſunt, conſequenter vel ſunt determinationum eſſentialium, vel attributorum. *Limitationes originariæ quænam dicantur.*

Nimirum eſſentiales determinationes, quas & eſſentialia entis ſimpliciter appellamus, ipſam entis eſſentiam conſtituunt (§. 143 *Ontol.*). Quamobrem ſi determinationes eſſentiales fuerint limitatæ; hæ ipſæ limitationes enti per eſſentiam inſunt. Jam attributa per eſſentialia determinantur (§. 146 *Ontol.*), adeoque una cum eſſentialibus inſunt (§. 145 *Ontol.*), ac ideo inſunt, quia eſſentialia inſunt (§. 116. 56 *Ontol.*). Limitationes igitur attributorum enti ſimiliter inſunt per eſſentiam. Utræque jam includuntur in idea rei: unde limitationes originariæ etiam dici poterant, quæ in idea rerum jam continentur.

§. 895.

Limitationes originariæ a rebus inſeparabiles ſunt. Etenim inſunt rebus per eſſentiam (§. 894), adeoque tamdiu inſunt, quamdiu eſſentia non mutatur. Sunt vero eſſentiæ rerum immutabiles (§. 300 *Ontol.*). Ergo etiam neceſſe eſt limitationes originarias eſſe immutabiles. Jam cum immutabile ſit, pro quo, iiſdem manentibus ceteris, quæ ſimul inſunt, nihil ſubſtitui poteſt (§. 291 *Ontol.*); pro limitatione quacunque originaria, ſalva determinatione rei intrinſeca, cui inhæret, non alia ſubſtitui poteſt. Limitatio igitur originaria a re, cui ineſt, ſeparari nequit. *Immutabilitas limitationum originariarum.*

E. gr. Eſſentia animæ conſiſtit in vi repræſentativa univerſi ſitu corporis organici in univerſo materialiter, & conſtitutione organorum ſenſoriorum formaliter limitata (§. 66 *Pſychol. rat.*). Duplex hæc limitatio originaria eſt (§. 894), ac ideo ab anima inſeparabilis, ita ut fieri nullo modo poſſit, ab anima aliter repræſentari univerſum, quam ut ex mutationibus in organis ſenſoriis factis ratio repræſentationis reddi poſſit. Quæ igitur limitationes adhæ-

rent

rent ceteris, quæ hinc neceſſario conſequuntur; eæ non minus inſeparabiles ſunt ac illa vis repræſentativæ univerſi in genere ſpectatæ limitatio.

§. 896.

Limitationes originariæ num a Deo auferri poſſunt.

Deus rem nullam, neque etiam hominem, abſque limitationibus originariis producere poteſt. Etenim Deus ens finitum ſeu limitatum nullum, adeoque nec hominem, abſque limitationibus eſſentiæ ac naturæ ipſius in divinis ideis inhærentibus producere poteſt (§. 379). Sunt vero limitationes iſtæ, quæ per eſſentiam rebus inſunt, originariæ (§. 894). Quamobrem Deus rem nullam, neque etiam hominem, abſque limitationibus originariis producere poteſt.

Poterat idem oſtendi indirecte hoc modo. Ponamus Deum rem aliquam, veluti hominem, producere abſque limitationibus originariis. Cum enim abſque iis produci nequeat, niſi eædem a re ſint ſeparabiles; neceſſe eſt limitationes originarias a re, cui inſunt, ſeparabiles eſſe. Quod quoniam abſurdum eſt (§. 895); fieri non poteſt, ut Deus rem aliquam, veluti hominem, abſque limitationibus originariis producat.

Hanc propoſitionem non alio fine addimus, quam ut compeodio loquendi non deſtituamur. Rem ipſam enim jam ſupra evicimus, quemadmodum & alia huc ſpectantia. Cum enim malum metaphyſicum in limitationibus determinationum eſſentialium conſiſtat (§. 372), adeoque in iis, quas originarias in ſua extenſione ad attributa dicere libuit (§. 894); quæcunque de malo metaphyſico in anterioribus demonſtrata ſunt, ad omnes limitationes originarias promiſcue applicanda veniunt. Mali adeo metaphyſici quemadmodum abſoluta eſt neceſſitas, ita non minus limitationis originariæ cujuslibet eadem eſt neceſſitas. Et ſane ex hac neceſſitate eſt, quod Deus animam producere non potuerit, niſi vi repræſentativa univerſi inſtructam, quæ ſitu corporis organici in univerſo materialiter & conſtitutione organorum ſenſoriorum formaliter limitatur, hoc eſt, quæ clare ſibi non repræſentat niſi ea, quæ in organum ſenſorium agunt, nec alio claritatis gradu, quam qui convenit motui in organo ſenſorio fibrillis ſenſoriis impreſſo.

§. 897.

Mali moralis ortus.

Malum morale ex limitationibus originariis oritur, ſeu per limitationes originarias fieri poteſt, ut actiones hominis ſint moraliter malæ. Etenim malum morale abuſu libertatis irrepit in actiones liberas (§. 580). Quamobrem cum malum non appetamus niſi ſub ratione boni, nec bonum averſemur niſi ſub ratione mali (§. 896 *Pſychol. empir.*); libertate abutimur, quod malum pro bono, bonum ex adverſo pro malo reputemus, conſequenter malum morale, quod actionibus liberis inhæret (§. 374), ex erroneo de bono atque malo judicio ortum ſuum trahit. Nemo non confitetur hominem in judicando errare poſſe, propterea quod facultas cognoſcendi, qua gaudet, limitata eſt, ut adeo ex notionibus demonſtrari non ſit opus: etenim ſi ea eſſet illimitata, quemadmodum intellectus divinus (§. 166), omnia quoque nobis repræſentaremus diſtincte, quemadmodum ab intellectu divino repræſentantur (§. 164), conſequenter fieri non poterat, ut malum videretur bonum, & bonum ex adverſo malum. Malum igitur morale oritur ex limitationibus facultatis cognoſcitivæ, ac inprimis intellectus, cujus eſt judicare (§. 325 *Pſychol. empir.*). Jam vis repræſentativa univerſi eſſentialiter

Digitized by Google

tialiter limitata tum quoad objectum, tum quoad modum repræſentandi objectum (§. 66 *Pſychol. rat.*), ac ideo quoque ipſe intellectus, qui rationem ſufficientem in iſta vi habet (§. 387 *Pſychol. rat.*), adeoque hac poſita & ipſa ponitur (§. 118 *Ontol.*), iiſdem limitationibus obnoxius eſt (§. 279 *Pſychol. empir.*). Quoniam limitationes originariæ ſunt, quæ per eſſentiam rebus inſunt (§. 894); limitationes facultatis cognoſcitivæ, ac intellectus in ſpecie, quoad objecta & modum ea repræſentandi utique originariæ ſunt. Quamobrem patet malum morale ex limitationibus originariis animæ derivari, conſequenter per eas fieri poſſe, ut actiones hominis malo morali inficiantur.

In præſenti non diſquirimus, niſi de poſſibilitate ortus mali moralis: quod & philoſophi eſt, & præſenti inſtituto ſatisfacit. Non autem inquirimus, quomodo id, quod erat poſſibile per eſſentiam hominis, ad actum fuerit perductum: id enim hiſtoricum eſt, nec ex notionibus a nobis demonſtrari poteſt, cum tanta nobis non ſit intellectus amplitudo, quæ veritatibus hiſtoricis ſive factis a priori demonſtrandis ſufficit. Quæ igitur Theologi de origine mali moralis quoad veritatem hiſtoricam Sacræ Scripturæ auctoritate conſiſi docent; his minime opponenda ſunt, quæ a nobis demonſtrantur. Factum enim opponi nequit, quatenus actualitas determinatur, veritati univerſali, qua poſſibilitas enuntiatur. Et quamvis malum morale per limitationes originarias ſit poſſibile, per eas tamen non neceſſarium eſt, propterea quod in iiſdem non contineatur ratio ſufficiens actus, adeoque poſitis limitationibus originariis malum morale non ponitur niſi quoad potentiam, nondum vero quoad actum. Quæ vero in actum influunt, multa ſunt ac varia, de quibus ſuo tempore in philoſophia morali dicemus.

§. 898.

Quoniam per limitationes originarias fieri poteſt, ut actiones hominis ſint moraliter malæ (§. 897), Deus vero hominem abſque limitationibus originariis producere nequit (§. 896); *Deus* quoque *hominem talem producere non potuit, ut impoſſibile eſſet actiones malas ab eodem perpetrari.* *An Deus hominem illabilē creare potuiſſet.*

Stylo Theologorum dicendum erat: homo per eſſentiam ſuam eſt labilis (§. 897); adeoque fieri non potuit, ut crearet illabilem (§. 557). Qui eſſentias rerum arbitrarias fingunt, ſumunt, quod probare neſciunt, contrarium: ſed anguntur ac miſere ſe torquent, ubi Deum mali auctorem accuſare non debent. Recolenda hic ſunt animo, quæ de potentia libertate abutendi dicta in ſuperioribus (§. 710 & ſeqq.). Ceterum jam patet, quod ibi nondum conſtare poterat (*not.* § 710), potentiam abutendi libertate ex limitationibus originariis reſultare. Etenim ſi intellectus non limitaretur formaliter, ſeu quoad modum repræſentandi objecta; nec bonum videri poterat, quod eſt malum, nec viciſſim malum, quod bonum eſt, conſequenter nec malum appeti poterat ſub ratione boni, nec bonum averſabile foret ſub ratione mali, quemadmodum in abuſu libertatis accidit. Atque hoc pacto potentia abutendi libertate ex limitationibus originariis reſultat. Non omnes in materia, quam diſtincte non cognoſcunt, eadem iiſdem terminis enuntiant. Quamobrem neceſſe eſt, quæ eadem videntur, diverſis modis tamen enuntiari, ut ſatisfiat omnibus. Confer itaque, quæ ſupra dicta ſunt (§. 708).

§. 899.

Gubernatio eſt directio actionum ad certum finem. *Gubernatio quid ſit.*

Ita Princeps dicitur gubernare ſubditos, quatenus eorum actiones dirigit ad finem civitatis, ſalutem nimirum, tranquillitatem ac ſecuritatem publicam. Homo gubernat ſeipſum, quatenus actiones ſuas dirigit ad finem ſibi convenientem. Nemo non affirmat, quod ſeipſum gubernare neſciat, qui actiones dirigit ad alios fines, quam dirigere debebat.

§. 900.

Digitized by Google

§. 900.

Gubernatio hujus univerſi divina.

Deus gubernat hoc univerſum. Etenim Deus hoc univerſum produxit propter finem aliquem (§.603), eumque ultimum (§. 628), nec conſtituit fines particulares niſi in relatione ad finem totius mundi (§. 626), ſingulos ultimo (§.631) ac ſibi invicem ſubordinans (§.633). Quamobrem eum in horum finium particularium numero ſint quæcunque ex natura & eſſentia rerum materialium conſequuntur (§. 645), adeoque corporum omnium actiones (§. 713 *Ontol.*), & ipſa etiam mala moralia, adeoque actiones hominum, quibus inſunt, ad manifeſtationem gloriæ ſuæ, finem ultimum (§ 629), dirigantur (§.681); omnium omnino creaturarum actiones a Deo ad fines certos, tandemque ultimum dirigi patet (§. 779.782). Quoniam itaque gubernatio in directione actionum ad certum finem conſiſtit (§. 899); Deus hoc univerſum gubernat.

Patet igitur Deo propriiſſimo ſenſu tribui gubernationem hujus univerſi, eodem ſcilicet, quo Princeps dicitur gubernare civitatem (*not.* §. 899).

§. 901.

Gubernatio univerſi in quo conſiſtat.

Deus gubernat hoc univerſum, dum omnia inter ſe connectit. Quatenus enim tam coexiſtentia, quam ſucceſſiva in hoc univerſo inter ſe connectuntur, a ſe invicem dependent per modum finis a medio (§.665), agentia propter fines a Deo intentos, ac ſi ipſamet eos intenderent (§. 661). Quamobrem dum Deus ſapientia ſua eadem inter ſe connectit (§. 666), actiones eorum dirigit ad certos fines, tandemque mediantibus hiſce ad finem ultimum (§.635). Gubernat vero Deus hoc univerſum, dum actiones creaturarum dirigit ad certos fines (§. 899). Quamobrem ipſum gubernat, dum omnia inter ſe connectit.

Patet adeo gubernationem divinam rejici, ſi nexus rerum in hoc univerſo tollitur. Equidem res inter ſe jam ſpectantur tanquam connexæ in idea univerſi, quæ datur in intellectu divino (§. 181), antecedenter ad decretum (§. 434); cum tamen liberrime exiſtentiam ejus ab æterno decreverit (§. 506. 504), nihil inde adverſus gubernationem divinam concluditur. Quatenus enim vi intellectus divini omnia in hoc univerſo connectuntur, gubernatio univerſi poſſibilis. Dum Deus mundum hunc producere decrevit, eo modo mundum gubernare conſtituit, quo vi iſtius nexus gubernari poteſt. Denique dum eundem & creavit (§. 760), & hodie conſervat (§. 843), vireſque agendi creaturis largitur (§. 876), ac ordinem, juxta quem agere tenentur, præſcripſit (§. 825); mundum quoque actu gubernat ipſo opere exequens, quæ ab æterno decrevit. Hæc gubernatio Deo digna, qui cum ſit omniſcius (§. 302) ac præſciat omnia (§. 524); ab æterno decernere potuit, quomodo mundum gubernare voluerit, & huic decreto convenienter in tempore facit omnia: minime autem inſtar hominis quid fiat in mundo demum experiri tenetur, ut exinde conſilium capiat, quid fieri debeat, ne fine per creationem mundi intento excidat. In majeſtatem divinam injurii ſunt, qui ideam gubernationis confuſam, quam ex imperiis hominum hauſere, perperam ad Deum transferunt, non attento diſcrimine, quod inter Principes & Deum ſummum Monarcham intercedit. Finge Principem, qui norit omnes ſubditorum actiones infallibili præſcientia ab initio regiminis uſque ad finem ejuſdem, nec minus certo præſciat omnes eventus, qui civitatem quomodocunque attingunt, in regimine attendendos. Quodſi jam is unico decreto ſtatuit ſingula, quæ durante regimine ſuo fieri debent, ac cautus providet, ut eadem ad nutum executioni demandentur; quis ideo negaverit eum gubernare civitatem? De Deo autem tanto magis idem affirmandum in caſu ſimili, quia is ad ſingulas creaturarum actiones concurrit, quemadmodum ante abunde ſatis explicavimus. Athei,

qui

Digitized by Google

qui nexum rerum ab abſoluta neceſſitate liberum non agnoſcunt, gubernationem divinam tollunt, non quod res in univerſo inter ſe connexas deprehendant; verum quod omnes nullo fine ex neceſſitate abſoluta ita agere putent. Sed atheorum errores notabimus ſuo loco.

§. 902

Quomodo Deus mundum gubernet.

Deus mundum ſapientia ſua gubernat. Etenim Deus hoc univerſum gubernat, dum omnia ... in eodem inter ſe connectit (§. 901). Enimvero nexus rerum in hoc univerſo ſapientia divina conſtitutus eſt (§. 666). Mundum igitur Deus ſapientia ſua gubernat.

Poterat idem etiam oſtendi hoc modo. Corpora & tota rerum natura agunt propter fines a Deo intentos, ac ſi ipſamet eos intenderent (§. 661), ita ut Deus finem, quem per exiſtentiam hujus mundi intendit, hoc eſt, ultimum (§. 628), ex aſſe conſequatur (§. 621). Quamobrem cum Deus mundum gubernet (§. 900), adeoque corporum omnium in eodem & totius naturæ actiones ad fines iſtos dirigat (§. 899); actiones omnium corporum in mundo totiuſque naturæ ad fines certos ita dirigit, ut eoſdem ex aſſe & per eoſdem finem ultimum conſequatur. Enimvero ſapientiæ eſt dirigere actiones ad fines ex aſſe conſequendos & particulares ita ſubordinare ultimo, ut vi eorum hunc conſequaris (§. 678 *Pſychol. rat.*). Deus itaque mundum hunc ſapientia ſua gubernat.

Tanto major ſapientia eſt, qua mundus gubernatur, quod Deus totam gubernationem decreverit ab æterno & talem fecerit naturam univerſam taleſque corporum eſſentias, ut voluntati ipſius conformiter agant, ita ut nullis decretis temporariis, nullo conſilio in tempore ineundo opus ſit. Patet hoc ex ſimili, quo paulo ante uſi ſumus (*not.* §. 901). Etenim ſi Princeps initio regiminis omnia decernere poſſet unico actu, quæ toto regiminis tempore decernenda forent, ac ita in civitate inſtrueret omnes, ut deinceps voluntati ejus convenienter omnia adminiſtrarentur ſine particularibus imperiis; nemo non fateretur, majorem ipſi eſſe ſapientiam, quam qua opus habet ad conſilia occaſione ferente quovis tempore ineunda & decreta particularia formanda, modo perpendere poſſit, quænam ad hoc requirantur, ut unico actu decernantur ſingula per totum regiminis tempus ordinanda & unico actu in civitate ita conſtituantur, ut toto regiminis tempore nil quicquam fiat niſi decretum. A notionibus attributorum divinorum nimis adhuc remotum habent animum, qui hæc capere non poſſunt.

§. 903.

Gubernatio Dei a bonitate pendens.

Deus bonitate ſua hoc univerſum gubernat. Etenim Deus gubernat hoc univerſum, dum omnia inter ſe connectit (§. 901). Nexus rerum in hoc univerſo bonitate divina conſtitutus eſt (§. 740). Deus igitur bonitate ſua hoc univerſum gubernat.

Poterat idem etiam oſtendi hoc modo. Omnes rerum & naturalium (§. 648) & artificialium uſus ſunt fines a Deo intenti (§. 649). Quamobrem cum Deus mundum hunc gubernet (§. 900), adeoque actiones creaturarum ad fines hosce dirigat (§. 899), bonitatis vero divinæ ſit, quod in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius (§. 739); quin Deus bonitate ſua gubernet hoc univerſum dubitari nequit.

Quodſi ergo meditemur, quomodo in hoc univerſo unum uſibus alterius inſerviat, ita ut ipſa mala, quatenus moralia ſunt actiones phyſicæ, phyſica autem cauſæ naturales, ad bona a Deo aliis conferenda concurrant (§. 689. 872); quomodo Deus bonitate ſua hoc uni-

verſum gubernet, invictis experimentis docemur. Ceterum cum per ipſum rerum nexum demonſtretur, quod Deus & ſapientia, & bonitate ſua hoc univerſum gubernet; clariſſime conſtat, quantum conducat ad gubernationem divinam intimius perſpiciendam noſſe nexum rerum omnium in hoc univerſo, ſed a liberrima Dei voluntate dependentem: neque enim negamus, ſi quis eum *Spinoſa* fatalem rerum concatenationem ſtatuat, a voluntate divina prorſus independentem, tolli gubernationem divinam. Sed quantum in eo fallatur *Spinoſa* & qui cum eo ſentiunt, & ex anterioribus abunde liquet, & ſuo loco in parte ſecunda uberius demonſtrabitur.

§. 904.

Ordo naturæ & directio mali ad bonũ cur ſit gubernationis divinæ.

Ordo naturæ & directio malorum ad bonos fines pertinet ad gubernationem hujus univerſi divinam. Etenim ordo naturæ continetur regulis motus (§. 559 *Coſmol.*), & corpora, quorum actiones mediante motu fiunt (§. 133. 134 *Coſmol.*), ſecundum eundem agunt (§. 566 *Coſmol.*) propter fines a Deo intentos (§. 661). Quamobrem cum ordo naturæ contingens ſit, ſeu ab abſoluta neceſſitate liber (§. 561 *Coſmol.*), & Deus naturæ leges agendi præſcripſerit ab eſſentia corporum minime pendentes (§. 825); patet Deum actiones creaturarum juxta ordinem naturæ dirigere ad certos fines. Quoniam itaque gubernans univerſum (§. 900) actiones creaturarum ad certos fines dirigit (§. 899); ordinem naturæ ad gubernationem univerſi divinam pertinere patet.

Deus dirigit mala phyſica & moralia ad bonum finem (§. 680). Quamobrem cum directio actionum creaturæ ad bonos fines, quales ſunt mala phyſica & moralia, quatenus ad bonum dirigenda (§. 680), ſit gubernationis divinæ (§. 899); directio malorum ad bonos fines in hoc univerſo eſt gubernationis divinæ.

Ordo naturæ aperte loquitur gubernationem hujus univerſi divinam. Quia enim Deus hoc univerſum ſapientia ac bonitate ſua gubernat; ideo omnia fiunt ordine. Obtinet idem in civitate, ubi ſubditi reguntur ſapientia & bonitate. In ea nimirum civitate, in qua ſapiens ac bonum regimen celebratur, omnia fiunt ordine, quemadmodum cœtus hominum, qui a ſuperiore non gubernatur, in ſumma degeret confuſione. Ita ſimiliter directio malorum, quæ eradicari ſapientia non permittit, gubernationem divinam manifeſtu prodit. Ac idem obtinet in civitate, ubi pœnarum inflictione deterrentur a malu perpetrando, qui ab eodem minime abſtinerent, ſi impune quidvis facere liceret, atque ſic malum, quod impediri non potuit, dirigitur in bonum futurum. Exemplum aliud habes in mulctis in pios uſus converſis. Enimvero in cœtu hominum, qui nullius imperio ſubſunt, mala impune graſſantia in bonum finem non diriguntur.

§. 905.

Voluntas Dei de directione actionum humanarum.

Deus vult, ut homo actiones ſuas liberas dirigat ad perfectionem ſui ſtatuſque ſui. Etenim velle nequit, ut ſe ſtatumque ſuum imperfectiorem reddat (§. 890). Vult igitur, ut eundem ac ſe reddat perfectiorem, conſequenter ut actiones ſuas liberas ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem dirigat.

Idem etiam ſic oſtenditur. Quoniam Deus vult, quod in ſe optimum (§. 383); fieri quoque non poteſt, quam ut velit actiones hominum liberas eſſe bonas. Enimvero actiones hominum liberæ ſunt bonæ, quæ ipſum atque ſtatum ejuſdem perficiunt (§. 554 *Pſychol. empir.*). Deus igitur vult, ut homo actiones ſuas liberas dirigat ad perfectionem ſui ſtatuſque ſui.

Ecce

Ecce tibi voluntatem Numinis de directione liberarum actionum. Probe notanda eſt propoſitio præſens, qua Dei de hac directione voluntas enuntiatur: eſt enim principium fœcundiſſimum, unde deducuntur, quæcunque de rectitudine actionum humanarum demonſtrari poſſunt, quemadmodum fidem oculatam dabimus in univerſo Jure naturæ.

§. 906.

Actionũ humanarum voluntati divinæ cõformis determinatio.

Quoniam Deus vult, ut *homo* actiones ſuas liberas dirigat ad perfectionem ſui ſtatusque ſui (§. 905); *actiones voluntati divinæ conformiter determinat, qui eas ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem dirigit.*

Nondum demonſtramus, Deum ad hanc actionum directionem hominem obligare. Pertinet enim hæc obligatio ad jus Dei in hominem, quod capite ſequente explicaturi ſumus. Sufficit jam conſtare, Deum directionem iſtam velle.

§. 907.

Cur Deus iſtam directionem velit.

Bonitatis divinæ eſt, quod velit hominem actiones ſuas dirigere ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem. Quoniam enim Deus vult hominem actiones ſuas dirigere ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem *per hypoth.* quin ſit pronus ad ejuſdem perfectionem promovendam dubitari nequit. Qui pronus eſt ad aliorum perfectionem promovendam, is bonus eſt in alios (§.695). Deus igitur bonus eſt in hominem, dum vult eum actiones ſuas liberas dirigere in ſui ſtatuſque ſui perfectionem, conſequenter quod hoc velit, bonitatis divinæ eſt.

Quodſi Deus nollet homines actiones ſuas ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem dirigere, ſed contrarium vellet; pronus utique foret ad eorum imperfectionem promovendam. Quemadmodum itaque ſe bonum præbet hominibus, dum pronus eſt ad eorum perfectionem promovendam (§. 695); ita viciſſim malum ſeſe probaret in eoſdem, ſi pronus eſſet ad eorum imperfectionem promovendam. Et ſi neque vellet, neque nollet eos actiones ſuas ad ſui perfectionem dirigere, ſed ipſi perinde foret, quomodocunque tandem actiones ſuas dirigant; eos prorſus negligeret, nec ullam ipſorum curam haberet. Obtinet hoc in hominibus, quemadmodum obvia experientia docemur. Si in alios bonum poſſidemus animum, nos velle conſtat, ut ipſis bene ſit, conſequenter, ſi ſapimus, ut ſui ſtatuſque ſui perfectionem promoveant (§. 557 *Pſychol. empir.*). Quodſi malo in alios ſumus animo, nos nolle, ut ipſis bene ſit, ſed potius malle, ut male ſit, conſequenter nolle ut actiones ſuas dirigant ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem (§. 557 *Pſychol. empir.*), ſed malle potius, ut eas dirigant ad ſui ſtatuſque ſui imperfectionem (§. 568 *Pſychol. empir.*), nemo non novit. Denique ſi neque bono, neque malo, ſed indifferente in alios ſumus animo; eorum nos nec bonum, nec malum tangit, ſed perinde nobis eſt, ſive ipſis bene ſit, ſive male, conſequenter quomodocunque actiones ſuas dirigant. Non abſque ratione in re intelligentibus ſatis obvia declaranda deſudamus: etenim plurimum refert in praxi morali noſſe, ex quo tandem fonte proficiſcatur voluntas divina de directione actionum humanarum, quemadmodum ſuo tempore ſuoque loco eluceſcet. Noſtrum igitur eſt non modo veritatem propoſitionis præſentis beneficio rationis intime perſpicere, verum etiam omnem adhibere operam, ut ejuſdem plane convictum & de ea prorſus confirmatum teneamus animum: id quod obtinebitur, ſi non modo demonſtrationem propoſitionis præſentis, verum etiam ea mediteris, quæ ad hanc illuſtrandam in medium adduximus, donec nullam aſſentiendi repugnantiam in te experiaris. Hæc autem tanto ſollicitius inculcamus, quod vulgo veritas tam utilis non ſine manifeſto damno non agnoſcatur: imo multorum animos contraria obſideat opinio.

§. 908.

Bonitatẽ divinam quinam agnoſcat.

Quoniam bonitati divinæ tribuendum, quod Deus velit hominem actiones ſuas dirigere ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem (§. 907); *qui actiones ſuas liberas ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem dirigit eo animo, ut voluntati divinæ conformiter eas dirigat* (§ 906); *bonitatem Dei in ſe agnoſcit*, & viciſſim *qui bonitatem Dei in ſe agnoſcit, actiones ſuas liberas ad ſui ſtatuſque ſui perfectio-*

nem dirigere vult, *atque actu dirigit*, *niſi vel ignorantia*, *vel aliis cauſis* ſuo loco diſtinctius explicandis, *in tranſverſum agatur*.

Hæc vera ſunt, etiam non attenta obligatione divina ad hanc actionum directionem: id quod probe notandum. Sane ſi conſilium nobis impertitur amicus, de cujus bono in nos animo ſumus perſuaſi, idem ſequimur hanc, cur ſequamur, reddentes rationem, quod certi ſimus ipſum nobis non ſuadere niſi quod nobis ſalutare. Ex adverſo qui bonum alteri conſilium dat, de eo, qui ipſum contemnit, conqueritur, quod agnoſcere nolit, quam bene cupiat ei.

§. 909.

Voluntas Dei de actionibus humanis reſpectu aliorum.

Deus etiam vult, ut homo actiones ſuas dirigat ad aliorum hominum ſtatuſque eorundem perfectionem. Ponamus enim, ſi fieri poteſt, Deum velle ut homo tantummodo dirigat actiones ſuas ad ſui ipſius ſtatuſque ſui, non vero etiam ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem. Quatenus igitur vult, ipſum actiones ſuas dirigere ad ſui ipſius ſtatuſque ſui perfectionem, quin quæ homini bona ſunt velit dubitari nequit (§. 557 *Pſychol. empir.*); quatenus vero non vult, ut actiones ſuas ſimul dirigat ad aliorum & ſtatus eorundem perfectionem, quin quæ homini bona non velit, ſed velit potius quæ mala ſunt, non minus extra dubitationis aleam omnem poſitum eſt (§. 568 *Pſychol. empir.*). Quamobrem ſi Deus non vult, ut homo actiones ſuas ſimul dirigat ad perfectionem aliorum ſtatuſque eorundem; ſimul vult quæ homini bona ſunt, & quæ bona non ſunt, ſeu quæ mala ſunt. Quod cum ſit abſurdum (§ 28 *Ontol.*), imo bonitati divinæ, qua præditus eſt (§. 699), repugnet (§. 695); dici nequit, Deum non velle, ut actiones ſuas dirigat homo ad perfectionem aliorum ſtatuſque eorundem.

Idem etiam directe oſtenditur hoc modo. Deus ſumme bonus eſt erga homines, ita ut bonitatem majorem concipi repugnet (§. 699). Quoniam ergo bonus erga alios ad aliorum perfectionem promovendam pronus eſt (§. 695); Deus adeo pronus eſt ad hominum ſtatuſque eorundem perfectionem promovendam, ut omnia & velle, & facere dicendus ſit, quibus eorum & ſtatus eorundem perfectio promovetur. Fieri itaque haud quaquam poteſt, ut non velit hominem actiones ſuas dirigere ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem promovendam, conſequenter neceſſe eſt velle eum, ut homo unuſquiſque actiones ſuas quoque dirigat ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem.

Hominem non ſibi tantummodo, ſed aliis quoque conſulere poſſe, ipſa experientia docemur. Quemadmodum creaturæ ceteræ noſtris inſervire poſſunt uſibus; ita homo unus alteri auxilio eſſe poteſt. Et ſicuti uſus rerum inanimatarum & animantium brutorum ſunt fines a Deo intenti (§. 648), ac ideo Deus velle dicendus eſt, ut creaturæ hoſce ſibi mutuo præſtent uſus (§. 932 *Ontol.*); ita quoque dubitari nequit, quia hominibus dederit aliis inſerviendi vires, ut unus alteri auxilium præſtet. A vero igitur quam longiſſime abſunt, qui ſibi perſuadent ſe ſibi ſoli vivere.

§. 910.

Directio actionũ volunta-

Quoniam Deus vult, ut homo actiones ſuas dirigat ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem (§. 909); *ſi homo actiones ſuas dirigit ad aliorum*

ſtatuſ-

Digitized by Google

ti divinæ confor-mis.

ſtatuſque eorundem perfectionem; voluntati divinæ conformiter eaſdem dirigit, ſeu, quod perinde eſt, *directio actionum ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem voluntati divinæ conformis.*

Patet itaque, ut homo voluntati divinæ convenienter vivat, non ſufficere, ut ſuam promoveat perfectionem, ſed requiri præterea, ut aliorum quoque commodis pro virili inſerviat, nec quicquam faciat, quod quomodocunque ad aliorum imperfectionem tendat.

§. 911.

Inſeparabilitas boni alieni a proprio.

Similiter quia *Deus* vult, ut homo actiones ſuas dirigat non minus ad aliorum ſtatuſque eorundem (§. 909), quam ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem (§. 905); fieri non poteſt, ut velit hominem actiones ſuas ita dirigere ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem, ut tendant ad aliorum ſtatuſque eorundem imperfectionem, conſequenter *non vult, ut homo promoveat perfectionem ſui ſtatuſque ſui cum imperfectione aliorum ſtatuſque eorundem*, adeoque cum verum bonum ſit, quod revera nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 557 *Pſychol. empir.*), verumque malum, quod revera nos ſtatumque noſtrum imperfectiores reddit (§. 568), *non vult, ut bonum noſtrum promoveamus cum malo alterius.*

Hinc liquet, nos in dirigendis actionibus noſtris aliorum conſtanter rationem habere debere, nec ſufficere, ut eas tantummodo ad nos ſtatumque noſtrum referamus, ſiquidem eas voluntati divinæ convenienter dirigere velimus. Principium hoc maximi uſus eſt in definienda moralitate actionum. Quæ incautis ſuboriri poſſunt difficultates in applicatione ejuſdem; eas ſemovebimus alio loco, ubi idem applicaturi ſumus. Tum vero conſtabit, quanti ſit uſus in moralitate actionum rite definienda.

§. 912.

Qualis ſit perfectio, ad quam actiones dirigendæ ex voluntate Dei.

Perfectio hominis ſtatuſque ejuſdem, ad quam Deus vult ut dirigat actiones ſuas, accidentalis eſt. Quoniam enim perfectio eſſentialis continetur conſenſu determinationum eſſentialium (§. 528 *Ontol.*), eſſentiæ vero rerum immutabiles ſunt (§. 300 *Ontol.*), adeoque nulla determinationum eſſentialium abeſſe, nec iis, quæ rei inſunt, alia ſupeaccedere, neque in ejus, quæ adeſt, locum diverſa ab eadem ſubſtitui poteſt (§. 291 *Ontol.*); poſita eſſentia rei ponitur quoque ejus perfectio eſſentialis, ab ea prorſus inſeparabilis. Cum itaque fieri non poſſit, ut perfectio eſſentialis ulla capiat incrementa; ea omnino perfectio, ad quam homo dirigere debet ſecundum Dei voluntatem actiones ſuas, & quam promoveri iiſdem vult Deus, eſſentialis eſſe nequit. Enimvero præter perfectionem eſſentialem, quæ conſenſu determinationum eſſentialium continetur, & perfectionem accidentalem, quæ dicit conſenſum determinationum accidentalium cum eſſentialibus, alia concipi nequit (§. 528 *Ontol.*). Perfectio igitur hominis ſtatuſque ejuſdem, ad quam Deus vult ut actiones ſuas dirigat, vel quam Deus vult ut actionibus ſuis promoveat, accidentalis eſt.

Demonſtratio propoſitionis præſentis abſtracta eſt, qualis convenit propoſitioni abſtractæ. Ipſa autem propoſitio ideo contemnenda non eſt, quod ſit abſtracta: ejus enim uſus in demonſtrandis aliis mox eluceſcet. Non putandum eſt veritatem omnem adeo obviam eſſe ſenſui, ut per imagines rerum pateat.

§. 913.

Digitized by Google

§. 913.

Actio naturalis quænam ſit.

Actiones naturales dicuntur, quæ ab arbitrio noſtro minime pendent, aut, quæ ex eſſentia & natura rei neceſſario conſequuntur. Opponuntur *liberis*, quæ ab arbitrio noſtro pendent, ſeu ex eſſentia & natura rei non neceſſario conſequuntur.

E. gr. Actio naturalis ventriculi eſt digeſtio ciborum: hæc enim arbitrio noſtro minime ſubjecta, cum cibos digerat ventriculus, quemadmodum per cauſas naturales fieri poteſt, ſive velimus, ſive nolimus. Ingeſtio cibi vero in os & ejus deglutitio, qua in ventriculum demittitur, eſt actio libera: etenim in arbitrio noſtro poſitum eſt, utrum cibum in os ingerere ac deglutire velimus, nec ne.

§. 914.

Identitas determinationis actionũ liberarũ & naturalium.

Si actiones liberæ tendere debent ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri, cum naturalibus per eaſdem rationes finales determinari debent. Cibus a ventriculo digeritur, ut corpori alendo inſerviat. Quoniam ventriculus vi ſtructuræ ſuæ hunc habet uſum, ut cibum digerere poſſit, & cibus digeſtus uſui eſt in corpore alendo, uſus vero rerum naturalium ſunt fines a Deo intenti (§. 648); Deus homini ventriculum dediſſe dicendus eſt, ut alimentis conſervari poſſit. Atque adeo digeſtio cibi in ventriculo determinatur per conſervationem corporis, tanquam rationem finalem (§. 932 *Ontol.*). Dico igitur, quod ingeſtio cibi in os ac ejus deglutitio per eandem rationem finalem determinari debeat, ſcilicet quod in os non ſit ingerendus, nec ingeſtus deglutiendus, niſi qui conſervationi corporis conducit, ſi hæc actio dirigenda ad perfectionem corporis humani. Etenim perfectio eſſentialis ventriculi conſiſtit in aptitudine, quam per ſtructuram ſuam, adeoque eſſentiam ſuam habet (§. 276 *Coſmol.*), digerendi cibos, & perfectio corporis humani qua vivi in eo, quod per ſtructuram ſeu eſſentiam ſuam aptum ſit ad conſervationem ſui. Digeſtio itaque cibi eſt actio ventriculi, eaque naturalis (*not.* §. 913), non modo conveniens perfectioni ventriculi, verum etiam tendens ad perfectionem ſtatus interni corporis humani, conſervationem nimirum ipſius. Quodſi ergo ponamus, hominem aſſumere cibos ſanitati corporis nocuos eoſque deglutire; actio hæc libera (*not.* §. *cit.*) contrariatur perfectioni corporis eſſentiali, adeoque & accidentali (§. 528 *Ontol.*), conſequenter ad eandem non tendit. Quamobrem ſi ad eam dirigenda, non aſſumendus, nec deglutiendus eſt cibus, niſi quem ſanitati conducere novimus, conſequenter actio libera determinanda eſt per eandem rationem, per quam determinatur naturalis.

Poterat idem ſine applicatione ad exemplum aliquod ſpeciale oſtendi hoc modo. Ponamus actionem liberam per aliam rationem determinari, quam naturalem. Quoniam conſenſus conſiſtit in tendentia ad idem aliquod obtinendum (§. 503 *Ontol.*); actiones liberæ cum naturalibus minime conſentiunt, conſequenter cum perfectio conſiſtat in conſenſu, qui datur in varietate (§. *cit. Ontol.*), nulla quoad actiones ineſt ſtatui hominis perfectio

(§. 705

(§. 705 *Ontol.*). Et quia homo, quemadmodum ens omne, perfectus eſt, quatenus determinationes intrinſecæ per rationem quandam generalem explicari poſſunt (§. 530 *Ontol.*); actiones liberæ per aliam rationem, quam naturales, ex eſſentia rei neceſſario conſequentes (§. 913), determinatæ ad perfectionem hominis ſtatuſque ejuſdem tendere nequeunt. Neceſſe igitur eſt ut per eandem determinentur, qua determinantur naturales, ſiquidem ad perfectionem hominis dirigendæ.

Directe oſtenditur hoc modo. Homini non poteſt tribui perfectio, niſi quatenus determinationes intrinſecæ per rationem quandam generalem explicari poſſunt (§. 530 *Ontol.*). Et idem eodem modo intelligitur de ſtatu ejus extrinſeco, utpote qui per mutabilia extrinſeca, adeoque determinationes extrinſecas (§. 122 *Ontol.*), conſtituitur (§. 706 *Ontol.*). Quoniam actiones ſunt ſtatus mutationes (§. 713 *Ontol.*), conſequenter, cum conſtanter non inſint ſubjecto (§. 290 *Ontol.*), modi (§. 151 *Ontol.*), atque adeo in accidentium numero (§. 779 *Ontol.*); quin omnes tam naturales, quam liberæ per eandem rationem determinari debeant, ſiquidem ad perfectionem hominis dirigendæ, dubitandum non eſt.

Identitas determinationis actionum naturalium & liberarum maximi momenti eſt in demonſtranda moralitate actionum, quemadmodum ex jure naturali conſtabit. Ipſum principium cum ſit admodum abſtractum, nemo miretur demonſtrationem ex principiis abſtractis conflari. Quoniam tamen hæc non ſunt ad omnium palatum, quorum intereſt noſſe actionum naturalium & liberarum determinationem per eaſdem rationes finales; conſultum omnino nobis viſum fuit, primo loco præmittere demonſtrationem ad caſum aliquem ſpecialem applicatam, ut naſcatur in animo idea exemplaris, qua lux affunditur demonſtrationibus abſtractis. Quamobrem conducit demonſtrationem primo loco poſitam ſibi reddere familiarem, antequam abſtractas meditemur: quod qui faciunt hunc ſimul experientur uſum, ne in applicando principio fœcundiſſimo hæſitent, nec applicatione peccent. Juvat quoque propoſitio præſens attentionem, qua in determinandis actionibus liberis opus eſt, ne ejus defectu ab illarum rectitudine deviemus. Quanti vero ſit hic uſus, tum demum comprehendere licebit, ubi omnimodam actionis rectitudinem diſtincte explicaverimus.

§. 915.

Quoniam Deus vult, ut actiones liberas dirigamus ad noſtri ac aliorum perfectionem (§. 905. 909), hæ autem ipſæ actiones huc dirigi nequeunt, niſi cum naturalibus per eaſdem rationes finales determinentur (§. 914); *Deus* utique *vult, ut actiones liberas per eaſdem rationes finales determinet homo, per quas determinantur naturales.* *Identitas determinationum naturalium & liberarũ voluntati divinæ conformis.*

Ita e. gr. patet, velle Deum, ut homo veſcatur cibo, qui ſanitati conducit, ut adeo, qui voluntati divinæ convenienter cibis frui voluerit, eos ſeligere debeat, quos ſanitati minime nocuos experitur. Similiter liquet velle Deum, ut homo eam capiat cibi quantitatem, quam ſanitas conſervanda ſuadet.

§. 916.

Quia voluntati divinæ conformis eſt determinatio actionum liberarum per eaſdem rationes finales cum naturalibus (§. 915); ultro liquet determinationem actionum naturalium & liberarum per rationes finales diverſas voluntati divinæ contrariari, conſequenter *Deum nolle, ut homo actiones liberas per diverſas rationes finales determinet, quam per quas naturales determinantur.* *Diverſitas determinationis voluntati divinæ*

Deter-

contraria.

Determinatio actionum naturalium ab eſſentiis rerum pendens (§. 913) à Deo eſt, qui rebus haſce eſſentias dedit, quatenus eas exiſtere decrevit ab æterno, ac in tempore ad actum perduxit. Sibimetipſi adeo foret contrarius, ſi vellet actiones liberas per rationes diverſas ab iis determinari, per quas determinantur naturales. Ita fieri non poteſt, ut Deus velit, hominem veſci cibis ſanitati nocuis, qui vult hominem eſſe ſanum ac eam fecit corporis humani ſtructuram, ut ſingulæ organorum vitalium functiones ad conſervationem ejus pulcherrime conſpirent.

§. 917.

Perfectio hominis in quo conſiſtat.

Perfectio hominis conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius. Homo enim, quatenus ens eſt, Deum repræſentat tanquam ens a ſe & neceſſarium, quod intellectu, voluntate & potentia præditum, & vi immutabilis ejus decreti auctorem ſui agnoſcit (§. 818); quatenus vero cum ceteris in ſyſtema relatum, eum repræſentat tanquam ſapientem & bonum, eundemque omniſcium ac ſumma ratione præditum (§. 819). Quamobrem cum ens ſit per determinationes eſſentiales, unde ceteræ pendent (§. 168 *Ontol.*), & vi earundem cum rebus ceteris in ſyſtema redigi poſſit (§. 167 *Ontol.*); determinationes eſſentiales ac ceteræ inde pendentes hominem aptum efficiunt ad repræſentandam perfectionem Dei. Quoniam itaque determinationes omnes eſſentiales ac ceteræ inde neceſſario reſultantes tandem ad repræſentationem perfectionis divinæ tendunt; perfectio hominis, tam eſſentialis, quam accidentalis naturalis (§. 528 *Ontol.*), in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam conſiſtit. Quodſi actiones liberæ per eaſdem rationes finales determinentur, per quas determinantur naturales, quemadmodum vult Deus (§. 915); eædem quoque ita determinandæ ſunt, ut homo per eas aptus efficiatur ad repræſentandam perfectionem ipſius ſummam. Unde quæ hinc enaſcitur perfectio (§. 503 *Ontol.*) eaque accidentalis (§. 528 *Ontol.*), etiam quatenus a libertate ejus pendet, in aptitudine repræſentandi perfectionem ſummam Numinis conſiſtit. Enimvero præter perfectionem eſſentialem & accidentalem, cum naturalem, ſeu neceſſariam, tum eam, quæ a libertate ejus pendet, non concipi poteſt alia. Quamobrem omnis perfectio hominis conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam ſeu manifeſtandi gloriam ejus.

Quæ ſupra prolixe annotavimus, cum evinceremus perfectionem mundi in aptitudine patefaciendi ſummam Dei perfectionem conſiſtere (§. 673); hic quoque probe expendenda veniunt. Nimirum aptitudo illa repræſentandi perfectionem Dei ſummam perfectio generalis eſt, unde deinceps cetera ad perfectionem hominis eſſentialem atque accidentalem ſpectantia vi eſſentiæ conſequuntur: ſit ita quod nos ex eſſentialibus determinationibus primum concludamus perfectionem ſpecialem, ac deinde ab hac tandem aſcendamus ad generalem. Ceterum hæc propoſitio maximo uſui eſt in philoſophia practica: id quod inprimis eluceſcet, ubi oſtendemus, quomodo officia hominis erga Deum, ad gloriæ divinæ illuſtrationem tandem redeuntia, diffundantur per omnia officia reliqua, & omnes adeo hominis actiones liberas. Taceo ea, quæ per hanc propoſitionem in Theologia revelata clarius intelliguntur: quo refero gravitatem peccati, quæ multum momenti in ea habet. Utinam omnes veritatem hujus propoſitionis perciperent, ut intelligerent, qualis homo eſſe debeat, & longe aliam ipſi convenire vitam, quam quæ vivitur, & aliam beatitudinem, ac felicitatem, quam quæ quæritur. Sed de his ſuo tempore ſuoque loco dicemus plura.

§. 918.

§. 918.

Voluntas Dei de directione actionum humanarum ad ſui gloriam.

Deus vult, ut homo dirigat actiones ſuas liberas ad manifeſtationem gloriæ divinæ. Vult enim Deus, ut homo dirigat actiones ſuas ad perfectionem ſui (§. 905). Quoniam itaque perfectio hominis in aptitudine manifeſtandi gloriam Dei conſiſtit (§. 917); neceſſe eſt, ut Deus velit hominem actiones ſuas dirigere ad gloriæ divinæ manifeſtationem.

Vulgo dicitur hominem dirigere debere actiones ſuas ad gloriam Dei; ſed cum demonſtrativa methodo utamur, propoſitiones ita enuntiandæ ſunt, ut cum principiis anterioribus conſentiant. Propoſitio præſens iis conſectectibus, ita etiam efferri poterat, quod Deus velit aptitudinem hominis repræſentandi ipſius perfectionem ſummam, ſeu promovendi gloriam ejuſdem.

§. 919.

Quomodo gloria Dei manifeſtetur per actiones liberas.

Homo per determinationem actionum liberarum non aliter manifeſtare poteſt gloriam divinam, quam ſi attributa divina per modum motivorum in eandem influant, ſeu, quod perinde eſt, *ſi attributa divina ſint motiva actionum liberarum*. Etenim motiva ſunt ratio ſufficiens actuum volitionis & nolitionis (§. 887 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118 *Ontol.*); poſitis motivis ponuntur volitiones ac nolitiones animæ, conſequenter per motiva volitiones atque nolitiones determinantur (§. 113 *Ontol.*). Quodſi jam homo per determinationem actionum liberarum gloriam divinam promovere debet, neceſſe eſt ut verbis factiſque teſtetur, ſe agnoſcere perfectionem Dei abſolute ſummam, & quod eadem gaudeat pro certo habere (§. 610). Quamobrem aliter fieri nequit, ut per determinationem actionum liberarum gloriam divinam promoveat, quam ſi perfectiones divinæ aut, ſi mavis, attributa Dei ſint motiva actionum liberarum.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Quoniam homo gloriam divinam promovet, quatenus verbis factiſque teſtatur, ſe agnoſcere perfectionem Dei abſolute ſummam, & quod eadem gaudeat pro certo habere (§. 610); per actiones liberas eandem aliter promovere nequit, quam ſi ex attributis divinis intelligitur, cur hoc potius velit, quam nolit, & viciſſim hoc potius nolit, quam velit. Enimvero ex motivis volendi intelligimus, cur quid potius velimus, quam non velimus, & ex motivis nolendi perſpicimus, cur quid potius nolimus, quam non nolimus (§. 888 *Pſychol. empir.*). Quamobrem per actiones liberas gloriam divinam promovere aliter nequit homo, quam ſi attributa divina ſint motiva volendi ac nolendi.

Principium hoc fœcundiſſimum eſt in explicandis hominis erga Deum officiis, præſertim ubi oſtendendum, quomodo homo per actiones quaſcunque liberas gloriam divinam promovere vel illuſtrare debeat: id quod abſque ejus ope oſtendi haud quaquam poteſt. Applicatione hujus principii univerſa philoſophia practica alienam prorſus induit formam, & actiones bonæ a malis facillime diſtinguuntur.

§. 920.

Voluntas Dei de dire-

Deus vult, ut homo actiones ſuas dirigat ad perfectionem totius univerſi. Vult enim ut dirigat actiones liberas ad ſui aliorumque ac ſtatus ſui & aliorum perfe-

ctione actionum liberarũ reſpectu univerſi.

perfectionem (§. 905. 909). Quamobrem cum perfectio hominis omnis conſiſtat in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam (§. 917); non poteſt non velle, ut ita actiones ſuas liberas dirigat, quo quoad perfectionem accidentalem, quæ ab iis pendet (§. 912), tum ipſe, tum alii apti ſint ad repræſentandum perfectionem divinam. Enimvero perfectio totius mundi conſiſtit in aptitudine patefaciendi perfectionem Dei ſummam (§. 673) & creaturæ omnes ſunt ſpecula perfectionum divinarum (§. 785), quatenus per determinationes ipſis intrinſecas colligi poteſt, qualia ſint attributa divina (§. 784), adeoque perfectionem Dei ſummam repræſentant. Quamobrem patet, velle Deum, ut homo actiones ſuas dirigat ad perfectionem totius univerſi.

Homo tanquam creatura Dei (§. 782) quoad determinationes eſſentiales & quæ inde pendent accidentales, quatenus libertas hominis in eas minime influit, quemadmodum creaturæ ceteræ, quæ hoc univerſum conſtituunt, perfectus eſt: alias enim mundus non eſſet omnium poſſibilium perfectiſſimus (§. 326). Imo ſi prolixioribus eſſe liceret, eaque ſupponi poſſent, quæ de ſtructura corporis humani & ejus cum anima harmonia ſuo tempore apertius dicemus, ex ipſa notione perfectionis (§. 503 & ſeqq. *Ontol.*) demonſtrari poterat eodem prorſus modo, quo idem de oculo oſtendimus (*not.* §. 503 *Ontol.*) & de vita hominis indicavimus, cum definitionem perfectionis in genere illuſtraremus. Vi hujus perfectionis homo perinde ac creaturæ ceteræ omnes, aptus eſt ad perfectionem divinam repræſentandam, quatenus inde colligere datur, quænam ſint attributa divina, quemadmodum prolixe ſatis docuimus (§. 799 & ſeqq.). Et hoc pacto hominis, quemadmodum totius univerſi, perfectio tandem redit ad aptitudinem patefaciendi perfectionem Dei ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius (§. 673). Quodſi homo actiones ſuas liberas dirigit ad ſui aliorumque perfectionem; quæ ab iisdem pendent non minus, quam eſſentialis, eum aptum efficiunt ad attributa divina repræſentanda, determinationibus accidentalibus cum eſſentialibus conſentientibus, utpote per eaſdem rationes finales cum naturalibus determinatis (§. 915). Quodſi porro actiones liberæ per attributa divina tanquam motiva determinantur, libertatis quoque uſu homo gloriam divinam manifeſtat, & ſic quoque qua libera creatura perfectionem Dei repræſentat; quatenus ex hac liberarum actionum determinatione perſpicitur, quod Deum ea perfectione præditum agnoſcat, quæ ipſi competit. Major ergo aptitudo repræſentandi perfectionem Dei in homine concipi nequit, adeoque vi ejuſdem digniſſimus, qui locum teneat in ſerie rerum perfectiſſima, ad ſummam Dei perfectionem repræſentandam apta (§. 673). Liquido igitur conſtat hoc pacto hominem actiones ſuas liberas ad perfectionem totius univerſi dirigere, conſequenter Deum, qui vult, ut eaſdem ad ſui & aliorum perfectionem dirigat & per attributa divina tanquam motiva determinet; velle ut eaſdem dirigat ad perfectionem totius univerſi. Sublimis hæc veritas, quæ vulgo non agnoſcitur, maximi momenti eſt non minus in philoſophia morali, quam in omni religione tam naturali, quam revelata. Quamobrem nec piguit eam explicare uberius. Quomodo ex iis, quæ de voluntate divina quoad directionem actionum liberarum hominis diximus, deducatur concurſus Dei ad actiones bonas, ſequente demum capite docere licebit.

§. 921.

Directio actionum voluntati divinæ contraria.

Deus velle nequit, ut actiones ſuas liberas homo dirigat ad imperfectionem totius univerſi. Vult enim ut dirigat ad perfectionem totius univerſi (§. 920). Quamobrem cum fieri non poſſit, ut idem ſimul velit & non velit (§. 28 *Ontol.*); nec velle poteſt, ut eas ad imperfectionem totius univerſi dirigat.

Quod igitur id faciant homines, ſaltem fit Deo permittente, quemadmodum jam ſupra evicimus (§. 858). Non vero eſt, quod excipias, quoniam mundus foret perfectior, ſi homines actiones ſuas liberas omnes dirigerent ad perfectionem univerſi, mundum hunc non poſſe eſſe omnium poſſibilium perfectiſſimum. Etenim ſi homines actiones ſuas liberas non dirigant ad perfectionem totius univerſi, ſed potius ad imperfectionem ejuſdem; id

ſaltem

Digitized by Google

ſaltem arguit imperfectionem accidentalem in homine, adeoque in parte. Quamobrem cum imperfectio in parte non tollat perfectionem in toto, ſed facere poſſit ad majorem perfectionem totius, quatenus admiſſa hac imperfectione in parte propter rerum omnium nexum perfectioni in toto locus eſt, qua alias careret; nihil hinc adverſus ſummam mundi totius perfectionem concluditur. Enimvero hæc ſatis aperta ſunt per ea, quæ de malo morali demonſtrata ſunt in ſuperioribus (§. 550 & ſeqq.). Actiones enim liberæ malæ ſunt, quæ tendunt ad imperfectionem hominum atque totius univerſi. Unde & hinc patet, Deum hanc directionem velle non poſſe: quia certum eſt eum velle non poſſe malum morale (§. 581).

§. 922.

Providentia quid ſit.

Decretum Dei de conſervatione & gubernatione rerum omnium in hoc univerſo & concurſu ad earundem actiones dicitur *Providentia divina*. Et hinc Deus rebus *providere* dicitur, quatenus eas conſervat & gubernat atque ad actiones earundem concurrit.

Terminus providentiæ cum apud philoſophos, tum apud Theologos receptus. Quamobrem noſtrum quoque fuit eodem uti, ne incautis rem ipſam negare videamur, dum a termino abſtinemus.

§. 923.

An detur.

Datur providentia divina. Etenim Deus creaturas omnes conſervat, nulla ſeipſam conſervare valente (§. 843), ad ſingulas earundem actiones concurrit (§. 874), ne malis quidem hominis exceptis (§. 883), quatenus phyſice ſpectantur (§. 884), atque hoc univerſum gubernat (§. 900). Quoniam itaque Deus, qui omnes rerum materialium effectus & omnes noſtras cogitationes ſeu, quicquid in hac rerum ſerie in tempore exiſtit, ab æterno præſcivit (§. 524), in tempore faciat, quemadmodum decrevit (§. 525) ab æterno (§. 504); quin ab æterno rerum omnium in hoc univerſo conſervationem ac gubernationem & concurſum ad actiones quaſcunque earundem decreverit, dubio prorſus caret. Atat decretum Dei de conſervatione & gubernatione rerum omnium in hoc univerſo atque concurſu ad quaſcunque earundem actiones eſt ipſa providentia divina (§. 922). Patet itaque dari providentiam divinam.

Qui adeo providentiam Dei negant, dependentiam mundi & omnium, quæ in eo ſunt, a Deo minime agnoſcunt, ſed eum ab ipſo prorſus independentem fingunt: ſit ita, quod creationem ſeu ortum mundi a Deo in dubium non vocent.

§. 924.

Immutabilitas providentiæ divinæ.

Providentia divina æterna & immutabilis eſt. Eſt enim providentia decretum Dei de rebus conſervandis & gubernandis & concurſu ad earundem actiones (§. 922). Sed decretum Dei æternum (§. 504) atque immutabile eſt (§. 509). Providentia igitur divina æterna & immutabilis eſt.

Nimirum Deus providens rebus creatis quoad conſervationem & gubernationem earundem, non hodie demum ſtatuit, quid fieri debeat, ſed idem jam decrevit ab æterno, nec ulla adeſt decreti immutandi ratio. Nimirum hoc factum eſt, ut præſcientiæ divinæ infallibilis: unde & vulgo doctrina de præſcientia divina ad providentiam referri ſolet. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, æternitate & immutabilitate tolli providentiam aut in fatalem neceſſitatem converti. Qui enim ita ſentiunt, effectum præſcientiæ divinæ minime capiunt. Finge parentem, quamprimum infans naſcitur, præſcire omnia, quæ per totum vitæ tempus, quod exacte præcognitum habet, ipſi ſunt eventura, ſeu, ut magis philoſophice dicamus, prævidere omnes circumſtantias, in quibus infans per totum vitæ tempus

ſucceſſive ſit conſtituendus. Quodſi jam ſimul decernit, quid facere in quocunque caſu, & quomodo actiones ejus dirigere & conſervationi ejuſdem proſpicere velit, ac deinceps hoc ſuum propoſitum, a quo ut recedat caſu exiſtente, nulla ratio ex improviſo emergens ſuadere poteſt, continuo exequatur; nonne perinde fiunt omnia, ac ſi in dato demum caſu inito conſilio demum decernatur, quid fieri debeat, & decretum recens executioni demandetur? Sic ita, quoſdam ex æternitate ac immutabilitate providentiæ divinæ fatalem rerum neceſſitatem intuliſſe: an ergo veritati quicquam derogatur, quod quidam eam male capientes inde intulerint, quæ nullo conſecutionis filo conſequuntur? Oſtendendum potius nullam eſſe conſequentiam: id quod ſatis perſpicuum eſt iis, qui ſuperiora ſatis percepere, quæ de præſcientia divina, ſalva libertate humana, & de dependentia mundi a libero Dei decreto abunde demonſtrata ſunt. Si quis vero hebetior fuerit, quam ut longam concatenatarum demonſtrationum ſeriem capere poſſit, aut nimis impatiens, quam ut eam afferre velit attentionem, qua opus eſt; is agnoſcat, ſuum non eſſe, ut ſtatuat de rebus captum ejus tranſcendentibus, & fidem habeat illorum dictis, quibus veritatem profundam penitus inſpicere datum eſt. Si qui fuerint philoſophi acumine præditi, qui providentiam divinam in fatalem rerum neceſſitatem converterunt; illi eandem ex immutabilitate ac æternitate providentiæ divinæ non intulerunt, etſi nec ea concipi poſſit niſi æterna atque immutabilis, ſed ea alio fonte error eorum profluxit, veluti juxta *Spinoſam* ea neceſſaria mundi a Deo dependentia creationis actu æterno ac in ſe immutabili.

§. 925.

Objectũ providẽtiæ divinæ. *Providentia divina ſeſe extendit ad omnia, quæ ſunt ac fiunt in hoc univerſo, nec quicquam judicari debet adeo abjectum, ad quod ſeſe non extendat providentia divina.* Etenim creatura nulla, qualiſcunque tandem ſit, ſeipſam conſervare poteſt, ſed omnis a Deo conſervetur neceſſe eſt (§. 843). Similiter nulla datur creaturæ cujuſcunque actio, ad quam Deus non concurrat (§. 874), & quam gubernans hoc univerſum (§. 900) non dirigat ad certum finem (§. 899). Quamobrem cum providentia divina verſetur circa ea, quæ a Deo conſervantur atque gubernantur & ad quorum actiones concurrit (§. 922); providentia divina ſeſe extendit ad omnia, quæ ſunt ac fiunt in hoc univerſo.

Quodſi vero omnia, quæ ſunt ac fiunt in hoc univerſo, providentiæ divinæ ſubſunt, quemadmodum modo demonſtravimus; nihil quoque nominari poteſt, quod ab eadem ſit eximendum, conſequenter nihil adeo abjectum judicari poteſt, ad quod providentia divina ſeſe non extendat.

Univerſalitas providentiæ divinæ adeo obvia eſt, ut mirum omnino videatur, qui fieri poſſit, ut a nonnullis in dubium revocetur. Apparet vero eſſe eos, qui de univerſalitate illius dubitant, a notionibus diſtinctis procul remotos & judicium ſibi ſumere de rebus, quas per notiones confuſas tanquam per tranſennam inſpiciunt. Cum ſibi multa videantur adeo abjecta, ut eorum cura ipſos minime tangat; Deum, ens ſummum, multo magis faſtidire debere colligunt, quæ exigui vel nullius uſus videntur. Enimvero mox oſtendemus, quæ nobis ex parte noſtri nullius uſus vel exigui admodum videntur, talia non eſſe judicio Dei. Ceterum univerſalitas providentiæ divinæ magnum pollicetur, imo maximum uſum in moralibus, præſertim ubi de fiducia erga Deum & de patientia agitur.

§. 926.

Univerſalitas decreti divini. Quoniam nihil cenſeri debet adeo abjectum, quod non ſubſit providentiæ divinæ (§. 925), providentia vero divina decretum eſt de rebus conſervandis & gubernandis (§. 922); *nihil quoque adeo abjectum videri debet, cujus Deus non habuerit rationem, cum conſervationem ac gubernationem*

hujus

hujus univerſi decerneret, & cujus conſervationem & gubernationem non decreverit ab æterno (§. 504).

Avicula, quæ decipula capitur, res vilis æſtimatur. Sed vi corollarii præſentis Deus ab æterno decrevit, quod eo momento, quo capitur, capi debeat. Et quia de ejus conſervatione ſtatuit decreto ſuo æterno: non interire poteſt niſi eo momento, quo ejus interitum decrevit. Ceterum cum Deus malum morale tantummodo permittere decreverit (§. 585), nec ad actiones malas qua tales concurrat (§. 884); cavendum ne decretum divinum, quo rebus ſingulis providetur, in præjudicium Numinis interpretemur: id quod facile evitabitur, ſi quæ de concurſu Dei ad actiones malas dicta ſunt, imo in genere de malo morali paſſim tradita, probe perpendantur.

§. 927.

Providentia divina quomodo executioni detur.

Deus providet rebus per nexum rerum in hoc univerſo. Etenim mundum gubernat, dum omnia inter ſe connectit (§. 901), & vel experientia obvia conſtat, corpora quoad conſervationem pendere a corporibus aliis, conſequenter qua corpora rationem conſervationis ſuæ habere in aliis corporibus (§. 851 *Ontol.*), adeoque vi nexus rerum conſervari (§. 10 *Coſmol.*). Quamobrem cum Deus rebus provideat, quatenus eas conſervat atque gubernat (§. 922); per nexum rerum in hoc univerſo iiſdem providet.

Quod rerum materialium una concurrat ad conſervationem alterius, non multa attentione cognoſcitur. Hinc Scholaſtici dixere: nullum corpus poſſe conſervare ſeipſum, Deum tamen dare corporibus facultatem conſervandi alia. Qui nexum rerum ex Coſmologia perſpectum habet, & rerum materialium dependentiam quoad actum a ceteris intime perſpectum (§. 83 *Coſmol.*); is conſervationem unius per alias a priori agnoſcit. Quoniam decretum, quod providentiam appellamus (§. 922), per nexum rerum exequitur Deus, quoad gubernationem non ſolum, verum etiam conſervationem rerum in mundo adſpectabili; providentiam divinam plenius agnoſcit, qui nexum iſtum profundius ſcrutatur. Oppido igitur falluntur, qui nexum rerum ſapientem cum fatali neceſſitate confundentes ſibi ac aliis perſuadere conantur, tolli per eum providentiam divinam. Quodſi hoc ipſum animos eorum anxios tenet, quod res æterno ac immutabili decreto inter ſe ſint connexæ; dubium hoc jam ſuſtulimus in anterioribus (*not.* §. 901. 924), & quæ de modo providendi dicemus, nebulas omnes prorſus diſpellent. Notandum vero dubia, quæ ab æternitate & immutabilitate decreti oriuntur, non eſſe alia, quam quæ perplexos reddunt eos, qui præſcientiam divinam non capiunt: id quod mirum videri non debet, cum præſcibilitas a nexu rerum (§. 252), ipſa autem præſcientia a decreto pendeat, quo nexus rerum ſtatutus (§. 528), conſequenter ab ipſa providentia (§. 922).

§. 928.

Dependentia providentiæ a ſapientia bonitate ac potentia Dei.

Deus ſapientia, bonitate ac potentia providet rebus. Providet enim rebus per nexum earundem cum aliis (§. 927). Nexus vero rerum ſapientia ac bonitate Dei ſimul conſtitutus eſt (§. 741). Deus igitur ſapientia ac bonitate ſua rebus providet.

Enimvero Deus quoque rebus providet, quatenus eas conſervat (§. 922). Quamobrem cum potentia conſervatrix ſubſtantiarum ſeu rerum quoad ſubſtantialitatem ſoli Deo propria (§. 855), ſine hac conſervatione vero divina, qua Deus rebus largitur vires agendi (§. 876), nihil in rerum natura ad aliorum corporum ortum & conſervationem quicquam conferre poſſit (§. 856. 869); Deum etiam potentia ſua rebus providere palam eſt.

Hinc liquet decretum Dei, quo ſapientiæ ac bonitati ſuæ convenienter actum hujus nexus rerum, qui in univerſo obſervatur, determinavit, eſſe providentiam divinam, non quatenus omnia naturali quadam neceſſitate ex eſſentiis rerum conſequuntur, ſed quatenus

hic

Digitized by Google

hic ipſe nexus per eſſentias rerum poſſibilis ſapientia ac bonitate divina conſtitutus. Ex eo autem intelligitur, cur quidam fatum Stoicorum, quod per optimum ac ſapientiſſimum rerum nexum interpretantur, ab impietate & abſurditate abſolvant, eidem objecta ab aliis, qui idem cum neceſſaria rerum concatenatione, qualem defendit *Spinoſa*, unum idemque eſſe ſumunt. Nobis perinde eſt, quid Stoici ſtatuerint: ſufficit demonſtraſſe, quo reſpectu nexus rerum in hoc univerſo referatur ad providentiam divinam.

§. 929.

Ordo naturæ & permiſſio ac directio mali eſt providentiæ divinæ.

Ordo naturæ & directio malorum ad bonos fines una cum ejus permiſſione pertinet ad providentiam divinam. Etenim naturæ ordo & directio malorum pertinet ad gubernationem univerſi (§. 904). Sed quæ Deus de gubernatione rerum decrevit, ea pertinent ad providentiam divinam (§. 922). Quamobrem ordo naturæ & directio malorum ad bonos fines pertinet ad providentiam divinam.

Deus mala permittere decrevit (§. 585). Quodſi permiſſionem non decreviſſet, nec de ejus directione ad bonos fines decernere quid potuiſſet. Quoniam itaque decretum de directione mali ſupponit decretum de permiſſione & idem ad providentiam divinam ſpectat *per demonſtrata*; mali quoque permiſſio ad providentiam divinam pertinet.

Cum providentia divina plurimum influat in praxin, non inutile eſt ſpecialius quædam recenſeri, quæ ad eandem ſpectant, ne demum opus ſit per illationem eadem colligi, ubi iis habemus opus in demonſtrando, vel eorum cognitio animum ſubire debet in praxi. Quamobrem ea etiam tantummodo recenſemus, quæ huic uſui inſerviunt.

§. 930.

Naturalia fiunt ſecundũ providẽtiam.

Quoniam ordo naturæ pertinet ad providentiam divinam (§. 929), quæ vero in mundo adſpectabili fiunt, ſecundum naturæ ordinem fiunt (§. 566 *Coſmol.*); *quæcunque naturaliter fiunt, ſecundum providentiam divinam fiunt.*

Qui ſibi perſuadent tolli providentiam divinam, ſi in mundo adſpectabili omnia fiant naturaliter, nec Deus actiones naturæ determinet aliter, quam quomodo vi eſſentiæ ac naturæ corporum conſequuntur (§. 509 *Coſmol.*); illi providentiæ divinæ & attributorum Dei, ſine quibus ea intelligi nequit, notionem non ſatis profunde introſpiciunt. Condonandum hoc eſt vulgo: quod diſtincta rerum cognitione deſtituitur; ſed nec Philoſopho, nec Theologo, cujus rerum divinarum cognitio a cognitione vulgi in eo differre debet, quod ſit diſtincta. Deus nimirum auctor naturæ eſt (§. 822), quæ agit ſecundum leges, eidem præſcriptas (§. 826) & violari neſcias (§. 827). Unde eſt, quod jam dudum affirmaverint & Philoſophi, & Theologi, Deum in gubernando hoc univerſo uti cauſis ſecundis, nimirum non defectu potentiæ, ſed vi ſapientiæ, cujus neque minus, quam illius ſpeculum eſt.

§. 931.

Fata ſiniſtra hominum providẽtiæ divinæ ſubſunt.

Quoniam permiſſio mali & ejus directio ad bonos fines, ad providentiam divinam pertinet (§. 929); *nihil nobis accidere poteſt mali, qualecunque tandem ſit, niſi Deo providente*, adeoque cum Deus rebus provideat ſapientia ac bonitate ſua (§. 928), *ſecundum ſapientiam atque bonitatem ipſius.*

Probe hic notandum eſt, quod providentia divina extendatur ad maxima minima, ita ut nihil judicari poſſit adeo leve atque abjectum, quod eidem minime ſubſit (§. 925). Ponamus e. gr. tibi ab altero unum evelli malo animo capillum: dubitandum non eſt, Deum evulſionem hanc vi providentiæ ſuæ permittere & ad bonum quendam finem dirigere, quatenus vi ſapientiæ ac bonitatis ſummæ ſaluti tuæ proſpicere ab æterno decrevit. Etſi hoc admodum paradoxum videatur; rationi tamen convenientiſſimum vi demonſtrationum anteriorum. Quamobrem & dubio caret, quod rationes ſapientiæ ac bonitati conformes deprehenſurus

Digitized by Google

henſurus ſit, qui ad ea, quæ ex malo leviſſimo conſequuntur, animum advertit in perſcrutanda rerum mutua a ſe invicem dependentia acumine ſufficiente uſus.

§. 932.

Fortuna pertinet ad providentiam divinam, aut ſi mavis, ſubeſt providentiæ divinæ. Eſt enim fortuna cauſarum quidam concurſus, minime præviſus (§. 540), hominibus nimirum, non Deo fortunam omnem ab æterno præſcienti (§. 543), & effectus illius ſunt in numero finium a Deo intentorum, ſive ſecunda fuerit, ſive adverſa (§ 651), qui ab eo tam fini ultimo (§. 652), quam aliis finibus particularibus ita ſubordinantur, ut ſint media aliorum conſequendorum (§. 654). Quoniam itaque nexus rerum ſucceſſivarum in hoc univerſo conſiſtit in dependentia cauſati a cauſa, & finis a medio, & actionis cauſæ efficientis a fine ſimul (§. 665); quin fortuna in nexu rerum contineatur dubitari nequit. Enimvero Deus providet rebus in hoc univerſo per nexum rerum (§. 927). Providet igitur etiam iiſdem per fortunam cum ſecundam, tum adverſam, adeoque fortuna pertinet ad providentiam divinam. *An fortuna providentiæ divinæ ſubſit.*

Idem etiam ſic oſtenditur. Cum fortuna ſit cauſarum quidam concurſus (§. 540), adeoque in numero cauſarum naturalium contineatur; quin naturaliter fiant, quæ fortuna eveniunt, dubitari nequit, modo iſtum concurſum per exempla tibi clare ac diſtincte repræſentaveris, quæ in medium attulimus, cum definitionem fortunæ recepto uſui loquendi conformem evinceremus (§. 541). Enimvero quicquid naturaliter fit, providentiæ divinæ eſt (§. 930). Quamobrem quod fortuna evenit, providentiæ divinæ tribuendum, adeoque fortuna eidem ſubeſt.

Continetur fortuna qua talis, hoc eſt, qua concurſus cauſarum minime præviſus (§. 540), utpote vi decreti divini futura facta ab æterno (§. 544), in æterno iſto ac immutabili decreto divino, quo rebus univerſis conſulitur, & quod providentiam appellamus (§. 922). Quando itaque in propoſitione præſente affirmamus, fortunam pertinere ad providentiam divinam; hoc ipſum nobis volumus, quod ea, quæ ſunt fortunæ, ſimul contineantur in numero illorum, quæ de conſervatione ac gubernatione rerum in hoc univerſo a Deo fuere ab æterno decreta. Et quatenus Deus vi hujus decreti dirigit effectus fortunæ ad certos fines (§. 654), perinde ac effectus ceteros naturales (§. 633. 645); fortuna eodem modo ſubeſt providentiæ divinæ, quo ſubſunt cetera omnia. Quemadmodum adeo quædam fiunt Deo volente, quædam eodem nonniſi permittente, aut, ut alii loqui amant, alia fiunt voluntate Dei plena, alia nonniſi permiſſiva, quam plenam non eſſe conſtat (§. 584); ita etiam effectus fortunæ alios Deus vult, alios nonniſi permittit, quatenus nempe in cauſarum concurrentium numero etiam locus eſt malæ hominum voluntati. Ut paucis dicam, quæ de fortuna dicenda ſunt, quatenus ad providentiam divinam refertur; cum ex parte Dei fortuna nulla ſit, ſed ipſi tantummodo locus ſit in ſerie cauſarum naturalium ex parte hominis (§. 542); quomodo res ceteræ omnes ſeſe habent in decreto providentiæ divinæ, eodem quoque modo ſeſe habet fortuna. Quamobrem quæ de rebus quibuſcunque in hoc univerſo quoad providentiam divinam demonſtrantur, tanquam de cauſis ſecundis, quibus utitur Deus rebus providendo, eadem etiam de fortuna omni tenenda ſunt. Uſui autem eſt in Moralibus fortunam a providentia Dei non excludi.

§. 933.

Deus providentia ſua enti cuicunque tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt. Etenim Deus rebus providet ſapientia ac boni- *Quomodo Deus conſulat.*

tate

creaturis providẽtia ſua. tate ſua (§. 928). Quoniam itaque bonus in alios bona pro virili, ſeu quantum datur, conferre ſtudet (§. 696); Deus quoque, quantum per ſapientiam ipſius datur, providentia ſua enti cuicunque bona conferre ſtudet, ſeu, quod perinde eſt, providentia ſua tantundem confert boni, quantum ſapientia ipſius ſalva eidem conferri poteſt.

Patet adeo providentiam divinam tendere ad bonum creaturæ cujuslibet, adeoque etiam hominis (§. 782). Unde eſt, quod mala, quæ nobis eveniunt non noſtra culpa, ſed Deo providente, certo dirigantur ad bonum finem, nec nobis eveniant, niſi ut participes fiamus boni alias non obtinendi.

§. 934.

Idem ulterius deducitur. *Deus providentia ſua tantundem ab ente quocunque arcet mali, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt.* Etenim Deus enti cuicunque tantundem confert boni, quantum ſapientia ipſius ſalva fieri poteſt (§. 933). Enimvero nemo non concedit, bonum ſibi eſſe, ut a malo immunis præſtetur, ſeu evitationem mali eſſe in bonorum numero. Quamobrem etiam patet, Deum providentia ſua tantundem ab ente quocunque arcere mali, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt.

Hinc intelligitur, providentiam divinam tendere etiam ad arcendum malum a creatura qualibet, adeoque etiam ab homine (§. 782). Unde eſt, quod mala, quæ a nobis abeſſe deprehendimus, cum in ea incidere non impoſſibile eſſet, providentia divina a nobis arceri certo perſuaſi eſſe debeamus.

§. 935.

Mala phyſica & moralia cur providẽtiæ non contrariẽtur. *Non repugnat providentiæ divinæ, quod Deus hominem in mala tam phyſica, quam moralia ruere ſinat.* Etenim bonitati divinæ non repugnat, quod Deus hominem in mala ruere ſinat (§. 725), neque is ſapientia ſua ſalva impedire poteſt, ne homo in mala tam phyſica, quam moralia ruat (§. 726). Quoniam Deus ſapientia ac bonitate ſua providet rebus (§. 928); quod bonitati ac ſapientiæ ejus non repugnat, id nec providentiæ divinæ contrariatur. Minime igitur repugnat providentiæ divinæ, quod Deus hominem in mala tam phyſica, quam moralia ruere ſinat.

Qui providentiam divinam in dubium vocant, vel eandem prorſus negare audent, a malis phyſicis & moralibus arma ad eandem oppugnandam petunt. Etenim cum Deus ſumme bonus ſit, ita ut majorem bonitatem concipi poſſe repugnet (§. 699); non dubitandum eſſe colligunt de ſincera ejus voluntate obruendi hominem bonis omnis generis & arcendi ab eodem malum quodcunque. Cum ſit omnipotens (§. 349) atque vi omnipotentiæ ſuæ facere poſſit, quod vult (§. 352); non dubitari poſſe arbitrantur, quod Deus in hominem bonum quodcunque conferre & malum quodcunque ab eodem avertere queat. Providet Deus rebus bonitate ac potentia ſua (§. 928). Quamobrem ſi datur providentia divina, neceſſe eſt ut homo omni genere bonorum abundet, neque malo morali obnoxiæ fiant actiones ipſius, nec ipſe ruat in mala phyſica. Contrarium cum loquatur experientia; nullam eſſe providentiam divinam exclamant. Enimvero falluntur in eo, quod bonitati divinæ repugnet, quod hominem ruere ſinat in mala phyſica & moralia. Contrarium enim oſtendimus ſupra (§. 725). Falluntur non minus in eo, quod Deus ſalva ſapientia tollere poſſit malum omne: cujus itidem contrarium ſupra demonſtravimus (§. 726). Nulla igitur ſunt arma, quibus adverſus providentiam divinam pugnant.

§. 936.

Conſervatio rerum per *Quod res una in univerſo faciat ad conſervationem alterius, id tribuendum eſt providentiæ divinæ.* Cum enim providentia divina ſit decretum Dei de rerum

cauſas ſecundas eſt providentiæ divinæ.

tum non minus conſervatione, quam gubernatione (§. 922); quin providentiæ divinæ tribuendum ſit, quodcunque Deus de rerum conſervatione decrevit, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Jam quæ vi nexus rerum quomodocunque in mundo conſequuntur, ea voluntati divinæ conformiter fieri in ea, quam ad ſe invicem habent, relatione certum eſt (§. 447), conſequenter cum determinatio voluntatis divinæ ad aliquid agendum ſit decretum divinum (§. 497), conſtat Deum decreviſſe, & quidem ab æterno, ut ea fiant, quæ vi nexus rerum in mundo hoc adſpectabili conſequuntur. Quando itaque obſervamus rem unam in hoc univerſo facere ad conſervationem alterius, Deum ab æterno decreviſſe patet, ut res una ab aliis & per alias conſervetur, ac ideo eas produxiſſe (§. 515) & conſervare, ut per eas conſerventur aliæ, conſequenter quod res una in univerſo faciat ad conſervationem alterius, id tribuendum eſt providentiæ divinæ.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Quoniam providentia divina ſeſe extendit ad omnia, quæ ſunt ac fiunt in hoc univerſo (§. 925); dubitari nequit, quin etiam extendatur ad ea, quæ res una confert ad conſervationem rei alterius. Quamobrem quod res una faciat ad conſervationem rei alterius, quin providentiæ divinæ tribuendum ſit, negari haud quaquam poteſt.

E. gr. Animalia conſervantur vegetabilibus. Nullum adeo dubium eſt, quin providentiæ divinæ tribuendum ſit, quod terra edat gramina atque herbas, & arbores ferant fructus & ſemina, ne animalibus deſit pabulum unicuique eorundem ſpeciei conveniens. Nec minus a providentia divina derivandum, quod tempeſtates eo alternent modo, ut gramina ac herbæ læte creſcant, & arbores fructus ac ſemina ferant. Idem eodem modo dicendum eſt de iis omnibus, quæ ad conſervationem corporis humani quomodocunque faciunt. Sed de hiſce particularibus dicendum nobis erit in Teleologia, quæ nexum rerum quoad particularia contemplatur in hoc mundo adſpectabili obſervabilem. Sufficit in Theologia naturali explicaſſe principia generalia.

§. 937.

Mutui rerum uſus ſunt providentiæ divinæ.

Quod unum inſerviat uſibus alterius in univerſo, tribuendum eſt providentiæ divinæ. Quoniam providentia divina ſeſe extendit ad omnia in hoc univerſo (§. 925); quin etiam ſeſe extendat ad uſus, quos res in eodem ſibi mutuo præſtant, dubitandum non eſt. Quamobrem quod unum in hoc univerſo uſibus alterius quomodocunque inſerviat, providentiæ divinæ utique tribuendum.

Poterat idem oſtendi hoc modo. Bonitatis divinæ eſt, quod in hoc univerſo unum inſerviat uſibus alterius (§. 739). Quoniam vero Deus etiam bonitate ſua providet rebus (§. 928); quin providentiæ divinæ tribuendum ſit, quod bonitati ejuſdem ferre acceptum tenemur, dubitandum non eſt. Quod itaque unum in hoc univerſo inſerviat uſibus alterius, tribuendum omnino eſt providentiæ divinæ.

Imo propoſitio præſens demonſtratur etiam hoc modo. Deus rebus in hoc univerſo providet per nexum earum (§. 927). Jam cum uſus rerum ſint

fines a Deo intenti (§. 648) & nexus rerum conſiſtat in dependentia finis a medio (§. 665); ad hunc referri debet, quod unum inſerviat uſibus alterius. Idem igitur tribuendum eſſe providentiæ divinæ palam eſt.

Propoſitio præcedens ſub præſente per modum corollarii ſubſumi poterat: ſi quod enim in hoc univerſo quicquam confert ad conſervationem alterius; hoc ipſo alteri aliquem ſui præbet uſum. Ita uſus eſt graminum atque herbarum in alendis pecoribus; uſus olerum ac carnium in alendis hominibus; uſus inſectorum in alendis avibus, quæ iiſdem veſcuntur. Ceterum propoſitio præſens principium fœcundiſſimum eſt bonitatem & ſapientiam divinam ex providentia agnoſcendi.

§. 938.

Modus providendi. *Deus rebus in hoc univerſo ita providet, ac ſi ad ea, quæ fiunt, attentus hodie demum decerneret, quid fieri debeat, ſeu, quid facere ac permittere velit.* Cum enim Deus decernat, quod ipſum decet (§. 516), conſequenter cujus in attributis ipſius continetur ratio, cur hoc potius decernat, quam aliud (§. 332), ſit vero ſapientiſſimus (§. 640) ac ſumme bonus (§. 699); ſi hodie demum attentus ad ea, quæ fiunt, quidpiam decerneret, non ſane aliud decernere poſſet, quam quod ſalva ipſius ſapientia ac bonitate decerni poterat. Quamobrem cum ſalva ſua ſapientia impedire nequeat, ne homo in mala phyſica & moralia ruat (§. 726), nec bonitati ipſius repugnet, quod idem fieri permittat (§. 725); ſi hodie demum quid decerneret, hoc tamen non obſtante non impediret, quo minus homo in mala phyſica & moralia rueret. Quoniam tamen bonitatis divinæ eſt mala dirigere ad bonum finem (§. 733) & phyſica immittere, ut adverſus malum morale præmuniatur, vel ab eodem deſiſtat (§. 734), vel ut immittat malum phyſicum minus, vel etiam permittat morale minus, quo majus avertatur (§. 735); quin Deus hodie demum quid decernens hoc atque mali permiſſionem ac directionem decerneret dubitandum non eſt. Imo cum vi ſapientiæ ſummæ omnia referre debeat ad finem ultimum & per modum medii ſubordinare fini ultimo (§. 689 *Pſychol. rat.*); ſi quid hodie demum decerneret, non aliud decernere poterat, quam quod ſeſe habet per modum medii ad finem ultimum tendentis. Jam Deus æterno ſuo decreto, quo providentia omnis continetur (§. 922), omnia in hoc univerſo ſapienter, imo ſapientiſſime decrevit (§. 643), & enti unicuique tantundem conferre boni ſtatuit, quantum ſapientia ipſius ſalva fieri poteſt (§. 698), conſequenter bonitati ſuæ convenienter decrevit (§. 697), ut ideo rebus ſingulis, qualeſcunque tandem fuerint (§. 926), ſapientia ac bonitate ſua provideat (§. 928). Mala phyſica non decrevit, quatenus talia ſunt (§. 566), adeoque non in relatione ad partes (§. 565), ſed potius ad totum univerſum (§. 563), & moralia tantummodo permittere ſtatuit (§. 585), quatenus abuſu libertatis irrepunt in actiones liberas (§. 580), utrique in hac rerum ſerie faciens locum, quatenus ſalva ſapientia ſumma tolli nequeunt (§. 676). Mala autem tam phyſica, quam moralia dirigit ad bonum finem (§. 680). Denique æterno ſuo decreto, quo providentia continetur (§. 922), nihil co-

rum,

rum, quæ fiunt in mundo, abſolute ſpectatum decrevit, ſed in relatione ad totum (§. 519), non conſtituens fines particulares niſi in relatione ad finem totius mundi (§. 626). Quamobrem ſi Deus hodie demum ad ea, quæ ſingulis momentis fiunt in univerſo, attenderet ac inito conſilio ſtatueret, quid facere aut permittere velit; non aliud quidquam decernere poterat, quam quod decrevit ab æterno. Quoniam itaque æternum iſtud ac immutabile decretum providentia divina eſt (§. 922. 924); Deus utique rebus ſingulis in hoc univerſo ita providet, ac ſi ad ea, quæ fiunt, attentus hodie demum decerneret, quod facere aut permittere velit.

Difficile eſt plurimis, imo difficillimum concipere, quomodo Deus omnia decernere potuerit ab æterno, ſalva libertate hominum, cum tamen providenti tribuatur, quod ob actiones naturales decernat eventus in mundo materiali. Inde eſt, quod alii libertatem in agendo negent, ac fatali cuidam neceſſitati omnia ſubjiciant, providentiam divinam in eam convertentes; alii vero decreta particularia in tempore demum facta defendant, juxta quæ Deus cauſas ſecundas ad actiones determinat ex eſſentiis & natura earundem minime ſecuturas, providentiam divinam contingentium tollentes & naturale cum ſupernaturali confundentes, aut præternaturale quoddam fingentes, quod ſit inter naturale & miraculoſum quaſi intermedium. Error prior praxi nocet; poſterior theoriæ. Etenim ſi inevitabili fato ſubjiciuntur omnia, ad male agendum proclives ſe ſatis excuſatos arbitrantur, quod aliter agere non poſſint, & tanto evadunt audaciores, quanto certius eſſe exiſtimant, evitari non poſſe, quod eſt in fatis, juxta illud vulgare: *quod volunt fata, non tollunt vota*. Etſi error non noceat ſemper; nocere tamen poteſt ſæpius, nempe ubi non agitur de evitando periculo manifeſto imminente, ſed de bono aliquo obtinendo, aut cupiditatibus explendis. Quodſi vero decreta temporaria fingas, quibus convenienter Deus determinat actiones, quarum ſufficiens ratio non continetur in eſſentiis ac natura rerum; naturæ ordo a Deo continuo turbatur & ipſa mundi perfectio nulla eſt, quippe qui comparandus venit horologio continuis aberrationibus obnoxio, ut index ſingulis fere momentis vel ſit promovendus, vel retroagendus. Praxi autem error iſte magis favet, quam nocet, ubi quis fuerit hebetior, quam ut capere poſſit, quomodo cum præſcientia divina & futurorum contingentium determinata veritate ab æterno libertas hominis in agendo conſiſtere poſſit. Unde videas vulgum non aliter ſentire, quam quod Deus ad ipſorum actiones attendat & his convenienter decernat, quid in mundo materiali fieri velit, & tam cauſas ſecundas neceſſarias, quam liberas juxta iſtud decretum determinet, ut eidem convenienter agant, quod alias non egiſſent. Quoniam itaque hebetioribus difficulter perſuadeas gubernationem rerum omnium divinam, errore iſto ſublato; ideo libuit propoſitionem præſentem demonſtrare, ut appareat, errorem tolerari poſſe in iis, qui veritatem capere nequeunt. Qui vero hanc capere voluerit, ei perpendenda veniunt, quæ de præſcibilitate rerum omnium, ipſarum etiam actionum liberarum hominis in ſuperioribus evidenter demonſtrata ſunt. Ita enim cum præſcientia divina libertatem humanam, & cum libertate ordinem naturæ ac totius univerſi perfectionem conſiſtere deprehendet, nec quicquam ſumendum erit, quod nullo experimento confirmari, nedum demonſtrari poſſit.

§. 939.

Deus per concurſum ſuum præſentia diſtinguit a præteritis atque futuris. Quoniam in Deo continuo exiſtit idea mundi hujus adſpectabilis (§. 181), Deus autem æternus eſt (§. 74), omnia diſtincte cognoſcit, quæ in eadem continentur (§. 156), eademque intuitive (§. 207) atque ſimul (§. 160); omnia, quæ ad mundum præſentem quomodocunque ſpectant, Deo præſentia ſunt ab æterno in æternum, ſive præſentia ſint, ſive præterita, ſive adhuc futura. Enimvero Deus ad ſingulas actiones naturæ & ſingulas creaturarum actiones, imo actiones animarum tam hominum, quam brutorum,

Quomodo Deus præſentia a præteritis & futuris diſtinguat.

& quaſcunque hominum actiones concurrit (§. 874), ſubſtantiam agentis cujuslibet conſervando & vires agendi largiendo (§. 876), quatenus actum indeſinenter impertitur ſubſtantiis abſque viribus iſtis, ex quibus naſcuntur actiones (§. 722 *Ontol.*), exiſtere minime valentibus (§. 877). Quamobrem cum ſibi conſcius ſit ſemper & ſui, & eorum, quæ ſibi repræſentat (§. 187); quænam ſint, ad quæ jam concurrit, hoc eſt præſentia cognoſcit, adeoque a præteritis & adhuc futuris diſtinguit (§. 228). Patet itaque Deum per concurſum ſuum præſentia in hac ſerie rerum diſtinguere a præteritis atque futuris.

In confeſſo eſt apud omnes, Deo omnia eſſe præſentia ab æterno, ita ut quoad ipſum nihil dici poſſit præteritum, nihil futurum. Quamobrem captu difficile videbatur, quomodo eidem conſtare poſſit, quænam jam actu exiſtant, adeoque præſentia ſint; quænam exiſtere deſierint, adeoque præterita ſint; quænam denique in poſterum extitura, adeoque futura ſint (§. 228). Noſtrum igitur erat docere, quomodo in ſerie rerum, qua Deo omnia tanquam præſentia exhibentur, ea tamen, quæ actu præſentia ſunt, diſcernantur ab iis, quæ præterita & adhuc futura ſunt. Dum vero modum explicamus, quo Deus præſentia agnoſcit tanquam præſentia, nihil affirmatur, quod non verum experiamur in nobiſmetipſis. Etenim nemo non ex eo cognoſcit opus aliquod ſibi præſens, cui conficiendo operam impendit.

§. 940.

Quomodo Deus præterita & futura qua talia agnoſcat.

Deus præterita tanquam præterita ſibi repræſentat per dependentiam præſentium ab iiſdem, & futura tanquam futura per eorundem dependentiam a præſentibus. Deus in quolibet minimo, quod ineſt univerſo, cognoſcit totum univerſum (§. 161). Quamobrem cum cujuslibet in mundo exiſtentia, imo modus quilibet determinetur per mundum integrum (§. 87 *Coſmol.*), adeoque præſens quoad actualitatem ſuam dependeat ab omnibus præteritis, & futura omnia a quolibet præſente (§. 116. 851 *Ontol.*); Deus vero præſens a præteritis & futuris diſcernat per concurſum ſuum (§. 939): dependentiam quoque ejus, quod præſens eſſe cognoſcit, ab omnibus præteritis & futurorum omnium a præſente diſtincte cognoſcit. Præterita igitur ſibi repræſentat tanquam præterita per dependentiam præſentium a præteritis, & futura tanquam futura per eorundem dependentiam a præſentibus.

Atque adeo jam intelligitur, quomodo in rerum ſerie, quæ tota præſens eſt, ſimul a Deo, quatenus ejus idea continuo datur in intellectu ipſius, alia repræſententur tanquam præſentia, alia tanquam præterita, alia vero tanquam futura, ut adeo Deus exactiſſime norit, quænam quovis momento dato ſint præſentia, quænam præterierint, quænam adhuc futura ſint. Nemo non agnoſcere tenetur poſſibilitatem hujus cognitionis, qui notionem intellectus divini & nexus rerum in univerſo diſtinctam habet.

§. 941.

Cur Deus omnium recordetur, nullius obliviſcatur.

Deus recordatur continuo omnium præteritorum, nec ullius unquam obliviſci poteſt. Etenim Deus, qui omnia, adeoque præterita, præſentia atque futura, ſimul cognoſcit (§. 160), per concurſum ſuum præſentia a præteritis diſtinguit (§. 939), & præterita tanquam præterita ſibi repræſentat per dependentiam præſentium ab iiſdem (§. 940). Quoniam itaque Deo tribuitur recordatio, quatenus præterita novit (§. 238); eum continuo recordari omnium præteritorum patet. *Quod erat unum.*

Quoniam

Digitized by Google

Quoniam Deus continuo præterita ſibi tanquam præterita repræſentat (§. 940); fieri haud quaquam poteſt, ut id, quod in idea univerſi continuo ipſi præſente (§. 181) refert præteritum, non agnoſcat tanquam certo intervallo ante retuliſſe præſens, conſequenter ut divino modo non recognoſcat præteritum (§. 173 *Pſychol. empir.*). Quamobrem cum oblivio denotet impotentiam præterita recognoſcendi (§. 215 *Pſychol. empir.*); Deo utique rei nullius oblivio tribui poteſt. *Quod erat alterum*.

Poſterius etiam hoc modo evinci poterat. In intellectu divino continuo datur idea totius mundi adſpectabilis (§. 181); quæ cum Deo eſſentialis ſit (§. 188), ob eſſentiarum immutabilitatem ne per omnipotentiam Dei quidem (§. 344) ab eodem avelli poteſt. Jam quoniam Deus omnium ſibi conſcius eſt, quæ in idea iſta continentur (§. 187); fieri nullo poteſt modo, ut quicquam in eadem inſit, cujus ſibi non ſemper, omnia quippe ſimul cognoſcens (§. 160), conſcius ſit. Diſtinguit autem præſentia a præteritis (§. 939), & præterita tanquam præterita ſibi repræſentat (§. 940). Quamobrem concipi nequit, quod Deus ullius præteriti non continuo ſibi conſcius ſit tanquam præteriti. Quoniam itaque præteriti obliviſcitur, qui idem ſibi amplius repræſentare nequit, vel ſibi non conſcius eſt, quod id in numero præterirorum ſit (§. 215 *Pſychol. empir.*); per eſſentiam divinam nullo modo fieri poteſt, ut Deus ullius præteriti obliviſcatur, nec ejus amplius recordetur.

Deus ideas nullas in particulari producit, ſed ſemper idea totius univerſi eadem claritate in intellectu ipſius fulget, ob ſimultaneam cognitionem omnium (§. 160). Quamobrem præſens ubi ſit præteritum, idea ejus non evaneſcit in intellectu divino, quemadmodum in humano, adeoque non opus eſt, ut denuo reproducatur, quippe continuo contenta tanquam idea particularis in idea totius univerſi. Deus igitur, quando recordatur, non perinde ac homines ideas, quas ante habuerant, poſtquam evanuerant, iterum reproducere tenetur. Atque adeo ex parte Dei nulla locum habet impotentia ideas reproducendi rerum, quas tanquam præſentes agnoverat vi concurſus ſui (§ 939), conſequenter ob eandem Deus dici nequit obliviſci rei ullius, quemadmodum nobis accidit (§. 216 *Pſychol. empir.*). Ideæ rerum præteritarum cum non reproducantur a Deo, quemadmodum a nobis; ita quoque fieri non poteſt, ut recognitio præteritorum in eo locum habeat, qua nos ideas reproductas recognoſcimus, nobis conſcii, quod eas jam ante hebuerimus (§. 173 *Pſychol. empir.*). Reſpondet nimirum actui recognitionis repræſentatio præteriti tanquam præteriti per dependentiam præſentis ab eodem (§. 940): quæ cum ſit in Deo continua, nec fingi in eodem poteſt impotentia præterita recognoſcendi, in qua oblivio conſiſtit hominum (§. 215 *Pſychol. empir.*). Atque adeo patet, quomodo recordatio in Deo eidem competente modo explicetur ac oblivio tanquam ipſi repugnans agnoſcatur. Ceterum ipſa propoſitio uſum non contemnendum habet in Moralibus, quod Deus nullius præteriti obliviſci poſſit, utpote in praxin multorum officiorum influens.

§. 942.

Scientia viſionis in Deo.

Deo competit ſcientia viſionis. Etenim Deus omnia præſcivit ab æterno (§. 534), in tempore certo futura, quemadmodum præſcivit (§. 533). Poſtquam mundus ab ipſo creatus eſt (§. 760) & conſervatur (§. 843) atque gubernatur (§. 900); per concurſum ſuum præſens diſtinguit a præterito & futuro (§. 939), & præterita ſibi repræſentat tanquam præterita per depen-

Digitized by Google

dependentiam præſentis a præteritis, adhuc futura autem tanquam futura per eorundem dependentiam a præſentibus (§. 940). Quoniam itaque ſcientia viſionis ab æterno cognoſcuntur, quæ in tempore futura ſunt, & ubi mundus adſpectabilis actu exiſtit, tam præſentia, quam futura adhuc, atque præterita (§. 230); Deo ſcientiam viſionis competere liquet.

Scientia viſionis Deo competit quoad intellectum: dependet tamen partim a decreto ipſius, partim a potentia creatrice ac conſervatrice, quæ cum creatrice eadem (§. 845), quemadmodum ex demonſtratione intelligitur. Nemo igitur miretur, quod, cum jam ſupra de intellectu divino agentes ſcientiam viſionis definiverimus (§. 230), nunc demum ex intervallo demonſtremus, eam Deo competere. Quoniam enim vi demonſtrationis pendet a decreto Dei quoad præſcientiam æternam futurorum, a potentia creatrice & conſervatrice quoad cognitionem præſentium tanquam præſentium, præteritorum tanquam præteritorum, & futurorum adhuc tanquam futurorum; eam Deo non ante vindicare licuit, quam poſtquam de decreto divino & ejus executione, creatione ſcilicet ac conſervatione egimus. Equidem per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ datur in Deo (§. 226) & qua res cognoſcuntur ut poſſibiles & exiſtibiles (§. 221), jam intelligitur, quod ſeries hæc rerum, qua mundus hic adſpectabilis conſtituitur (§. 55 *Coſmol.*), ſit poſſibilis, & ſi in ea ſumatur H ut præſens, quæ H antecedunt, G, F, E, D &c. eſſe præterita, I, K, L, M &c. adhuc futura: enimvero cum ante decretum ſeries tota non ſpectetur tanquam futura, nec antequam mundus creetur atque conſervetur, H conſiderari poſſit ut præſens, neque etiam G, F, E, D &c. ſpectari poſſunt tanquam præterita, I, K, L, M &c. tanquam adhuc futura. Unde liquet ſcientiæ viſionis demum eſſe locum poſt decretum & actum creationis & conſervationis, quando nempe mundus ſpectatur tanquam certo extiturus aut actu exiſtens. Scientia adeo viſionis a ſcientia ſimplicis intelligentiæ recte diſtinguitur, habetque diſtinctio fundamentum in re. Quoniam itaque illa ab hac diſtinguenda venit, ubi cognitionem rerum, quæ in Deo datur, diſtincte intelligere volueris; quæ a ſe invicem re ipſa differunt, diverſis etiam nominibus inſignienda ſunt. Et quia termini ſimplicis intelligentiæ ac viſionis jam dudum in ſcholis Theologorum atque Philoſophorum recepti fuere; eos immutari nefas exiſtimandum (§. 147 *Diſc. prælim.*). Non inepte autem ſcientia præſentium, præteritorum & futurorum, qua talium, atque præſcientia futurorum omnium ab æterno viſionis ſcientia appellatur: quoniam enim Deus omnia intuitive cognoſcit (§. 207), ut ipſi ab æterno præſentia ſint omnia, ac hodie, ubi mundus exiſtit, præterita atque futura non minus præſentia ſint, quam ipſa actu præſentia; omnia quaſi videt, quæ nunc ſunt, antea fuere, ac in poſterum adhuc extitura ſunt. Ceterum ex modo, quo Deus in præſentibus videt præterita atque futura, patet, quomodo nos ratiocinando ex præſente colligere valeamus præterita & futura: etenim & nos ratiocinando aſſequimur præterita, quatenus ab iis pendent præſentia; futura vero, quatenus ea a præſentibus pendent.

§. 943.

Conſervatio rerum Deo Sacræ Scripturæ auctoritate vindicanda.

Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda eſt rerum omnium in hoc univerſo conſervatio eodem ſenſu, quo ſupra eandem ipſi vindicavimus. Etenim *Act.* XVII. 24. 25 Deus dicitur feciſſe mundum & omnia, quæ in eo ſunt, & adhuc dare omnibus vitam & inſpirationem, ſive halitum, & omnia. Imo *verſ.* 28 eidem tribuitur, quod ex uno omne genus hominum inhabitet ſuper univerſam faciem terræ. Et mox additur *verſ.* 28, nos in ipſo vivere, moveri & eſſe. Quod Deus fecerit mundum & omnia, quæ in eo ſunt; ad actum utique creationis pertinet, quo ad actualitatem perducta ſunt, quæ ante nondum exiſtebant. Quod vero omnibus adhuc det vitam & halitum & omnia, & in ipſo vivamus, moveamur & ſimus, & genus hominum ab uno homine propagetur, ad actum creationi contradiſtinctum, quo nempe exiſtentia eorum, quæ per creationem cœpere, continuatur, conſervationem

Digitized by Google

nem nimirum rerum creatarum ſpectat, ex conſervatione rerum probatur, quod Deus re creata nulla indigeat, ſibi ipſi ſufficientiſſimus, propterea quod in creatura nil detur, ad quod non indigeat Deo. Ipſi adeo tribuitur exiſtentia quoque noſtri, tribuuntur vires agendi, quas habemus, tribuitur quoque rerum conſervatio per cauſas ſecundas, veluti conſervatio ſpecierum per generationem: quod enim de hominibus affirmatur, idem etiam extendendum eſſe ad res ceteras eodem modo, vel etiam ſimili aliquo conſervatas, nemo non largitur, cum nulla diſparitatis ratio allegari poſſit. Docet adeo Paulus, cujus ea ſunt, quæ recitavimus verba, quæcunque a Deo creata ſunt, per ſe ſeu propria virtute exiſtentiam, quam accepere, continuare minime poſſe; ſed Dei opus eſſe actione continua, qua exiſtentiam, quam ſemel impertitus eſt in prima creatione, impertiri pergat. Ex mente igitur Apoſtoli actus creationis continuatur, quatenus per eundem indeſinenter impertitur ei, quod ſubſtantiale eſt in hoc univerſo, actualitas: quo ſenſu ſupra conſervationem continuatam creationem diximus (§. 845). Tribuitur quoque Deo auctori, quod per modificationes ſubſtantialis, in prima creatione ad actum perducti & ab ipſo continuata creatione conſervati, prodit, veluti conſervatio generis humani per generationem, quia ſcilicet Deus ordinem naturæ, cujus auctor eſt, conſervat. Et ex eadem ratione alibi in Sacris omnia tribuuntur, quæ in natura rerum quomodocunque generantur, ſecundum naturæ ordinem, veluti *Job* V. 10 Deus dicitur dare pluviam ſuper faciem terræ, & irrigare aquis univerſa. Ita cap. XXXVIII. 25 Deus dicitur dare vehementiſſimo imbri curſum & viam ſonanti tonitrui, ut taceamus alia, quæ paſſim huc ſpectantia magno numero leguntur in Scripturæ Sacræ libris, præſertim in Pſalmis. Abunde igitur liquet, auctoritate Sacræ Scripturæ Deo tribuendam eſſe conſervationem hujus univerſi ac omnium, quæ in eo ſunt, eo prorſus ſenſu, quo ſupra eidem conſervationem vindicavimus.

Juxta Apoſtolum creatura omnis, tum ut exiſtat, tum ut agat, continuo indiget Deo, ipſe autem neque ut exiſtat, neque ut agat, indiget creatura ulla, quippe quæ non habet, niſi quod acceperit a Deo. Etenim ſi Deus indigeret re aliqua extra ſe, ut ipſe exiſtere poſſet, ſeu ad ſui conſervationem, neceſſe utique eſſet, ut dependenter ab ipſa exiſteret: at Deus fecit omnia, quæ præter ipſum exiſtunt, iiſque continuo actualitatem impertitur, quamdiu exiſtere pergunt, conſequenter re nulla alia ad ſui conſervationem indiget. Creatura nulla agit niſi vi a Deo accepta & quam per actum conſervationis eidem continuo impertitur. Nihil adeo virium cum habeat creatura, quas non acceperit a Deo; ad agendum non indiget ipſe viribus aliunde accipiendis, quippe cum non acciperet, niſi quod ipſe dediſſet alteri. Hoc modo argumentatur Paulus, probaturus Deum non indigere re aliqua, quæ ſit in hoc univerſo. Cum autem probet per actum conſervationis, & ſimul amoveat dubium, quod oriri poterat ex conſervatione corporum per cauſas ſecundas, quatenus hanc quoque tribuit Deo ordinis naturæ auctori; actus utique conſervationis ex illis Apoſtoli verbis tanquam ex loco claſſico optime declaratur, qualis ſit ex mente Sacræ Scripturæ.

§. 944.

Concurſus Dei ad actio-

Deus juxta Sacram Scripturam concurrit ad omnes creaturarum actiones. In loco ante citato dicimur moveri in Deo. Actiones hominis externæ fiunt motu

nes creaturarum juxta Sacram Scripturam.

motu organorum corporis, ſive voluntariæ fuerint, ſive naturales: quemadmodum nemo non novit. Quamobrem patet juxta Sacram Scripturam hominem nullum edere actionem ſine Deo. Per ea igitur, quæ inſunt homini, penitus intelligi nequit, cur agat, ſi actionem prorſus diſtincte concipere velis, conſequenter non tota ratio ſufficiens actionis in ſolo homine reperitur (*§. 56 Ontol.*), ſed reſtat quidpiam, quod quærendum in Deo. Quamobrem cum ens unum ad actionem entis alterius concurrat, quatenus in eo continetur aliquid rationis, cur agat (§. 872); Deum juxta Sacram Scripturam ad omnes omnino hominis actiones tam naturales, quam voluntarias concurrere patet. Actiones naturales ab arbitrio noſtro minime pendent, ſed totæ ex natura & eſſentia rei conſequuntur (*§. 913*), adeoque homini cum corporibus omnibus communes ſunt. Quoniam itaque Deus juxta Sacram Scripturam ad actiones hominum naturales concurrit *per demonſtrata*; quin juxta eandem dicendus ſit etiam concurrere ad actiones quaſcunque corporum quorumlibet, conſequenter ad actiones quaslibet naturæ (§. 507 *Coſmol.*), dubitandum non eſt.

Nemo miretur, concurſum divinum ex Scripturæ verbis vi principiorum philoſophicorum vindicari. Etenim Sacra Scriptura veritates, quas docet, non demonſtrat, quippe cui fides habenda ob auctoritatem divinam, quæ ipſi convenit, neque adeo omnia revocat ad notiones diſtinctas, ſed in claris acquieſcit, modo ad mentem ejus intelligendam ſufficiant. Ita ſi legimus nos moveri in Deo; facta applicatione ad caſum particularem inferimus, nos ſine Dei ope non poſſe extendere brachium: quo ipſo agnoſcimus concurſum Dei ad actiones noſtras, etſi diſtincte explicare non poſſimus, quomodo Deus ad eaſdem concurrat. Et illa cognitio & vulgi, & eruditorum captui conveniens ſufficit, ut omnimodam noſtram a Deo dependentiam agnoſcamus grato in ipſum animo. Levi autem attentione ad motum brachii, vel alterius organi ducimus, Deo tribuendum eſſe, quod nobis vires agendi impertiatur, quemadmodum a nobis demonſtratum eſt in ſuperioribus in eorum gratiam, qui veritatem philoſophicam capere poſſunt & quorum firmus ac immotus non eſt aſſenſus, antequam veritatis convincantur.

§. 945.

Concurſus ad actiones malas juxta Sacram Scripturam.

Deus juxta Sacram Scripturam concurrit etiam ad malas hominum actiones, ſed non quatenus malæ ſunt. Poteramus propoſitionem præſentem per modum corollarii inferre ex præcedente: etenim Sacra Scriptura docente Deus ad omnes hominis actiones concurrit, adeoque concurrere etiam debet ad malas. Concurrit Deus ad omnem motum noſtrum. Quamobrem cum actiones malæ ſint non minus motus organorum corporis, quam bonæ; Deus ex mente Apoſtoli ad actiones quoque malas concurrit. Enimvero actiones malæ non ideo ſunt malæ, quia ſunt motus organorum corporis, ſed quia tendunt ad noſtri ſtatuſque noſtri vel alterius ſtatuſque ejuſdem imperfectionem (§. 565 *Pſychol. empir.*). Ergo Deus Apoſtolo doctore non concurrit ad actiones malas, quatenus malæ ſunt. Actiones externæ phyſice ſpectantur, quatenus ſunt motus organorum corporis; moraliter vero, quatenus vel bonæ, vel malæ (§. 568). Quoniam itaque Deus ex mente Apoſtoli ad actiones hominis concurrit, quatenus ſunt motus organorum corporis; Deus ad actiones malas juxta Sacram Scripturam concurrit, quatenus ſpectantur phyſice,

phyſice, non autem quatenus ſpectantur moraliter, ſeu quatenus malum ipſis inhæret, quemadmodum ſupra demonſtravimus (§. 884).

Poteramus in his equidem acquieſcere, cum hic tantummodo probare conſtituerimus, ſuperius demonſtrata conſentire iis, quæ de concurſu Dei ad actiones malas docet Sacra Scriptura, conſultum tamen duximus idem adhuc alio modo oſtendere. Inſervit huic inſtituto exemplum Joſephi a fratribus non ſine magno ſcelere in ſervitutem venditi, propterea quod Joſephus ipſe hanc venditionem Deo tribuere videtur, utpote affirmans, fratribus ſibi metuentibus ne injuriam illatam vindicaret, ſe miſſum eſſe a Deo ante ipſos pro eorundem ſalute in Ægyptum *Gen.* XLV. 5. imo mox ſubjungens *verſ.* 8, ſe non ipſorum conſilio, ſed Dei voluntate miſſum eſſe in Ægyptum. Venditio fratris, filii parenti ſeni chariſſimi, in dutam ſervitutem profecta ex mera invidia erga fratrem & defectu amoris in parentem, utique mala erat. Ad hanc autem malam actionem voluntatem ſuam determinaverant fratres ſceleſti per invidiam erga fratrem & defectum amoris in parentem, alias invidiæ obicem poſituri. Quoniam malum morale juxta Sacram Scripturam Deo placere nequit (§. 599); ideo nec placere potuit invidia erga fratrem, nec defectus amoris in parentem, conſequenter nec venditio fratris in ſervitutem, ex invidia iſta ac defectu illo amoris profecta. Quamobrem quoque Deus nullo modo ad venditionem iſtam, quatenus mali animi effectus eſt, concurrere potuit juxta Sacram Scripturam. Cum Joſephus hoc modo veniret in Ægyptum, in quem alias non profecturus erat, ibidemque ad maximam dignitatem eveheretur, non ſine maximo commodo & parentis, & totius familiæ ſuæ; Deus etiam juxta Sacram Scripturam mala dirigens ad bonum finem (§. 688), venditionem iſtam ab æterno permittere decrevit (§. 600), quatenus actio phyſice ſpectata erat medium Joſephum ad ſummam dignitatem evehendum in Ægyptum deportandi. Apparet itaque Deum ad actionem malam fratrum non concurriſſe, quatenus mala eſt, nec eandem decreviſſe, propterea quod mala eſt; ſed quia eandem dirigere poterat in finem convenientem providentiæ ſuæ. Cum autem ad omnes actiones concurrat Deus per conſervationem (§. 874), juxta Sacram Scripturam ipſi quoque tribuendam (§. 943); negari haud quaquam poteſt, quod concurſui quoque iſti locus fuerit in venditione impia, auſu ſceleſto fratrum Joſephi facta.

Puto ex Joſephi exemplo a nobis dilucidato clariſſime conſtare, quomodo actiones malæ contineantur in æterno providentiæ decreto tanquam permittendæ & ad bonum finem, conſequenter & ultimum, manifeſtationem gloriæ divinæ (§. 629), dirigendæ (§. 635), ita tamen ut mali, quia malum, exiſtentia non decernatur, & quomodo Deus vi ejuſdem decreti concurrat ad actionem malam, phyſice, ſed non moraliter ſpectatam, ita ut nulla mali culpa in ipſum redundet, ſed hæc tota tribuenda ſit homini libertate ſua per decretum illæſa abutenti. Obiter monemus factum fratrum Joſephi ſatisfacere etiam philoſopho doctrinam arduam non niſi ex principiis rationis enodaturo: admitti enim debet tanquam factum, quod ab Hiſtorico narratur, ſepoſita licet auctoritate Sacræ Scripturæ divina, unde conficitur, quæ inde probantur eſſe menti Sacræ Scripturæ, conſequenter ipſius Dei conſentanea.

Mirifice cum exemplum iſtud concurſum Dei ad actiones malas illuſtret; ut attenta mente iterum iterumque trutinetur ſuadeo certo confidens fore, ut nebulæ omnes, quibus alias obtunditur mentis acies, protinus evaneſcant.

§. 946.

Univerſalitas providentiæ divinæ juxta Sacram Scripturam.

Deus juxta Sacram Scripturam rerum etiam viliſſimarum curam gerit, ſeu nihil judicari debet adeo abjectum, quod non ſit objectum providentiæ divinæ. Docet hoc diſertis verbis ipſe Chriſtus *Matth.* X. 29 & ſeqq. Etenim diſcipulos ſuos convicturus, quod Deus eorum curam ſummam gerat, ita ut ſine voluntate Dei ipſis nil obtingere poſſit, a minori ad majus argumentatus: Nonne, inquit, duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem & capilli capitis numerati ſunt. Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos. Chriſto igitur docente rerum quarumvis vilium, quales ſunt paſſeres, tantam curam gerit Deus, ut nihil iiſdem accidere poſſit niſi volente ipſo, conſequenter quod is ab æterno decrevit. Imo hominum eam curam gerit, ut æterno iſto decreto definitum ſit, quodcunque ipſis per omne vitæ tempus accidere debeat, etiamſi tam vile atque abjectum æſtimetur, ut ab ipſo homine non curetur. Etenim Deus, qui ab æterno novit omnia (§. 319), noſtros quoque capillos numeravit, & in æterno iſto ac immutabili decreto, quod providentiam ſalutamus (§. 922), de ſingulis ſtatuit, quid fieri debeat, ita ut nullum eorum evellatur, niſi eo præciſe momento, quo Deus id fieri decrevit. Patet adeo providentiam divinam, Chriſto Doctore, extendi ad omnia, ita ut nihil cenſeri poſſit adeo abjectum, quin providentiæ divinæ ſubſit. Inculcat idem Chriſtus *Matth.* VI. 20 & ſeqq. ubi docet, Deum volatilibus proſpicere de eſca, cujus nulla ipſa tenet cura, & ipſummet curam gerere coloris florum & graminum, ut certi evadamus, eundem quoque curam hominum gerere, ne deſint cibi ac veſtimenta, quibus ad ſui conſervationem opus habent. Etenim ſi Deus rerum quarumvis tam animatarum, quam inanimatarum, ac hominum præſertim tanquam creaturæ omnium præſtantiſſimæ in his terris curam gerit, hoc ipſo univerſaliras providentiæ divinæ patet, nec quicquam adeo vile cenſeri poteſt, ut eidem ſubducatur.

Chriſtus univerſalitatem providentiæ divinæ tanquam adeo manifeſtam ſupponit, ut a nemine in dubium revocari poſſit, qui animum advertit ad ea, quæ in mundo fiunt. Ex eo enim, quod Deus avium & florum atque graminum curam gerit, incredulitatem eorum redarguit, qui Deo providenti diffidunt.

§. 947.

Diverſitas judicii noſtri ac Dei de uſu rerum.

Quæ ſunt exigui uſus noſtro judicio, talia non ſunt judicio Dei. Etenim entis compoſiti contingentis, adeoque corporis cujuſcunque (§. 119 *Coſmol.*), exiſtentia ejuſdemque modi determinantur per mundum integrum (§. 87 *Coſmol.*), & ſi contingens unum, quod in mundo contingere debet, mutari ponatur in contrarium, vel in ſeriem rerum aliquid intrudi ſupponatur, cujus actus per præcedentia non determinatur; ſequens mundi pars non amplius

plius erit eadem, quæ alias futura erat (§. 116 *Coſmol.*). Quoniam itaque ſequentia dependent a præteritis omnibus, & futura ſimul a quolibet præſente (§. 940), uſus vero in dependentia actualitatis rei cujuſdam alterius, quæ mala non eſt, ab aliqua re conſiſtit (§. 646); uſus rei cujuslibet in hoc univerſo ſeſe extendit ad omnia in tota rerum ſerie ſequentia. Deus in quolibet minimo, quod eſt in univerſo, cognoſcit totum univerſum (§. 161), diſtincte prorſus, citra ullam confuſionem (§. 156), ac intuitive (§. 207), quemadmodum nos præſentia intuemur, etſi pro modulo aciei viſus. Omnem igitur uſum, quem habet in ſerie rerum unumquodque in determinando actu ſequentium, ſive propinquum, ſive quocunque intervallo remotum, Deus diſtinctiſſime cognoſcit ac intuitive. De uſu adeo rerum judicat in relatione ad totum univerſum. Enimvero nemo neſcit, nos in uſu rerum immediato acquieſcere, imo ſæpiſſime ne hunc quidem attingere, conſequenter exigui uſus æſtimare, quorum uſus immediatus non magni momenti eſt, & nullius uſus reputare, quorum nullum perſpicere valemus, aliter prorſus judicaturos, ſiquidem divinæ mentis acie integrum rerum nexum intuitive perveſtigare daretur. Quamobrem quæ noſtro judicio exigui ſunt uſus, talia non ſunt judicio Dei.

Pretium rebus decernimus ex uſu, quem præbent: imo plurimi res æſtimare non ſolent niſi ex uſu, quem nobis præbent. Unde vilia & abjecta videntur, quæ exiguum aut nullum uſum habere judicantur, ſaltem quæ nobis nulli uſui ſunt; in pretio vero habentur, quorum multum & magnum experimur uſum. Vides itaque Deo non videri vilia & abjecta, ideoque contemnenda, quæ noſtro judicio talia habentur, etſi ſupponas eundem quoque rerum pretium ſtatuere ex uſu, quem præbent aliis. Qui machinarum notiones prorſus diſtinctas habent, iis non deerit idea exemplaris, qua lux affunditur propoſitioni præſenti captu difficillimæ hebetioribus. Etenim ſunt ſubinde partes quædam exiguæ, quas mechaniſmi imperiti abeſſe poſſe exiſtimant, ſalva machina, non agnoſcentes uſum immediatum, nedum mediatum, quem habent. Has abjectas judicat imperitus Mechanicæ; ſed aliter longe ſentit Mechanicus, cui operis ſui adeſt idea diſtincta, qua omnem uſum mediatum per totam machinam ſeſe diffundentem perſpicit. Ceterum hæc propoſitio probe perpendenda, ne indigna videatur Deo rerum minimarum cura: qua negata aut in dubium vocata proclivis eſt ad omnem prorſus providentiam divinam negandam lapſus.

§. 948.

Gubernatio rerum omniũ Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda.

Deus juxta Sacram Scripturam omnia gubernat in hoc univerſo, eodem prorſus ſenſu, quo nos gubernationem rerum omnium eidem vindicavimus. Etenim nulla fere datur creatura, cujus actiones non dicantur dirigi a Deo ad certos fines. Conſtat corpora, ex quibus hic mundus adſpectabilis componitur (§. 119 *Coſmol.*), dividi in corpora totalia & partialia, quorum illa ſunt juxta Sacram Scripturam Sol, Luna, Stellæ atque terra; hæc vero, quæ in Tellure generantur, inanimata & animata. Ita *Gen.* I. 16 & ſeqq. Deus dicitur feciſſe duo luminaria magna: luminare majus, nimirum Solem, ut præeſſet diei, & luminare minus, ſcilicet Lunam, ut præeſſet nocti, & ſtellas, & poſuiſſe eas in firmamento cæli, ut lucerent ſuper terram. Unde Chriſtus *Matth.* V. 45 Deo tribuit, quod nunc Sol oriatur ſuper improbos ac bonos, ob multiplicem uſum, quem a præſentia ejus percipiunt

piunt

piunt homines, ipſa etiam animantia bruta. Quo ſpectant verba Davidis, quæ leguntur *Pſalm.* CIV. 19 & ſeqq. Terram conſervat Numen providum incorruptam aliis in ea, ipſis hominibus, intereuntibus, aliis de novo genitis *Eccleſ.* I. 4, ut præbeat habitaculum hominibus atque animantibus brutis *Iſ.* XLV. 18. Tribuuntur eidem meteora, veluti pluvia & nix, *Job* V. 10, *Pſalm.* CXLVII. 7 & ſeqq. *Matth.* V. 45. ut terra fiat fœcunda, *Pſalm.* CIV. 13. 14, & in locis deſertis, in quibus nullus degit homo, irrigetur, ne exareſcat, *Job* XXXVIII. 25. & ſeqq. Dirigere dicitur ipſam ſortem, ut ratio, cur ita potius cadat, quam aliter, ipſi tribuenda veniat, *Proverb.* XVI. 33. Præterea hominum dirigit cogitationes, 1. *Sam.* X. 9. *Pſalm.* CV. 25. *Apoc.* XVII. 17 & actiones externas *Gen.* XLV. 8. Non opus eſſe exiſtimo loca Scripturæ congerere, in quibus actiones creaturarum Dei directioni ſubjiciuntur, cum hoſpes in ea eſſe debeat, cui hoc minime fuerit perſpectum. Enimvero directionem actionum ad certum finem diximus ſupra gubernationem (§. 899) & in hoc ſignificatu eam Deo vindicavimus (§. 900). Liquet igitur, auctoritate Sacræ Scripturæ tribuendam eſſe Deo gubernationem omnium in hoc univerſo eo ſenſu, quo ſupra eidem eandem vindicavimus.

Haud difficile fuerat ſingula, quæ de gubernatione divina in ſpecie a nobis demonſtrata fuere, Sacræ Scripturæ conſentanea probare. Sed his ambagibus non videtur opus, propterea quod ea ex hac ipſa notione deduximus, quam Sacræ Scripturæ conſentaneam probavimus, nec inſtituti noſtri ratio aliud exigit, quam ut oſtendatur, terminos in Theologia naturali & revelata receptos, quibus utimur, a nobis accipi in ſenſu Sacræ Scripturæ conveniente: id quod omnino neceſſarium probatu, cum inde æſtimetur philoſophiæ cum Sacræ Scripturæ conſenſus, cujus beneficio illa manuducit ad religionem revelatam.

§. 949.

Providentia Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda.

Deo tribuenda juxta Sacram Scripturam providentia eodem ſenſu, quo ipſi eandem vindicavimus. Etenim auctoritate Sacræ Scripturæ tribuenda ipſi eſt conſervatio (§. 943), tribuendus eſt concurſus ad ſingulas creaturarum actiones (§. 944), tribuenda denique eſt gubernatio (§. 948) eodem ſenſu, quo conſervationem, & gubernationem & concurſum ei vindicavimus. Enimvero decretum Dei de conſervatione & gubernatione rerum omnium in hoc univerſo & concurſu ad ſingulas creaturarum actiones iſto ſenſu acceptis dicitur nobis providentia (§. 922), quam Deo competere oſtendimus (§. 923). Patet itaque auctoritate Sacræ Scripturæ Deo tribui debere providentiam eodem prorſus ſenſu, quo nos eidem providentiam vindicavimus.

Vocabulum providentiæ nullibi legitur in Sacris, niſi *Sap.* XIV. 3, ubi Deus providentia ſua gubernare dicitur naves in mari, quia dedit & in mari viam & inter fluctus ſemitam firmiſſimam. Addit hujus gubernationis rationem, nimirum quod Deus, etſi per omnipotentiam facere poſſit, quod vult, abſque opera cauſarum ſecundarum, hac tamen uti malit, ut omnia fiant ſapientiæ ſuæ conformiter, *verſ.* 4. 5. Facile apparet providentiam hic redire ad rerum creatarum conſervationem & actionum, quæ a cauſis ſecundis proficiſcuntur, directionem, quæ eſt ipſa gubernatio (§. 899). Quamobrem providentiæ vocabulum ibidem accipitur eo ſenſu, quo idem ſupra definivimus (§. 922).

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Jure Dei in Creaturas.

§. 950.

Actio quænam dicatur recta, quænam minus recta.

A*ctio libera recta eſt*, quæ rationem ſufficientem in eſſentia & attributis agentis habet, conſequenter nulli determinationi eſſentiali vel attributo contradicit. *Minus recta* eſt illa, quæ determinationi alicui eſſentiali vel attributo contradicit.

E. gr. Per eſſentiam ſuam corpus humanum tendit ad ſui conſervationem, cum ita conſtructum ſit, ut ſingulæ organorum vitalium functiones ad eam tanquam finem referantur. Inter attributa itaque corporis noſtri referendum, quod ſit ad ſui conſervationem aptum. Quodſi jam capiamus cibum, quem ſanitati ac conſervationi corporis prodeſſe novimus, ea quantitate, quæ non nocet; actio hæc libera rationem ſufficientem in eſſentia corporis ac inde pendente attributo ejuſdem agnoſcit, quatenus nempe per hoc attributum, ex eſſentia corporis fluens, intelligitur, cur hujus cibi hac quidem quantitate ſumendi electioni nihil obſtet ex parte corporis noſtri. Et eatenus ea dicitur recta. Obiter monemus rationem iſtam, per quam patet rectitudo actionis, non ſemper deſumendam eſſe immediate ab eſſentia vel attributo agentis, verumetiam mediate ab iis, quæ longa licet ratiociniorum concatenatorum ſerie inde deducuntur. Ex adverſo, ſi quis cibum capit, quem ſanitati inimicum jam expertus, vel quem ea quantitate ſumtum ſibi non prodeſſe novit, cum actio repugnet attributo corporis, nimirum aptitudini ad ſui conſervationem, minus recta dicenda. Vernacula dicimus *eine unrechte Handlung*, & de committente, *er habe unrecht gethan*. Imo ſi quis etiam inſcius capit cibum, quem ſumtum ſanitati inimicum experitur, cum actio adhuc attributo iſti repugnet, erit & ipſa minus recta: neque enim noſtra ſcientia quod rectum, vel minus rectum facit. Non nego, ut rectitudo actionum & multiplices defectus, quibus obnoxia eſt, penitus intelligantur, multa adhuc dicenda ſupereſſe; ſed ea non ſunt hujus loci. Notionem rectitudinis actionum humanarum adæquatam, quantum datur, efficere ſtudebimus in Philoſophia practica univerſali, quæ alter parti Theologiæ naturalis ſuccedet: ibique una tradentur defectus omnes, qui quoad nos locum habere poſſunt. Sufficit hic dixiſſe, quæ ad illam intelligendam ſatisfaciunt.

§. 951.

Moralitas actionum quid ſit.

Differentia actionum liberarum quoad rectitudinem eſt id, quod *Moralitatis* nomine venit.

Unde actiones ſpectantur moraliter, quatenus rectitudinis in iis conſiderandis habetur ratio, ut rectæ a non rectis diſtinguantur.

§. 952.

Poſſibilitas & impoſſibilitas phyſica & moralis.

Hinc naſcitur differentia inter poſſibilitatem ac impoſſibilitatem phyſicam atque moralem. Nimirum *phyſice impoſſibile* eſt, quod potentiæ agentis vel viribus ejuſdem repugnat. Ex adverſo *phyſice poſſibile* eſt, quod potentiæ agentis vel viribus ejuſdem non repugnat. Aſt *moraliter impoſſibile* eſt, quod ſalva actionis rectitudine fieri nequit: & e contrario *moraliter poſſibile eſt*, quod eadem rectitudine ſalva fieri poteſt.

Ita phyſice impoſſibile eſt, ut homo volet: etenim per ſtructuram corporis humani fieri nequit, ut volet, conſequenter potentiæ locomotivæ hominis repugnat. Similiter phyſice impoſſibile eſt, ut homo, cujus vires ſufficiunt tantummodo 90 librarum ponderi ſuſtentando, moveat pondus ducentarum librarum, propterea quod tantum pondus viribus ejus repugnat, ſeu eaſdem ſuperat. Ex adverſo phyſice poſſibile eſt, ut homo comedat cibum ſanitati inimicum, vel cibi boni eam capiat quantitatem, quæ ſanitati nocet. Aſt idem moraliter impoſſibile eſt homini intelligenti ac rectitudinis actionum tenaci obſervatori,

tori, propterea quod ſalva rectitudine actionis fieri nequit, ut comedamus cibum ſanitati noxium, vel eam capiamus cibi ſani quantitatem, quæ nobis nocua eſt (*not.* §. 950). Ex adverſo moraliter poſſibile eſt, ut homo capiat cibum ſanum ea quantitate, quæ ſanitati non nocet, quia hoc ſalva rectitudine actionis fieri poteſt (*not.* §. 950).

Facultas agēdi phyſica & moralis quomodo differāt.

§. 953.

Facultas agendi phyſica eſt potentia agendi quod phyſice poſſibile eſt. *Facultas vero agendi moralis* eſt potentia agendi, quod moraliter poſſibile.

Ita facultatem agendi phyſicam habemus comedendi cibum quemvis quacunque quantitate, ſive is ſanitati proſit, ſive noceat: aſt facultatem agendi moralem non habemus niſi comedendi cibum ſanitati amicum ea quantitate, qua eidem non nocet.

Jus quid ſit.

§. 954.

Facultas agendi moralis *Jus* dici ſolet.

Unde qui cibos comedit ſanitati amicos ea quantitate, quæ eidem non nocet; jus habere dicitur comedendi cibos ſanos ea quantitate, quæ ſanitati minime nocet. Non dico, quod jus ideo habeat in cibos, quos comedit: fieri enim poterat, ut comedat cibos alienos, in quos nullum jus habet. Sed hoc tantummodo dico, quod jus habeat ad comedendos iſtiuſmodi cibos in genere ſpectatos, etſi non habeat jus ad hos præciſe in ſingulari ſpectatos, qui ſunt juris alterius.

Proprietas quid ſit.

§. 955.

Jus diſponendi de ipſa ſubſtantia rei pro arbitrio ſuo dicitur *Proprietas*. Et qui proprietatem rei habet, *Proprietarius* appellatur.

Ita qui de ipſa ſubſtantia libri alicujus diſponere poteſt pro arbitrio ſuo, ut eum vendere vel donare alteri queat, proprietatem libri habet, diciturque *Proprietarius* ejuſdem.

Fructus quid dicatur.

§. 956.

Fructus dicuntur res ex rebus aliis quomodocunque provenientes.

Ita fructus agrorum ſunt fruges ex iiſdem enatæ; fructus arborum poma, quæ ferunt; fructus pecorum pecora ex ipſis prognata.

Jus utendi quid ſit.

§. 957.

Jus utendi eſt facultas moralis diſponendi de quolibet rei uſu pro arbitrio ſuo.

Ita jus utendi libro eſt jus legendi in eodem & excerpendi ex eo, quæcunque notatu digna leguntur. Jus utendi fructibus arborum eſt jus eos comedendi, & ſiceram ex iiſdem conficiendi.

Jus fruendi quid ſit.

§. 958.

Jus fruendi eſt facultas diſponendi de fructibus rei pro arbitrio ſuo.

Ita jus fruendi, quod quis habet in arboribus, eſt jus percipiendi fructus, quos ferunt, & perceptionem fructuum concedendi aliis.

Dominium quid ſit.

§. 959.

Dominium dicitur jus pro arbitrio ſuo diſponendi de ipſa rei ſubſtantia, ejus uſu atque fructu.

Ita Dominium agri eſt ei, qui de agro ejuſque uſu ac fructu pro arbitrio ſuo diſponere valet, ita ut eum vendere vel donare alteri, ſemina quæcunque eidem committere ac fructus prognatos percipere, aut aliis eorundem perceptionem concedere valeat. Et ei horum jurium exercitium natura liberum eſt, qui dominium agri habet.

Quænā jura dominium complectatur.

§. 960.

Quoniam jus diſponendi de ſubſtantia rei eſt proprietas (§. 955), jus diſponendi de uſu rei jus utendi (§. 957), jus denique diſponendi de fructu rei pro arbitrio ſuo jus fruendi (§. 958); dominium vero eſt jus diſponen-

di pro

Digitized by Google

di pro arbitrio ſuo de ipſa rei ſubſtantia, ejuſque uſu ac fructu omni (§. 959): *dominium complectitur proprietatem atque jus utendi ac fruendi.*

Exemplum, quod modo dedimus de dominio agri, propoſitionem præſentem illuſtrat.

§. 961.

Dominium dicitur *plenum*, quod proprietatem omnem ac jus utendi atque fruendi omne prorſus illimitatum continet. *Dominium plenum quâdo ſit.*

Ita agri dominium plenum eſt nobis, ſi nemini præterquam nobis quidpiam proprietatis competat & ſi nullus, præterquam nos, quicquam de ejus uſu ac fructu diſponere poſſit nobis invitis. Loquimur de poſſibilitate morali, non phyſica: hæc enim facti eſt, non juris.

§. 962.

Unde ſimul intelligitur, quandonam *dominium* ſit *minus plenum*, quando ſcilicet proprietas cum jure utendi ac fruendi ſine omni prorſus limitatione ac reſtrictione nobis non competit. *Minus plenum quod dicatur.*

Ita dominium agri minus plenum nobis eſt, ſi eum alienare non poſſumus abſque alterius voluntate, vel ſi alteri uſumfructum, aut ſaltem fructum concedere tenemur.

§. 963.

Deo competit dominium plenum totius univerſi ac naturæ rerum & omnium, quæ in eo ſunt, ſive in prima ſtatim creatione fuerint facta, ſive hodie demum generentur, aut quomodocunque producantur a natura rerum. Etenim Deus mundum ex nihilo produxit (§. 759), perducendo ad actus ſubſtantias, nullo alio præexiſtente in easdem influente (§. 766), eodemque creationis actu ordinem quoque naturæ conſtituit (§. 765). Fecit autem hunc, qui exiſtit, mundum liber ab omni coactione externa (§. 321) atque interna (§. 351). Cumque creatura nulla ſeipſam conſervare poſſit (§. 843), nec naturæ rerum potentia conſervatrix ſubſtantialitatis rerum conveniat (§. 846); continuato adhuc creationis actu (§. 845) mundum hunc adſpectabilem & quæcunque in eodem ſunt corpora, atque naturam rerum ejuſque ordinem conſervat (§. 849), una cum animabus hominum (§. 857), atque brutorum (§. 858), in prima ſtatim creatione a Deo creatis (§. 780. 783), adeoque ex nihilo productis (§. 697 *Pſychol. rat.*); ita ut creaturæ omnes, totus ſcilicet hic mundus adſpectabilis & omnia elementa rerum materialium (§. 778), corpora non modo in prima origine rerum producta, verum etiam hodie genita (§. 779), animæque humanæ (§. 781) atque brutorum (§. 783 777) annihilarentur, conſervatione divina ceſſante (§. 859). Deus igitur de toto hoc univerſo pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, nec non de tota natura rerum ac omnibus, quæ in eo ſunt, ſive in prima creatione fuerint facta, ſive quomodocunque producantur a natura rerum, cum nihil inſit creaturis, quod non habeant a Deo *per demonſtrata*. Diſponere autem poteſt non modo de ipſis creaturis, ſed etiam de mutuis uſibus, quos ſibi invicem præſtant, &, cum quæ naturæ opera producuntur, fructuum inſtar conſiderari poſſint (§. 956), de fructibus quoque hujus univerſi, quoniam in ipſis rebus nihil reperitur, quod liberrimæ ipſius voluntati obſtare aliquo

modo

Quale jus Deo competat in creaturas.

modo poſſit. Quoniam itaque facultas diſponendi de ſubſtantia, ejuſque uſu ac fructu, dominium eſt (§. 959), idque plenum, ſi quoad ſingula nullo modo fuerit limitatum (§. 961); Deo utique competit dominium plenum totius univerſi ac naturæ rerum & omnium, quæ in eo ſunt, ſive in prima creatione fuerint facta, ſive hodie demum generentur, aut quomodocunque a natura producantur.

Ex demonſtratione propoſitionis præſentis patet, Deo competere dominium creaturarum omnium propter creationem atque conſervationem. Etenim uterque actus, qui non eſt niſi unus idemque actus continuatus (§. 845), nihil continet, a quo alteri cuidam enti facultas quædam diſponendi de aliqua creatura pro arbitrio ſuo competat, adeoque omnis diſpoſitio Deo ſoli convenit, ita ut ipſius ſolius ſit de rebus ipſis, earumque uſu & quæ per modum fructuum inde prodeunt, pro liberrima ſua voluntate decernere, quod placuerit. Nemo non agnoſcit opus eſſe artificis, quod ex materia ſua liberrima ſua voluntate ſeu proprio ſuo motu, quod dicitur, fecit, ipſique plenum tribuit in eo dominium, non alia de cauſa, quam quod nulla ne fingi quidem poſſit ratio, cur alteri cuidam concedenda ſit facultas de eodem ullo modo pro ſuo arbitrio diſponendi, conſequenter jus quoddam in ipſum tribui queat (§. 954). Quamobrem cum ſine ratione ſufficiente nil eſſe poſſit (§. 70 *Ontol.*), nec jus aliquod alteri in opus artificis tribuitur. Quæ igitur valent de artifice opus quoddam proprio motu ex materia ſua faciente, eadem quoque valere debent de Deo, omnia creante ex nihilo ac conſervante ne in nihilum recidant, adeoque non influente ullo modo in opus ipſius, in quod alteri jus aliquod competat. Dominium adeo plenum creaturarum omnium tribuendum eſt Deo, nec quicquam, quod extra Deum datur, fingi poteſt, quod dominio ejus eximi poſſit vel ulla rationis ſpecie.

§. 964.

Dominus quis ſit.

Dominus rei dicitur, cui competit dominium.

Ita dominus agri eſt, cui competit dominium agri: dominus libri, cui dominium libri eſt.

§. 965.

Deus Dominus mundi, naturæ & omnium, quæ in mundo ſunt.

Deus eſt dominus naturæ, totius mundi ac omnium, quæ in eo ſunt, ſive in prima creatione fuerint facta, ſive hodie demum generentur, aut quomodocunque a natura producantur. Etenim Deo competit dominium naturæ univerſæ totiuſque mundi ac omnium, quæ in eo ſunt, ſive in prima creatione fuerint facta, ſive hodie demum generentur, aut quomodocunque a natura producantur (§. 963). Enimvero dominus rei eſt, cui ejus dominium competit (§. 964). Quamobrem Deus eſt dominus naturæ totiuſque mundi ac omnium, quæ in eo ſunt, ſive in prima rerum creatione fuerint facta, ſive hodie demum generentur, aut quomodocunque a natura producantur.

Unde apparet, Deum recte dici Dominum abſolute κατ' ἐξοχήν. Neque enim eſt alius præter Deum, qui tam auguſto nomine Dominus dici poſſit.

§. 966.

Deus omnium creaturarum Dominus.

Quoniam Deus eſt Dominus totius mundi ac omnium, quæ in eo ſunt, ſive in prima creatione fuerint facta, ſive hodie generentur, aut quomodocunque a natura producantur (§. 965), totus autem mundus & omnia elementa rerum materialium (§. 778), atque corpora non modo in prima rerum origine producta, verum etiam hodie genita (§. 779), una cum animabus hominum (§. 781) & brutorum (§. 783. 777), conſequenter

ter homines atque omnia animalia, viventia, quocunque nomine veniant, ſint creaturæ Dei, nec præter haſce creaturas naturæ lumine cognoſcantur aliæ; ***Deus dominus eſt omnium creaturarum, ac in ſpecie hominum atque omnium animantium, quocunque tandem nomine veniant.***

Equidem auctoritate Sacræ Scripturæ conſtat, præter creaturas a nobis commemoratas dari etiam angelos, qui cum ſint a Deo creati, adeoque perinde ac mundus hic adſpectabilis ex nihilo producti (§. 697 *Pſychol. rat.*), non minus dominio Dei ſubjiciuntur, quam cetera ab eodem facta, quemadmodum ex demonſtratione colligitur, qua Deo dominium mundi ac omnium, quæ in eo ſunt, vindicavimus (§. 963). Unde eodem modo, quo in propoſitione præcedente, evincitur, Deum quoque eſſe dominum angelorum. Verum enim vero cum in philoſophia non demonſtrentur, niſi quæ naturæ lumine cognoſcuntur, angelorum vero exiſtentia ex principiis rationis demonſtrata a nobis non fuerit; nec noſtrum fuit angelorum dominium aſſerere. Ne tamen quis exiſtimet, angelos a dominio Dei a nobis excludi; hæc annotari conſultum duximus.

§. 967.

Servus quinam ſit.

Servus dicitur homo, qui eſt in dominio alterius.

Ita vocabulum accipitur in Jure Romano, ubi de ſervitute agitur, perſonali ſcilicet. Et hinc apud JCtos Romanos ſervi in numero rerum ſunt, quemadmodum pecora. Apud nos ſublata eſt ſervitus, nec famuli noſtri in ſervorum numerum referendi.

§. 968.

Homines ſervi Dei.

Homines omnes ſunt ſervi Dei. Etenim hominum omnium dominus cum ſit Deus (§. 966); Dei dominio ſubjiciuntur (§. 964). Quoniam itaque ſervus eſt, qui eſt in dominio alterius (§. 967); homines omnes ſunt ſervi Dei.

Patet adeo, ipſos quoque Reges eſſe ſervos Dei, eodem prorſus ſenſu, quo eorum ſubditi ſervi Dei ſunt. Dominium enim Dei cum univerſale ſit, totum quoque genus humanum, nemine excepto, in ſervitute divina conſtituitur.

§. 969.

Cur corpora & natura voluntatem Numinis exequantur.

Corpora & tota rerum natura agunt, quæ Deus vult, ſeu voluntati divinæ conformiter, vel, quod perinde eſt, voluntatem ejus exequuntur. Etenim corpora & tota rerum natura agunt propter fines a Deo intentos, ac ſi ipſamet eos intenderent (§. 661). Quamobrem cum propter finem agat, qui ideo agit, ut quid ſit vel fiat (§. 932 *Ontol.*); corpora & tota natura rerum ideo agunt, quod agunt, ut fiat, vel ſit in hoc univerſo, quod Deus intendit, ſeu eſſe aut fieri vult. Voluntatem adeo Dei exequuntur, ſeu ea agunt, quæ Deus vult.

Poterat etiam oſtendi hoc modo. In corporibus nulla mutatio accidere poteſt niſi per motum (§ 128 *Coſmol.*), conſequenter cum actiones ſint in mutationum numero (§. 713 *Ontol*), omnes corporum actiones in motu conſiſtunt. Enimvero conſtat ex Coſmologiæ Sect. II. capite quarto dari regulas motus, quas corpora in agendo violare neſciunt, & quibus ordo naturæ continetur (§. 559 *Coſmol.*). Quamobrem cum Deus ſit auctor ordinis naturæ (§. 763), adeoque eundem conſtituerit (§. 762); corpora ſecundum naturæ ordinem agentia agunt juxta voluntatem Numinis, adeoque agunt, quæ Deus vult, ſeu voluntatem ejus exequuntur.

Imò probari etiam poterat hoc modo. Quæcunque in mundo materiali fiunt naturaliter, ſecundum naturæ ordinem fiunt (§. 566 *Coſmol.*). Quoniam itaque Deus eſt auctor ordinis naturæ (§. 763); patet ut ante actiones corporum naturales fieri ſecundum voluntatem divinam, adeoque corpora voluntatem Numinis exequi.

Porro natura rerum leges a Deo ipſi præſcriptas obſervare tenetur in agendo (§. 827). Quamobrem cum leges iſtæ non ſint aliæ, quam leges motus, cum natura non ſit niſi vis motrix corporum (§. 507 *Coſmol*), leges autem motus non ſint abſolute neceſſariæ, ſed contingentes (§. 527 *Coſmol.*), adeoque aliæ quoque eſſe potuiſſent (§. 294. 85 *Ontol.*), conſequenter liberrima Dei voluntate præſcriptæ (§. 941 *Pſychol. empir.* & §. 431 *Theol. nat.*); natura univerſa non agit, niſi quod Deus vult, ſeu voluntatem ejus exequitur.

Corpora & natura univerſa omni in agendo libertate deſtituuntur, quemadmodum nemo non concedit, utpote ad agendum determinata per eſſentiam & naturam ſuam. Deus dum liberrime produxit hoc univerſum, cum cetera omnino non minus producere potuiſſet (§. 342), modo ipſi libuiſſet (§. 352), conſequenter corpora, quæ in eodem exiſtunt (§. 119 *Coſmol.*), & naturam rerum fecerit liberrime (§. 763); corpora & natura univerſa ad hæc agenda determinata per eſſentiam & naturam ſuam exiſtunt, quia Deus voluit ut hæc agerent. Atque adeo non agunt, niſi quæ Deus vult, & hoc modo voluntatem ejus exequuntur. Poterat idem ſimili aliquo illuſtrari, ut idea quadam veluti exemplari lux quædam affundatur propoſitioni præſenti. Pone mechanicum peritum conſtruere horologium, quod vi ſtructuræ, quam animo concepit, tempus in ſcrupulis ſecundis per plures dies citra ullam alterationem indicare poſſit, ut exactam habeat Aſtronomus obſervator temporis menſuram. Etſi horologium neceſſario moveat indicem eo, quo tum contingit moveri, modo, neque fieri poſſit, ut moveatur aliter, quatenus tamen horologium ideo conſtructum, quod tempus adeo exacte indicare valet, alias non conſtruendum; dicendum omnino eſt, horologium agere ex voluntate artificis, conſequenter eandem exequi. Nimirum niſi artifex ea intentione horologium feciſſet, quod tempus tam exacte metitur, ut idem metiretur; nec horologium daretur, quod tempus indicaret tanta exactitudine, conſequenter nec fieret, quod vult. Fit igitur quod vult, quia horologium conſtruxit, adeoque idem agit, quod vult artifex.

§. 970.

Cur homo actiones liberas ſecundum Dei voluntatem determinare debeat.

Homo actiones liberas non determinare debet ſuo arbitratu, ſed neceſſe eſt, ut eas determinet, quemadmodum vult Deus. Etenim homo ſervus eſt (§. 968), adeoque cum ſervus ſit in dominio ejus, cujus eſt ſervus (§. 967), in dominio Dei eſt. Quamobrem cum dominium tribuat jus pro arbitrio diſponendi de uſu rei (§. 959); Deo quoque competit jus diſponendi pro ſuo arbitrio de uſu hominis omni, quem habere poteſt, conſequenter etiam de liberis ejus actionibus, quatenus ſcilicet ab iis pendet, quod vult (§. 646). Patet itaque neceſſe eſſe, ut homo actiones ſuas determinet liberas, quemadmodum vult Deus, adeoque ipſum eaſdem non ſuo determinare debere arbitratu.

Quodſi vellet, ut homo actiones quaſdam ſuo arbitratu determinaret, quin id faceret recte, dubitandum non eſt: etenim ſic quoque eas determinaret, quemadmodum vult, propterea quod contra voluntatem alterius non agitur, ubi is agenti liberum relinquit, quid facere velit. Quodſi Dominus liberum relinquit ſervo quid facere velit; nemo contendere valet, quod contra voluntatem ejus faciat, ſi facit quod vult. Enimvero ſi liberum non relinquit,

linquit, ſervi eſt in omnibus facere voluntatem Domini, nec quicquam facere poteſt, oiſi conſtiterit velle eom, ut hoc faciat.

§. 971.

Voluntatis propriæ abnegatio.

Quoniam homo actiones ſuas liberas ſecundum Dei voluntatem determinare debet, non ſuam (§. 970); *voluntas Dei ipſi eſſe debet loco propriæ voluntatis.*

Etſi itaque homo libera voluntate gaudeat, ut velle poſſit, quod lubet; ita tamen agere debet, ac ſi libertate voluntatis careret, quaſi per eſſentiam atque naturam ſuam perinde ac corpora, agentia neceſſaria, ad agendum, quod Deus vult, determinatus eſſet (§. 969). Atque hinc patet, quid ſit *abnegatio voluntatis propriæ*, ſcilicet propoſitum firmum nil quicquam agendi, oiſi quod volontati divinæ conſorme. Ita enim non agimus, qnod lubet nobis, parum ſolliciti quid fieri velit, quaſi propria voluntate deſtitoeremur, Deique voluntas noſtra eſſet.

§. 972.

Neceſſitas agendi ſecundum voluntatem Dei qualis ſit.

Neceſſitas agendi ſecundum voluntatem Dei moralis eſt, non phyſica. Etenim cum homo in volendo ac nolendo liber ſit (§. 942 *Pſychol. empir.*), adeoque agere poſſit, quod placet (§. 941 *Pſychol. empir.*), ac ideo etiam quod Deus non vult; potentiæ ipſius agendi non repugnat, ut agat, quod Deus non vult, conſequenter phyſice poſſibile eſt, ut agat contra voluntatem Numinis (§. 952). Quamobrem phyſica non eſt neceſſitas agendi ſecundum voluntatem Dei, adeoque tantummodo moralis (§. 953).

Nimirum neceſſarium eſt, cujus oppoſitum impoſſibile (§. 279 *Ontol.*). Quodſi ergo oppoſitum fuerit phyſice impoſſibile, erit idem *phyſice neceſſarium*: ſi vero oppoſitum moraliter tantummodo impoſſibile, erit idem *moraliter neceſſarium*.

§. 973.

Obligatio paſſiva & activa quid ſit.

Neceſſitas moralis agendi eſt id, quod uno nomine *Obligatio*, *paſſiva* ſcilicet, dici ſolet. Etenim *obligatio activa* non eſt niſi connexio motivi cum actione.

Cum definitionem obligationis activæ in Moralibus primum proponeremus, qui eam com paſſiva confundebant, mirati ſunt, quod ſignificatum ex ipſorum opinione adeo inoſitatum termino jam dudum in Jure, Theologia & philoſophia receptn, tribuere aodeamus. Atat! in ſalvo res eſt: non definimus obligationem activam, oiſi conſentieote & communi, & in diſciplinis recepto oſu loquendi. Etenim quomodo Princeps obligat ſubditos ad non committenda delicta? Nonne decernendo & exequendo pœnas in tranſgreſſores? Quinam eſt effectus pœnæ? Nonne ob pœnam, qoam evitari non poſſe cogitat delictum patraturus, hoc ipſum ſibi repræſentat tanquam malum, ac ideo idem patrare non vult, etſi ob rationea alias, per quas idem taoquam bonum repræſentatur, patrare mallet? Repræſentatio delicti tanquam mali eſt motivum id non committendi (§. 887 *Pſychol. empir.*). Princeps adeo obligat ſnbditos ad delicta non committeoda motivnm cum actione connectendo. Imo ex natura animæ demonſtrari poterat, quod aliter homo ad aliquid committendum, vel omittendum obligari non poſſit, niſi motivom connectendo cum actione: id quod alio loco commodius docebitur. Nec aliter ſeſe res habet, quando dicimus amicom eſſe obligatum alteri, ot petenti denegare non poſſit quod, ut faciat, cupit. Enimvero ex ipſa illa obligatione activa naſcitor paſſiva. Per motivum enim, quod obligans alterum cum actione connectit, qui obligatur moraliter oeceſſitatur ad actionem committendam, vel omittendam (*not.* §. 972). Atque ita adeſt neceſſitas agendi moralis, paſſiva illa obligatio, qoam communiter nomine obligationis indigitant.

§. 974.

Obligatio hominis ad

Homo obligatus eſt ad actiones liberas non ex ſuo arbitratu, ſed ſecundum voluntatem Dei determinandas. Etenim homo actiones ſuas liberas non deter-

agendum ſecundũ voluntatem Dei.

minare debet pro arbitrio ſuo, ſed neceſſe eſt ut eas determinet, quemadmodum vult Deus (§. 970), eſtque hæc neceſſitas agendi ſecundum voluntatem Dei moralis, non phyſica (§. 972). Quamobrem cum moralis agendi neceſſitas ſit paſſiva obligatio (§. 973); homo obligatus eſt ad actiones liberas non ex ſuo arbitratu, ſed ſecundum voluntatem Dei determinandas.

Atque ita intelligitur obligatio hominis ad actiones ſuas liberas voluntati divinæ conformandas, quæ fluit ex jure Dei in hominem. Quomodo autem Deus eundem ſibi obliget, ex notione obligationis activæ demonſtrabitur paulo poſt.

§. 975.

Obligatio hominis qualis.

Homo obligatur ad actiones liberas ad ſui ſtatuſque ſui, ac aliorum hominum ſtatuſque eorundem, imo ad perfectionem totius univerſi dirigendas. Etenim homo obligatur ad actiones liberas juxta Dei voluntatem determinandas (§. 974). Vult autem Deus, ut homo actiones ſuas dirigat ad perfectionem ſui ſtatuſque ſui (§. 905) atque hominum aliorum ſtatuſque eorundem (§. 909), imo ad perfectionem totius univerſi (§. 920). Obligatur itaque homo ad actiones liberas dirigendas ad ſui ſtatuſque ſui, ac aliorum hominum ſtatuſque eorundem, imo ad totius univerſi perfectionem.

Obligationem hic deducimus ex voluntate Numinis tanquam Domini noſtri, cum hic tantummodo agatur de obligatione divina, non autem de naturali, quam illi contradiſtinctam explicabimus in Philoſophia practica univerſali. Abſit itaque ut quis ſibi perſuadeat, nos in eorum abiiſſe ſententiam, qui negata actionum intrinſeca honeſtate ac turpitudine nullam in homine obligationem quoad directionem actionum liberarum agnoſcunt, quam quæ eſt a ſuperiore. Agitur hic de jure Dei in homines ac obligatione, quæ inde oritur: ſuo autem loco agetur de actionum naturali honeſtate ac turpitudine & obligatione, quæ ex ipſa hominis natura reſultat, ubi notionem legis naturalis & ejus identitatem cum divina explicabimus. Ceterum cum ex ſuperioribus abunde conſtet, quid ſibi velit actionum liberarum directio ad ſui aliorumque ac ſtatus tam proprii, quam alieni, & totius univerſi perfectionem; qualis ſit hæc obligatio, qua homo tenetur Deo, tanquam ſervus Domino ſuo, ſufficienter intelligitur, ut adeo non opus ſit ad eam dilucidandam plura hic in medium afferri. Quomodo autem directio actionum huic obligationi conformiter fiat, per omnia actionum genera earundemque ſpecies oſtendemus in Jure naturali.

§. 976.

Idem ulterius expenditur.

Homo obligatur ad actiones liberas per eaſdem rationes finales determinandas, per quas determinantur naturales. Obligatur enim ad actiones liberas juxta voluntatem Dei determinandas (§. 974). Quamobrem cum Deus velit, ut eas determinet per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 915); homo utique obligatur ad actiones ſuas liberas per eaſdem rationes finales determinandas, per quas determinantur naturales.

Qui obligationem, qua homo Deo tenetur, penitus inſpicere voluerit, ad animum ſibi revocet, quæ ſuperius oſtendimus (§. 914), quod aliter fieri non poſſit, ut actiones hominis liberæ ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem tendant, niſi cum naturalibus per eaſdem rationes finales determinentur.

§. 977.

Adhuc ulterius conſideratur.

Homo obligatur ad actiones ſuas liberas ad gloriæ divinæ manifeſtationem dirigendas. Obligatur enim ad eaſdem voluntati divinæ conformandas (§. 974). Quam-

Quamobrem cum directio actionum liberarum ad manifeſtationem gloriæ divinæ ſit voluntati divinæ conformis (§. 918); quin homo obligetur ad actiones ſuas liberas ad gloriæ divinæ manifeſtationem dirigendas, dubitari nequit.

Obligatio dirigendi actiones liberas ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem, obligatio eas dirigendi ad perfectionem totius noiverſi, & denique obligatio eaſdem dirigendi ad manifeſtationem gloriæ divinæ non ſunt diverſæ obligatiooes; ſed una alteram continet. Sane obligatio dirigendi actiones ad manifeſtandam gloriam Dei continet obligationem eas dirigendi & ad ſui ſtatuſque ſui, & ad totius univerſi perfectionem, & obligatio actiones dirigendi ad ſui & ſtatus ſui perfectionem continet etiam obligationem eas dirigendi ad totius univerſi perfectionem. Etenim dum homo eas dirigit ad perfectionem ſui ſtatuſque ſui, eaſdem una dirigit ad perfectionem totius univerſi, & ſi in directione ad perfectionem ſui nihil deſideratur, eaſdem ſimul dirigit ad maoifeſtationem gloriæ divinæ. Hæc omnia clariſſime patebunt, ubi directionem actionnm liberarum ad ſui perfectionem ſpecialius expoſuerimus. Modus vero dirigendi actiones ad ſui perfectionem conſiſtit in determinatione earundem per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, & modus eas ſimul dirigendi ad manifeſtationem gloriæ divinæ in determinatione per motiva ab attributis divinis deſumta, quæ inter etiam locum habet jus Dei in hominem, dominium ipſius. Hæc omnia manifeſta ſunt per ea, quæ de his in anterioribus demonſtravimus (§. 905 & ſeqq.), & ex principiis iſtis tanquam ex fonte ſuo deducitur omnis actionum humanarum rectitudo in Jure naturali evidentiſſime demonſtranda.

§. 978.

Obligatio hominis ad actionum omiſſionem.

Homo obligatur ad omittendas actiones, quæ voluntati divinæ contrariantur. Obligatur enim ad actiones liberas non ſuo arbitratu, ſed Dei voluntate determinandas (§. 974). Quamobrem ſi Deus vult, actiones quaſdam non committi, adeoque omitti, quin homo ad eas omittendas obligetur, dubitandum non eſt. Obligatur itaque ad omittendas actiones, quæ voluntati divinæ contrariantur.

Obligatio hominis ex dominio Dei, cui ſubjicitur, fluens & committenda, & omittenda reſpicit. Quamobrem jus Dei in ſe non minus violat, ſi omittenda committit, quam ſi committenda omittit. Quodſi tanquam ſervus Dei omnes officii ſui partes explere voluerit; & committendorum, & omittendorum rationem habere debet ſollicitus, ne in ullo horum reprehenſionem incurrat.

§. 979.

Obligatio ad non committenda & non omittenda.

Homo obligatur ad non omittendas actiones voluntati divinæ conformes, & ad non committendas eidem contrarias. Obligatur enim ad actiones liberas non ſuo arbitratu, ſed ſecundum Dei voluntatem determinandas (§. 974). Quoniam itaque obligatur ad committendas actiones, quas committi vult Deus; & ex adverſo ad omittendas actiones, quas omitti vult Deus: fieri non poteſt, ut ipſi integrum ſit ſeu permiſſum omittere actiones, quas Deus vult committi, ſeu quæ voluntati ejuſdem conformes ſunt, & ex adverſo committere actiones, quas omitti vult Deus, conſequenter quæ voluntati ipſius contrarientur. Patet adeo hominem obligari ad non omittendas actiones voluntati divinæ conformes, & ad non committendas voluntati divinæ contrarias.

Obligatio, de qua hic agitur, *negativa* dici poteſt, quemadmodum altera de committendis, ac omittendis, quæ Deus committi ac omitti vult, *poſitiva*.

§. 980.

Digitized by Google

§. 980.

Obligatio negativa ſpecialius explicatur.

Homo obligatur ad non determinandum actiones ſuas liberas per rationes finales diverſas ab iis, per quas determinantur naturales. Obligatur enim ad determinandum actiones ſuas liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 976), adeoque ipſi liberum non eſt eas determinare per rationes ab his diverſas, per quas naturales determinantur, conſequenter neceſſe eſt, ut eas per diverſas non determinet. Quoniam hæc neceſſitas phyſica non eſt, ſed moralis (§. 972), adeoque obligatio paſſiva (§. 973); homo utique obligatus ad non determinandum actiones ſuas liberas per rationes finales diverſas ab iis, per quas naturales determinantur.

Ponamus e. gr. hominem quendam modice capere cibum ſanum, ſed non quia ſanitati corporis conſequendæ prodeſt, verum ex avaritia, quia cibus iſte vili comparatur pretio, adeoque modica ejuſdem quantitas non multos poſcit nummos. Vi propoſitionis præſentis actio libera bona nondum dici poteſt, nec homo obligationi ſuæ ad cibum ſanum modica quantitate ſumendum ſatisfacit. Probe igitur notanda eſt hæc propoſitio, ut rectitudo actionum liberarum penitus intelligatur, tum ne in defectibus, quibus eædem laborant, pervidendis cæcutiamus: id quod quanti ſit uſus in Moralibus, ubi de imputatione agitur, ſuo loco clariſſime conſtabit. Non ſufficit agere quod bonum eſt, ſed agendum etiam bene. Unde Scholaſtici inculcarunt, non eſſe bonum niſi ex integra cauſa.

§. 981.

Eadem ulterius expoſita.

Homo obligatur ad non omittendum in actionibus liberis determinandis motiva ab attributis divinis ac in ſpecie a dominio Dei in hominibus deſumta. Homo obligatur dirigere actiones ſuas ad manifeſtationem gloriæ divinæ (§. 977). Quamobrem cum per actionum liberarum determinationem gloriam divinam aliter manifeſtare nequeat, quam ſi attributa divina ſint motiva illarum (§. 919); homini integrum non eſt, ut motiva ab attributis divinis deſumta omittat. Adeſt igitur moralis quædam neceſſitas non omittendi motiva ab attributis divinis deſumenda (§. 972); quæ cum ſit obligatio paſſiva (§. 973), homo obligatur ad non omittendum in actionibus liberis determinandis motiva ab attributis divinis deſumenda. *Quod erat unum.*

Deo competit dominium plenum in hominibus (§. 966), quod cum in ipſa Dei eſſentia atque natura rationem ſui agnoſcat, quemadmodum ex reſolutione demonſtrationis, qua dominium univerſale ipſi aſſeritur (§. 963), facile patet; inter attributa Dei utique connumerandum venit. Quoniam itaque obligatur ad non omittendum motiva ab attributis divinis deſumenda, *per demonſtrata num.* 1; omnino etiam obligatur ad non omittendum motiva, quæ deſumuntur in ſpecie a dominio Dei in hominibus. *Quod erat alterum.*

Actio igitur, ceteroquin recta, bona tamen nondum eſt, ſi omittantur motiva ab attributis divinis deſumta. Probe hæc perpendenda veniunt, ut de rectitudine actionum humanarum judicium fieri poſſit. Quoniam ex redemtione per Chriſtum facta nova naſcitur obligatio diſtincta a naturali, quæ ex ipſa hominis natura fluit, ſuo loco in philoſophia practica univerſali explicanda & ſtabilienda, & divina, quæ ex creatione atque conſervatione originem ſuam derivat, hactenus a nobis evicta; in Chriſtianis rectitudo actionum poſtulat quoque motiva ab opere redemtionis deſumta, Theologis evolvenda atque ex Scriptura Sacta probanda in Theologia morali: de quo apertius quædam dicemus in Philoſophia practica,

Digitized by Google

practica, ut omnis actionum rectitudo penitus intelligatur & differentia virtutis chriſtianæ a philoſophica ſeu naturali diſtincte percipiatur.

§. 982.

Adbuc ulterius expenditur.

Homo obligatur ad omittendas actiones, quæ tendunt ad ſui ſtatuſque ſui atque aliorum hominum quorumcunque ſtatuſque eorundem imperfectionem. Etenim homo obligatus ad omittendas actiones, quæ voluntati divinæ contrariantur (§. 978). Enimvero cum directio actionum ad ſui ſtatuſque ſui (§. 906) atque ad hominum aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem ſit voluntati divinæ conformis (§. 910); ideo directio actionum ad hominum aliorum ſtatuſque eorundem, non minus quam ad ſui atque ſtatus ſui imperfectionem voluntati divinæ contrariatur, ita ut eidem repugnet, ſi quis ſui ſtatuſque ſui perfectionem promoveat cum imperfectione aliorum ſtatuſque eorundem (§. 911). Quamobrem homo utique obligatur ad omittendas actiones, quæ tendunt ad ſui ſtatuſque ſui atque aliorum hominum quorumvis ſtatuſque eorundem imperfectionem.

Atque aden patet, quænam circa actiones nnn committendas, ſeu omittendas conſideranda veniant, & quomodn in examinanda actionum rectitudine non modo noſtri ac Dei, Domini noſtri, ſed prnpter Deum etiam aliorum hominum rationem habere debeamus. Quodſi ergn quis omnem actionum humanarum rectitudinem a voluntate divina derivare vnluerit; fœcundiſſima jam babet principia, ea quibus de ſingulis committendis ac omittendis ſtatui poteſt. Atque his principiis utemur in philoſophia practica, Jure inprimis naturæ, ſit ita, quod in philoſnphia practica demonſtraturi ſimus, actinnibus intrinſecam eſſe honeſtatem ac turpitudinem, agnnſcendam etiam ab iis, qui vel Deum non agnoſcunt, vel Jus ejus in hominem ignorant.

§. 983.

Conſiliũ, Suaſio & Juſſus quid ſint, & quomodo differãt.

Conſilium dare dicitur, qui ſignificar, quid ſibi videatur, ut fiat. ***Suadere*** dicitur, qui ſignificar, quid fieri velit, in alterius tamen arbitrio relinquens, quid facere velit. ***Jubere*** dicitur, qui ſignificat, quid fieri velit, in alterius arbitrio non relinquens, quid facere velit. Unde *Conſilium* eſt ſignificatio ejus, quid danti videatur, ut fiat. ***Suaſio*** eſt ſignificatio voluntatis ſuæ de eo, quod fieri debet, ita tamen, ut in arbitrio alterius relinquatur, quid facere velit. *Juſſus* vero eſt ſignificatio voluntatis ſuæ de eo, quod ab altero fieri debet, ita ut in arbitrio ipſius non relinquatur, quid facere velit.

Differentia inter conſilium, ſuaſionem atque juſſum probe notanda eſt: neque enim ſolum plurimum habet uſum in doctrina præſente, verum etiam maximi momenti eſt in doctrina de imputatinne ſun tempore in philoſophia practica univerſali explicanda. Etſi enim doctrina de imputatinne actionum liberarum etiam in Theologia naturali ſuum habere poſſit uſum, ut evidentius appareat, malum morale, quod Deus permittit (§. 585. 525), nullo modn ei poſſe imputari; conſultius tamen videtur, eam tradere ſuo loco. Quoniam vero plurimum refert, ut differentiam conſilii, ſuaſionis atque juſſus rite percipiamus; definitiones, quas dedimus, exempln quodam illuſtrandæ veniunt. Pnnamus itaque Titium nnbis narrare injuriam a Sempronio ſibi illatam, & ex nobis quærere, quid nobis videatur, ut faciat. Nemn non dicet, Titium a nobis expetiiſſe conſilium, quid ob injuriam a Sempronio ſibi factam facere debeat. Vult vero Titius, ut ipſi mentem noſtram de eo, quod fieri debet, aperiamus. Quamobrem ubi ipſi eundem ſignificamus, conſilium, quod expetit, impertimur. Nimirum Titius nos conſulit, hoc eſt, vult, ut diſquiramus, quid ſit agendum, adeoque conſultemus (§. 498), & quid ſtatuamus facta conſultatione ipſi ſignificemus:

Digitized by Google

cemus: quod dum facimus, conſilium ipſi dare dicimur. Conſultatio eſt actus intellectus; nec per ſe in eundem influit voluntas ſeu appetitus, etſi per accidens fieri poſſit, ut in judicium, quod de eo, quod fieri debet, ſtatuitur, appetitus influat, quemadmodum fieri vulgo ſolet, ut homines habeant intellectum ab appetitu pendulum. Hoc ipſum vero in præſente non attenditur. Atque adeo conſilium, quod damus alteri, non conſiſtit niſi in ſignificatione judicii, quod facta conſultatione de facto alieno reſultat. Ponamus in caſu dato nos alteri ſignificare, quod injuriam illatam eo, quem dicimus, modo vindicandam eſſe exiſtimemus, v. gr. Sempronium ad certamen ſingulare provocando: conſilium alteri dare dicimur, quod injuriam illatam certamine ſingulari vindicare debeat. Nobis tamen conſilium dantibus perinde eſt, ſive idem faciat, ſive non faciat: neque enim vel verbis, vel alio quocunque modo ſignificamus nos velle, ut faciat. Imo ſi ex nobis quærat, num hoc facere debeat, an vero a certamine ſingulari ſit abſtinendum; ultra conſilii limites non progredientes regerimus, nobis ita videri, ipſius vero eſſe, quid facere velit. Et ubi alter conſilium noſtrum non prorſus probare videtur; dicere ſolemus: hanc noſtram eſſe ſententiam, ipſi integrum eſſe, quid facere velit, addita ratione, quod conſilia non neceſſitent. Quamdiu itaque nullo indicio probari poteſt, nos voluiſſe, ut Titius injuriam illatam certamine ſingulari vindicet, conſilii limites non egredimur, nec Titius ſalva veritate aſſeverare poteſt, nos ipſum vel juſſiſſe, vel eidem ſuaſiſſe, ut certamen ſingulare ineat cum Sempronio. Ponamus jam porro nos contendere, injuriam a Sempronio illatam aliter quam certamine ſingulari vindicari non poſſe, additis rationibus, quibus Titius adducatur, ut hoc faciat; nemo non affirmabit, nos eidem ſuaſiſſe certamen ſingulare cum Sempronio ineundum. Dedimus autem hoc ipſo indicia, quod velimus, ut hoc faciat, etſi Titii arbitrio adhuc relictum fuerit, quid facere velit, cum nulla adhuc adſint indicia, quibus ſignificavimus, nos ipſius arbitrio hoc non reliquiſſe. Unde etiam Titius quæſitus, cur in certamen ſingulare cum Sempronio deſcenderit, reſpondet: nos hoc ipſi perſuaſiſſe, memor ſcilicet rationum, quas protulimus, & quibus tandem ipſe ceſſit. Quodſi vero rationes iſtæ nondum videantur Titio ſufficientes, ut certaminis ſingularis periculum ſubeat; cum aliis ea de re locutus affirmat, nos equidem ipſi ſuaſiſſe certamen ſingulare, ſe tamen ejus periculum ſubire nolle. Ponamus denique nos aſſeverare, Titio incumbere neceſſitatem certaminis ſingularis cum Sempronio ineundi, & niſi hoc fecerit, ſe nullum nobiſcum amplius commercium habiturum, imo contradicenti iraſci; nemo non dicet, nos juſſiſſe Titium, ut certamen ſingulare ſubeat. Quodſi jam expendas differentiam, quæ inter ſuaſionem & juſſum intercedit; non aliam deprehendes, quam quod in utroque caſu quidem voluerimus, ut Titius cum Sempronio in certamen ſingulare deſcendat, in priori tamen ipſi integrum reliquerimus, num hoc facere velit, in poſteriori autem ab eo exegerimus, ut faciat. Ad conſilium, ſuaſionem & juſſum in praxi diſtinguendum ſæpe recurrendum eſt ad interpretationem, de qua, quæ ſatisfaciunt, demonſtrabimus in Jure naturali.

§. 984.

Præceptum quid ſit.

Juſſus ejus, qui habet jus alterum obligandi, dicitur ***Præceptum***. Definiri etiam poteſt, quod ſit juſſus alterum obligans.

Ita parentibus competit jus obligandi liberos ad faciendum, quod jubent. Dicuntur itaque liberis præcipere, quod quid facere debeant, & eorum juſſus præcepta ſunt. Similiter qui præeſt civitati; ei eſt jus obligandi ſubditos ad faciendum quod jubet, & ejus juſſa ſunt præcepta. Nimirum ſi quid parentes facere jubent liberos, ex eorum juſſu naſcitur obligatio paſſiva in liberis, qua hoc facere teneotur, & ubi immorigeri fuerint, pœnis coerceri poſſunt, adeoque metu pœnarum eos obligant parentes ad obedientiam. Similiter ſi quid ſuperior in civitate a civibus fieri jubet, ex ejus juſſu in civibus naſcitur obligatio ad id faciendum. Et dum pœnas decernit in eos, qui juſſa facere detrectant; eos obligat ad obedientiam.

§. 985.

Diſſuaſio, vetatio & prohibitio quo-

Diſſuadere alteri quid dicitur, qui ei ſignificat nolle ſe, ut hoc faciat, ita tamen ut in ejus arbitrio poſitum relinquat, utrum id omittere velit, nec ne. Aſt *vetare* dicitur nobis, ſi voluntatem ſuam alteri ita ſignificet, quod quid ab eodem fieri nolit, ut in ejus arbitrio poſitum non relinquat, utrum

id omit-

id omittere velit, nec ne. Quodſi qui quid vetat, habeat jus alterum obli- *modo*
gandi, ne hoc faciat, *prohibere* id dicitur. Unde *Diſſuaſio* eſt ſignificatio *differat.*
noluntatis noſtræ de facto alterius, liberum alteri relinquens, num idem omittere velit. *Vetatio* eſt ſignificatio noluntatis noſtræ de facto alterius, in arbitrio alterius non relinquens, num idem omittere velit. Aſt *Prohibitio* eſt vetatio ejus, qui habet jus alterum obligandi ad quid omittendum, vel non faciendum.

Maximi uſus eſt in doctrina præſertim de imputatione, diſſuaſionem, vetationem & prohibitionem a ſe invicem diſtingui. Quamobrem etſi non ſimus neſcii, vetationem & prohibitionem vulgo pro ſynonymis haberi; noſtrum tamen fuit a ſe invicem nominibus diſtinguere, quæ re ipſa diſtinguuntur, adeoque iiſdem tribuere ſignificatum ſuum, qui in demonſtrandis veritatibus arduis uſui erit. Ceterum ut quicquid ſit diſcriminis, clariſſime perſpiciatur, exemplo aliquo id declarare lubet. Eſto idem, quo paulo ante uſi ſumus ad illuſtrandam differentiam inter conſilium, ſuaſionem, & juſſum (*not.* §. 983). Ponamus itaque nos Titio quærenti, quid injuria a Sempronio ſibi illata ſit faciendum, reſpondere, eam eſſe diſſimulandam, non vindicandam, propterea quod ex vindicatione metuendum malum ipſa injuria majus, in medio tamen relinquere, quid ipſe facere velit. Nemo non agnoſcit, nos tantummodo conſilium dare nudum conſulenti. Unde ſi hoc Titius ſequatur, quæſitus ab aliis, cur injuriam a Sempronio ſibi illatam non vindicet, reſpondet nos ipſi dediſſe conſilium eam diſſimulandi, non vindicandi. Enimvero ponamus ulterius, nos Titio non ſine commotione animi repræſentare periculum, quod ſubire teneatur injuriam vindicaturus, & rogare, ut ejus vindicandæ, animum deponat: etſi enim ipſi liberum ſit facere, quid velit, nec id a nobis impediri poſſit, dolere tamen vicem ejus, quod præſentiſſimo periculo nulla prorſus urgente neceſſitate ſeſe exponat. Nemo non fatebitur, nos omni modo diſſuadere Titio vindictam. Diſſuademus itaque, dum ipſi noſtram de facto non patrando ſignificamus voluntatem, aut quod perinde eſt, de facto patrando noluntatem, ita tamen ut ipſi integrum relinquamus, quid facere velit, ne, ſi res ex voto non cadat, nullam in nos culpam conjicere queat. Quodſi vero Titio interroganti reſpondemus, ab injuria vindicanda ipſi eſſe prorſus abſtinendum, nec nobis cum eo ullum fore negotium, imo non permittere nos poſſe, ut hoc faciat, quantum quidem a nobis pendet. Non nudam hic eſſe ſuaſionem facile apparet: etenim non tantummodo ſignificamus, quemadmodum ante, quid fieri velimus, ſi ex noſtra voluntate ſit ſtatuendum; verum inſuper, quod velimus, ut alter voluntatem ſuam noſtræ conformet. Unde etiam imperativo utimur voluntatem noſtram alteri ſignificantes. Deeſt vocabulum uſu communi loquendi ſatis comprobatum. Dehortatio ſatisfacere videtur, imo non dubito, fore pleroſque, qui pro dehortatione habituri ſint. Enimvero cum in Moralibus inquiſituri ſumus in modos, quibus quis influit in actiones alterius; dehortationem, quemadmodum a diſſuaſione differt, ab eo etiam actu abire, de quo nobis jam ſermo eſt, clariſſime conſtabit. Lubuit itaque appellare vetationem, ut eam juſſui nudo opponamus, quem a præcepto diſtinguere placuit, uſu loquendi communi non prorſus reclamante, modo ad notionem fixam & determinatam reducatur, & ab inconſtantiæ labe purgetur. Ponamus denique Titio præfectum eſſe a parente Mævium, ut ejus actiones moderetur, ne incautus periculo ſeſe committat, hunc autem illi ſancte affirmare, quod non ſit permiſſurus, ut injuriam vindicaturus cum Sempronio in certamen ſingulare deſcendat, ſed auctoritate Magiſtratus idem potius impediturus, additis minis aliis eum coercendi, ni morem gerere velit; nemo non affirmabit, Mævium prohibuiſſe Titio vindicationem injuriæ a Sempronio ſibi illatæ. Ecqua vero differentia intercedit inter actum Mævii & noſtrum, quem vetationem appellare libuit? Sane nulla, niſi quod vetatio in caſu uno fiat ab eo, qui jus Titium obligandi habet, in altero autem ab eo, qui jure eum obligandi deſtituitur. Cum autem hæc differentia magnum momentum trahat in doctrina de imputatione; eam omnino attendendam eſſe concedet, qui momentum illud perſpectum habet. Modo autem inſinuavimus nos actus, quibus quis influit in facta tam commiſſionis, quam omiſſionis alterius, accuratius expoſituros in Moralibus. Hic enim nonniſi delibamus, quæ præſenti inſtituto ſufficiunt.

§. 986.

Jus obligandi divinum. *Deo competit jus obligandi hominem ad actiones non ſuo arbitratu, ſed juxta voluntatem divinam determinandas.* Ponamus enim eidem non competere jus obligandi hominem ad actiones ſuas voluntati divinæ conformandas. Quoniam jus eſt potentia agendi moralis (§. 954), potentia autem agendi moralis facultas agendi quod moraliter poſſibile (§. 953); moraliter poſſibile non eſt, ut hominem obliget ad actiones non ſuo arbitratu, ſed juxta voluntatem divinam determinandas, conſequenter nec homo obligatur ad actiones ſuas liberas non ſuo arbitratu, ſed ſecundum Dei voluntatem determinandas: quod cum ſit abſurdum (§. 974); Deo utique competit jus obligandi hominem ad actiones liberas non ſuo arbitratu, ſed juxta ipſius voluntatem determinandas.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Homo eſt ſervus Dei (§. 968), adeoque in dominio ipſius (§. 967). Quamobrem cum dominium ſit jus pro arbitrio diſponendi omni modo de eo, quod eſt in dominio (§. 959); Deus quoque habet jus diſponendi de actionibus liberis hominis pro arbitrio ſuo. Quoniam vero hoc jus foret nullum, ſi non neceſſe eſſet, ut homo actiones ſuas non ſuo arbitratu, ſed ex voluntate Dei determinaret, ſed huic integrum relinqueretur, quid facere vellet, conſequenter ſi non obligaretur ad faciendum, quod Deus vult (§. 973); quin Deo competat jus obligandi hominem ad actiones liberas non ſuo arbitratu, ſed juxta voluntatem ipſius determinandas, dubitari haud quaquam eſt.

Quoniam jus obligandi homines ad certam actionum liberarum determinationem, quod Deo competere evicimus, ex dominio fluit, cui homo ſubjicitur, quemadmodum ex demooſtratione directa propoſitionis præſentis patet; juri obligandi ea tribuenda amplitudo, quæ dominio convenit. Dominium Dei plenum eſt (§. 963), adeoque quicquid in eodem juris concipi poteſt, prorſus illimitatum eſt. Quamobrem jus quoque obligaodi hominem oulla prorſus limitatione imminutum. Atque ideo nulla concipi poteſt actio libera, quæ eidem eximi poſſit, ac modus obligandi arbitrio Dei prorſus relictus. Hæc probe notanda veoiunt tum ad agnoſcendam bonitatem divinam, qua in hominem abundat; tum ad tolleodas querelas iniquas de nimia Dei ſeveritate.

§. 987.

Obligatio divina aſſerta. *Deus hominem obligat ad actiones non ſuo arbitratu, ſed juxta voluntatem ipſius determinandas.* Conſtat experientia obvia, ex quibuſdam actionibus ſequi neceſſario mala phyſica, & alia eadem contingenter comitari; ex quibuſdam ex adverſo neceſſario ſequi bona phyſica, & alia eadem contingenter comitari. Quoniam hæc debentur nexui rerum in hoc univerſo, vi cujus ratio ſequentium ſufficiens continetur in antecedentibus (§. 10 *Coſmol.*), adeoque poſitis antecedentibus ponuntur conſequentia (§. 118 *Ontol.*), Deus autem hoc univerſum gubernat, dum omnia inter ſe connectit (§. 901); quin voluntate Dei iſta conſequantur dubitandum non eſt. Enimvero actiones nobis repræſentamus tanquam bonas, quatenus ex iiſdem conſequuntur bona phyſica, & hæc alia contingenter comitantur, aſt tanquam malas, quate-

quatenus inde neceſſario reſultant mala phyſica, & hæc alia contingenter comitantur: id quod nemo non ex ſeipſo addiſcere valet, nec hic prolixa indiget demonſtratione, conſequenter mala phyſica, cum actionibus noſtris connexa, ſunt motiva nolitionis; bona autem phyſica motiva volitionis (§. 890 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque Deus motiva nolitionis ac volitionis, cum actionibus liberis connectere voluit, hominem autem obligat ad certas actiones omittendas & alias committendas, quatenus motiva cum iiſdem connectit (§. 973); patet ipſum hominem obligare ad certam actionum liberarum determinationem. Conſtat autem Deo competere jus obligandi hominem ad actiones non ſuo arbitratu, ſed ſecundum voluntatem ipſius determinandas (§. 986). Quamobrem cum repugnet, Deum obligare hominem ad actiones voluntari ſuæ contrarias, & potius velle intelligatur, eas actiones committi & omitti, ad quas committendas & omittendas eundem obligat; quin jure ſuo uſus eundem obliget ad actiones liberas non ſuo arbitratu, ſed ſecundum voluntatem ipſius determinandas, dubitare nullo modo licet.

De hac obligatione activa Dei, per quam valida ſit obligatio hominis paſſiva, eum ſive illa hæc a Deo remiſſa intelligatur, multa diei poterant, imo ipſa demonſtratio accuratius evolvi poterat; ſed eum in philoſophia practica univerſali omnem obligationem activam & paſſivam ex inſtituto declaraturi ſimus, hic brevioribus eſſe licet. Quamobrem non ſolliciti ſumus de objectionibus, quæ circa contingentem bonorum & malorum phyſicorum nexum cum actionibus hominum liberis formari poterant, quatenus quotidie videmus ex actionibus bonis conſequi plurima mala phyſica, ea malis autem bona, ut ideo mali cenſeantur feliciores bonis, & infelicitas exiſtimetur virtutis comes. De his enim demonſtraturi ſumus ſuo loco, quæ ſatisfaciunt, principiis ſufficientibus hic nondum instructi. Ne tamen nihil diaiſſe videamur & rem totam in ancipiti reliquiſſe; cauti ſumſimus in demonſtratione propoſitionis præſentis, ex quibuſdam actionibus mala phyſica neceſſario conſequi, & hæc ipſa comitari alia contingenter, & ſimiliter ex quibuſdam actionibus bona phyſica neceſſario conſequi & hæc ipſa comitari alia contingenter. Hoc ipſo nimirum innuimus, actionum moralitatem potiſſimum æſtimandam eſſe ex iis, quæ neceſſario ea actionibus noſtris conſequuntur, eum per ea conſtituatur intrinſecum earundem diſcrimen; non tamen prorſus negligenda eſſe quoque ea, quæ contingenter conſequuntur, cum non minus per hæc, quam per illa pateat obligatio activa divina, & in Moralibus magni momenti ſit, ut eorum etiam ratio habeatur. Conjungimus ideo ea, quæ neceſſario conſequuntur, cum iſtis, quæ contingenter eadem comitantur, ut intelligatur, ad contingentia ſola non eſſe animum advertendum; ſed ea una cum neceſſariis eſſe conjungenda & ſimul perpendenda, ſiquidem de obligatione divina activa ſtatuere volueris. Quomodo autem determinandæ ſint actiones, ut voluntati divinæ ſint conformes, non contrariæ, ex anterioribus abunde patet, ut multis demonſtrationum ambagibus non ſit locus. Ne tamen deſit propoſitio uſum ſuum habitura, lubet eam per modum corollarii inſerre.

§. 988.

Quoniam *Deus* obligat homines ad actiones non ſuo arbitratu, ſed juxta voluntatem ipſius determinandas (§. 987), vult autem, ut actiones ſuas dirigat ad ſui ſtatuſque ſui (*§.* 905) & aliorum hominum ſtatuſque eorundem (§. 909), imo totius univerſi perfectionem (§. 920), nec non ad manifeſtationem gloriæ ſuæ (§. 918); *homines* quoque *obligat ad dirigendas actiones ſuas ad ſui & aliorum ſtatuſque ſui ac aliorum, imo totius univerſi perfectionem atque gloriæ divinæ manifeſtationem*, conſequenter etiam ad *omittendas* *Obligatio divina quo tendat.*

das actiones, quæ tendunt ad ſui & aliorum, ſtatuſque ſui ac aliorum imperfectionem (§. 28 *Ontol.*), *& ad non omittenda motiva ab ipſius attributis deſumenda* (§. 919).

In his continetur omnis agendorum & non agendorum numerus, ad quæ Deus nos obligat, ſimulque intelligitur, quod obligatio paſſiva & activa eandem habeant latitudinem (§. 975 & ſeqq.), nec paſſiva ulla ex parte a Deo remittatur. Abſit adeo ut quis ſibi perſuadeat, actiones quaſdam eſſe adeo leves, ut in iis Deus hominem reliquerit propriæ libertati.

§. 989.

Quenam præcipiat Deus. *Deus præcipit, ut homo actiones ſuas liberas dirigat ad ſui aliorumque, ſtatuſque ſui ac aliorum, imo totius univerſi perfectionem ac gloriæ ſuæ manifeſtationem.* Vult enim, ut homo actiones ſuas liberas ad ſui ſtatuſque ſui (§. 905), & aliorum ſtatuſque eorundem (§. 909), imo totius univerſi perfectionem (§. 920) atque gloriæ divinæ manifeſtationem dirigat (§. 918), & ad hanc ipſam directionem obligat (§. 988), jure eum obligandi, quod habet, uſus (§. 986). Quamobrem cum voluntas ipſius & obligatio de hac actionum directione per demonſtrationes anteriores, nexum veritatum univerſalium patefacientes (§. 446 *Pſychol. rat.*), adeoque beneficio rationis cognoſcatur (§. 483 *Pſychol. empir.*), homo autem rationem habeat a Deo (§. 780), ejus uſum tanquam finem intendente (§. 648); quin ſuam homini voluntatem de actionum directione & obligatione ad eandem beneficio rationis ſignificet, dubitari nequit. Enimvero qui alteri voluntatem ſuam de facto ipſius ſignificat, nec in ejus arbitrio poſitum relinquit, quid facere velit; ipſum hoc facere jubet (§. 983), & ubi ipſi jus eſt alterum obligandi, præcipit (§. 984). Deus itaque homini præcipit, ut actiones ſuas liberas dirigat ad ſui ſtatuſque ſui, & aliorum ſtatuſque eorundem, imo totius univerſi perfectionem ac gloriæ divinæ manifeſtationem.

Equidem demonſtratio tota procedit juxta canonem logicum, *cui competit definitio, ei competit definitum* (§. 349 *Log.*), utpote in applicatione definitione præcepti, quæ in definitionem juſſus reſolvitur (§. 984), conſiſtens; non tamen inconſultum eſt, ut probe perpendatur, quomodo iſta applicatio fiat. Nimirum ut conſtet, Deum præcipere eam actionum liberarum directionem, quam abunde inculcavimus, demonſtrandum eſt 1. ipſum eandem velle, 2. voluntatem ſuam nobis patefacere, 3. nec in arbitrio noſtro relinquere, num voluntatem noſtram ſuæ conformare velimus, & 4. facere hoc uſum jure ſuo nos obligandi. Ea enim ſunt præcipientis requiſita, quorum uno deficiente præceptum nullum eſt (§. 983. 984). Voluntas Dei patet per demonſtrationes ſuperiores (§. 905. 909. 918. 920). Quod non arbitrio noſtro relinquat, utrum volenti morem gerere velimus, nec ne; patet ex obligatione activa (§. 988), per quam valida efficitur paſſiva, neceſſitatem moralem imponens homini ad actiones ſuas voluntati divinæ conformiter determinandas (§. 973. 974). Quod voluntatem ſuam una cum obligatione nobis patefaciat, ex eo colligitur, quod voluntas pariter divina, quam obligatio tam activa, quam paſſiva via demonſtrationis, adeoque beneficio facultatum animæ rationalis nobis innoteſcat, quas eum in finem nobis conceſſit Deus, quatenus nos iſtis facultatibus inſtructos liberrime creavit. Et intelligitur Deum jubere illam, quam propoſitio præſens urget, actionum directionem. Quod denique hoc faciat jure ſuo nos obligandi uſus, patet ex eo, quod ipſi hoc jus per demonſtrationem vindicavimus (§. 986). Nihil adeo relinquitur probandum, quod non ſufficienter probatum fuerit, conſequenter quoque ſufficienter probatum, voluntatem Dei de liberarum actionum directione eſſe præceptum.

§. 990.

Digitized by Google

§. 990.

Deus prohibet, ne homo actiones ſuas liberas dirigat ad ſui ac aliorum imperfectionem, & ne omittat actiones tendentes ad ſui & aliorum, ſtatuſque ſui & aliorum perfectionem, atque ne omittat motiva in determinandis actionibus liberis ab attributis divinis deſumta. Præcipit enim, ut actiones noſtras liberas dirigamus ad noſtri & aliorum, ſtatuſque noſtri & aliorum perfectionem atque gloriæ divinæ manifeſtationem (§. 989), conſequenter cum per determinationem actionum liberarum gloriam divinam non aliter manifeſtare poſſimus, quam ſi attributa divina ſint earundem motiva (§. 919), nobis præcipit, ut attributa ipſius ſint motiva noſtrarum actionum. Quoniam itaque præceptum eſt juſſus ejus, qui habet jus alterum obligandi (§. 984), juſſus vero eſt ſignificatio voluntatis de eo, quod ab altero fieri debet, ita ut in ejus arbitrio non ponatur, quid facere velit (§. 983); Deus nobis ſignificat, ſe velle ut actiones noſtras dirigamus ad noſtri & aliorum, ſtatuſque noſtri ac aliorum perfectionem, & ut attributa ipſius ſint motiva noſtrarum actionum, nec in arbitrio noſtro relinquit, ut aliter faciamus, uſus jure ſuo nos obligandi, quod ipſi competit (§. 986). Quoniam adeo ipſe ſimul nobis ſignificat, ſe nolle, ut actiones noſtræ tendant ad noſtri & aliorum, ſtatuſque noſtri atque aliorum imperfectionem, & ut omittantur actiones tendentes ad perfectionem noſtri & aliorum, ſtatuſque noſtri & aliorum, vel etiam motiva ab ejus attributis deſumta, nec in arbitrio noſtro relinquit, utrum id facere velimus, nec ne (§. 986), conſequenter cum ſignificatio noluntatis de facto alterius, in arbitrio alterius poſitum id minime relinquens, ſit vetatio (§. 985), Deus autem habeat jus nos obligandi ad actiones voluntati ipſius conformiter determinandas (§. 986), & vetatio ejus, qui obligandi jus habet, ſit prohibitio (§. 985); nobis prohibet, ne actiones noſtras liberas dirigamus ad noſtri & aliorum, ſtatuſque noſtri ac aliorum imperfectionem, ne omittamus actiones tendentes ad noſtri & aliorum, ſtatuſque noſtri ac aliorum perfectionem, & ne omittantur motiva ab attributis ipſius deſumta.

Quodnã Deus prohibeat.

Poteſt etiam independenter a propoſitione præcedente oſtendi hoc modo. Deus vult, ut homo actiones ſuas liberas dirigat ad perfectionem ſui ſtatuſque ſui (§. 905), & aliorum ſtatuſque eorundem (§. 909), atque ad manifeſtationem gloriæ ſuæ (§. 918), conſequenter velle nequit, ut omittat actiones ad ſui ſtatuſque ſui, & aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem tendentes, vel etiam ut omittat motiva ab ipſius attributis deſumta (§. 919), aut ut committat actiones ad ſui & aliorum, ſtatuſque ſui ac aliorum imperfectionem tendentes. Quoniam hæc omnia per demonſtrationes ſuperiores, nexum veritatum univerſalium patefacientes (§ 446 *Pſychol. rat.*), adeoque beneficio rationis, quam a Deo, uſum ejus tanquam finem intendente (§. 648), habemus (§. 780), cognoſcuntur (§. 483 *Pſychol.*

thol. empir.); Deus homini beneficio rationis ſignificat, quod illa ab eodem fieri nolit. Et quia hominem ad ea non facienda obligat (§. 988), adeoque neceſſitatem moralem non faciendi imponit (§. 973); in arbitrio ipſius non relinquit, quid facere velit. Quamobrem cum ſignificatio noluntatis de facto alterius, liberum ipſi non relinquens, num id omittere velit, ſit vetatio (§. 985); Deus vetat, ne homo actiones ſuas liberas dirigat ad ſui & aliorum, ſtatuſque ſui atque aliorum imperfectionem, & ne omittat actiones tendentes ad ſui ſtatuſque ſui, & aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem, imo ne omittat in determinatione actionum ſuarum motiva ab attributis ejus deſumta. Quia vero ipſi jus eſt obligandi hominem ad actiones ſuas juxta voluntatem ipſius determinandas (§. 986), vetatio vero ejus, qui jus obligandi alterum habet, prohibitio eſt (§. 985); Deus omnino prohibet, ne homo actiones ſuas liberas dirigat ad ſui & aliorum, ſtatuſque ſui ac aliorum imperfectionem, & ne omittat eas, quæ ad perfectionem ſui aliorumque, ac ſtatus ſui ac aliorum perfectionem tendunt, vel etiam in determinandis actionibus motiva ab attributis ipſius deſumta.

Sunt qui præceptum latiori ſenſu ſumunt, ut prohibitiones ſub ſe complectatur, diſtinguentes præcepta in affirmativa & negativa, quorum illa a nobis præcepta ſimpliciter, hæc vero prohibitiones dicuntur. Nobis tamen conſultius viſum præcepta a prohibitionibus diſtingui. Ratio patebit ſuo loco, quando nimirum in philoſophia practica univerſali notionem juris evolvemus.

§. 991.

Cur Deus directionem actionum ad aliorum perfectionē velit.

Bonitatis divinæ eſt, quod velit Deus hominem actiones ſuas dirigere ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem. Quoniam enim Deus vult hominem actiones ſuas dirigere ad aliorum quoque ſtatuſque eorundem perfectionem *per hypoth.* nemo autem non per ſe intelligit, perfectionem hominum ſingulorum magis promoveri, ſi unuſquiſque non modo ad ſui ſtatuſque ſui, verum etiam ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem dirigat; quin Deus maxime pronus ſit ad perfectionem hominum promovendam, ecquis dubitet? Enimvero qui pronus eſt ad aliorum perfectionem promovendam, is bonus eſt in alios (§. 695). Deus igitur bonus eſt in hominem, dum vult ipſum actiones ſuas dirigere ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem.

Veritas propoſitionis præſentis adeo certa eſt, ut directio actionum ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem ex ipſa bonitate divina demonſtrata a nobis fuerit in ſuperioribus (§. 909). Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, ſic committi circulum in demonſtrando, quod ſupra voluntatem Dei de directione actionum ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem ex bonitate divina, hic vero bonitatem divinam ex voluntate de directione actionum ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem demonſtremus. Etenim hic tantummodo ſumitur per modum hypotheſeos, Deum velle ut homo actiones ſuas dirigat ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem, non vero ſupponitur tanquam demonſtratum, conſequenter non aliud obtinet, quam quod in omni propoſitionum converſarum demonſtratione fieri ſolet, veluti cum ex paralleliſmo linearum angulorum alternorum æqualitas, & ex æqualitate angulorum alternorum viciſſim paralleliſmus linearum demonſtratur. Poterat propoſitio præſens inferri ex altera, quod Deus velit vi bonitatis ſuæ hominem actiones ſuas dirigere ad ſui ſtatuſque ſui perfectionem, propterea quod perfectio noſtri ſtatuſque

que

que noſtri magis promoveatur, ſi mutua ſit hominum obligatio ad aliorum quoque perfectionem pro virili promovendam: quæ etiam ratio erat, ut eam in ſuperioribus prætermitteremus. Quoniam tamen eadem utimur in propoſitione ſequente demonſtranda, quæ in Moralibus maximi momenti eſt; nequid deeſſe evidentiæ videatur, conſultius viſum fuit eandem hic demonſtrari.

§. 992.

Fons præceptorum & prohibitionum.

Præcepta Dei ac prohibitiones ejuſdem a bonitate divina proficiſcuntur. Deus enim præcipit, ut actiones noſtras ad noſtri aliorumque, ac ſtatus noſtri & aliorum perfectionem dirigamus (§. 989), & prohibet, ne has omittamus & ne eas dirigamus ad noſtri aliorumque, ſtatuſque noſtri & aliorum imperfectionem (§. 990). Quamobrem cum præcipiens jubeat, ut quid fiat, jure ſuo alterum obligandi uſus (§. 984), adeoque velit, ut alter hoc faciat, nec in arbitrio ejus ponat, utrum velit, nec ne (§. 983); ac ſimiliter qui prohibet, vetet, ne quid fiat, jure ſuo alterum obligandi uſus (§. 985), adeoque nolit, ut aliter agat, in arbitrio ipſius non relinquens, quid agere velit (§. *cit.*); quin ſeria ſit Dei ac immota voluntas de dirigendis actionibus ad ſui aliorumque, ſtatuſque ſui ac aliorum perfectionem, non vero ad imperfectionem, nullo modo dubitari poteſt. Eſt vero bonitatis divinæ, quod Deus velit hominem actiones ſuas dirigere ad ſui ſtatuſque ſui (§. 907) & aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem (§. 991). Quare bonitatis quoque divinæ eſt, quod hanc directionem præcipiat, contrariam vero prohibeat, conſequenter præcepta & prohibitiones Dei a bonitate ipſius proficiſcuntur.

Propoſitio præſens probe notanda ob maximum, quem in Moralibus ſpondet, uſum, in philoſophia practica univerſali & uberiori luce colluſtrabitur, & præterea ampliabitur, cum ibidem oſtenſuri ſimus, etiam voluntatem Dei de directione actionum noſtrarum ad manifeſtationem gloriæ ipſius, imo de directione ad perfectionem totius univerſi, tribuendam eſſe bonitati divinæ. Taceo in præſenti, quod etiam in ipſo modo obligandi bonitatis divinæ veſtigia luculenta reperturi ſimus.

§. 993.

Præcepta ac prohibitiones Dei num tantummodo cõſilia ſint.

Præcepta ac prohibitiones Dei non ſunt nuda conſilia. Præcepta enim (§. 984) & prohibitiones Dei nos obligant (§. 985), adeoque neceſſitatem moralem agendi imponunt (§. 973), ſcilicet committendi, quæ præcipiuntur (§. 984. 983), & omittendi, quæ prohibentur (§. 985), conſequenter arbitrio noſtro non relinquitur, ut quæ præcipiuntur omittamus, quæ prohibentur committamus. Enimvero qui conſilium dat, nobis tantummodo ſignificat, quid ipſi agendum, hoc eſt, committendum vel omittendum videatur: tantum abeſt, ut neceſſitatem hoc a nobis committendi vel omittendi imponat, ut ne ſignificet quidem quid ipſe fieri velit, ſed omnia arbitrio noſtro relinquat (§. 983). Præcepta igitur & prohibitiones Dei non ſunt nuda conſilia.

Quidam cum animadverterent, præcepta ac prohibitiones Dei a bonitate ipſius proficiſci, quemadmodum modo demonſtravimus (§. 992), atque tendere ad felicitatem hominis, quemadmodum in Philoſophia practica clariſſime evincemus; inde perperam intulerunt, præcepta ac prohibitiones Dei nuda eſſe conſilia. Nos qui perſuaſiſſimi ſumus, nullum

eſſe

eſſe errorem; cui non inſit aliqoid veri, ac ideo ex aliorum erroribus proficere ſtudemus; ab iis reprehendeodis & perſtringendis alieni, quique quod verum & rectum eſt etiam in errantibus probaoius atque laudamus, io Philoſophia morali idiomate patrio conſcripta probaveramus ab iis, qui præcepta & prohibitiones Dei pro oudis conſiliis veoditaverant, recte ſumi, quod proficiſcantur tum quoad ipſam eorundem ſubſtantiam, tum quoad obligationem poſitivam a bonitate divina, hancque veritatem maximi eſſe in praxi uius; eſſe tamen leges ex ipſa notione legis, quæ obligationem iovolvit, demonſtraveramus. Inde qui malevolo in nos ſunt animo inſerebant, oos leges divioas pro nudis cooſiliis habere, adeoque omnem obligationem tollere & omnem morum doctrinam funditus evertere. Quantum vero a vero abſint; qui præceptis divinis ac prohibitionibus vim legom denegaot, propterea qood ex bonitate proficiſcantur, per demonſtrationes ooſtras abuode patet. Imo ſoo loco oſtendemus, ne leges quidem humauas eſſe rectas, oiſi ex ſapieotia & bonitate proficiſcantur.

§. 994.

Concurſus Dei ad actiones bonas.

Deus ad actiones bonas concurrit, quatenus bonæ ſunt. Deus enim actiones præcipit tendentes ad noſtri aliorumque, atque ſtatus noſtri & aliorum perfectionem (§. 989), adeoque bonas (§. 370), & prohibet actiones tendentes ad noſtri aliorumque, atque ſtatus noſtri & aliorum imperfectionem (§. 990), adeoque malas (§. 371), & jure ſuo nos obligandi uſus (§. 986), ad bonas committendas, malas omittendas nos obligat (§. 988), motiva cum actionibus connectendo neceſſitatem moralem tam bonas committendi, quam malas omittendi imponens (§. 973). Quamobrem per præcepta & prohibitiones divinas ipſiſque inhærentem obligationem intelligitur, cur homo, ſervus Dei (§. 968), voluntati Domini ſui (§. 966) ſatisfacturus (§. 974) omiſſis malis bonas committat, conſequenter in voluntate Dei tanquam Domini noſtri continetur ratio actionum bonarum, malis prorſus omiſſis, commiſſarum. Quoniam itaque ad actiones alterius concurrit is, in cujus voluntate continetur aliqua ratio, cur alter egerit (§. 872); Deum ad actiones bonas, quatenus bonæ ſunt, concurrere liquet.

Deum concorrere ad actiones bonas, qua tales, eas præcipiendo & ipſis oppoſitas prohibendo, doceot etiam Theologi. Quando vero ad hunc concurſum porro referunt, quod largiator vires bonum agendi, id ad Theologiam revelatam pertinet: loquoutur enim de viribus gratiæ, quas neſcit ratio. Naturales vero quæ homini ſunt vires, per gratiam perficiendæ, ac ad ſublimiorem gradum eveheodæ, quod in concurſo Dei ſint atteodendæ, ex ſuperioribus jam conſtat (§. 876).

§. 995.

Dominium rerũ a Deo hominibus conceſſum.

Deus hominibus conceſſit dominium earum rerum, quibus ad promovendam ſui & aliorum, atque ſtatus ſui & aliorum perfectionem habent opus. Etenim Deus hominem obligat ad dirigendas actiones ſuas ad ſui & aliorum, atque ſtatus ſui & aliorum perfectionem (§. 988), adeoque hoc faciendi neceſſitatem moralem imponit (§. 973). Quamobrem cum id facere non poſſit, niſi ipſi competat facultas diſponendi de ſubſtantia, uſu atque fructu earum rerum, quibus ad ſui & aliorum, ſtatuſque ſui ac aliorum perfectionem promovendam habet opus, fini huic convenienter, conſequenter dominium in iſtis rebus (§. 959); neceſſe eſt ut Deus eidem concedat dominium

earum

earum rerum, quibus ad promovendam ſui & aliorum, atque ſtatus ſui & aliorum perfectionem habet opus.

Dominium, de quo hic loquimur, eſt totius generis humani, nec tollit communionem primævam, quam alibi diſtinctius explicaturi ſumus, conſequenter ſingulis tribuit jus æquale ad ea, quibus habent opus. Cur vero ab iſto dominio univerſali, quod communionem primævam involvit, fuerit diſcedendum & dominia ſingularia introducenda, ſuo loco demonſtrabitur in Jure naturali.

§. 996.

Uſus & abuſus dominii in quo conſiſtat.

Homo dominio rerum a Deo conceſſo utitur, ſi de iis diſponit ad promovendam ſui & aliorum, ſtatuſque ſui & aliorum perfectionem; abutitur vero, ſi diſponit ad promovendam ſui & aliorum, ſtatuſque ſui & aliorum imperfectionem. Etenim Deo competit dominium plenum rerum omnium in hoc univerſo, ſive in prima ſtatim creatione fuerint factæ, ſive hodie demum generentur aut quomodocunque producantur a natura rerum (§. 965), & homini nihil hujus dominii conceſſit, niſi quatenus rebus quibuſdam habet opus ad ſui & aliorum, atque ſtatus ſui & aliorum perfectionem promovendam (§. 995). Quamobrem cum homo obligetur ad actiones liberas non ex ſuo arbitratu, ſed ſecundum voluntatem Dei determinandas (§. 974); de rebus, quarum dominium Deus ipſi conceſſit, aliter diſponere non debet, niſi ad promovendum ſui & aliorum, ſtatuſque ſui & aliorum perfectionem, conſequenter quatenus ab iiſdem pendet actualitas ejus, quod bonum eſt; non vero quod eſt malum (§. 370. 371). Quamobrem cum uſus rei conſiſtat in dependentia actualitatis rei cujuſdam alterius, quæ mala non eſt, ab eadem, abuſus vero in dependentia ejus, quæ mala eſt (§. 646); homo dominio a Deo conceſſo utitur, ſi de iis diſponit ad promovendam ſui & aliorum, ſtatuſque ſui ac aliorum perfectionem, abutitur vero, ſi diſponit ad promovendam ſui & aliorum, ſtatuſque ſui ac aliorum imperfectionem.

E. gr. Deus hominibus conceſſit dominium fructuum, quos edunt arbores, cum habeant uſum in alendo corpore. Homo obligatus eſt ad corporis ſui & aliorum conſervationem. Quamobrem ſi fructibus veſcitur, vel ſi veſcendos aliis, dat, quatenus ad corporis conſervationem faciunt ſanitati proficui; dominio, quod in iis a Deo conceſſum habet, utitur. Aſt ſi fructibus veſcitur, vel aliis veſcendos dat, qui ſanitati vel ſuæ, vel aliorum nocent, dominio, quod in iis habet, abutitur. Jus hominis in creaturas hic conſideratur in relatione ad Deum, non vero in relatione ad homines alios, quamvis dominium univerſale quoad uſum & abuſum etiam ſubſiſtat in dominio ſingulari, quod ſingulis reſpectu ſingulorum competit. Quinam vero ſint diverſi utriuſque juris effectus, inter ſe minime confundendi, ſuo explicabimus loco in Jure naturali, ne plus ſibi arroget homo juris, quam ipſi competit. Miſſa igitur jam facimus, quæ ad hoc argumentum dilucidandum in medium afferri poterant, ne diſciplinarum limites præter neceſſitatem confundamus.

§. 997.

Qualis ſit Dominus Deus.

Deus Dominus ſumme bonus eſt. Etenim præcepta ac prohibitiones Dei a bonitate ejus proficiſcuntur (§. 992), quam ſummam eſſe conſtat, ita ut majorem concipi repugnet (§. 699), conſequenter hæc homini præcipit Deus, non alia, quia ſumme bonus eſt, & hæc prohibet, non alia, quia ſumme bonus eſt. Enimvero præcipit homini committenda & prohibet non committenda, quatenus jus obligandi hominem ad facienda & non facien-

Digitized by Google

da habet (§. 984. 985). Quamobrem cum hoc jus ipſi competat, quatenus eidem eſt jus diſponendi de actionibus liberis hominis, conſequenter quatenus dominium in homine habet (§. 959), adeoque dominus ejuſdem eſt (§. 964); Deus Dominus ſumme bonus eſt.

Poterat etiam oſtendi hoc modo. Deus ſumme bonus eſt, ita ut majorem bonitatem concipi repugnet (§. 699), enti cuicunque, adeoque etiam homini, tantundem boni conferens, quantum ſapientia ſua ſalva conferri poteſt (§. 698). Eſt vero idem Dominus hominis (§. 966). Quamobrem patet Deum eſſe Dominum ſumme bonum.

Non licet excipere quod hominem in mala ruere ſinat: neque enim hoc repugnat bonitati ipſius (§. 725). Neque contra bonitatem dominii divini urgere licet, quod eidem mala phyſica immittat, citra ipſius culpam: dirigit enim ea ad bonum finem (§. 680), hæc autem directio bonitati ipſius tribuenda (§. 733).

§. 998.

Idem ulterius expeditur. *Deus ſervos ſuos amat, eoſque vult eſſe felices, non infelices.* Homines ſunt ſervi Dei (§. 968) & Deus eorum Dominus eſt (§. 966), idemque ſumme bonus (§. 997). Quamobrem cum alterum amet, qui in eundem bonus eſt (§. 700); quin Deus ſervos ſuos impenſe amet, dubitari haud quaquam poteſt. *Quod erat unum.*

Vult autem idem Deus, Dominus hominum (§. 966), ſervorum ſuorum (§. 968), eorum felicitatem (§. 706), infelicitatem vero velle nequit (§. 707). Quamobrem ulterius liquet, Deum velle ut ſervi ſui ſint felices, non infelices. *Quod erat alterum.*

Falluntur adeo, qui ſe infelices exiſtimant, quod ſint ſervi Dei, nec ſui juris. Etenim quatenus homo facit, quæ ſervo Dei facere non eſt integrum, libertate ſua abutitur: hoc autem libertatis abuſu ſe reddit infelicem. Quando vero ſervum Dei fidelem ſe præſtat, faciens ea, quæ vult Dominus, eam felicitatem conſequitur, quæ in ipſum cadere poteſt. Sed hæc multo adhuc clariora evadent in Moralibus.

§. 999.

Dominium Deo juxta Sacram Scripturam tribuendũ. *Deo juxta Sacram Scripturam competit dominium in creaturis, quale ipſi in ſuperioribus vindicavimus.* Etenim Deus ipſe *Jerem.* XVIII. 3. & ſeqq. jus ſuum in hominem comparat cum jure figuli in vaſa ſua. Quemadmodum nimirum figulus ex luto ſuo pro arbitrio ſuo vas facit, & de eodem pro arbitrio itidem ſuo diſponit; ita etiam Deus hominem fecit, qualem voluit, & de eo diſponit, quemadmodum ſibi videtur. Jus figuli in vaſa ſua dominium eſt (§. 959). Quamobrem jus Dei in homines erit quoque dominium eo ſcilicet ſenſu, quo ipſi idem vindicavimus in ſuperioribus (§. 963). Quod vero jus Deo competit in hominibus, idem etiam ipſi competit in rebus ceteris omnibus. Etenim jus figuli oritur ex eo, quod vas fecerit ex luto ſuo, de quo pro arbitrio ſuo diſponere valet, ita ut nemini rationem reddere teneatur, cur tale potius vas faciat, quam aliud. Conſtat vero Deum feciſſe omnia ex nihilo (§. 759), ita ut nullum extiterit ens, cui rationem reddere teneretur, cur has potius res produxerit, quam alias, & liberrime conſtituiſſe hunc rerum ordinem, ita ut nemini integrum fuerit alium potius,

tius,

tius, quam hunc requirere (§.765). Quamobrem eadem eſt origo juris in res ceteras omnes, quæ ſunt in hoc univerſo, quæ eſt juris in homines. Cum igitur jus in homines ſit dominium eo ſenſu acceptum, quo ſupra idem definivimus (§.959); Deo etiam tribuendum eſt dominium in rebus ceteris omnibus auctoritate Sacræ Scripturæ, quale eidem competere in ſuperioribus demonſtravimus.

Simile, quo utitur Deus ad jus ſuum in creaturas illuſtrandum, ideam exemplarem dominii ſuppeditat, cui creaturæ ſubjiciuntur, probe adeo perpendendum, ne quid obſcuritatis circa doctrinam maximi momenti ſuperſit.

§. 1000.

Sacræ Scripturæ conſenſus circa actionum liberarū directionem.

Deus præcipit in Sacra Scriptura ut actiones noſtras liberas dirigamus ad noſtri aliorumque, ſtatuſque noſtri ac aliorum perfectionem eodem prorſus ſenſu, quo hanc actionum directionem ab eo præcipi in ſuperioribus demonſtravimus. Chriſtus *Matth.* V. 48 liberarum actionum directionem precepturus: *Eſtote*, inquit, *vos perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. Deus juxta Sacram Scripturam vult, quod ipſum decet, eodem prorſus ſenſu, quo idem ex principiis rationis evicimus (§. 412). Quamobrem cum noſtro ſenſu Deum deceat, cujus aliqua in eſſentia vel attributis ipſius continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud (§. 332); ex mente etiam Sacræ Scripturæ dicendum eſt, Deum ita determinare actiones ſuas liberas, ut per attributa ipſius intelligi poſſit, cur hoc potius agere voluerit, quam aliud (§. 56 *Ontol.*). Atque adeo liberæ Dei actiones conſentiunt cum eſſentia & attributis ejus, conſequenter ad perfectionem Dei pertinent (§.503 *Ontol.*). Quodſi ergo Chriſto Doctore in determinandis actionibus liberis Deum imitari debemus; rationes earum quoque ab eſſentia & natura noſtra deſumere debemus, aut ſi mavis, ab iis, quæ neceſſario inſunt, conſequenter cum actiones naturales ex eſſentia & natura rei neceſſario conſequantur (§.913), liberæ etiam per eaſdem rationes determinandæ ſunt, per quas naturales determinantur, veluti quæ corpus reſpiciunt, per corporis conſervationem, ad quam tendunt omnes functiones organorum corporis. Enimvero ſi actiones liberæ cum naturalibus per eaſdem rationes finales determinantur; ad perfectionem noſtram ſtatuſque noſtri tendunt (§. 914). Quare Chriſto Doctore actiones liberæ dirigendæ ſunt ad noſtri ac ſtatus noſtri perfectionem, eodem prorſus ſenſu, quo hanc actionum directionem a Deo præcipi demonſtravimus (§.989).

Ad perfectionem, quam Chriſtus nobis præcipit, diſertis verbis etiam requirit amorem inimicorum, & beneficia in eos conferenda *verſ.* 44. Præcipit autem proximum, hoc eſt, hominem promiſcue omnem, diligere tanquam noſmetipſos *Matth.*XIX.19. Qui alterum amat, tanquam ſeipſum, ex ejus felicitate eandem percipit voluptatem, quam ex propria percipere poteſt (§.633 *Pſychol. empir.*). Vult igitur Chriſtus, ut ex hominum aliorum felicitate, etiamſi inimico in nos ſint animo, eandem voluptatem

Digitized by Google

percipiamus, quam ex propria percipere ſolemus. Quoniam igitur eadem nobis eſſe debet cura aliorum hominum, ipſorum etiam inimicorum, quæ propriæ ſalutis; quin quoad alios liberas noſtras actiones eodem modo dirigere debeamus, quo eas quoad nos dirigere tenemur, dubitandum non eſt. Enimvero Chriſto Doctore actiones noſtræ dirigendæ ſunt ad noſtri ſtatuſque noſtri perfectionem *per demonſtrata*. Eodem igitur Doctore eædem dirigendæ ſunt ad aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem.

Conſenſum doctrinæ noſtræ de directione liberarum actionum ad noſtri & aliorum, ſtatuſque noſtri ac aliorum perfectionem cum doctrina Chriſti citato loco, uberius explicavimus in Horis Subſecivis A. 1730 Trimeſtri vernali num. V. p. 343 & ſeqq. Quamobrem non opus eſt, ut hic ſimus prolixiores. Quæ igitur uberius dici poterant ad ſenſum verborum Chriſti demonſtrandum; ea ibidem propoſita legantur.

§. 1001.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad prohibitiones divinas.

Quoniam *Deus* præcipit juxta Sacram Scripturam actionum liberarum directionem ad noſtri & aliorum, ſtatuſque noſtri ac aliorum perfectionem eodem prorſus ſenſu, quo eandem ab eo præcipi ſupra demonſtravimus (§. 1000); hoc ipſo ſimul patet, quod *juxta Sacram Scripturam* etiam *prohibeat actionum liberarum directionem ad noſtri aliorumque, ſtatuſque noſtri ac aliorum imperfectionem eodem ſenſu, quo nos eandem ab ipſo probiberi in ſuperioribus demonſtravimus* (§. 990).

Non igitur opus eſt, ut in iis demonſtrandis ſimus prolixiores, quæ cum per ſe pateant ultro conceduntur. Ceterum cum iſta actionum directio, quam voluntati divinæ conformem ſtabilivimus, ſit generale principium, ex quo omnem rectitudinem actionum liberarum, conſequenter jus naturæ univerſum ſuo loco deducemus, & eandem quoque tanquam agendorum & non agendorum normam generalem propoſuerit Chriſtus, quemadmodum loco citato (*not.* §. 1000) clariſſime oſtendimus; eo ipſo avicimus totius Juris naturalis a nobis in poſterum tradendi ac univerſæ thaoriæ moralis cum doctrina Chriſti conſenſum. Etenim quæ ex principio menti Chriſti conformi deducuntur, obſervato demonſtrandi rigore, ne inde fluere videantur, quæ non fluunt, ea ejuſdem quoque menti conſona eſſe debent. Quamobrem ſi Chriſtus de actionum noſtrarum directione nihil præcepiſſet, quam quod perfecti eſſe debeamus, ſicut pater noſter cæleſtis Deus perfectus eſt, omnem morum theoriam menti ejus conformem via demonſtrationis reperire liceret.

§. 1002.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad obligationem.

Deus hominem juxta Sacram Scripturam obligat ad agenda & non agenda eodem ſenſu, quo idem in anterioribus probavimus. Deus *Exod.* XX. 5. 6 mala phyſica comminatur præcepta ejus tranſgredientibus; bona autem pollicetur iis, qui eadem cuſtodiunt. Non opus eſt, ut prolixa interpretatione malorum phyſicorum comminationem & bonorum phyſicorum promiſſionem in verbis iſtis Sacræ Scripturæ contineri evincamus: etenim cum iſtiuſmodi comminationum & promiſſionum plena ſit Scriptura Sacra, in quibus exempla ſpecialia afferuntur aperte loquentia, quod Deus immittere decreverit mala phyſica præcepta ejus tranſgredientibus, bona vero phyſica eadem cuſtodientibus; non opus eſt ut in re manifeſta & a nemine in dubium vocata, qui in lectione Sacræ Scripturæ peregrinus ac hoſpes non eſt, ſimus prolixiores. Enimvero cum mala phyſica actiones voluntati divinæ contrarias conſequantur, Deo decernente; hoc ipſo repræſentantur

tanquam

tanquam malæ. Et quia bona phyſica ſequuntur actiones voluntati divinæ conformes, Deo itidem decernente, eo ipſo agenti repræſentantur tanquam bonæ. Quoniam itaque boni & mali repræſentationes motiva ſunt, boni nempe repræſentationes motiva volitionis, repræſentationes mali motiva nolitionis (§.890 *Pſychol. empir.*); Deus liberrime utraque decernens (§.593) juxta Sacram Scripturam motiva cum actionibus hominum liberis connectit. Quamobrem cum noſtro ſenſu hominem obliget, dum motiva cum actionibus ejus liberis connectit (§. 973); juxta Sacram Scripturam hominem obligat ad agenda & non agenda eodem ſenſu, quo idem in anterioribus probavimus (§. 987).

Quodſi prolixiores eſſe liceret, explicanda inprimis erat phraſis Sacræ Scripturæ, *viſitare iniquitatem in aliquo*, ut dilucide conſtaret viſitationem iſtam in immiſſione malorum phyſicorum conſiſtere, iſtiuſmodi præſertim, quæ ex actione non neceſſario conſequuntur; ſed potius contingenter, vi nexus ſcilicet rerum in hoc univerſo a Deo liberrime facti, quatenus ob convenientiam quoque nexus mali phyſici cum morali hanc potius rerum ſeriem, quam aliam perducere ad actum maluit Deus, juſtitiam ſuam fini ſuo ultimo convenienter demonſtraturus. Similiter explicari debebat, quid ſit *benefacere agenti*, ut non minus eluceſceret benefacta iſta conſiſtere in immiſſione bonorum phyſicorum, iſtiuſmodi inprimis, quæ ex actionibus non neceſſario conſequuntur, ſed potius contingenter eaſdem excipiunt, denuo vi nexus rerum a Deo liberrime facti, quatenus ob convenientiam quoque nexus boni phyſici cum morali hanc rerum ſeriem producere maluit juſtitiam ſuam demonſtraturus. Sed horum omnium uberiorem diſcuſſionem Sacræ Scripturæ interpretibus ac Theologis relinquimus, principiorum noſtrorum philoſophicorum uſum in interpretandis oraculis divinis non ſine animi voluptate inſigni experturis. Nobis ſufficit digito quaſi demonſtraſſe, quid fieri debeat & qua via ſit incedendum, ut ad ſcopum quæſitum feliciter perveniatur. Equidem loci Sacræ Scripturæ, quo ad probandam propoſitionem præſentem utimur, interpretatio præcipue exigit, ut doceatur, quomodo Deus puniat ob male facta parentes in liberis, ita tamen ut liberi non ideo dicendi ſint puniri ob facta aliena, hoc eſt, ut mala phyſica ob male facta parentum liberis immiſſa rationem pœnæ habeant quoad parentes, non vero quoad liberos; ſed ea non ſunt hujus loci, etſi ad plenius intelligendam obligationem divinam activam faciant. Dabimus autem alibi principia, quæ cum principiis Theologiæ naturalis conjuncta pleniſſimam argumento arduo atque difficili lucem affundent.

§. 1003.

Conceſſus Sacræ Scripturæ quoad dominiũ rerum hominibus conceſſum.

Deus juxta Sacram Scripturam hominibus conceſſit dominium rerum omnium, quæ uſui ipſi eſſe poſſunt. Cum Deus protoplaſtos creaſſet, dixit ad eos *Gen.* I. 28, *creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*: & *verſ.* 29, *dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam: & cunctis animantibus terræ omnique volucri cæli, & univerſis, quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum*. Deus omnium rerum, adeoque etiam terræ & eorum, quæ in ea ſunt, Dominus (§.999), cum vi dominii ſui de iis pro arbitrio ſuo diſponere poſſit (§.959); protoplaſtis & ex iiſdem propagatis, adeoque toti generi humano *Actor.* XVII. 28, concedit jus terram ſibi ſubjiciendi & omnibus animantibus, ſive in aquis, ſive in aere, ſive in terra degant, dominandi (§.954). In textu Hebræo jus illud ſubjiciendi terram exprimitur verbo כָּבַשׁ, quod apud Hebræos

bræos uſitatum ad denotandam actionem, qua victor in poteſtatem ſuam redigit hoſtem devictum cum iis, quæ ipſi ſunt. Exempli loco eſto David, qui Deo legitur conſecraſſe argentum & aurum gentium, quas *ſubegerat:* ubi in textu Hebræo vocabulum iſtud legitur, quo jus in terram hominibus conceſſum exprimit Deus. Jure Gentium moribus veterum approbato hoſtis devictus fiebat ſervus victoris 2 *Petr.*II.19, conſequenter dominio ejuſdem ſubjiciebatur (§. 967). Quamobrem cum Deus hominibus concedit jus ſibi ſubjiciendi terram; iiſdem concedit dominium terræ. Quoniam vero hic ſermo eſt de protoplaſtis & omnibus eorum poſteris; terræ dominium, de quo loquitur Sacra Scriptura, generale eſt, competens æqualiter toti generi humano, nullo diſcrimine facto. Quod vero jus in terram humano generi in prima rerum creatione conceſſum etiam extendatur ad ea, quæ in terra ſunt & uſui ejus inſervire poſſunt; ex jure dominandi animantibus cujuſvis generis & veſcendi omnibus vegetabilibus colligitur. Dum pomo arboris veſcimur, ejus ſubſtantia perit, & in horum numero ſunt omnia, quæ in ciborum cenſum veniunt, ut ſalva ſubſtantia non ſit eorum uſus. Quamobrem cui conceditur jus pomo veſcendi, ei utique conceditur jus diſponendi & de ſubſtantia, & de uſu ejus. Quoniam itaque ex pomo fructus provenire nequit, niſi quatenus venditur vel permutatur, qui vero de ſubſtantia ejus pro arbitrio ſuo diſponere valet, idem vendere ac permutare, conſequenter fructum aliquem ex eo percipere poteſt (§. 956); cui competit jus veſcendi pomo, eidem etiam competit Jus fruendi (§. 958). Enimvero dominium cum ſit jus de ſubſtantia, uſu ac fructu rei diſponendi (§. 959); ex jure veſcendi vegetabilibus patet, homini eſſe conceſſum eorundem dominium. Concedit vero Deus homini dominium terræ, quia habitaculo opus habet; concedit dominium vegetabilium, quia cibis opus habet ad ſui conſervationem. Conſervatio corporis injungitur homini a Deo, dum præcipit directionem actionum ad ſui ſtatuſque ſui, & aliorum ſtatuſque eorundem perfectionem, contrarias vero prohibet (§. 1000). Quamobrem liquet, Deum humano generi conceſſiſſe dominium vegetabilium, quia eorum uſus requiritur ad explendam obligationem, qua in dirigendis actionibus liberis tenetur. In interpretandis juribus interpretatio extenſiva locum habet ob rationis identitatem, qua poſita poni etiam debet, quod per eam determinatur (§. 118 *Ontol.*). Nullum adeo dubium eſt, dum Deus dominium terræ conceſſit humano generi, eum quoque conceſſiſſe dominium rerum omnium, quæ in ea ſunt, & quibus homines habent opus ad ſui aliorumque, & ſtatus ſui aliorumque perfectionem promovendam.

Quoniam vero Deus dominium rerum omnium, quæ ſunt in terra & quibus homo ad ſe alioſque perficiendum habet opus, juxta Sacram Scripturam conceſſit; nulla ſane ratio eſt, cur hoc jus non extendi etiam de-

beat

beat in omnia animalia, ſive in volatilium, ſive natatilium, ſive quadrupedum genere fuerint. Unde facile intelligitur ex ipſo contextu, quale ſit illud jus, quod Deus in hominem tranſtulit, dum eum juſſit dominari omni animantium genere, ut ulteriori explicatione non ſit opus. Ipſum tamen vocabulum Hebraicum רדה, quod in textu occurrit, ſatis ſuperque innuit, non aliud jus a Deo homini in animantia bruta conceſſum, quam quod modo per conſequentiam ex contextu eidem vindicavimus. Hoc enim vocabulo uritur Sacra Scriprura quando loquitur de iis, qui ab hoſte capti in poteſtatem ipſius rediguntur. Conſtat vero per anteriora ſubjectionem iſtam conſtitiſſe in jure dominii. Deus adeo expreſſis verbis hominibus conceſſit jus diſponendi de omnibus animantibus, in quocunque genere ſint, cum de eorum ſubſtantia, tum uſu atque fructu (§. 959). Quoniam tamen etiam juxta Sacram Scripturam homini præcipit, ut actiones ſuas dirigat in univerſum omnes ad ſui & aliorum, ſtatuſque ſui & aliorum perfectionem (§. 1000), & prohibet ne eas dirigat ad imperfectionem (§. 1001); quin etiam huic directioni juxta Sacram Scripturam ſubſit dominium in animantia bruta conceſſum, extra dubitationis aleam poſitum eſt. Atque adeo abunde patet ex verbis ipſius Dei, quod in prima ſtatim creatione hominibus conceſſerit dominium rerum, quæ uſui ipſius quomodocunque inſervire poſſunt.

Cum dominium concedatur propter uſum, uſum vero requirat actionum liberarum directio a Deo præcepta; facile apparet, ea dominio hominis ſubjecta non eſſe, quorum uſus abſque hoc jure obtineri poteſt. Ita Solis uſum, quem terricolis præbet, percipere licet, etiamſi non ſit in dominio noſtro. Deus igitur nobis non conſtituit dominium in Sole. Conceſſit tamen jus utendi, quatenus pro arbitrio noſtro diſponere licet de uſu radiorum ſolarium multiplici terram illuſtrantium & calefacientium. Unde liquet jus hominum augeri ipſa rerum naturalium cognitione, ſine qua uſum, quem præbere poſſunt, non intelliguntur. Abſit itaque ut tibi perſuadeas dominium univerſale in omne animantium genus homini inutile eſſe, propterea quod multa dentur, quorum nullus nobis eſt uſus. Neque enim dubitandum eſt, dari uſus rerum, eoſque maxime præclaros, quos ignoramus. Sed de hiſce omnibus ſuo loco, ubi jus omne in creaturas homini competens explanaturi ſumus, quando Jus naturæ in ſyſtema redigemus.

CAPUT VII.

De Attributis Divinis, quæ per anteriora demonſtrantur.

§. 1004.

> *Infinitudo eſſentiæ divinæ.*

DEus eſt ens infinitum. Etenim Deus eſt ens a ſe (§. 67), cui competit intellectus infinitus (§. 167), & voluntas infinita (§. 357). Quamobrem cum idem ſit Spiritus (§. 124), atque adeo primum, quod de eo concipi debet, ſit intellectus atque voluntas ipſius (§. 643 *Pſychol. rat.*), conſequenter intellectus & voluntas ad eſſentiam ipſius pertineant (§. 144 *Ontol.*); ens infinitum eſt.

Deus

Digitized by Google

Deus adeo vi demonſtrationis per ipſam eſſentiam ſuam infinitus eſt, ut adeo infinitudo ab eodem inſeparabilis ſit (§. 300. 291 *Ontol.*). Tollens nimirum infinitudinem, & ipſum Deum tollit, qui ſine infinitudine concipi nequit.

§. 1005.

Subſtantialitas Dei. *Deus eſt ſubſtantia per eminentiam.* Eſt enim ens infinitum (§. 1004). Sed ens infinitum per eminentiam ſubſtantia eſt (§. 847 *Ontol.*). Deus igitur per eminentiam ſubſtantia eſt.

Patet itaque, hoc non obſtante, quod ſubſtantiæ dederimus definitionem, quæ enti tantummodo finito competit (§. 768 *Ontol.*), demonſtrari poſſe, quod Deus ſit ſubſtantia. Qui hoc videre non potuerunt, quidnam per eminentiam ens eſſe poſſit, non intellexere: quæ ἀβλεψία eo minus ferenda videbatur, præſertim cum in aliorum injuriam verteretur, quod perſpicillis vulgaribus philoſophiæ ſcholaſticæ evitari poterat, quæ tradit ſubſtantiæ definitionem non niſi enti finito convenientem, Deum tamen per eminentiam ſubſtantiam vocat, ac ideo eum ſupra prædicamenta, in ſubſtantiam atque accidens diviſa, non vero in prædicamentis collocat. Salva igitur eſt veritas, ſalvæ ſunt methodi leges, & ſua ſponte corruunt conſequentiæ, quas inepte cumulant conſequentiarii ſcioli imperitiæ pœnas dantes, vel philoſophiæ tironibus ſe deridendos propinando. Ne vero in eoſdem cum ipſis ſcopulos impingat, qui veritatis amore ſincero trahitur, probe mediteiur, quæ de ente per eminentiam ſatis clare ac diſtincte docuimus in philoſophia prima (§. 845 & ſeqq. *Ontol.*).

§. 1006.

Modi per eminentiam Deo tribuendi. *Deo modi nulli actu inſunt, per eminentiam tamen modificabilis eſt.* Eſt enim Deus ens infinitum (§. 1004). Sed enti infinito nulli quidem inſunt modi (§. 840 *Ontol.*), ipſum tamen per eminentiam modificabile eſt (§. 846 *Ontol.*). Quamobrem Deo modi nulli inſunt, per eminentiam tamen modificabilis eſt.

Agedum! illuſtremus propoſitionem præſentem exemplo aliquo, tum ut rectius intelligatur, tum ne inter tricas inanes referatur. Alii mundi poſſibiles ſunt, in quibus ad actum deducerentur poſſibilia, quæ in præſente actum non conſequuntur (§. 101 *Coſmol.*), Deo non minus intime perſpecti, ac is, qui exiſtit (§. 545. 156), & eos is non minus ad actum perducere poterat, quam hunc produxit (§. 342), qui unus tantummodo exiſtit (§. 517). Ex parte adeo objecti abſolute impoſſibile non eſt, ut exiſtat mundus alius quicunque a præſente diverſus. Porro Deus hunc, qui exiſtit, ex ceteris elegit mundum liberrimus ab omni coactione externa (§. 351), atque interna (§. 351. 430). Abſolute itaque impoſſibilia non eſt electio & productio mundi alterius cujuſcunque. Hæc per ea, quæ Deo inſunt, poſſibilis concipitur, non tamen per ea neceſſario determinatur. Eſt igitur electio ac productio mundi alterius ab eo, qui exiſtit, diverſi analogum modi (§. 842 *Ontol.*). Et quatenus modi hoc analogum in Deo concipitur, per eminentiam modificabilis eſt. Atque hæc eſſentiæ divinæ modificatio per eminentiam in cauſa eſt, quod in iis, quæ de Deo concipimus, aliud ſit ordine prius, aliud poſterius, etſi nullum ſit prius, nullum poſterius tempore, quemadmodum in entibus finitis, in quibus ob modificationem ſeu modorum variationem ſucceſſioni locus. Quoniam tamen aliquid ordine prius, aliud poſterius eſt altero, ideo nos, qui ratiocinando unum ex altero colligere debemus intuitiva Dei cognitione deſtituti, per modum ſucceſſionis in Deo concipimus, quæ ſimul inſunt, ob modificationem per eminentiam, ſalva excluſione reali omnium modorum. Vides itaque propoſitionem præſentem non eſſe nullius uſus, ſed ſine ea non ſatis intelligi poſſe ſummam Dei in decernendo libertatem. Sane qui ſibi perſuaſere, quaſi Deus per eſſentiam ſuam determinatus fuerit ad productionem hujus univerſi, ipſique omnem in creando libertatem ademerunt, fatali rerum omnium neceſſitate introducta; non intellexere modificabilitatem entis infiniti per eminentiam. Et hic πρῶτον ψεῦδος latet.

§. 1007.

Qualis Spiritus ſit Deus. *Deus eſt ſpiritus infinitus.* Etenim Deus Spiritus eſt (§. 124), idemque ens infinitum (§. 1004). Eſt igitur Spiritus infinitus.

Oſten-

Digitized by Google

Oſtenditur etiam hoc modo. Deus eſt ſubſtantia per eminentiam (§. 1005), eidemque competit intellectus infinitus (§. 167) & voluntas infinita (§. 357), eademque liberrima (§. 431). Quamobrem cum ſubſtantia intellectu & voluntate libera prædita ſit Spiritus (§ 643 *Pſychol. rat.*); Deus Spiritus infinitus eſt.

Non nego ad determinationes eſſentiales Spiritus infiniti, ſi tanquam Synonymon Dei ſumatur, pertinere quoque omnipotentiam, quam Deo competere (§. 349) ipſique ſoli propriam eſſe tanquam creatricem, nec ulli creaturæ communicabilem ſuper evicimus (§. 775); neque enim potentia creatrix ex intellectu & voluntate infinita deduci poteſt, ſed a poſteriori ejus agnoſcitur & realitas, & inexiſtentia in eſſentia divina, quatenus agnoſcimus mundum aliquem exiſtere & ejus actualitatem vi intellectus ac voluntatis divinæ non concipere licet abſque potentia creatrice. Sufficit tamen ad agnoſcendam ſpiritualitatem Dei & infinitudinem ejus demonſtrandam, quod ſit intellectu infinito & voluntate infinita præditus, propterea quod intellectus & voluntas libera alii enti competere nequeat quam ſpiritui. Quod enim ſpiritus infinitus gaudeat potentia creatrice, id quidem inde eſt, quod idem ſit ens a ſe, a quo adeo ens omne, quod eſt ab alio, quoad actualitatem ſuam dependet.

§. 1008.

Actio Deo competit per eminentiam. Deus enim ens infinitum eſt (§. 1004). Enimvero enti infinito actio per eminentiam competit (§. 848 *Ontol.*). Deo igitur actio per eminentiam competit. *Quomodo Deo actio competat.*

Ut hæc propoſitio rite intelligatur, animo recolenda eſt demonſtratio, qua evicimus, enti infinito per eminentiam competere actionem. Neceſſe eſt autem modum, quo Deo tribuitur actio, probe perpendi, ne circa immutabilitatem oriantur difficultates inſuperabiles, quæ aliquos in tranſverſum egerunt, ut mundi creationem per emanationem æternam ex eſſentia divina ſtatuerent, unicum extra ſe agendi actum in Deo actui æterno intellectus & voluntatis coexiſtentem concipientes, atque adeo mundi continuam creationem ad eſſentiam divinam referentes. Actio in ente finito in modorum numero eſt (§. 713. 313 & ſeqq. *Ontol.*): aſt in ente infinito, quod Deus eſt (§. 1004), modus nullus locum habet (§. 1006), adeoque non niſi per eminentiam eidem tribui poteſt (§. 845 *Ontol.*).

§. 1009.

Deus prorſus immutabilis eſt. Eſt enim ens infinitum (§. 1004). Sed enti infinito nulla actu mutabilia inſunt (§. 839 *Ontol.*). Deo igitur nulla actu mutabilia inſunt, conſequenter ipſe prorſus immutabilis eſt. *Immutabilitas divina.*

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Deus eſt Spiritus (§. 124). Quamobrem cum Spiritus ſit ſubſtantia intellectu & voluntate libera prædita (§. 643 *Pſychol. rat.*); Deus quoque ſubſtantia eſt intellectu & libera voluntate prædita. Cumque præter intellectum & voluntatem liberam ipſi quoque competat omnipotentia (§. 349), qua actualitatem impertiri valet omni poſſibili (§. 347); determinationes eſſentiales ſunt intellectus, voluntas & omnipotentia cum aſeitate, ipſi itidem tribuenda (§. 67). Quamobrem cum in eſſentialibus determinationibus contineatur ratio ceterorum omnium, quæ ipſi convenire poſſunt (§. 168 *Ontol.*); quæ Deo tribuenda ſunt prædicata, vel in aſeitate, vel in intellectu, vel in voluntate, vel denique in omnipotentia rationem ſufficientem agnoſcunt. Cum aſeitas conſiſtat in independentia exiſtentiæ ab alio (§. 28), ita ut vi ejus ortus ac interitus Deo repugnet (§. 46), fieri non poteſt, ut per aſeitatem aliquid Deo accedat, quod ante non inerat, vel in locum ejus, quod inerat, ſubſtituatur

aliud, quod non inerat. Quamobrem quia impoſſibilitas ſubſtitutionis alterius pro eo, quod ſimul ineſt, vel acceſſionis ejus, quod non ineſt, eſt immutabilitas (§. 291 *Ontol.*); per aſeitatem intelligitur, Deum quoad ea, quæ per eandem ipſi tribuenda, eſſe immutabilem, conſequenter in aſeitate nulla continetur ratio ſufficiens ullius mutationis (§. 56 *Ontol.*), adeoque cum ſine ratione ſufficiente nil quicquam eſſe poſſit (§. 70 *Ontol.*), nec per aſeitatem Deo ulla accidere poteſt mutatio, ſeu, Deus nulli mutationi obnoxius, quatenus eſt a ſe, conſequenter eatenus immutabilis.

Porro quoniam Deus omnia cognoſcit ſimul (§. 160), omniaque vult ſimul (§. 355), unico æterno intellectus ac voluntatis actu (§. 319); nec vi intellectus ac voluntatis quicquam Deo ineſſe poteſt, quod ipſi non inexiſterit ab omni æternitate, atque inextiturum eſt in æternum. Quamobrem patet, Deo nec vi intellectus ac voluntatis ullam accidere poſſe mutationem (§. 290 *Ontol.*).

Denique cum omnipotentia Dei ad eſſentiam ipſius pertineat, utpote ipſi qua Deo competens (§. 349), & vi ejuſdem facere poſſit, quæ vult (§. 352); ſi ab æterno voluit, quicquam præter eum exiſtere, quod nondum extiterit, id citra ullam mutationem in Deo factam æternæ ipſius voluntati convenienter tunc exiſtere incipit, quando id exiſtere voluit, ſive potius vult. Eſt vero conſervatio continuata creatio (§. 845), adeoque nec aliqua in Deo accidit mutatio, dum mundus exiſtere pergit, vi potentiæ ejuſdem, conſequenter per eandem nulla prorſus in ipſo mutatio locum habet.

Quoniam igitur Deo nil quicquam ineſſe poteſt, quod non rationem ſui ſufficientem in aſeitate, intellectu, voluntate ac omnipotentia ipſius agnoſcat, per aſeitatem vero, intellectum, voluntatem atque potentiam nulli mutationi locus eſt in Deo *per demonſtrata*; nullam prorſus mutationem ei accidere poſſe patet, adeoque ipſum eſſe prorſus immutabilem liquet.

Per mundi creationem & conſervationem nulla intrinſeca Deo accidit mutatio; ſed tantummodo extrinſeca, quatenus oritur relatio, cui antea non erat locus, nimirum ut jam Deus ſit creator, conſervator & gubernator univerſi, quod ante non erat. Cum vis creatrix, quæ cum conſervatrice eadem (§. 844)); ſoli Deo propria ſit (§. 767. 846), adeoque nullam ejus notionem habeamus, utpote quæ alterius prorſus generis eſt, quam quæ nobis eſt potentia; mirum videri haud quaquam debet, quod continuum potentiæ divinæ actum, cui effectus externus non reſpondet, niſi quando Deus immutabili voluntate vult, inſtar actionis non ſine temporis tractu abſolvendæ & continuo iteratæ nobis imaginemur, quemadmodum in nobis continuationem ejuſdem actionis deprehendimus. Sane propter hoc ipſum Potentia Dei nobis incomprehenſibilis eſt (§. 170).

§. 1010.

Immutabilitas ſapientiæ ac bonitatis divinæ.

Quoniam Deus prorſus immutabilis eſt (§. 1009), idem vero & ſapientiſſimus (§. 640), & ſumme bonus (§. 699), & omnipotens (§. 349); *ſapientia* quoque, *bonitas & omnipotentia ejus prorſus immutabilis*, conſequenter *fieri nequit, ut vel ſapientia, vel bonitas, vel omnipotentia Dei ulla unquam capiat incrementa, vel decrementa*.

Quod

Quod ſapientia Dei, bonitas & potentia ejus nulla capiat incrementa, nec capere ulla poſſit, ex eo etiam liquet, quod & illa (§. 640), & iſta (§. 699), & hæc ſit abſolute ſumma (§. 348. 349), ita ut majorem ea ſapientia, bonitate, & potentia, quæ Deo competit, concipi poſſe repugnet. Inſunt Deo per eſſentiam, quemadmodum ex demonſtrationibus ſuperioribus liquet, adeoque attributa (§. 146 *Ontol.*), conſequenter in ſe immutabilia (§. 313 *Ontol.*), ut adeo nec ulli decremento obnoxia fieri poſſint. Ceterum hoc corollarium addere lubuit ob uſum, quem experimur, in praxi morali.

§. 1011.

Quicquid Deo ineſt, id vel ad eſſentialia, vel ad attributa pertinet, aut, ſi quid modi analogum eſt, id per modum attributi ineſt. Etenim Deus eſt ens infinitum (§. 1004). Enimvero quicquid enti infinito ineſt, id vel ad eſſentialia, vel ad attributa pertinet, aut, ſi quid modi analogum eſt, id per modum attributi ineſt (§. 841 *Ontol.*). Ergo quicquid Deo ineſt, id vel ad eſſentialia, vel ad attributa pertinet, aut, ſi quid modi analogum eſt, id per modum attributi ineſt. *Quomodo Deo inſint, quæ de ipſo prædicantur.*

Hinc patet, cur, quæ de Deo prædicantur, dicantur in univerſum attributa ipſius, ita ut nec actiones ipſius ex eorum numero excludantur. Qui enim methodi ignari ſunt, nec notionem entis in genere diſtincte concipiunt, quam in philoſophia prima evolvimus; eſſentialia ab attributis non diſtingunnt. Accedit, quod ex attributis tanquam primo inexiſtentibus aſſumtis demonſtrando colligantur eſſentialia, ut adeo ex parte cognoſcentis eſſentialium ſpeciem præ ſe ferant attributa, & viciſſim attributorum eſſentialia. Poſſunt tamen ea etiam in Deo a ſe invicem diſtingui, quemadmodum ex anteriori tractatione omni abunde liquet, ac deinde diſertius docebitur. Etſi autem attributa abſolute neceſſario inſint (§. 304 *Ontol.*); non tamen ideo Deus abſolutæ neceſſitati ſubjiciendus, quemadmodum viſum eſt multis. Quod enim modi analogum eſt, utut per modum attributi inſit, alio tamen modo inexiſtit, quam attributa. Differentiam inexiſtentiæ rite percipere maximi momenti eſt. Exponimus itaque eandem in propoſitione ſequente.

§. 1012.

Eſſentialia & attributa Deo inexiſtunt abſoluta neceſſitate; modorum vero analoga, etſi per modum attributorum inſint, neceſſitate tantummodo hypothetica. Etenim ſi ens quoddam concipiendum, primo loco in eo ponenda ſunt, quæ ſibi mutuo non repugnant, quæ tamen non per alia determinantur, nec quorum unum determinatur per alterum (§. 142 *Ontol.*, conſequenter cum eſſentialia entis ſint, quæ ſibi mutuo non repugnant, nec tamen per ſe invicem determinantur (§. 143 *Ontol.*); ens nullum ſine eſſentialibus concipi poteſt. Quoniam itaque Deus tanquam ens a ſe (§. 67) in numero entium eſt; nec ipſe ſine eſſentialibus concipi poteſt. Enimvero eſſentiæ rerum ſunt abſolute neceſſariæ (§. 303 *Ontol.*), adeoque eſſentialia eidem abſoluta neceſſitate inexiſtunt. Eſſentialia itaque Deo abſoluta neceſſitate inexiſtunt. *Quod erat primum.* *Differentia inexiſtentiæ.*

Porro attributa entis cujuſcunque abſolute neceſſaria ſunt (§. 304 *Ontol.*). Quamobrem cum Deus, ens a ſe (§. 67), ſit in numero entium; ejus quoque attributa abſolute neceſſaria ſunt, conſequenter ipſi abſoluta neceſſitate inexiſtunt. *Quod erat ſecundum.*

Denique modi analogum eſt, cujus oppoſitum Deo, enti infinito (§. 1004), abſolute non repugnat, quod tamen rationem ſufficientem in eodem non

Digitized by Google

agnoſcit, cur actu unquam ſit (§. 842 *Ontol.*). Quoniam vero abſolute impoſſibile non eſt, quod enti non abſolute repugnat, ſeu contradictionem cum ejus eſſentialibus involvit (§. 79 *Ontol.*); abſolute impoſſibile non eſt, ut analogis modorum oppoſita inſint Deo, conſequenter cum abſolute neceſſarium non ſit, cujus oppoſitum abſolute impoſſibile non eſt (279. 301 *Ontol.*); nec abſolute neceſſarium eſt, ut oppoſita analogis modorum Deo non inſint, conſequenter ipſa analoga modorum abſoluta neceſſitate non inexiſtunt. Et quoniam id actu Deo ineſſe nequit, cujus ratio ſufficiens in eodem non datur, cur inſit (§. 70 *Ontol.*); analogis modorum oppoſita eodem nunquam ineſſe poſſunt actu. Quamobrem cum tantummodo hypothetice neceſſarium eſt, cujus oppoſitum nonniſi ſub data conditione impoſſibile (§ 302 *Ontol.*); analoga modorum tantummodo hypothetice neceſſaria ſunt, conſequenter nonniſi hypothetica neceſſitate inexiſtunt. Eſt vero Deus prorſus immutabilis (§. 1009), adeoque quod ab æterno ipſi æterno (§. 74) inexiſtit, idem inexiſtere quoque debet in æternum (§. 291 *Ontol.*). Fieri adeo nequit, ut præter hæc analoga modorum, quæ ipſi inſunt, alia ipſis oppoſita inſint unquam actu. Quoniam itaque ea in re cum attributis conveniunt, quorum, utpote abſoluta neceſſitate inexiſtentium *per demonſtrata*, oppoſitum Deo unquam ineſſe nequit, per modum attributorum inſunt. Et hoc modo liquet, analoga modorum, etſi Deo inſint per modum attributorum, non tamen niſi hypothetica neceſſitate ineſſe.

Modus, quo quæ de Deo prædicantur, eidem inſunt, probe perpendendus, ſi quidem omnis difficultas circa libertatem voluntatis divinæ evaneſcere debet. Sane qui eum probe cognitum atque perſpectum habet, ei libertati non amplius contraria videbitur electio mundi optimi, ita ut electio alterius pro moraliter impoſſibili habenda. Noſtrum itaque erat eundem diſtincte exponere, ut de ſingulis prædicatis, quæ Deo tribuimus, ex demonſtratione judicium fieri poſſit, qua neceſſitatis ſpecie eidem tribuenda veniant. Quæ enim vi principii contradictionis inferuntur, qualia ſunt, quæ ab aſeitate & intellectu divino pendent, ea abſoluta neceſſitate Deo conveniunt: quæ vero vi principii rationis ſufficientis conſequuntur, qualia ſunt, quæ a voluntate Dei pendent, ea nonniſi hypothetica neceſſitate de Deo enunciantur. In rebus finitis, in quibus ſucceſſioni eſt locus, contraria diverſo tempore ineſſe poſſunt, eſſentialibus ac attributis manentibus iiſdem: unde modi rebus non inſunt inſtar attributorum, quorum oppoſita nunquam ineſſe poſſunt. Aſt in ente infinito, in quo omnia ſimul inſunt, quæ actu ineſſe poſſunt (§. 838 *Ontol.*), id ſingulare eſt, quod modorum analogis inexiſtentibus oppoſita nunquam actu inſint, atque hactenus cum attributis conveniant. Non inutilem operam ſumet, qui modum inexiſtentiæ omnium prædicatorum, quæ in anterioribus de Deo enunciavimus, examinaverit: ita enim fiet, ut tandem clariſſime perſpiciat, quomodo Deus velle non poſſit, niſi quod ſe decet, tendens ad id, quod optimum, ſine ullo tamen libertatis præjudicio; imo ut intelligat, quomodo in Deo ſine mutatione interna locum habeant, quæ a nobis nec concipi, nec explicari poſſunt niſi per actuum plurium ſucceſſionem.

§. 1013.

Deus ſemper idem. *Deus ſemper idem permanet ab æterno in æternum.* Eſt enim prorſus immutabilis (§. 1009). Quamobrem cum immutabile ſit ens, in quo nihil ineſt, pro quo aliud ſubſtitui poteſt manentibus ceteris, quæ eidem inſunt, iiſdem, neque etiam iiſdem non repugnantibus aliquid accedere poteſt (§. 291 *Ontol.*); nihil ineſt Deo, pro quo aliud unquam ſubſtitui

poſſit,

poſſit, nec quicquam eidem unquam ſuper accedere valet. Deus adeo nunquam differt a ſeipſo, conſequenter ſemper idem eſt ac permanet. Quoniam vero Deus quoque æternus eſt (§. 74); idem permanet ab æterno in æternum.

Deus adeo non ſeneſcit inſtar hominum; nec vires ejus langueſcunt, quemadmodum hominibus accidere ſolet. Et quia Deus ſemper idem eſt; Theologia quoque naturalis, etſi agat de ente ſingulari, non vero univerſali, quemadmodum diſciplinæ ceteræ philoſophicæ, nullam ſubit mutationem. Atque hoc ſingulare habet, quod hiſtoriæ demonſtrativæ ſpecimen exhibeat.

§. 1014.

Cur Deus non ſit in tempore.

Deus non eſt in tempore. Etenim prorſus immutabilis eſt (§. 1009), ſemperque idem manet ab æterno in æternum (§. 1013). Quoniam itaque nulla datur variabilium in Deo ſucceſſio (§. 291. 181 *Ontol.*), tempus vero non datur niſi exiſtentibus ſucceſſivis in continua ſerie (§. 574 *Ontol.*); Deus in tempore non eſt.

Unde ſuperius demonſtravimus (§. 792), ante creationem mundi nullum fuiſſe tempus, ſed hoc ipſum cum mundo demum cœpiſſe, etſi Deus ante mundum extiterit (§. 92).

§. 1015.

Cur mundus & ens finitum ſit in tempore.

Mundus & omne ens finitum in tempore eſt. Etenim mundus eſt ſeries rerum ſimultanearum & ſucceſſivarum inter ſe connexarum (§. 48 *Coſmol.*), etiam hic adſpectabilis (§. 55 *Coſmol.*), conſequenter ſi mundus aliquis exiſtit, res ſucceſſivæ in continua ſerie exiſtunt. Quamprimum res ſucceſſivæ in continua ſerie exiſtunt, tempus datur (§. 574 *Ontol.*). Mundus igitur exiſtere nequit, niſi in tempore. *Quod erat unum.*

Porro ens finitum omne non ſimul eſt, quod eſſe poteſt (§. 835 *Ontol.*), & ſucceſſive alios aliosque ſtatus habet, quamprimum exiſtit (§. 834 *Ontol.*). Quamobrem ubi ens finitum exiſtit, continua datur mutationum ſucceſſio (§. 705 *Ontol.*). Enimvero quamprimum datur continua mutationum ſucceſſio, tempus datur (§. 574 *Ontol.*). Datur itaque tempus, quamprimum ens quoddam finitum exiſtit, conſequenter ens omne finitum in tempore eſt. *Quod erat alterum.*

Ne quis ſibi imaginetur ens finitum, quod non habeat mutationes niſi conſervatis iiſdem aliquandiu ſtatibus interruptas, vel etiam in eodem ſtatu permanens ſine ulla mutatione, quemadmodum veteres finxere chaos ante creationem mundi nulli mutationi obnoxium, repetenda ſunt, tum quæ de ente ſimplici, & compoſiti ex ſimplici ortu in Ontologia, tum quæ de elementis rerum materialium, & corporum ex iiſdem ortu demonſtrata ſunt in Coſmologia. Etenim ens finitum aut erit ſimplex, aut compoſitum. Si fuerit ſimplex ſine vi concipi nequit, quæ continuo tendit ad mutationem ſubjecti, cui ineſt (§. 725 *Ontol.*), quemadmodum in anima noſtra quovis momento experimur & in Pſychologia rationali clariſſime demonſtravimus. Quodſi fuerit compoſitum, non erit niſi ſimplicium aggregatum (§. 794 *Ontol.*), conſequenter cum rationes ultimæ eorum, quæ in rebus materialibus ſeu compoſitis deprehenduntur, in elementis rerum, ſeu ſimplicibus (§. 182 *Coſmol.*), contineantur (§. 198 *Coſmol.*); nihil in compoſito mutabile concipitur niſi per continuas mutationes ſimplicium explicabile. Atque adeo ens finitum, quod non continuas ſubeat mutationes, nonniſi abortus imaginationis eſt, vi cujus in perceptionibus confunduntur, quæ diverſa ſunt, ut mutabilia mentiantur formam fixorum. Ceterum quemadmodum in propoſitione præſente ex ipſa notione entis finiti oſtendimus, quod ſit in tempore; ita quoque ex ipſa notione entis infiniti demonſtrari poterat, quod in tempore eſſe nequeat. Cum enim in

ente

ente infinito omnia ſint ſimul, quæ eidem actu ineſſe poſſunt (§. 838 *Ontol.*); nulla in eodem ſucceſſio locum habet (§. 569 *Ontol.*). Quamobrem quia tempus non datur niſi exiſtentibus ſucceſſivis in continua ſerie (§. 574 *Ontol.*); tempus nullum datur, etiamſi exiſtat ens infinitum, conſequenter ens infinitum in tempore non eſt. Unde cum Deus ens infinitum ſit (§. 1004), in tempore eſſe nequit.

§. 1016.

Differentia æternitatis Dei ac temporis infiniti.

Æternitas Dei & tempus infinitum differunt. Quoniam Deus æternus eſt, (§. 74), ens vero æternum eſt, quod nec initium, nec finem exiſtendi habet (§. 39); Deus nec initium, nec finem exiſtendi habet. Exiſtit vero neceſſario (§. 71), ut adeo impoſſibile ſit ipſum non exiſtere (§. 279 *Ontol.*), & prorſus immutabilis eſt (§. 1009), ſemper idem ab æterno in æternum (§. 1013). Æternitas igitur Dei conſiſtit in actualitate immutabili eorum, quæ ipſi inſunt. Enimvero cum tempus non detur niſi exiſtentibus ſucceſſivis in continua ſerie (§. 574 *Ontol.*); idem infinitum dici nequit, niſi quatenus nullum aſſignari poteſt initium, nullus finis, conſequenter limes nullus, ultra quem augeri amplius poteſt, ſive ex parte ante, ſive ex parte poſt, quemadmodum loquuntur philoſophi, hoc eſt, niſi in ſenſu mathematico (§. 796 *Ontol.*). Patet itaque æternitatem Dei non eſſe tempus infinitum.

Differentiam inter æternitatem Dei & tempus infinitum probe perſpexit *D. Thomas*, dum contendit, etiamſi mundus eſſet ab æterno, æternitatem tamen ejus non fore eandem cum æternitate Dei. Mundi enim æternitas non foret niſi tempus infinitum, cum ea adverſo æternitas Dei ſit neceſſaria exiſtentia juncta eſſentiæ ac omnium eorum, quæ ipſi inſunt, immutabilitati, ita ut Deus non exiſteret in tempore infinito, ſi vel maxime eidem coexiſteret tempus infinitum. Propoſitio hæc magni momenti in diſputatione contra atheos, quemadmodum ſuo loco conſtabit, ubi atheiſmum omnem funditus eradicaturi ſumus.

§. 1017.

Æternitatis divinæ incommunicabilitas.

Æternitas Dei nulli enti finito communicari poteſt. Ponamus enim ſi fieri poteſt, æternitatem Dei enti cuidam infinito communicari. Quoniam æternitas eſt exiſtentia nec initium, nec finem habens (§. 39); ſi ens finitum ponatur æternum, exiſtentiæ ejus nullum initium, finis nullus aſſignari poteſt. Quamobrem cum ens omne finitum in tempore exiſtat (§. 1015); nullum temporis, in quo exiſtit, initium, finis nullus aſſignari poteſt, adeoque tempus hoc caret limitibus, ultra quos amplius augeri poteſt, conſequenter infinitum eſt (§. 796 *Ontol.*). Enimvero Deus non exiſtit in tempore (§. 1014), adeoque etſi idem æternus ſit (§. 74), conſequenter ejus exiſtentia nec initium habet, nec finem (§. 39), non tamen in tempore infinito exiſtit. Patet itaque æternitatem Dei nulli enti finito communicari poſſe.

Æternitas nimirum Dei eſt attributum divinum ex aſeitate fluens ac infinitudine. Quamobrem cum enti nulli attributa entis alterius communicari poſſint (§. 45 *Pſychol. rat.*), nec attributum entis a ſe atque infiniti, æternitas, enti finito communicari poteſt.

§. 1018.

Præſentia quid ſit.

Ens unum præſens dicitur *alteri*, ſi ita coexiſtunt, ut uni quidpiam inſit, cujus ratio immediata datur in altero. Quoniam itaque ens unum ab

altero

altero dependet, quatenus ejus, quod ipſi inexiſtit, ratio in hoc altero continetur (§. 851 *Ontol.*); *ens unum, quod alteri præſens eſt, quoad determinationes intrinſecas vel actu dependet, vel ſaltem dependere poteſt ab altero propter coexiſtentiam*. Quodſi duo entia coexiſtentia A & B ſimul conſideramus atque ea, quæ ipſis in ſe ſpectatis ſeu abſolute conveniunt, perpendentes porro inquirimus, an inter ea, quæ ipſi B conveniunt abſolute, quidpiam occurrat, per quod aliquid de A intelligi poſſit, quod abſque eo intelligi non poterat, adeoque in caſu præſenti nonniſi coexiſtente B; ens A ad B refertur, & eodem modo B ad A referri poteſt (§. 855 *Ontol.*). Quamobrem patet *præſentia ad ſe invicem referri quoad coexiſtentiam*. *Præſentia* igitur definiri poteſt per relationem entium quoad coexiſtentiam, ideo quia coexiſtunt quoad determinationes intrinſecas vel actu a ſe invicem dependentia, vel dependere ſaltem valentia.

Notionem præſentiæ diſtinctam nemo hactenus dedit, etſi clara ſatis, ſed confuſa tamen ſit omnibus, ipſi etiam vulgo, præſentia ab abſentibus optime diſtinguenti. Neque adeo facile videtur præſentiam accurate definire, ut ſatisfaciat omni in caſu. Nemo reprehendat, quod terminis admodum abſtractis in ea definienda uſi ſimus: convenit enim præſentia enti omni, adeoque nonniſi per ea definiri poteſt, quæ enti omni conveniunt, conſequenter notio præſentiæ per terminos abſtractos explicanda, utpote in notiones abſtractas reſolvenda. In propatulo eſt, quod præſentia ſupponat coexiſtentiam, ut ea non ſit niſi coexiſtentium: unde ſi homo moritur & corpus ejus in terra corrumpitur, non amplius præſens dicitur. Non tamen ſola coexiſtentia ad præſentiam ſufficit, alias anima adhuc præſens foret corpori mortuo, nondum corrupto, cum utraque ſubſtantia adhuc exiſtat, conſequenter anima a corpore ſeparata & corpus mortuum, ſed nondum corruptum, in coexiſtentium numero ſint (§. 569 *Ontol.*). Omnis adeo quæſtio huc redit, quid in coexiſtentibus porro ſupponi debeat, ut tanquam ſibi invicem præſentia conſiderari poſſint. Præſentiam ipſam non eſſe determinationem aliquam enti intrinſecam, nemo non admittit, conſequenter non niſi in relatione quadam quoad determinationem intrinſecam conſiſtere poteſt, cui propter coexiſtentiam locus eſt. Jam ſi determinationes intrinſecas coexiſtentium ſpectes, aut eædem a ſe invicem dependent, aut non dependent: nobis autem hic perinde eſt, quocunque modo a ſe invicem dependeant, & ſive dependentia ſpectetur quoad earundem actualitatem, ſive tantummodo quoad potentiam proximam. Nemo affirmaverit, niſi uſu loquendi reclamante, dum ens unum alteri tanquam præſens conſideramus, relationem fieri quoad independentiam determinationum intrinſecarum, alias enim Sol horto præſens dici debebat, quando radiis ſuis eum amplius non ferit. Relinquitur itaque, ut in præſentia ſiat relatio quoad determinationes intrinſecas dependentes. Atque adeo tandem enaſcitur præſentiæ notio diſtincta, quod ſit relatio entium quoad coexiſtentiam, quatenus unum coexiſtentium pendet ab altero quoad determinationes intrinſecas. Enimvero neceſſe eſt eandem uno alteroque exemplo illuſtrari. Solem in horto præſentem dicimus, ſi radiis directis planum ejus ferit. Solem & hortum coexiſtere, nemo in dubium vocat. Quod quoad coexiſtentiam ad ſe invicem referantur, dum Solem in horto præſentem dicimus, non minus liquet. Dum vero Sol radiis ſuis planum horti illuſtrat, dantur in eodem determinationes intrinſecæ, quæ ante non inerant. Lumine enim Solis colluſtratus conſpicitur, calor, quo ab eodem fovetur, eidem ineſt, ſuperficies madida exſiccatur, ut terra fiat arida, ut alias mutationes in ſenſus non adeo incurrentes taceamus, & horum omnium ratio in Sole, tanquam cauſa (§. 886 *Ontol.*), continetur (§. 56 *Ontol.*), conſequenter quoad has determinationes planum horti a Sole dependet (§. 851 *Ontol.*). Cumque ex his ipſis determinationibus præſentiam Solis colligamus, ita ut etiam jam abſentem ibidem præſentem fuiſſe ex iiſdem probemus; earum dependentiam a Sole ad præſentiam ejus pertinere negari haud quaquam poteſt: ſublata enim hac dependentia, ſalva tamen adhuc coexiſtentia, præſentia omnium conſenſu tollitur. Patet autem tolli relationem Solis & horti quoad coexiſtentiam in dependentia determinationum intrinſecarum in plano horti a Sole, conſequenter

Solis

Digitized by Google

Solis præſentia nonniſi in hac relatione conſiſtit. Similiter animæ dicitur præſens corpori vivo, & viciſſim corpus vivum animæ. Quamdiu corpus vivum eſt, perceptiones animæ rationes habent in mutationibus, quæ in organis ſenſoriis contingunt, atque adeo anima quoad haſce determinationes ipſi intrinſecas a corpore dependet. Ex adverſo datur motus organorum corporis, quorum ratio eſt in motu animæ, atque adeo determinationes hæ corpori intrinſecæ ab anima dependent (§. [illegible]). Corpus vivum & anima coexiſtunt, quod denuo per ſe manifeſtum eſt, nec quoad determinationes intrinſecas a ſe invicem dependere poſſent, niſi coexiſterent. Enimvero etſi cognoſcamus, animam a morte corporis adhuc ſupereſſe, & corpus mortuum corruptioni nondum obnoxium adhuc exiſtere conſpicimus, conſequenter coexiſtentiam per mortem non fuiſſe ſublatam, in dubium non revocemus, animam tamen corpori præſentem & corpus animæ præſens amplius eſſe negamus. Negamus vero ideo, quia ſublata eſt dependentia quoad determinationes intrinſecas mutuæ a ſe invicem. Quamdiu autem hæc ſubſiſtit, & animam corpori præſentem, & corpus animæ præſens dicimus. Patet adeo denuo præſentia non denotari niſi eam animæ ac corporis relationem ad ſe invicem quoad coexiſtentiam, quatenus ea infert mutuam determinationum intrinſecarum a ſe invicem dependentiam. Eodem modo ſeſe res habet in exemplo quovis alio. Nulli itaque dubitamus, quin notionem præſentiæ bene explicaverimus, ut definitione noſtra tuto uti liceat in demonſtrandis iis, quæ ad præſentiam pertinent. Sane ſi per definitionem noſtram demonſtretur, ens aliquod alteri præſens eſſe, eodem modo præſens eſſe intelligitur, quo Sol horto, quem lumine ſuo colluſtrat, corpus animæ & anima corpori, conſequenter quo corpus aliquod corpori alteri, ſubſtantia ſimplex compoſitæ & compoſita ſimplici præſens eſt. Satisfacit itaque omni in caſu, cum præter ſubſtantias ſimplices atque compoſitas non dentur aliæ (§. 685 *Ontol.*). Imo cum præſentiæ notionem & corporibus, & animæ applicabilem ex ipſa notione entis in genere deduxerimus; hoc ipſo ſatis conſtat, eam eſſe univerſalem & promiſcue ad entia quæcunque applicari poſſe. Poteramus eandem tradere in philoſophia prima; ſed cum eadem utamur in omnipræſentia Dei demonſtranda, conſultius viſum eandem Theologiæ naturali reſervari, ut, ubi animus eadem recenter imbutus fuerit, bene præparati ad demonſtrationem arduam accedamus, nec quicquam obſcuritatis circa eam remaneat.

§. 1019.

Præſentia agentis. *Si ens unum A in alterum B agit, A ipſi B præſens eſt, ſeu agens præſens eſt patienti*. Si A agit in B, ipſum B patitur ab ipſo A: quod nemo in dubium vocabit. Quamobrem cum paſſio ſit mutatio ſtatus, cujus ratio continetur extra ſubjectum, quod ſtatum ſuum mutat (§. 714 *Ontol.*); dum A agit in B, in ipſo B mutatio quædam accidit, cujus ratio continetur in ipſo A. Quoniam in omni mutatione intrinſeca unum, quod non inerat, ſubſtituitur ei, quod inerat (§. 290 *Ontol.*); a mutatione in B facta eidem inſunt determinationes, quæ ante non inerant (§. 112. 112 *Ontol.*), conſequenter quoad haſce determinationes patiens B ab agente A dependet (§. 851 *Ontol.*). Quod agens A & patiens B coexiſtant, nemo in dubium vocare auſit: niſi enim exiſtente patiente B exiſteret etiam A, adeoque A & B coexiſterent (§. 569 *Ontol.*), A in B agere non intelligitur. Agens igitur A & patiens B ita coexiſtunt, ut patiens B ab agente A quoad certas determinationes intrinſecas dependeat *per demonſtrata*. Quamobrem cum præſentia conſiſtat in ea entium quoad coexiſtentiam relatione, qua quoad determinationes intrinſecas unum ab altero vel actu, vel ſaltem potentia dependet (§. 1018); agens A patienti B, dum in ipſum agit, præſens eſſe dubitari nequit.

Ponamus hortulanum ex arbore reſecare ſurculos gemmis gravidis deſtitutos; nemo non affirmabit, ipſum arbori, dum hoc facit, eſſe præſentem. Imo exemplo Solis, quo notio-

notionem præſentiæ modo illuſtravimus (*not.* §. 1018), veritas propoſitioois itidem confirmatur. Dum enim Sol terram in horto exſiccat, ut arida reddatur; in eam agit. Inde autem præſentia Solis colligitur. Patet itaque per propoſitionem præſentem concludi præſentiam eo ſenſu, quo ex communi loqnendi uſu ens unum alteri præſens dicitur, ita ut etiam ex effectu ſuperſtite actionem præteritam agnoſcentes recte inſeramus, agens eo, dum egit, tempore fuiſſe patienti præſens. Unde porro liquet, qui admittit actionem alicujus entis in aliud; eum quoque admittere debere agentis præſentiam reſpectu patientis eo ſenſu, quem vocabulum præſentiæ ea communi loquendi uſu accepit. Probe hoc notandum, cum non ab omnibus agnoſcatur: unde deinceps logomachiæ circa omnipræſentiam divinam oriuntur, non tollendæ, niſi lumine notionis diſtinctæ præſentiæ colluſtrentur, quo arceantur tenebræ, quas confuſa notio peregrina multa admixta habens offundit.

§. 1020.

Præſentia agentis ob poſſibilitatē proximam agendi.

Si in aliquod ens agens liberum agere poteſt, modo velit; ei præſens eſt. Etenim ſi agens libere in ens aliquod agere poteſt, modo velit; in id actu agit, quamprimum vult. Enimvero ſi actu agit, eidem præſens eſt (§. 1019). Quamobrem cum ex voluntate agentis nihil quoad coexiſtentiam ipſius & entis alterius mutetur, quod per ſe patet; agens liberum etiam præſens eſſe debet enti alteri, in quod agere poteſt, ſi velit.

E. gr. Si quis fuerit in Bibliotheca & librum quendam ex repoſitorio, cui adſtat, tollere poſſit, modo velit; eidem libro præſens eſt. Unde intelligitur, cur in definitione præſentiæ non tantummodo dependentiam actualem coexiſtentis unius a coexiſtente altero quoad determinationem intrinſecam requiſiverimus; ſed potentialem ſufficere dixerimus (§. 1018). Atque ideo præſens propoſitio independenter a præcedente, eodem prorſus, quo præcedens, modo ex ipſa definitione præſentiæ demonſtrari poterat. Non eſt quod in allato exemplo excipias, ſi liber ex repoſitorio tollitur, mutari tantummodo ſitum ejus, adeoque determinationem quandam extrinſecam, minime vero intrinſecam. Etenim dum tollitur, movetur: motus vero, quatenus ſpectatur in mobili, eſt intrinſeca determinatio, conſequenter dum tollitur, ab agente dependet quoad determinationem aliquam intrinſecam. Vi propoſitionis autem præſentis concluditur præſentia ex uſu loquendi talis. Demonſtratur enim ex definitione præſentiæ, quam uſui communi loquendi conformem eſſe ſatis ſuperque oſtendimus (*not.* §. 1018).

§. 1021.

Senſui quænam præſentia.

Quod ſenſu percipimus, id nobis præſens eſt. Quod enim ſenſu percipimus, id in organa noſtra ſenſoria agit, ſeu mutationem quandam eidem inducit (§. 56 *Pſychol. empir.*). Enimvero quodcunque ens in alterum agit, id eidem præſens eſt (§. 1019). Quod igitur ſenſu percipimus, id nobis præſens eſt.

Ideo in Pſychologia empirica definitionis nominalis loco poſuimus (§. 59 *Pſychol. empir.*), notioni præſentiæ generali convenienter (§. 1018), quod corpora in mundo adſpectabili nobis præſentia dicantur, quæ mutationem corpori noſtro inducere valent, niſi ſcilicet ullum ſuperaccedat obſtaculum accidentale.

§. 1022.

Speciale caſus.

Quoniam quæ videmus, audimus, tangimus, ea ſenſu percipimus (§. 68 *Pſychol. empir.*); *quicquid videmus, vel tangimus, & cujus vocem vel ſonum quemcunque audimus eo, in quo ſumus loco, editum, id nobis præſens eſt.*

Nemo non fatetur hominem eſſe præſentem ſibi, quem videt. Nemo non concedit, poculum, quod propriis tangit manibus, eſſe ſibi præſens. Nemo non ſponte colligit præſentiam amici, voce ejus audita, vel præſentiam canis audito latratu. Ita ſolenne eſt omnibus præſentiam rerum colligere ex eo, quod ſenſu percipiantur. Procedit autem illatio vi defi-

nitionis præſentiæ datæ (§. 1018), utpote in quam reſolvitur demonſtratio propoſitionis præcedentis, ex qua corollarium præſens deducitur, ſi reſolutio inſtituatur (§. 992 *Log.*).

§. 1023.

Præſentia animæ & corporis mutua.

Anima corpori & corpus animæ præſens eſt per unionem, ſeu quatenus illa cum eodem unitur. Etenim animæ unio cum corpore non conſiſtit, niſi in harmonia naturali animæ ac corporis coexiſtentium (§. 723 *Pſychol rat.*), adeoque tamdiu ſubſiſtit, quamdiu harmonia iſta continuatur. Enimvero cum harmonia iſta conſiſtat in explicabilitate perceptionum animæ per mutationes in corpore contingentes, & motuum voluntariorum in corpore per volitionem ac nolitionem animæ, vel etiam appetitiones atque averſationes ſenſitivas ejuſdem (§. 539 *Pſychol. rat.*), perceptiones vero in anima per mutationes in corpore ſint explicabiles, quatenus earum ratio ex iis, quæ in corpore contingunt, reddi poteſt, & viciſſim motus voluntarii in corpore ſint explicabiles per appetiones ac averſationes animæ, quatenus ratio motuum voluntariorum ac ſpontaneorum ex iis reddi poteſt, quæ in anima accidunt (§. *cit.*); anima cum corpore unitur, quatenus eidem ita coexiſtit, ut ratio perceptionum in anima ex iis, quæ in corpore contingunt, & ratio motuum voluntariorum ac ſpontaneorum in corpore ex iis, quæ in anima accidunt, reddi poteſt, & tamdiu durat, quamdiu utrumque obtinet, conſequenter quia ens unum dependet ab altero, quatenus ejus, quod uni inexiſtit, ratio in hoc altero continetur (§. 851 *Ontol.*); animæ unio cum corpore conſiſtit in continua dependentia quoad determinationes intrinſecas entis unius ab altero. Quoniam itaque præſentia conſiſtit in relatione entium coexiſtentium, quatenus vi coexiſtentiæ entia iſta quoad determinationes intrinſecas vel actu a ſe invicem dependent, vel dependere ſaltem poſſunt (§. 1018); anima corpori & corpus animæ præſens eſt per unionem.

Neceſſe eſt, ut modum, quo ſubſtantia una alteri præſens eſſe poſſit, in ſpecie explicemus, ne a ſe invicem ſeparanda confundamus, diverſa pro iiſdem habentes: id quod cum vulgo accidat, doctrinæ per ſe claræ nebulæ affunduntur, ut de præſentia rerum cogitaturi neſciamus, quo mentis aciem convertere debeamus. Ita enim facillime evitari poſſe confidimus difficultates, quas in hac doctrina paſſim obvias experimur, & terminatum iri ſperamus controverſias, quæ ſubinde magna animi contentione de præſentia quarundam rerum agitantur: imo nulli dubitamus hoc modo tandem diſtinctiones præſentiæ reales a fictis, utiles ab inutilibus ſeparare licebit. Ceterum ex demonſtratione propoſitionis præſentis patet, unionem animæ cum corpore mutuam utriuſque ſubſtantiæ præſentiam neceſſario inferre, nec concipi eas poſſe inter ſe unitas, niſi etiam concipiantur ſibi mutuo præſentes. Quoniam hinc eadem unio, per quam anima corpori & corpus animæ præſens eſt, in ſyſtemate etiam harmoniæ præſtabilitæ ſubſiſtit (§. 724 *Pſychol. rat.*); imo ſine ea harmoniæ præſtabilitio intelligi nequit (§. 624 *Pſychol. rat.*); in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ neceſſaria eſt mutua animæ ac corporis præſentia, nec ſine præſentia hac harmonia iſta concipi poteſt. Inanis adeo eſt eorum metus, qui ſibi imaginantur eam ſubſiſtere poſſe, etiamſi anima ſit Conſtantinopoli, corpus Romæ. Loquuntur enim, quæ ſenſum nullum habent, & terminos proferre nonniſi inanes patet, ubi diſtinctis notionibus explicanda, quæ iis denotantur, præſentiam corporum localem & præſentiam ſubſtantiæ ſimplicis & compoſitæ mutuam per notiones confuſas invicem non diſtinguentes, quemadmodum jam alias innuimus (*not.* §. 723 *Pſychol. rat.*), & ex ulterius dicendis magis eluceſcet.

§. 1024.

§. 1024.

Præſentia iſta quamdiu duret.

Quoniam unio animæ cum corpore per omnem vitam ſubſiſtit, nec niſi per mortem tollitur, quod tanquam a poſteriori notum hic ſumitur, anima vero corpori & corpus animæ per unionem præſens eſt (§. 1023); ***Anima corpori & corpus animæ per omnem vitam præſens eſt, dum autem corpus moritur, præſens eidem anima eſſe deſinit.***

Inde eſt, quod quidam mortem in derelictione corporis ab anima facta conſiſtere ſibi perſuaſerint, ac ideo vitam a præſentia animæ in corpore derivaverint. Oſtendemus autem ſuo tempore in phyſicis, vitam corporis non pendere a præſentia animæ, ſed potius ejus præſentiam a vita corporis, & quamvis verum ſit, morte corporis diſſolvi animæ cum eodem unionem, nec tamen mortem in diſſolutione iſta conſiſtere.

§. 1025.

Cur animæ corpus mortuũ præſens eſſe nequeat.

Animæ corpus mortuum præſens eſſe nequit. Corporis enim mortui organa in univerſum, conſequenter & ſenſoria, a functionibus ſuis plenarie ceſſant (§. 733 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum motus ab objectis ſenſibilibus imprimatur nervis ſenſoriis & impreſſus ad cerebrum uſque propagetur, dum anima ſentit (§. 111 *Pſychol. rat.*); mortuo corpore objecta ſenſibilia nullum amplius motum nervis ſenſoriis imprimere valent, qui inde ad cerebrum popagetur. Quamobrem cum objectum ab anima non percipiatur, ſi fibrillis nerveis motum imprimere nequeat (§. 129 *Pſychol. rat.*); nec anima amplius percipit objecta ſenſibilia, conſequenter nullæ amplius in anima dantur perceptiones, quarum ratio in organorum ſenſoriorum mutatione conſiſtit. Quoniam itaque anima a corpore dependet in determinationibus ſuis intrinſecis, quatenus earum ratio in mutationibus, quæ corpori accidunt, continetur (§. 851 *Ontol.*); corpore mortuo quoad determinationes intrinſecas non amplius ab eodem pendere poteſt. Impoſſibile igitur eſt, animam corpori mortuo ita coexiſtere, ut quoad determinationes intrinſecas ab eodem pendeat, vel ſaltem pendere poſſit. Quamobrem cum præſentia conſiſtat in ea coexiſtentium relatione, qua unum quoad determinationes intrinſecas vel actu dependet ab altero, vel ab eodem ſaltem dependere poteſt (§. 1018); animæ corpus mortuum præſens eſſe, impoſſibile eſt.

Quodſi corpus mortuum fuerit corruptum, ut nec ſtructura organorum ſenſoriorum amplius ſuperſit, multo adhuc clarius intelligitur, animæ materiam ex qua organa iſta conſtabant, præſentem amplius eſſe non poſſe, etiamſi fingamus eam omnem in eodem loco congeſtam conſervari.

§. 1026.

Cur corpori mortuo, etiãſi nondum corrupto, anima præſens eſſe nequeat.

Corpori mortuo, etiamſi nondum corruptioni obnoxio, anima præſens eſſe nequit. Demonſtratur eodem fere modo, quo propoſitio præcedens. Nimirum quoniam in corpore mortuo, etſi ipſa organa adhuc ſint integra, nec ipſum corpus corruptioni adhuc obnoxium ſit, organa omnia a functionibus ſuis plenarie ceſſant (§. 733 *Pſychol. rat.*); nec fieri poteſt, ut ad nutum animæ adhuc moveantur organa, conſequenter ut in corpore mortuo

Digitized by Google

dentur motus voluntarii. Nulli adeo in eodem dantur motus, quorum ratio in anima continetur, imo dari nequeunt (§. 56 *Ontol.*). Quamobrem cum corpus non amplius quoad modificationes ſuas ab anima dependere poſſit (§. 851 *Ontol.*); nec corpori anima præſens amplius eſſe poteſt.

Quodſi corpus mortuum fuerit corruptum, ſtructura organorum prorſus deſtructa, multo adhuc clarius intelligitur animam materiæ, ex qua conſtabat corpus, præſentem amplius non eſſe poſſe, etiamſi fingamus omnem in eodem loco congeſtam conſervari. Propoſitiones duas poſteriores ideo adjiciuntur proxime præcedenti, ut clarius intelligatur non ex accidente eſſe, ut anima corpori, nec corpus animæ a primo ſtatim mortis articulo præſens amplius non ſit; ſed præſentiam animæ ac corporis mortui mutuam ipſi naturæ & eſſentiæ animæ atque naturæ corporis repugnare. Hoc autem pacto apparet, modum præſentiæ per ipſam naturam rerum definiri.

§. 1027.

Cur ſubſtantia ſimplex tota præſens ſit.

Subſtantia ſimplex præſens eſſe nequit enti cuicunque alteri niſi tota. Etenim ſubſtantia ſimplex omni prorſus caret parte (§. 673 *Ontol.*). Quamobrem ſi enti cuidam præſens ſit; fieri non poteſt, ut aliqua ejus pars eidem tantummodo præſens ſit. Neceſſe igitur eſt, ut præſens ſit tota.

Totalis præſentia fluit ex ſimplicitate, quæ non patitur ſubſtantiæ diffuſionem, qualis concipitur in compoſito, ex pluribus a ſe invicem diſtinctis, adeoque extra ſe invicem exiſtentibus conſtante.

§. 1028.

Cur anima tota præſens ſit.

Anima tota præſens eſt corpori, cui unitur. Etenim anima ſubſtantia ſimplex eſt (§. 48 *Pſychol. rat.*), eademque corpori præſens per unionem (§. 1023). Quamobrem cum ſubſtantia ſimplex tota præſens eſſe debeat enti alteri cuicunque, cui præſens eſt (§. 1027), anima quoque tota præſens eſt corpori, cui unitur.

Scholaſtici addunt, animam quoque totam eſſe præſentem parti cuilibet corporis, ſed citra multiplicationem ſui: id quod vulgo abſurdum exiſtimatur ab iis, qui localem præſentiam corporum a præſentia animæ non diſtinguunt. Non tamen ſimpliciter repugnat notioni præſentiæ, quam dedimus. Nimirum vi definitionis ſupra datæ (§. 1018) & ea quæ præſentiam animæ in corpore, cui unitur, deduximus (§. 1023), anima corpori præſens eſt, quatenus eidem ita coexiſtit, ut motus organorum ab ejus voluntate dependeant. Quamobrem cum in qualibet corporis parte dentur motus, & Scholaſtici omnes motus, etiam vitales animæ ſubjecerint, etſi hos libero ejus arbitrio ſubduxerint; ſecundum eos omnino dici debebat, animam eſſe præſentem cuilibet corporis parti. Et quoniam ens ſimplex præſens eſſe nequit alteri niſi totum (§. 1027), anima, quemadmodum de corpore oſtendimus in propoſitione præſente, tota cuilibet parti præſens eſſe debet. Manet tamen ens unum in ſe prorſus individuum propter ſimplicitatem. Ergo præſens eſt unoniſi una in toto corpore & qualibet ejus parte, conſequenter tota in corpore toto & tota in qualibet parte citra ſui multiplicationem. In ſe igitur iſtiuſmodi præſentia nihil habet, quod repugnat: id quod probe notandum, ne deinceps difficultates circa omnipræſentiam Dei enaſcantur, nebulis ab imaginatione ortis. In eo tantummodo difficultas eſt, num anima cuilibet parti corporis præſens dici poſſit, ſi vel maxime præſentiam reſtringas ad ea organa, quibus motus voluntarii ineſſe poſſunt: vitales enim nullo modo ab anima pendere immediate, ſed a cauſis phyſicis materialibus ſuo loco demonſtrabitur in Phyſica, qualiſcunque tandem dependentia motuum corporis ab anima admittatur. Quid igitur inventis recentiorum phyſicis ſit conſentaneum, porro explicandum, ne in præjudicium veritatis quicquam ſtatuatur. Conſultum adeo nobis videtur ſequentem ſubjicere propoſitionem.

§. 1029.

§. 1029.

Anima immediate præſens non eſt niſi ei cerebri parti, ubi datur communicatio nervorum ſenſoriorum & motoriorum; mediate tamen toti corpori & ſingulis ejus partibus, per quas illi diſperguntur. Anima enim corpori præſens eſt per unionem cum corpore (§. 1023), conſequenter cum unio iſta conſiſtat in harmonia naturali animæ atque corporis coexiſtentium (§ 723 *Pſychol. rat.*), harmonia autem iſta in explicabilitate perceptionum animæ per mutationes in corpore contingentes, & motuum voluntariorum in corpore per volitiones ac nolitiones animæ, ſeu appetitiones & averſationes ejus in genere (§. 539 *Pſychol. rat.*); anima corpori præſens eſt, quatenus ratio motuum voluntariorum ac ſpontaneorum in anima continetur (*§. cit.*), adeoque corpus quoad eoſdem ab anima dependet (§. 851 *Ontol.*). Conſtat vero ex Anatomicis experimentis motum muſculorum perfici motu ex cerebro ad eoſdem propagato, & alias jam evicimus, dum in ſenſationibus animæ motum ab objectis ſenſibilibus impreſſum nervis ſenſoriis ad cerebrum uſque propagari demonſtravimus (§. 111 *Pſychol. rat.*), nervorum ſenſoriorum ac motoriorum per totum corpus diſperſorum communicationem in cerebro dari, ac præterea omnibus phantaſmatis, ſeu ideis vi imaginationis productis (*§.* 93 *Pſychol. empir.*), in cerebro reſpondere ideas materiales (§. 206 *Pſychol. rat.*), nec minus judicia (§. 403 *Pſychol. rat.*), ac ipſa ratiocinia in eadem per ideas materiales vocabulorum, quibus efferuntur judicia illorum compoſitionem ingredientia, repræſentari (§. 414 *Pſychol. rat.*). Quamobrem cum ideæ materiales in cerebro ſint motus nervorum ſenſoriorum vel ex organo ſenſorio in idem propagati, vel ex iſtis in cerebro enati (§. 112 *Pſychol. rat.*), ex hiſce vero naſcantur motus nervorum motoriorum ad muſculos propagandi, quemadmodum appetitiones ac averſationes ex perceptionibus ac operationibus intellectus, prouti requirit conſtans modificationum animæ ac corporis harmonia, per univerſam Pſychologiam rationalem ſtabilita; corpus ab anima potiſſimum pendet quoad motus nervorum motoriorum in cerebro ex motibus in ſenſoriis nervis quomodocunque derivatos. Præſentia igitur cum fundetur in immediata dependentia determinationum intrinſecarum corporis ab anima (§. 1018); anima proprie loquendo, aut, ſi mavis, immediate nonniſi præſens eſt ei cerebri parti, ubi datur communicatio nervorum ſenſoriorum & motoriorum. *Quod erat unum.*

Animæ præſentia mediata & immediata in corpore.

Enimvero quoniam motu iſto per nervos ſenſorios ad muſculos propagato per experimenta anatomica, ſuo loco diſtinctius exponenda, determinatur motus voluntarius & ſpontaneus organi cujuſcunque corporis noſtri; mediantibus nervis motoriis motus voluntarii ac ſpontanei organorum corporis ab anima dependent, conſequenter corpus ipſum quoad hoſce motus mediate dependet ab anima eidem coexiſtente. Quamobrem cum relatio

animæ

animæ ac corporis quoad coexiſtentiam, vi cujus quoad motus voluntarios atque ſpontaneos ab animæ nutu dependet, ſit præſentia ejus (§. 1018); nil utique obſtat, quo minus animam omnibus iſtis partibus præſentem dicamus mediate, per quas nervi motorii diſperguntur, conſequenter cum per totum corpus ſeu ſingulas ejus quaſcunque partes diſpergantur, quemadmodum in Anatomia docemur, corpori toti atque ſingulis ejus partibus. *Quod erat alterum.*

Abſit ut tibi perſuadeas, vel aliis perſuadere coneris, demonſtrationem propoſitionis præſentis nonniſi hypotheticam eſſe ac in ſolo ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ ſubſiſtere. Neque enim ſumimus quod huic ſyſtemati proprium eſt, motus nervorum motoriorum in cerebro per ſolum mechaniſmum ejuſdem enaſci ex motu ſenſoriorum; ſed nobis perinde eſt, quocunque id fiat modo, ſive per influxum phyſicum animæ in corpus, ſive per immediatam Dei potentiam, ſive quocunque alio modo. Qui enim Pſychologiam rationalem probe perſpectam habent, ii animæ ac corporis harmonicas modificationes continuas in dubium revocare minime poſſunt, in omni ſyſtemate explicandi commercium mentis ac corporis motuum ſalvas. Ceterum jam intelligitur, ſi anima cum Scholaſticis dicatur præſens tota in corpore toto & tota in qualibet ejus parte, citra ſui multiplicationem, id nonniſi de præſentia mediata intelligi poſſe, de præſentia autem immediata verum non eſſe. Patet porro, a præſentia animæ mediata dependere deciſionem quæſtionis de ſede animæ, quemadmodum annotatum eſt a *Carteſio*.

§. 1030.

Præſentia elementorum.

Elementa rerum materialium ſibi præſentia ſunt, ſi immediata ratio, aut, ſi mavis, proxima ratio mutationum, quæ accidunt in uno, continetur in mutationibus, quæ contingunt in altero. Quoniam mutationum omnium, quæ in uno elemento contingunt, ratio reddi poteſt ex mutationibus, quæ in altero contingunt (§. 209 *Coſmol.*); elementa ita coexiſtunt, ut propter hanc ipſam coexiſtentiam unum ab altero dependeat quoad determinationes intrinſecas (§. 851 *Ontol.*). Quamobrem cum ens unum alteri præſens ſit, ſi ita coexiſtunt, ut in uno quidpiam inſit, cujus ratio immediata datur in altero, & præſentia ipſa in eorundem relatione quoad coexiſtentiam conſiſtat, ob quam quoad determinationes intrinſecas unum ab altero vel actu, vel ſaltem potentia dependet (§. 1018); quin elementum, cujus mutationes habent rationem immediatam in mutationibus alterius, huic ipſi alteri præſens ſit, dubitari nequit.

Ex elementorum nexu, quo conſtituuntur corpuſcula primitiva (§. 219 *Coſmol.*), facile probari poteſt, unum elementum multis ſimul præſens eſſe, & quidem ſingulis totum (§. 1027), utpote ſubſtantia ſimplex (§. 182 *Coſmol.*). Sed noſtrum jam non eſt ſpecialia de præſentia elementorum tradere, ſufficit modum præſentiæ generaliter definiri, quatenus ad illuſtrandum præſens de omnipræſentia Dei argumentum facere poteſt.

§. 1031.

Præſentia ſubſtantiarũ ſimplicium inter ſe.

Quoniam elementa rerum materialium ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), & quæ de mutua dependentia quoad determinationes intrinſecas demonſtrata ſunt (§. 209 *Coſmol.*), iiſdem conveniunt, quatenus ſubſtantiæ ſimplices ſunt; facile patet, quæ de præſentia elementorum demonſtrata ſunt (§. 1030), ea quoque de præſentia ſubſtantiarum ſimplicium tenenda eſſe. Quamobrem *ſubſtantia ſimplex una, finita* ſcilicet (quales quippe

ſunt

ſunt elmenta rerum materialium) *ſubſtantiæ ſimplici alteri finitæ præſens eſt, quatenus ratio proxima ſive immediata mutationum unius in mutationibus alterius continetur.*

Non hic attenditur modus, quo ſubſtantia ſimplex una dependet ab altera: qualiſcunque enim tandem ſit, in præſentia perinde eſt.

§. 1032.

In loco eſſe quid dicatur.

In loco eſſe dicitur, quod certam ſeu determinatam quandam ſpatii partem implet. Quamobrem cum ſpatium impleatur, quatenus in ſpatio imaginario fingitur pars immobilis ejuſdem extenſionis cum eo, quod idem implet (§. 609 *Ontol.*); *in loco quid eſt, quatenus in ſpatio imaginario fingi poteſt pars immobilis ejuſdem cum ipſo extenſionis.*

Nimirum ſpatium imaginarium nobis repræſentamus vi imaginationis tanquam extenſum uniforme continuum, in ſe indiviſibile ac immobile & a rebus exiſtentibus penetrabile (§. 599 *Ontol.*). Extenſa igitur concipimus tanquam in hoc ſpatio exiſtentia, quatenus parti cuidam ſpatii coextenduntur, atque adeo locum nobis imaginamur tanquam partem illius, cujus limites actu mentis deſignari poſſunt, etſi re ipſa ob ejus indiviſibilitatem conſtitui nequeant. Unde in loco eſſe dicimus, quod iſtiuſmodi partem extenſione ſua implet. Etenim ſi quæritur, in quo loco fuerit globus ligneus, quem jam manu tenemus; digito demonſtramus eam ſpatii imaginarii partem, in qua ante erat, & ubi quæritur, quemnam locum occupaverit, partem iſtam iiſdem limitibus circumſcribimus, quibus terminatur globus, loco ideo magnitudinem tribuentes, etſi alias inſtar puncti cujuſdam fixi in immobili ſpatio imaginario conſideremus (§. 608 *Ontol.*). Etſi ad communem uſum imaginaria ſufficiant; cavendum tamen ne cum realibus confundantur. Etenim ex hoc fonte propullulant omnes difficultates, quæ in doctrina de præſentia rerum in genere & de omnipræſentia Dei in ſpecie occurrunt, non tollendæ, niſi imaginaria a realibus diſtinxeris.

§. 1033.

Cur Corpus ſit in loco, ſubſtantia ſimplex non item.

Omne corpus in loco eſt, ſubſtantia ſimplex in loco eſſe nequit. Cum enim quid ſit in loco, quatenus in ſpatio imaginario fingi poteſt pars immobilis ejuſdem extenſionis cum ipſo (§. 1032); quod eſt extenſum, ubi exiſtit, in loco exiſtit, quod vero extenſum non eſt, in loco eſſe non poteſt. Enimvero corpora ſunt extenſa (§. 122 *Coſmol.*), ſubſtantiæ autem ſimplices extenſæ non ſunt (§. 675 *Ontol.*). Corpus igitur omne in loco eſt; ſubſtantia autem ſimplex in loco eſſe nequit.

Hinc ſubſtantiæ ſimplices dici ſolent *illocales*, quia ipſis repugnat eſſe in loco.

§. 1034.

Cur animæ non ſint in loco.

Quoniam anima tam humana (§. 48 *Pſychol. rat.*), quam brutorum ſubſtantia ſimplex eſt (§. 753 *Pſychol. rat.*), ſubſtantia autem ſimplex in loco eſſe nequit (§. 1033); *animæ non minus brutorum, quam hominum in loco eſſe nequeunt.*

Obſervavit hoc *Carteſius* ſedem animæ in corpore determinaturus. Enimvero qui corpus ab anima diſtinguere neſciunt, multoque minus imaginaria a realibus ſeparare norunt, materialia cum immaterialibus turpiter confundentes, nec præſentiam ab exiſtentia in loco diſtinguentes, animæ ac omni ſubſtantiæ ſimplici, ipſi adeo Deo, extenſionem tribuunt, ut tam animam in corpore, quam Deum in toto mundo præſentem ſibi imaginari valeant. Noſtrum igitur eſt, ut ex notionibus quoque realibus explicetur, quid ſit eſſe in loco.

§. 1035.

Illocalitas elementorũ.

Similiter quia elementa rerum materialium ſubſtantiæ ſimplices ſunt (§. 182 *Coſmol.*); *elementa* quoque *rerum materialium non ſunt in loco.*

Digitized by Google

Non obſtat, quod corpora, elementorum aggregata (§. 176 *Coſmol.*), ſint in loco (§. 1033). Etenim elementa rerum materialium non ſunt (§. 184 *Coſmol.*) & hoc tamen non obſtante corpora, quæ inde aggregantur (§. 176 *Coſmol.*), extenſa ſunt (§. 221 *Coſmol.*), extenſo oriente ex non extenſo (§. 223 *Coſmol.*). Quamobrem cum quid ſit in loco, quatenus extenſum eſt (§. 1032); paradoxum videri nequit, quod locale ortum ſuum derivet ab illocali. Qui locum elementi & ſubſtantiæ ſimplicis in univerſum inſtar puncti mathematici in ſpatio imaginario dati imaginantur; monſtrum imaginationis in lucem edunt, quod a ratione abhorret, quippe non admittente, niſi quod ex notionibus diſtinctis ab imaginibus ſeparatis certo ratiocinio colligitur. Sumunt enim ſimplices ſubſtantias prodire ex continui diviſione, quaſi lineam infinita diviſione in puncta mathematica reſolvendo, adeoque puncta zenonica pro elementis rerum materialium venditant (§. 215 *Coſmol.*), & his omnes ſubſtantias ſimplices deinceps aſſimilant: quod quam ſit a veritate alienum & rationi adverſum, ſatis oſtendimus (§. 217. 218 *Coſmol.*). Qui imaginationi nondum valedixere, notiones diſtinctas ab imaginibus, hoc eſt, quod diſtincte agnoſcitur ab eo, quod confuſe perceptum eidem adhæret, ſeparare neſcientes; illis perſuaderi nequeunt, quæ ſunt ſolius rationis, utpote convictionis incapacibus (§. 1192. 1193 *Log.*). Patiantur itaque, quod ipſorum objectiones inſolubiles ipſis viſæ contemnantur, quemadmodum Mathematicus contemnit, nec reſponſione dignatur objectiones hominum Matheſeos imperitorum contra angulum contactus, vel lineas aſymptotos, vel theoriam infinite parvorum.

§. 1036.

Illocalitas Dei. Imo quia ipſe *Deus* ſubſtantia ſimplex eſt (§. 83), is quoque *in loco eſſe haudquaquam poteſt*.

Illocalitas Dei fluit ex ipſius ſimplicitate. Qui vero Deo tribuunt infinitam, hoc eſt, interminatam extenſionem; eundem localem faciunt & ſubſtantiæ ſuæ diffuſione rebus omnibus inexiſtentem, ſeu, ſubſtantiam divinam per omne ſpatium imaginarium diffuſam ſibi imaginantur, intellectum vero, voluntatem & potentiam per infinitam extenſionem quaſi diffuſa tacite ſupponunt, unde alia inferunt, quæ diſtinctam explicationem minime ferunt. Sed cum iſtiuſmodi idolis tribus, quemadmodum *Verulamius* vocat, nobis nihil eſt negotii. Colunt ea acumine metaphyſico deſtituti, nonniſi rerum metaphyſicarum tractatione comparando, quemadmodum mathematicum rerum mathematicarum ſtudio acquiritur. Cum *nullibi eſſe* proprie dicatur, quod in loco nullo eſt; Deus vero in loco non ſit, *vi præſentis*, nec animæ in loco eſſe poſſint (§. 1034): ſequitur omnino, dicendum eſſe hoc ſenſu, quod Deus ſit nullibi, quod animæ ſint nullibi. Imo etiam dicendum erat, elementa rerum materialium eſſe nullibi (§. 1035). Enimvero cum per inconſtantiam loquendi dicatur etiam nullibi eſſe, quod prorſus non exiſtit; conſilium *Auguſtini* probamus, qui in ſimili caſu linguam temperari, veritatem retineri jubet. Ne igitur dictione incauta infirmis ſcandalum creetur, ab ea abſtinendum, etiamſi eadem utantur *Carteſiani*.

§. 1037.

Præſentia localis quænam. *Localiter præſens eſſe* dicitur, quod cum præſens eſt rebus aliis, in loco exiſtit. Unde *Præſentia localis* eſt, quæ cum exiſtentia in loco conjuncta.

E. gr. Sol horto, quem radiis directis ferit, localiter præſens eſt. Etenim dum horto præſens eſt, ſimul in loco exiſtit. Solis adeo præſentia localis eſt.

§. 1038.

Localis præſentia in re aliqua. Hinc porro *in re aliqua localiter præſens* eſt, quod intra limites ejus rei, cui præſens eſt, certum occupat locum.

Ita facile per definitionem præſentiæ probatur, cor corpori humano præſens eſſe. Occupat vero intra ambitum corporis, hoc eſt, in ea ſpatii imaginarii parte, quam implet corpus humanum, locum aliquem. Localiter Sol præſens eſt horto (*not.* §. 1037), non tamen localiter præſens eſt in horto, cum intra ejus terminos non contineatur illa ſpatii imaginarii pars, quam extenſione ſua implet corpus Solis. Atque adeo apparet, localem præſentiam, ſimpliciter talem, non eſſe eandem cum locali præſentia in re; ſed hæc duo a ſe invicem diſtinguenda eſſe.

§. 1039.

Digitized by Google

§. 1039.

Præſentia in loco.

Quodſi adeo partem imaginariam ſpatii conſideres tanquam rem a corpore diverſam, & eandem certo quodam limite circumſcribis; *corpus in eo loco præſens* dicitur, quod intra iſtos limites, ſeu terminos locum quendam occupat.

Obſervavimus hoc jam alibi (§. 61 *Pſychol. empir.*). Nimirum repletio loci extenſione corporis in eodem exiſtentis facta conſideratur per modum determinationis eidem intrinſecæ, quæ dependet a re in eo exiſtente, conſequenter & coexiſtente. Atque hoc reſpectu loco præſens dici poteſt res locata (§. 1018), ſeu, quemadmodum uſitatius eſt, præſens in loco. Imaginaria inſunt hiſce locutionibus: quamobrem nec aliter explicari poſſunt niſi per imaginaria, quæ ſupponuntur, & quorum confuſione naſcitur idea confuſa præſentiæ in loco.

§. 1040.

Localis præſentia & præſentia in loco cuinam conveniat.

Corpus omne præſens eſt in loco & localiter præſens rebus, vel in rebus. Etenim omne corpus in loco eſt (§. 1033), conſequenter certam ſpatii imaginarii partem intra aliam, certis limitibus pro arbitrio circumſcribendam, implet (§. 1032). Quamobrem cum in loco præſens ſit, quod intra terminos, quibus pars quædam ſpatii imaginarii circumſcribitur, conſtituitur, ſeu locum quendam occupat (§. 1039), adeoque aliam ſpatii imaginarii partem intra eandem implet (*§. cit.*); corpus omne in loco præſens eſt, in quo ſcilicet exiſtit.

Similiter cum corpus omne in loco ſit (§. 1033), dum rebus aliis præſens eſt, in loco aliquo exiſtit. Quamobrem quia localiter præſens eſt, quod cum præſens eſt rebus aliis, in loco exiſtit (§. 1037); corpus omne rebus aliis, quibus præſens eſt, localiter præſens eſt.

Quodſi jam porro intra limites ejus rei, cui præſens eſt, certum locum occupet, quia in re aliqua localiter præſens eſt, quod intra limites ejus rei, cui præſens eſt, certum locum occupat (§. 1038); erit corpus in hoc caſu localiter præſens in re iſta.

Patet adeo præſentiam localem & præſentiam in loco convenire corpori omni, nec repugnare ulli. Nimirum corpus omne ſemper præſens eſt in aliquo loco, &, ubi rebus aliis præſens eſt, localiter præſens eſt vel rebus, vel in rebus: non tamen ideo, quod rei alicui localiter præſens eſt, etiam in ea re localiter præſens eſt, multo minus utriuſque localis eſt præſentia in eodem præciſe loco. Ita Sol localiter præſens eſt horto, ſed non in horto, etſi per inconſtantiam loquendi poſterius dicamus, radios Solis cum Sole ipſo confundentes. Aſt cor localiter præſens eſt in corpore, etſi etiam localiter præſens ſit corpori toti, qua ſanguis a corde propellitur per omnes corporis partes & hæ motu illius alterantur: non tamen cor & corpus integrum eundem præciſe locum occupant, ſeu in eodem præciſe ſunt loco.

§. 1041.

Illocalis præſentia animarum & elementorum.

Animæ humanæ & brutorum, imo ipſa elementa rerum materialium localiter præſentia non ſunt. Etenim animæ brutorum & hominum (§. 1034), imo ipſa etiam elementa rerum materialium in loco eſſe nequeunt (§. 1035), quamvis totæ præſentes ſint corporibus, quibus uniuntur (§. 1028). Enimvero localiter præſens non eſt, quod dum præſens eſt, in loco non exiſtit (§. 1037). Animæ igitur humanæ atque brutorum, imo ipſa rerum materialium elementa localiter præſentia non ſunt.

Digitized by Google

Patet adeo localem præſentiam, quæ eſt corporum (§. 1039), non convenire animabus, neque elementis rerum materialium. Caute igitur Scholaſtici affirmant, animas *exiſtere in aliquo ubi*, non autem in aliquo loco, ne præſentia localis corporum cum præſentia illocali animarum & in genere ſubſtantiarum ſimplicium confundatur: in quarum numero cum ſint elementa rerum materialium (§. 182 *Coſmol.*), dicendum quoque eſt ipſorum phraſi, elementa rerum materialium exiſtere in aliquo ubi, non autem in loco, ad diſcernendam illocalem eorum præſentiam a locali corporum. Per propoſitionem autem præſentem patet illocalem præſentiam convenire animabus promiſcue omnibus & rerum elementis, quatenus ſunt ſubſtantiæ ſimplices. Etenim ſimplicitati repugnat exiſtentia in loco (§. 1033), conſequenter & localis præſentia, cum exiſtentia in loco conjuncta (§. 1038). Ceterum ex dictis liquet, cur a dictione *Carteſianorum*, ſubſtantiam ſimplicem ſeu immaterialem eſſe nullibi, conſultius abſtineatur, etſi rite explicata nihil vitii habeat. Quoniam enim eſſe nullibi ab iis, qui ex notionibus diſtinctis de rebus judicare non ſolent, adeoque plurimis, facillime explicetur per eſſe in nullo ubi, phraſi autem Scholaſticorum jam dudum ante *Carteſium* in philoſophia recepta in nullo ubi eſt, quod plane non exiſtit; verendum omnino eſt, ne exiſtentiam rei negare videatur, qui eam nullibi eſſe dixerit, malevolorum criminationibus & cavillationibus ad ſpeciem compoſitis ſeſe obnoxium reddens.

§. 1042.

Illocalis præſentia Dei.

Deus localiter præſens eſſe nequit. Demonſtratur eodem prorſus modo, quo propoſitio præcedens. Etenim Deus non eſt in loco (§. 1036). Quamobrem cum localiter præſens eſſe nequeat ens ullum, quod dum præſens eſt, in loco aliquo non exiſtit, ſeu cujus præſentia cum exiſtentia in loco non conjuncta (§. 1037); Deus quoque localiter præſens eſſe nequit.

Nimirum Deo itidem tanquam enti ſimplici (§. 83) exiſtentia in loco (§. 1033), adeoque & localis præſentia repugnat. Equidem *D. Thomas* affirmat, Deum eſſe ubique & ut in re, & ut in loco: non tamen hinc recte colligitur, quod localem Deo tribuat præſentiam, qualis eſt corporum (§. 1040). Unde caute dicit, eum eſſe ut in loco, non vero ſimpliciter, eſſe in loco. Quemadmodum enim alia, quæ per ſe Deo tribui nequeunt, eidem per eminentiam recte tribuuntur; ita etiam localis præſentia per eminentiam tribui poteſt. Sed hæc clarius explicabuntur deinceps, ubi oſtenſuri ſumus quomodo differat eſſe in loco & eſſe ut in loco, & quod eſſe ut in loco non denotet niſi præſentiam localem per eminentiam talem, cum illocali præſentia minime pugnantem. Quoniam vero in iis, quæ de locali & illocali præſentia hactenus demonſtrata ſunt, notionem ſpatii imaginarii ſupponimus, cui convenienter quoque explicandæ ſunt omnes Scholaſticorum dictiones, ne errores ipſis affingas, nec verum, quod ipſis ineſt, deſpicias; ad diſpellendas tandem omnes nebulas addendum erit, quænam de exiſtentia in loco ex notione ſpatii reali conſequuntur, & ex notione ejus imaginaria deducta ultra veritatis limites in errorem trahuntur.

§. 1043.

Exiſtentia in loco quibus cõveniat & repugnet vi notionis ſpatii realis.

***Corpus omne per eſſentiam ſuam exiſtit in loco; elemento autem uni, multoque magis animæ ipſique Deo exiſtentia in loco repugnat*.** Quoniam ſpatium non eſt, niſi ordo ſimultaneorum, ſeu coexiſtentium (§. 569 *Ontol.*), quatenus coexiſtunt (§. 590 *Ontol.*), & confuſa ejus idea in anima, quæ ſpatii imaginarii eſt, naſcitur, dum ordinem coexiſtentiarum in nexu elementorum confuſe percipimus (§. 106 *Pſychol. rat.*); pars ſpatii concipi nequit niſi per ordinem quorundam elementorum inter ſe connexorum coexiſtentium, quatenus ſcilicet ita inter ſe connexa coexiſtunt, nec pars ſpatii impleri intelligitur, niſi quatenus plura elementa ita aggregantur, ut vi nexus inter ea intercedentis certo ordine coexiſtant. Unde patet per elementum unum, utpote ſubſtantiam ſimplicem (§. 182 *Coſmol.*), adeoque partibus carens (§. 673 *Ontol.*), nec particulam aliquam ſpatii concipi, nec intelligi

Digitized by Google

intelligi poſſe, quomodo ea impleatur. Elemento igitur uni repugnat eſſe in loco (§. 1032).

Et quoniam animæ tam hominum (§. 48 *Pſychol. rat.*), quam brutorum ſunt ſubſtantiæ ſimplices (§. 753 *Pſychol. rat.*), imo ipſe Deus ens ſimplex eſt (§. 83), neque vero Deus, neque anima ulla in numero elementorum materialium deprehenditur, utpote ſpecie differentes ab iiſdem, etſi convenientes in genere qua entia ſimplicia: multo magis liquet animabus hominum & brutorum, imo Deo ipſi repugnare, ut ſint in loco (§. 1032).

Enimvero quoniam corpora ſunt ſubſtantiarum ſimplicium aggregata (§. 176 *Coſmol.*), adeoque corporis in genere ſpectati eſſentia in hac aggregatione conſiſtit (§. 155 *Ontol.*); per eſſentiam corporis in genere ſpectati & pars ſpatii concipitur, & quomodo impleatur intelligitur. Corpus adeo omne per eſſentiam ſuam in loco exiſtit.

Ex demonſtratione propoſitionis præſentis patet, vi notionis ſpatii realis de exiſtentia in loco eadem conſequi, quæ ex notione ſpatii imaginarii conſequuntur, niſi quod per notionem ſpatii realis intelligatur clarius, cur exiſtentia in loco corpori omni ſit eſſentialis, adeoque per eſſentiam ſuam non poſſit exiſtere niſi in loco; ſubſtantiis vero ſimplicibus non modo in genere, verum etiam animabus ac ipſi Deo in ſpecie repugnet exiſtentia in loco, com ferendum non ſit, ne per notiones confuſas nobis non advertentibus irrepat aliquis error. Atque adeo ſimul liquet, ſubſtantiis ſimplicibus nec poſſe tribui exiſtentiam quaſi in puncto quodam intra ſpatium imaginarium, etenim hoc pacto ſubſtantiam ſimplicem imaginaremur per modum puncti mathematici: quod etſi contra ſimplicitatem animarum ac ipſius Dei objiciatur a defenſoribus extenſionis animarum atque Dei, a veritate tamen abhorret, quemadmodum vel ex iis patet, quæ de elementis rerum materialium demonſtrata ſunt in Coſmologicis, ita ut abortum imaginationis nominaſſe idem ſit ac deſtruxiſſe. Obiter monemus, quomodo notiones communes, quas terminis receptis jungimus, dum aliquid imaginarii ſapiunt, revocando ad diſtinctas & ab imaginibus ſeparando danda ſit opera, ut terminorum receptorum ſignificatus ſalvetur: cujus cum ſpecimen illuſtre habeamus in præſente de exiſtentia in loco doctrina, noſtrum omnino eſſe duximus attentionem lectoris ad ipſum excitare.

§. 1044.

Quod in loco non eſt, dicitur *eſſe ut in loco*, quando præſens eſt rei in loco exiſtenti. *Eſſe ut in loco quid ſit.*

Vulgo in loco eſſe dicitur, quod eſt præſens rei in loco exiſtenti: ſed eſſe in loco & eſſe ut in loco, non diſtinguitur in notionibus confuſis. Vidimus tamen (*not.* §. 1042) *D. Thomam* unum ab altero diſtinguere acumine ſingulari, quo polluit in perluſtrandis notionibus confuſis, & quod quid præſens eſſe poſſit rei in loco exiſtenti, etſi ipſummet in loco non exiſtat, per demonſtrationes anteriores abunde patet, ut adeo de realitate diſtinctionis nullum ſuperſit dubium, ac nonniſi excutientes eam inter tricas & ſteriles nugas Scholaſticorum referant. Acumen in rebus diſtinguendis Scholaſticis denegandum non eſt, utpote quod ſtudio philoſophiæ Ariſtotelicæ ſibi compararunt, etſi dono diſtinctæ explicationis pro more ſeculi fuerint deſtituti, quod hodie plurimis negatur.

§. 1045.

Animæ tam hominum, quam brutorum ſunt ut in loco. Etenim animæ tam brutorum quam hominum in loco eſſe nequeunt (§. 1034), præſentes tamen ſunt corporibus, quibus uniuntur, totæ (§. 1028, 1031). Quamobrem cum corpus omne per ipſam eſſentiam ſuam ſit in loco (§. 1033. 1043); animæ in loco non exiſtentes præſentes ſunt rebus in loco exiſtentibus. *Animarum exiſtentia ut in loco.*

Enimvero quod in loco non eſt, attamen præſens rei in loco exiſtenti, idem eſt ut in loco (§. 1044). Animæ igitur tam hominum, quam brutorum ſunt ut in loco.

Habet in eo anima, quod cum eidem repugnet eſſe in loco, tamen ſit ut in loco, aliquid ſimilitudinis cum coexiſtentia Dei & rerum materialium; non tamen ideo coexiſtentia ipſius atque corporum cum coexiſtentia divina confunditur: ſalva enim eſt, quemadmodum ex mox dicendis clarius eluceſcet, differentia, quanta inter ens finitum ſeu limitatum & infinitum ſeu illimitatum intercedit. Quamobrem quoad præſentiam idem obtinet, quod in ceteris attributis divinis deprehenditur per omnes demonſtrationes ſuperiores, quippe quæ animabus noſtris ea differentia conveniunt, quam fert differentia entis finiti ac infiniti, aut, ſi mavis, limitati & illimitati. Et hæc ſimilitudo proderit ad exiſtentiam Dei non in loco, ſed ut in loco intelligendam.

§. 1046.

Præſentia Dei. *Deus præſens eſt rebus omnibus in toto univerſo, ſeu omni creaturæ*. Etenim creatura ulla exiſtentiam propria virtute continuare nequit (§. 840), ſed Deus, quam dedit in principio, dare pergit, quamdiu durat (§. 841), conſequenter indeſinenter in creaturas agit (§. 842). Quamobrem cum ens unum alteri præſens ſit, ſi in ipſum agit (§. 1019); Deus omni creaturæ, ſeu rebus omnibus in toto univerſo indeſinenter præſens eſt.

Monuimus jam ſupra (*not.* §. 1019), ex actione entis unius in alterum præſentiam concludi eodem ſenſu, quo hortulanus arbori præſens dicitur, ex qua ſurculos gemmis gravidis deſtitutos reſecat, & Sol terram exiccans horto præſens eſt. Hinc & *D. Thomas* ſumit ibi rem eſſe, ubi operatur, ac inde concludit, Deum eſſe in rebus omnibus, ſeu, quod perinde eſt, eſſe rebus omnibus præſentem, ut agens in id, quod agit: in concurſu nimirum univerſali, qui fit per conſervationem (§. 874), ſubſtantiæ agenti, quam conſervat, vires agendi largitur (§. 876). Ceterum ex propoſitionis præſentis demonſtratione intelligitur, præſentiam Dei ex ipſa ejus ac creaturæ eſſentia & natura fluere, ita ut creatura nulla concipi poſſit ſine præſentia divina, ut exiſtens vel unico momento, quantumlumcunque hoc aſſumatur.

§. 1047.

Cur Deus totus creaturis præſens ſit. *Deus omni creaturæ totus præſens eſt*. Etenim ens ſimplex eſt (§. 83), & ſubſtantia per eminentiam (§. 1005), idemque præſens omni creaturæ (§. 1046). Enimvero ſubſtantia ſimplex præſens eſſe nequit niſi tota enti cuicunque, cui præſens eſt (§. 1027). Deus igitur omni creaturæ totus præſens eſt.

Hinc patet, Deum non tantummodo virtute ſua ſeu omnipotentia eſſe rebus omnibus præſentem, ſed ſubſtantialiter, cum ſine ſubſtantialitate concipi non poſſit Deus totus. Nec probatu difficile foret, nihil in Deo concipi, quod non in præſentiam ipſius certo quodam modo influat: id quod probe notandum eſt, cum maximo uſui ſit in praxi officiorum erga Deum ſuo loco explicanda.

§. 1048.

Extenſio præſentiæ divinæ. *Deus totus præſens eſt toti mundo adſpectabili & ſingulis rerum materialium elementis, corporibus item ſingulis, ſive in prima rerum origine productis, ſive hodie genitis, ſingulis animabus humanis, ſingulis animabus brutorum*. Etenim Deus præſens totus eſt omni creaturæ (§. 1047). Sed totus hic mundus adſpectabilis & ſingula rerum materialium elementa (§. 778), corpora ſingula non modo in prima origine rerum producta, verum etiam hodie genita (§. 779), ſingulæ animæ humanæ (§. 780), ſingulæque brutorum animæ crea-

Digitized by Google

mæ creaturæ Dei ſunt (§. 783. 777). Deus igitur totus præſens eſt toti mundo adſpectabili & ſingulis rerum materialium elementis, corporibus ſingulis non modo in prima rerum origine productis, verum etiam hodie genitis, animabus humanis ſingulis & ſingulis animabus brutorum.

Vides adeo quam late pateat præſentia divina, etiamſi Deus rebus omnibus præſens ſit quoad ſubſtantiam ſuam (*not.* §. 1047). Scriptura Sacra præter creaturas, quarum exiſtentia lumine rationis nobis innoteſcit, mentionem quoque facit angelorum, ſed tanquam creaturarum Dei. Quemadmodum itaque omnia, quæ ex principiis rationis de creaturis demonſtrantur, ad angelos applicanda veniunt; ita ex eadem ratione patet, præſentiam quoque divinam, quæ ea ipſa Dei ac creaturæ eſſentia atque natura fluit, ad angelos quoque eſſe extendendam. Abſit itaque, ut quis ſibi ac aliis perſuadere audeat, negari quod Deus eodem modo præſens ſit angelis, quo rebus ceteris omnibus præſentem demonſtravimus, limites Theologiæ naturalis cum limitibus revelatæ minime confundentes, ut tanto evidentius pateat, quænam Theologia revelata naturali ſuperaddat.

§. 1049.

Modus præſentiæ divinæ uberius explicatur.

Deus totus eſt præſens toti mundo & totus præſens ſingulis ejus partibus citra multiplicationem & diffuſionem ſui. Etenim Deus totus præſens eſt mundo toti & ſingulis corporibus ſive in prima rerum origine productis, ſive hodie genitis (§. 1048). Enimvero mundus eſt totum aliquod & entia ſingula in eodem vel ſimul, vel ſucceſſive exiſtentia, hoc eſt, corpora ſive in prima rerum origine producta, ſive hodie genita (§. 119 *Coſmol.*), ſunt ejus partes (§. 61 *Coſmol.*). Deus igitur totus præſens eſt mundo toti & totus præſens eſt ſingulis ejus partibus. Eſt vero, ut ens omne (§. 329 *Ontol.*), unus, adeoque totus præſens eſt rebus ſingulis citra ſui multiplicationem (§. 331 *Ontol.*). Præterea ſubſtantia eſt per eminentiam (§. 1005), idemque inextenſus (§. 85), conſequenter ſubſtantia divina multorum extra ſe invicem exiſtentium unione non conſtituitur (§. 548 *Ontol.*). Quamobrem fieri nequit, ut quidpiam ſubſtantiæ divinæ præſens ſit huic rei, quidpiam alteri, conſequenter Deus pluribus rebus ſimul præſens citra ſui diffuſionem. Patet itaque Deum totum eſſe præſentem toti mundo & totum eſſe præſentem ſingulis ejus partibus citra ſui multiplicationem & diffuſionem.

Quæ hic de præſentia Dei demonſtrantur, ex notionibus rerum adeo evidenter conſequuntur, ut, niſi in evidentiam rationis injurius eſſe volueris, ea in dubium revocare non poſſis. Quemadmodum itaque Geometræ de angulo contactus & lineis aſſymptotis abſque ulla hæſitatione admittunt, quæ ea notionibus evidentia rationis colliguntur, refragante licet imaginatione; ita quoque philoſophus ab idololatrico imaginationis cultu alienus contradicere nequit iis, quæ ex notionibus Dei & creaturarum ſeu rerum ab ipſo omnimode dependentium conſequuntur. A vero igitur toto cælo aberrant, qui inter nugas Scholaſticorum referunt, quæ veritati manifeſtæ conſentanea ſunt. Nos igitur non pudet ea ſyſtemati noſtro inſerere, quæ firma demonſtratione nituntur: ſit ita quod rideantur ab imperitis, quorum eſt ſapere ultra id, quod intelligunt, & ridere ea, quæ horizontem ipſorum tranſcendunt.

§. 1050.

Intime præſens rei quid dicatur.

Rei intime præſens dicitur, in qua nihil concipi poteſt a tota diverſum & diverſum ab aliis, quæ ſimul ad eandem pertinent, cui non ſit præſens.

Ita

Ita homini præſens intime dicendum ens ab eo diverſum, quod & animæ, & corpori ſingulisque hujus partibus, qualeſcunque tandem eædem ponantur, præſens eſt.

§. 1051.

Intima præſentia Dei.

Deus intime præſens eſt rebus omnibus, quibus præſens eſt. Cum ens omne vel ſimplex ſit, vel compoſitum (§. 685 *Ontol.*); res etiam, quibus Deus præſens eſt, vel in ſimplicium, vel in compoſitorum numero eſſe debent. Enimvero cum ſimplex partibus careat (§. 673 *Ontol.*), adeoque plura a ſe invicem & a toto diſtincta in eodem concipi nequeant (§. 341 *Ontol.*); vi ſimplicitatis fieri nequit, quin Deus ſubſtantiæ ſimplici intime præſens ſit (§. 1050). Quamobrem cum elementa corporum ſint ſubſtantiæ ſimplices (§. 182 *Coſmol.*), ex quibus aggregantur (§. 176 *Coſmol.*), corpora vero, ex quibus mundus tanquam partibus componitur, entia compoſita ſint (§. 119 *Coſmol.*); quæ in corpore tanquam a ſe invicem & a toto corpore diverſa diſtinguuntur, tandem non ſunt, niſi elementa. Enimvero ſubſtantiis ſimplicibus Deus intime præſens eſt *per demonſtrata*. Nihil adeo in corpore quocunque, conſequenter in ente aliquo compoſito, quod in hoc mundo exiſtit, diſtingui poteſt tanquam diverſum a toto & diverſum ab omnibus, quæ ſimul ad idem pertinent, cui non præſens ſit Deus corporibus omnibus totus præſens (§. 1048). Quoniam itaque rei intime præſens eſt ens alterum, in qua nihil concipi poteſt a tota diverſum & diverſum ab aliis, quæ ſimul ad eandem pertinent, cui præſens non ſit (§. 1050); Deus quoque omni enti compoſito, quod exiſtit, intime præſens eſt. Atque adeo patet, eum intime præſentem eſſe rebus omnibus, quibus præſens eſt.

Ob intimam hancce præſentiam Deus dicitur *eſſe in re*, aut, ſi eſſe in re de locali præſentia ſumitur (§. 1038), adeoque aliquid imaginarii admixtum habet, accuratius cum *D. Thoma*, ut *in re*, cum is localiter præſens non ſit (§. 1042).

§. 1052.

Exiſtentia Dei ut in loco.

Deus eſt ut in loco omni. Etenim Deus in loco non eſt (§. 1036): eſt tamen præſens omni corpori (§. 1048). Quamobrem cum ut in loco ſit, quod in loco non eſt, præſens tamen rei in loco exiſtenti (§. 1044), & corpus omne in loco exiſtat (§. 1033); Deus eſt ut in loco. Jam corpus omne per eſſentiam ſuam in loco exiſtit, elemento autem uni multoque magis animabus exiſtentia in loco repugnat (§. 1043). Quamobrem cum præter corpora & elementa rerum materialium, ex quibus illa aggregantur (§. 176 *Coſmol.*), atque animas non dentur entia alia, adeoque corpora omnia ſimul omnia loca occupent; patet porro, Deum eſſe ut in loco omni.

Angeli, quorum mentionem facit Sacra Scriptura, ſunt ſpiritus, adeoque ſubſtantiæ ſimplices, quæ & ipſæ perinde ac animæ noſtræ in loco non ſunt. Quamobrem ſubſiſtit demonſtratio propoſitionis præſentis etiamſi corporibus elementorum aggregatis præter animas jungas angelos, ut omne prodeat creaturarum genus. Qui Deum ubique eſſe affirmant, eum ut in loco omni eſſe tuentur. Aſt *Ubiquitarii* Deum in loco omni quaſi ſubſtantiæ diffuſione per ſpatium imaginarium exiſtere ſibi imaginantur.

§. 1053.

§. 1053.

Quomodo res omnes Deo ſint præſentes.

Res omnes, aut, ſi mavis, creaturæ omnes Deo per eminentiam præſentes ſunt. Quod ſenſu percipimus, id nobis præſens eſt (§. 1021). Deus ſenſu caret (§. 157), adeoque ſenſu nihil percipere poteſt. Enimvero ſenſu percipimus objecta externa mutationem organis ſenſoriis qua talibus inducentia (§ 67 *Pſychol. empir.*), conſequenter quæ actu ſunt ſive exiſtunt, adeoque præſentia (§. 228). Quamobrem cum Deus per concurſum ſuum præſentia in toto univerſo a præteritis atque futuris diſtinguat (§. 939); in Deo datur quod vicem ſenſus omnis ſupplet, adeoque per eminentiam ſenſu percipit omnia præſentia in toto hoc univerſo. Patet igitur res omnes in hoc univerſo, ſeu creaturas omnes Deo per eminentiam præſentes eſſe (§. 1021).

Præſentia nihil denotat quod rebus intrinſecum eſt, utpote nonniſi rerum quoad coexiſtentiam relatio (§. 1018). Quamobrem etſi creaturæ Deo per eminentiam præſentes dicantur, non tamen quid attribuitur creatoris, quod per eminentiam inſit, ſed tantummodo relatio quædam ad Deum, propterea quod ipſi quid per eminentiam ineſt.

§. 1054.

Omnipræſentia quid ſit.

Omnipræſentia eſt præſentia ad omnia entia, a ſe diverſa, extenſa.

Supponit omnipræſentia notionem præſentiæ, qua de cauſa hactenus de præſentia ſatis prolixe egimus, ne quid lucis in hoc argumento alias ſatis obſcuro deſiderari poſſit. Addit autem notioni præſentiæ omnem amplitudinem, quæ concipi poteſt, ita ut nihil tanquam ne exiſtens fingi quidem poſſit, cui non ſit præſens illud ens, quod omni præſens eſt. Unde & Scholaſtici Deum præſentem dixere in ſpatiis extramundanis imaginariis: id quod non eſſe prorſus ſine mente ſonum, quemadmodum videtur in rebus metaphyſicis vel defectu acuminis, vel neglectu diſcuſſionis accuratæ cæcutientibus. Etenim præter hunc mundum plures adhuc alii poſſibiles ſunt (§. 101 *Coſmol.*), quibus producendis non minus ſufficit potentia Dei, quam ſufficit huic, qui exiſtit (§. 342), per ejus adeo omnipotentiam extituri, modo vellet (§. 352). Cum in mundo omnia ſimultanea inter ſe connectantur (§. 48 *Coſmol.*), adeoque ratio coexiſtentiæ ſufficiens in ipſis coexiſtentibus contineatur (§. 50 *Coſmol.*); in mundo omni datur ordo ſimultaneorum, quatenus coexiſtunt (§. 472 *Ontol.*). Quamobrem cum ordo ſimultaneorum, quatenus coexiſtunt, ſpatium ſit (§. 589 *Ontol.*); tot poſſibilia ſunt ſpatia, quot mundi, nonniſi autem unum actuale (§. 792), quemadmodum unus tantummodo exiſtit mundus (§. 127). Quodſi mundi iſti exiſterent, eodem, quo ante (§. 1051), modo oſtenderetur, Deum eſſe rebus omnibus in ipſis exiſtentibus præſentem, conſequenter præſentia divina in omnibus iſtis ſpatiis poſſibilis. Atque hæc præſentiæ divinæ poſſibilitas in mundo omni poſſibili eſt id, quod a Scholaſticis præſentia in ſpatiis extramundanis imaginariis appellatur. Rite adeo intellecta tantum abeſt, ut vel abſurda dicatur, vel inter ſteriles nugas referatur, ut potius notionem omnipræſentiæ reddat ſublimiorem, quemadmodum notio omnipotentiæ divinæ, imo & omniſcientiæ auguſtior evadit, ſi ea non tantummodo ad ea refertur, quæ ad actum perducuntur, verum etiam ad cetera, quæ in ſtatu nudæ poſſibilitatis permanent. Quæ igitur laudantur in ceteris attributis divinis, cur reprehendi debent in omnipræſentia? Studio talia inculcamus, ut excitemus eorum attentionem, qui præcipitantiæ in judicando facile dant locum, ubi præcipitata judicia ſpeciem acuminis blandientis præ ſe ferunt.

§. 1055.

Omnipræſentia divina.

Deus eſt omnipræſens. Etenim Deus totus intime præſens toti mundo & ſingulis partibus omnibuſque animabus (§. 1048. 1051). Cumque præſens ſit omni creaturæ (§. 1046); ſi ceteros mundos poſſibiles ad actum perducere vellet (§. 352), quemadmodum poteſt (§. 342), nonniſi creaturas com-

ras complexuros (§. 777), eodem modo præſens ſingulis futurus intelligitur. Præterea creaturæ omnes Deo per eminentiam præſentes ſunt (§. 1053). Nullum adeo concipi poteſt ens ut actu exiſtens, cui non præſens intelligatur Deus, & quod eidem non præſens eſſe debeat per eminentiam. Quamobrem cum omnipræſens ſit, cujus præſentia ad omnia entia, a ſe diverſa, extenſa (§. 1054); Deus omnino omnipræſens eſt.

Patet ex demonſtratione propoſitionis præſentis, præſentiam Dei in ſpatiis imaginariis extramundanis, diſtincte explicatam, demonſtrationem omnipræſentiæ divinæ ingredi.

§. 1056.

Magnitudo præſentiæ divinæ.

Præſentia Dei omnium maxima eſt, quæ concipi poteſt. Etenim Deus totus intime præſens eſt toti mundo & totus ſingulis, quæ in eodem exiſtunt (§. 1048. 1051): imo cum omni creaturæ præſens eſſe debeat (§. 1046), & potentia ejus ad omnia extendatur (§. 343); nullum ens præter ipſum concipi poteſt tanquam exiſtibile, aut producibile, cui non præſens eſſe debere intelligatur, quamprimum exiſtit. Quamobrem cum præſentia major concipi non poſſit, quam ſi ens aliquod totum intime præſens eſt omnibus ceteris a ſe diverſis, præſentia tum omnem limitationem reſpuente; præſentia Dei utique omnium maxima eſt, quæ concipi poteſt.

Patet adeo, Deo convenire præſentiam, qualis eſſe debet entis, quod omnem prorſus limitationem reſpuit quoad ea, quæ de ipſo prædicantur.

§. 1057.

Præſentia divina ſucceſſionis neſcia, ſeu ſimultanea.

Deus totus ſimul præſens eſt rebus omnibus. Etenim Deus totus intime præſens eſt mundo toti & ſingulis, quæ in eo ſunt (§. 1048. 1051), & res omnes per eminentiam ipſi præſentes ſunt (§. 1053). Quamobrem nihil concipi poteſt, cui non ſit præſens, & quod ipſi præſens non ſit, ſeu cui demum præſens fieri, aut quod ipſi præſens fieri poſſit. Præſens igitur eſt totus omnibus ſimul rebus.

Patet adeo, Deo convenire præſentiam, qualis eſſe debet entis infiniti, in quo ſunt omnia ſimul, quæ eidem ineſſe actu poſſunt (§. 838 *Ontol.*). Patet autem ex demonſtrationibus ſuperioribus (§. 1046), Dei præſentiam pendere ab iis, quæ ipſi inſunt, nempe ab actu conſervatorio.

§. 1058.

Deo repugnans localis motus.

Deus non poteſt moveri de loco in locum. Deus enim non eſt in loco (§. 1036). Quamobrem cum motus ſit continua loci mutatio (§. 642 *Ontol.*); nec locum continuo mutando moveri poteſt. Enimvero quamvis ſit ut in loco (§. 1052), adeoque ipſemet quidem in loco non exiſtens, præſens tamen ſit rebus in loco exiſtentibus (§. 1044): quoniam tamen rebus omnibus totus ſimul præſens eſt (§. 1057) & quidem intime (§. 1051), ut nihil in iis concipi poſſit tanquam ab ipſis, vel ab aliis ad eas ſimul pertinentibus diverſum, cui totus præſens non ſit (§. 1050); nec fingere licet, quod deſinat eſſe ut in loco aliquo, & eſſe incipiat ut in loco alio, conſequenter ut ſucceſſive ſit ut in loco alio. Atque adeo patet nullo modo dici poſſe, quod Deus de loco in locum moveatur.

In eo

In eo adeo differt præſentia Dei a præſentia noſtra, quod non quemadmodum nos de loco in locum moveri teneatur, ut ſucceſſive præſens fiat aliis aliiſque rebus, ſed quod ſimul totus ſit præſens rebus omnibus, præſens extiturus pluribus, ſi plures creare vellet, & ita exiſtens ut in loco quocunque, ut etiam extra eum exiſtat. Patet itaque de præſentia Dei cogitaturos imaginem præſentiæ noſtræ ſeponere debere, ne per ſe clara tenebris involvantur.

§. 1059.

Rectitudo actionum divinarum.

Actiones Dei liberæ omnes rectæ ſunt. Etenim cum actiones liberæ ab arbitrio Dei ſeu liberrima ejus voluntate pendeant (§. 913), adeoque rationem ſufficientem in eadem agnoſcant (§. 851 *Ontol.*), conſequenter poſito actu voluntatis divinæ ponantur (§. 118 *Ontol.*), vel ſint ipſi actus liberrimæ voluntatis divinæ (§. 567), Deus vero velit, quæ ipſum decent (§. 335); actiones liberæ omnes Deum decent. Quamobrem cum ipſum deceat, cujus aliqua in iis, quæ ipſi inſunt, ſeu in eſſentia vel attributis ipſius continetur ratio, cur id potius velle debeat, quam aliud (§. 332); actionum liberarum ratio aliqua in iis, quæ ipſi inſunt, ſeu in eſſentia vel attributis ipſius contineri debet. Quamobrem cum actio libera ſit recta, quæ rationem aliquam, aut, quod perinde eſt, reſpectu libertatis ſufficientem habet in eſſentia & attributis agentis, neque adeo ulli determinationi eſſentiali vel attributo contradicit (§. 950); actiones Dei liberæ omnes rectæ ſunt.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Cum actiones Dei liberæ vel ſint ipſimet voluntatis ejus liberrimæ actus, vel ab iis minimum pendeant, quemadmodum ex demonſtratione anteriore patet; Deus vero velit quod perfectionibus divinis ſeu, quod perinde eſt, eſſentiæ ac attributis divinis convenit; quod vero iiſdem repugnat, id ut velit fieri nequit (§. 445): actiones Dei liberæ eſſentiæ & attributis ejus conveniunt, iiſdem vero repugnare nequeunt. Quoniam adeo per Dei eſſentiam & attributa ejuſdem intelligitur, cur hæ ſint ipſius actiones liberæ non aliæ, oppoſitæ eſſe nequeant; ratio earum ſufficiens in eſſentia & attributis divinis continetur (§. 56 *Ontol.*). Quoniam itaque actio libera recta eſt, ſi rationem ſufficientem (qualis nempe ad actiones liberas ſufficit, ubi agens ſemetipſum citra coactionem externam & internam ad volendum determinat) in eſſentia & attributis agentis habet (§. 950); actiones Dei liberæ omnes rectæ ſunt.

Probe notandum eſt, undenam naſcatur rectitudo actionum divinarum, nimirum ab eſſentia & attributis divinis, & quomodo inde naſcatur ſalva libertate, nimirum ut eſſentiales determinationes & attributa divina ſint tantummodo motiva earundem, quæ libertati minime nocere conſtat (§. 931 *Pſychol. empir.*). Scilicet ſi actio aliqua refertur ad Deum, tum neceſſario eſſentiæ atque attributis ejuſdem vel convenit, vel non convenit (§. 53 *Ontol.*), atque adeo rectitudo eſt quidpiam eidem intrinſecum, nec arbitrio demum ei inducitur. Aſt nulla adeſt coactio interna, vel externa, cur Deus id velit potius quod rectum eſt, quam quod rectum non eſt; ſed ſemetipſum ad id, quod rectum eſt, determinat, cum phyſice impoſſibile non foret, ut voluntatem ſuam quoque determinaret ad id, quod rectum non eſt. Hæc igitur probe notanda ſunt, ut ſuo loco rectius de actionum humanarum intrinſeca honeſtate ac turpitudine judicetur, & ut agnoſcatur, quomodo liberrime faciat, quod rectum eſt, qui nollis præjudiciis & cupiditatibus noxiis præpeditum habet animum.

§. 1060.

Rectitudo actionum divinarum quomodo æſtimanda.

Actionum divinarum rectitudo æſtimanda ex eſſentia & attributis divinis omnibus ſimul ſumtis. Etenim actiones divinæ rectæ ſunt, quatenus nullæ determinationi eſſentiali vel attributo contradicunt (§. 950). Enimvero ſi actionis alicujus rectitudo tantummodo æſtimaretur ex uno vel aliquot attributis divinis, vel ex una aut altera determinatione eſſentiali, neglectis ceteris; fieri poterat, ut uni vel alteri determinationi eſſentiali contradiceret, veluti ſi bonitati quidem aut omnipotentiæ conveniret, ſapientiæ tamen aut omniſcientiæ repugnaret, conſequenter recta dici non poſſet. Æſtimanda igitur eſt ex omni eſſentia & omnibus attributis divinis.

Patet adeo, cur ſubinde actiones Deo tributæ non modo in Theologia naturali, verum etiam in ipſa Sacra Scriptura nonnullis videantur minus rectæ; eas nimirum referentes ad attributum Dei unum, ſepoſitis ceteris, quorum non minus habenda eſt ratio. Caute igitur procedendum, ne temerariis judiciis in ſanctitatem Dei ſimus injurii.

§. 1061.

Difficultas judicii de rectitudine actionum divinarum.

Rectitudo actionum divinarum a nobis difficulter dijudicatur; ſæpius tamen ſatis probabiliter cognoſcitur. Etenim rectitudo actionum divinarum æſtimanda eſt ex convenientia cum ſingulis determinationibus eſſentialibus & attributis divinis (§. 1060). Enimvero quid Deus velit, adeoque libere agat, ex convenientia cum attributis divinis difficulter a nobis cognoſcitur; ſæpius tamen probabiliter cognoſci poteſt (§. 446). Quamobrem cum in dijudicandis actionibus Dei liberis omnis quæſtio reddat ad hoc quid Deus velit; rectitudo actionum divinarum a nobis difficulter dijudicatur; ſæpius tamen probabiliter cognoſci poteſt.

Duplicem uſum habet propoſitio præſens, alterum, ut arceantur temeraria de actionibus Dei judicia; alterum, ut excitetur attentio ad inquirendas earundem rationes & via, qua in iis indagandis ſit eundum, pateat.

§. 1062.

Conſtantia & perpetuitas voluntatis quid ſit.

Conſtantia voluntatis eſt immutabilitas actus ejus in dato caſu, ſeu quoad actionem unam. *Perpetuitas voluntatis* eſt identitas actus ejus in omni caſu, ſeu quoad omnes actiones.

E. gr. Ponamus nos velle, quod æquum eſt in dato aliquo negotio. Conſtans dicenda erit voluntas, ſi nullis rationibus nos adduci patiamur, ut contrarium velimus. Aſt eadem dicenda erit perpetua, ſi in nullo negotio velimus, niſi quod æquum eſt, ita ut nos ſemper æquos præbeamus aliis.

§. 1063.

Sanctitas quid ſit.

Sanctitas eſt conſtans & perpetua voluntas non faciendi, niſi quod rectum eſt.

Notionem hanc eſſe uſui loquendi conformem, vel ex eo patet, quod ſanctum eſſe negemus, in cujus actionibus aliquis quoad rectitudinem actionum defectus notetur, & probaturi, quod ſanctus non ſit, defectus actionum commemoremus.

§. 1064.

Qualis ſit ſanctus.

Quoniam conſtantia voluntatis eſt immutabilitas actus ejus in dato caſu, & perpetuitas identitas ejuſdem in caſu omni (§. 1062), ſancto autem voluntas conſtans atque perpetua eſt non faciendi niſi quod rectum eſt (§. 1063);

qui

qui ſanctus eſt, & ſemper facere vult, quod rectum eſt, & nullo in caſu ſe a propoſito ſuo dimoveri patitur, ut faciat quod rectum non eſt.

Clare adeo jam intelligitur, qualem ſe probet ſanctus in actionibus ſuis: quod uſui eſſe poteſt, ne quis ſibi ſanctus videatur, cum non ſit.

§. 1065.

Summa Dei ſanctitas.

Deus eſt ſanctiſſimus, ita ut ſanctitatem divina majorem concipere non detur. Etenim actiones Dei liberæ omnes rectæ ſunt (§. 1059), adeoque nulla earum datur, in qua aliquis notetur defectus. Quamobrem nullo dubitari poteſt modo, quin Deus ſemper velit, quod rectum eſt, eumque voluntas ipſius ſit immutabilis (§. 368), nec fieri poteſt, ut ab eo, quod rectum eſt, ullo modo vel tantillum dimoveatur. Quoniam itaque voluntas ipſi conſtans & perpetua eſt non faciendi niſi quod rectum eſt (§. 1062), ſanctus vero eſt, cui voluntas conſtans & perpetua non faciendi niſi quod rectum (§. 1063); Deum eſſe ſanctum conſtat. Et quia impoſſibile eſt, ut in ſanctitate quid deſideretur, ſi omnes actiones liberæ fuerint rectæ, nec minima in ulla a recto notetur deviatio, & agens ita velit quod rectum eſt, ut nunquam fieri poſſit, quin ab eo vel tantillum quibuſcunque rationibus abducatur, quemadmodum id patet de ſanctitate divina *per demonſtrata*; quod Deus ſit ſanctiſſimus, ita ut ſanctitate ipſius majorem concipere non detur, evidentiſſimum eſt.

Rectitudo voluntatis deficit vel ex parte intellectus, quatenus agens ignorat, quid rectum ſit, vel ex parte appetitus, quatenus ob rationes extrinſecas, quæ ipſi contrarium repræſentant tanquam appetibile, quod rectum agnoſcit, non vult. Neutrum in Deo locum habet. Omniſcius enim intime perſpicit, quid ſit rectum, ut ejus de actionis rectitudine judicium ne tantillo quidem a vero aberrare poſſit. Voluntas ejus non fertur niſi in optimum, adeoque voluptatum apparentium illecebris non flectitur in contrarium, quemadmodum humana. Nihil adeo in Deo quod obſtet, quo minus ſit ſanctiſſimus. Ceterum cum voluntas in eo concipiatur per modum actus, non per modum potentiæ nudæ ſeu facultatis (§. 356), ſanctitas vero ſit voluntas conſtans & perpetua non faciendi niſi quod rectum eſt (§. 1063); ideo patet, cur voluntas Dei dicatur ſancta & ſanctiſſima. Sane virtutes morales etiam de humana voluntate prædicantur *in concreto*: unde qui caſtus eſt, ei caſtam tribuimus voluntatem.

§. 1066.

Qualem Deus ſe geſſerit in creatione, qualem ſe gerat in conſervatione & gubernatione univerſi.

Deus ſanctiſſimum ſe probavit in creatione, ſanctiſſimum probat in conſervatione & gubernatione rerum. Etenim Deus ſanctiſſimus eſt, ita ut ſanctitatem divina majorem concipere non detur (§. 1065). Quamobrem cum ſanctiſſimus ſit, quatenus in rectitudine actionum ipſius nullus notatur defectus (§. 1064), creatio vero (§. 760), conſervatio (§. 843) & gubernatio ſunt actiones divinæ (§. 900 & ſeqq.); nec in creatione, conſervatione & gubernatione hujus univerſi defectus ullus notari poteſt, adeoque & in hiſce quin ſe ſanctum probet, dubitari nequit.

Probari etiam poterat hoc modo. Omnis actio Dei recta eſt (§. 1059), conſequenter & creatio, conſervatio & gubernatio hujus univerſi (*§. ante cit.*). Quamobrem cum ſanctiſſimum ſe probet, qui nunquam facit, niſi

quod rectum eſt (§. 1064); Deus in creatione, conſervatione & gubernatione hujus univerſi ſanctiſſimum ſe probat.

§. 1067.

Juſtitia quid ſit. Bonitas ſapientiæ attemperata, aut, temperamentum bonitati vi ſapientiæ adhibitum eſt *Juſtitia*. Ut adeo *Juſtus* ſit, qui bonitatem ſapientiæ attemperat, ſeu temperamentum bonitati vi ſapientiæ adhibet.

Non ignoro eſſe plurimos, qui cum juſtitiam concipiant per virtutem, qua jus alteri ſuum redditur, & juſtitiam vindicativam per eam, qua benemeriti præmiis decorantur, male facientes puniuntur, facile & ſibi, & aliis perſuadent ſignificatum vocabuli receptum a nobis immutari, nec ea, quæ de viro juſto prædicantur omnium conſenſu, ea noſtra definitione deduci poſſe. Imo qui ad criminandum prono ſunt animo, per definitionem noſtram juſtitiam Dei vindicativam tolli argutantur: unde conſequentiarii porro inferunt, tolli meritum Chriſti & omnem religionem chriſtianam funditus ſubverti. Atat! bona verba, quæſo. Quicquid de juſtitia vel communiter prædicatur, vel de juſtitia Dei, etiam vindicativa, enuntiatur; id omne, modo verum ſit, ea noſtra definitione demonſtratur. Dabimus fidem oculatam, non modo in ſequentibus quoad ea, quæ Deum concernunt; verum etiam ſuo tempore in philoſophia practica: imo ea, quæ communibus juſtitiæ notionibus inſunt, inde deducentur. Inprimis clariſſime conſtabit, quomodo Deus eſſe poſſit juſtus erga creaturas, etſi iis nil debeat. Definitionem juſtitiæ damus generalem eamque realem, quæ ambitu ſuo & humanam, & divinam omnem complectitur, ita ut a priori intelligatur, cur inſit ſive Deo, ſive homini. Imo in philoſophia practica juſtitia univerſalis, ab Interpretibus *Ariſtotelis* non ſatis perſpecta, in omnibus omnino hominum actionibus conſpicua ſingulari quadam ratione ſtabilietur, ita ut non confundatur cum virtutibus ceteris, quarum complexum vulgo denotare dicitur, ſed ſingulis virtutibus quidpiam addat, quod vulgo non attenditur, quatenus in omnibus actionibus aliorum quoque habenda ratio eſt, ita ut ſine juſtitia nullius actionis rectitudo omnimoda concipi queat. Utinam eruditi ad intelligendum aliorum dicta, quam ad reprehendendum proniores eam diligentiæ ſuæ partem in intelligendo utiliter collocarent, quam in reprehendendo inutiliter, nec citra aliorum injuriam minime condonandam conſumunt! Sed demus exemplum juſtitiæ, qua definitio noſtra illuſtretur, ut idea quædam exemplaris in animo naſcatur, ad eam rectius intelligendam ac promte applicandam proficua. Magiſtratus, cui finis civitatis ſalus & tranquillitas ac ſecuritas publica ſuprema lex eſt, per bonitatem fertur in ſalutem omnium civium, quibus ſingulis bene eſſe cupit: enimvero ne ſingulis conſulat cum detrimento univerſitatis, vi ſapientiæ finem civitatis conſecuturus in eos, qui delinquunt, ſi hi iſti contrarium facientes, ſevere animadvertit, prout finis illius conſervatio neceſſitatem imponit. Nemo non dicit animadverſionem eſſe juſtam, nec ſeveritatis nimiæ ac crudelitatis notam inurit Magiſtratui, cujus alias lenitatem atque clementiam deprædicat. Enimvero quid, quæſo, facit Magiſtratus, dum hoc pacto ſe juſtum probat? Nonne bonitatem ſapientiæ attemperat, & exceptiones contra bonitatem ſapientia elidit? Non alia igitur de cauſa juſtus dicitur, quam quatenus temperamentum bonitati vi ſapientiæ adhibet, adeoque in hoc temperamento, quæ eidem tribuitur, juſtitia conſiſtit. Ecce igitur tibi, notionem juſtitiæ generalem, quam dedimus, ab ipſo exemplo juſtitiæ vindicativæ abſtrahi: id quod ſatis de univerſalitate notionis teſtatur, inſunt enim univerſalia ſingularibus (§. 232 *Ontol.*), & determinationes generales ſingulis ſpeciebus (§. 257 *Ontol.*).

§. 1068.

Reſpectus actionis ad alios directus & indirectus. *Actio alium reſpicit directe*, quæ fit alterius gratia; *indirecte* autem, quæ cum alterius gratia non fiat, alterius tamen ſimul rationem habet.

Diſtinguimus hic actionum liberarum reſpectum ad alios directum & indirectum non ſine ratione. Directus enim eſt fundamentum juſtitiæ particularis, indirectus univerſalis, quemadmodum ſuo loco explicabitur. E. gr. ſi quis termino ſolutionis comparente promte ſolvit, quod debet; ſolutio directe reſpicit alterum: ejus enim gratia fit, nimirum ut juſto tempore accipiat, quod ſuum eſt, nec conquerendi cauſam habeat, quod ſuum ſit penes alium. Enimvero ſi parens modice bibit vinum in prandio, quod certa quantitate hauſtum ſanitati ſuæ conducere expertus, ſanitatis conſervandæ gratia; modicus vini hauſtus in

prandio

prandio directe non reſpicit alterum, ſed ſemetipſum. Enimvero quatenus exemplo ſuo docet liberos menſæ ſimul accumbentes, non eſſe hauriendum vinum, niſi quod ea, qua hauritur, quantitate ſanitati conducere experti ſumus & motivum ſimiliter faciendi inſtillat; modicus vini hauſtos reſpicit liberos, adeoque alios, ſed indirecte. Per hanc ideam, quæ animo ingeneratur exemplo dato, acutiores quaſi per tranſennam conſpiciunt juſtitiam univerſalem per omnes omnino actiones liberas diffuſam, ſuo loco explicandam diſtinctius.

§. 1069.

Juſtitia circa quas actiones verſetur.

Juſtitia verſatur circa actiones alios vel directe, vel indirecte reſpicientes, ſeu juſti ſumus erga alios. Etenim qui juſtus eſt, bonitatem ſapientiæ attemperat (§. 1067). Quoniam bonitas in pronitate ad aliorum perfectionem promovendam conſiſtit (§. 695); circa alios verſatur, non circa ipſum agentem, conſequenter actiones ejus, qui bonus eſt in alios, cum vel aliorum gratia fiant, vel ad alios tantum una dirigantur, juſtitia utique non verſatur circa actiones niſi quæ vel directe, vel indirecte reſpiciunt alios (§. 1068), adeoque erga alios juſti ſumus.

Equidem ſubinde quis injuſte erga ſeipſum quoque agere dicitur: etiam in vernacula noſtra dicere ſolemus, *er handelt ungerecht an ſich ſelbſt*, conſequenter juſtitia etiam admittenda videtur reſpectu ipſius agentis, ita ut nihil abſurdi inſit dictioni, quod juſtus ſit erga ſeipſum. Enimvero ſalvatur dictio non inutili, nec in aliis quoque caſibus philoſophiæ practicæ recepta fictione, qua hominem conſideramus tanquam diverſum a ſeipſo, quatenus animam quoad facultates ſuperiores ſpectatam conſideramus tanquam ens diverſum ab anima quoad facultates inferiores conſideratam & cum corpore ſuppoſitum conſtituentem, quemadmodum expreſſius docebitur ſuo loco.

§. 1070.

Summa Dei juſtitia.

Deus eſt juſtiſſimus, ita ut juſtitiam divina majorem concipere non liceat. Deus ſumme bonus, ita ut bonitatem majorem concipi repugnet (§. 699). Quoniam vero bonus eſt erga homines & creaturas ſuas omnes, quatenus iis bona confert (§. 696), tantundem autem enti cuicunque boni confert, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698); bonitatem ſuam ſummam ſapientiæ attemperat itidem ſummæ, ut ea majorem concipi repugnet (§. 640). Quamobrem cum bonitas ſapientiæ attemperata ſit juſtitia (§. 1067), neque adeo juſtitia major concipi poſſit, quam ſi bonitas ſumma, qua majorem concipi repugnat, attemperetur ſapientiæ ſummæ, qua itidem majorem concipere non datur; Deus eſt juſtiſſimus, ita ut juſtitiam divina majorem concipere non liceat.

Apparet adeo juſtitiam ex ceteris attributis divinis probari poſſe, etiamſi non ſupponatur Deus homini quicquam debere, aut eſſe homini aliquod jus, quod a Deo exigere poſſit, ita ut is eidem ad dandum quidpiam vel faciendum obligetur. Qui juſtitiam ſine iſtiuſmodi jure intelligi non poſſe tacite ſumunt; iis divina juſtitia ſæpiſſime ſuſpecta; unde deinceps naſcuntur querelæ, quod improbis omnia cedant ex voto, bonis vero ſit male. Iſtiuſmodi autem querelæ prorſus injuſtæ protinus evaneſcunt, ubi juſtitiam Dei per ſapientiam & bonitatem ejus concipis, quemadmodum omnem tandem juſtitiam etiam in hominibus concipi debere paulo ante inſinuavimus (*not.* §. 1067). Juſtitiæ notio cum reſolvatur in notionem ſapientiæ ac bonitatis, ſapientia vero & bonitas divina in perfectionem intellectus ac voluntatis Numinis; Logicæ peritus facile videt, juſtitiam divinam plene intelligi haud quaquam poſſe, niſi ab eo, qui probe perſpecta habet, quæ de intellectu & voluntate divina a nobis demonſtrata fuere, & quæ ex iis de ſapientia atque bonitate porro deduximus. Cui enim notionum reſolutio perſpecta eſt, is non ignorat, tamdiu notioni alicui obſcuritatis quidpiam relinqui, quamdiu notiones, in quas reſolvitur, omnes ante clare & diſtincte perce-

Digitized by Google

perceptas familiares non experimur. Ita enim influunt perceptioni, quatenus confuſa eſt ob limitatam animæ vim, quæ claritatem cauſantur, etſi nonniſi reſolutione facta ea adeſſe agnoſcamus: in caſu autem oppoſito, vel ex iis quædam deficiunt, unde obſcuritas; vel prorſus contraria tacite immiſcentur, unde contradictio latens naſcitur, non tollenda, niſi diſtincta notionum analyſi. Contradictio illa latens influit in aſſenſum, ut quandam in ſe repugnantiam ad aſſentiendum experiatur, qui eam non animadvertit, atque adeo minus recte ſuſpectam reddit notionem veritati conſentaneam, propterea quod illa repugnantia a natura intellectus derivatur, atque adeo vitium cognoſcentis tribuitur objecto cognoſcendo. Quæ modo diximus, non tantum de juſtitiæ notione tenenda ſunt, ſed de ceteris omnibus, quæ in alias reſolvuntur, nec immediate ab imaginibus abſtrahuntur, non ſuppoſitis in abſtrahendo, niſi quæ in imagine clare percipimus. Qui vero hæc probe perpenderit, is non mirabitur, ſi vel clariſſimæ non ſufficienter intelligantur ab aliis, nec evidentiſſimis aſſenſum præbeant alii: imo nec mirabitur, cur tirones, antequam notiones præcedentes omnes familiares experiuntur, in ſyſtematica tractatione, ubi omnia plana & perſpicua ſunt, multa tamen non recte intelligant. Unde eſt, quod ad cenſendum proniores, quam ad intelligendum, in affingendis erroribus luxurientur, cum propriis larvis pugnaturi & in ſciamachia victores lauream reportaturi.

§. 1071.

Juſtitia actionum divinarum.

Omnes Dei actiones, ſive directe, ſive indirecte reſpiciant creaturas, juſtæ ſunt. Etenim Deus juſtiſſimus eſt, ita ut ipſius juſtitia majorem concipi repugnet (§. 1070). Enimvero cum juſtitia verſatur circa actiones, quatenus vel directe, vel indirecte reſpiciunt alios (§. 1069); actiones juſtæ ſunt, quatenus a juſtitia proficiſcuntur, aut, ſi mavis, tales ſunt in relatione ad alios, quia agens juſtus eſt. Quamobrem patet, omnes Dei actiones juſtas eſſe, ſive directe, ſive indirecte creaturas reſpiciant.

Ex principio hoc generali haud difficulter deducuntur ſpecialiora, quorum quædam annotare lubet.

§. 1072.

Qualem Deus ſe gerat tanquam creator, conſervator & gubernator hujus univerſi.

Quicquid Deus fecit in prima rerum creatione, quicquid adhuc facit in earum conſervatione & gubernatione, juſtum & rectum eſt. Creatio (§. 760), conſervatio (§. 843) & gubernatio rerum actio divina eſt (§. 900 & ſeqq.), & quatenus ſive directe, ſive indirecte reſpicit creaturas, juſta (§. 1071). Creatio igitur, conſervatio & gubernatio rerum juſta & recta eſt. Enimvero actiones divinæ plures involvunt, ſeu noſtro ſaltem concipiendi modo, in plures reſolvuntur, quemadmodum ex iis patet, quæ de creatione, conſervatione & gubernatione rerum ſupra demonſtravimus. Unde porro conficitur, quicquid Deus in prima rerum creatione fecit, quicquid hodie in conſervatione & gubernatione earundem facit, id omne rectum ac juſtum eſſe.

Propoſitio hæc maximæ utilitatis in praxi morali, modo ſufficienter perſpectum fuerit, quid ſit rectum, quid ſit juſtum: vocabula enim non ſatis intellecta in appetitum minime influunt, influxu a claritate & evidentia pendente.

§. 1073.

Quod nihil fecerit, niſi quod rectum & juſtum in naturæ ordine.

Quoniam quicquid *Deus* in prima rerum creatione fecit, rectum & juſtum eſt (§. 1072), ipſo autem creationis actu, quo mundum hunc adſpectabilem produxit, naturæ quoque ordinem conſtituit (§. 765); *nihil fecit in ordine naturæ, quod non ſit rectum atque juſtum*, aut, *ſi mavis, quod non recte ac juſte fecerit.*

Patet

Patet igitur, qui naturæ ordinem cenſuræ ſubjiciunt, vel ea reprehendere audent, quæ naturæ ordine eveniunt, in ſanctitatem (§. 1065) & juſtitiam Dei eſſe injurios. Quod nobis ſubinde quædam minus recte, vel minus juſte fieri videantur, id vel inde eſt, quod hæc ipſa non ſatis a nobis cognoſcantur, vel quod rectitudinis ac juſtitiæ notionem non ſatis diſtinctam habeamus. Ad evitandam adeo temeritatem in judicando, praxi morali valde nocuam, rectitudinis & juſtitiæ notiones probe expendendæ.

§. 1074.

Directio malorum ad bonum finem cur ſit juſtitiæ divinæ.

Directio malorum ad bonum finem eſt juſtitiæ divinæ. Directio malorum ad bonum finem eſt bonitatis divinæ (§. 733), ſimul tamen a ſapientia divina proficiſcitur (§. 684). Quamobrem cum Deus mala ad bonum finem dirigit, bonitatem ſapientiæ attemperat. Quoniam itaque juſtus eſt, qui bonitatem ſapientiæ attemperat (§. 1067). Deus utique juſtus eſt, dum mala ad bonum finem dirigit, conſequenter malorum ad bonum finem directio eſt juſtitiæ divinæ.

Quivis facile admittit, Deum, quia juſtus eſt, mala dirigere ad bonum finem, modo ad exempla animum advertat, quale eſt illud Joſephi ſupra expenſum (§. 688). Ex noſtra definitione juſtitiæ id veluti ſua ſponte fluit, manifeſto indicio, eam a communi ſignificatu non recedere. Probatur enim termini diſtincte explicati ſignificatum eſſe uſui loquendi conformem, ubi oſtenditur, quæ per notionem communem de re prædicantur, ex notione data rite inferri. Ceterum propoſitione præſente docemur, ad juſtitiam divinam agnoſcendam prodeſſe ſcrutationem directionis malorum ad bonum finem, quæ nullis in juſtitiam divinam injuriis querelis concedet locum. Sane quicquid de juſtitia Dei ſpecialius demonſtramus, quemadmodum cetera omnia, non alio fine inculcamus, quam ut ſint uſui per univerſam praxin moralem. Quantum enim diſtincta & evidens attributorum & operum divinorum cognitio influat in praxin moralem, ſuo loco ſuoque tempore fidem dabimus oculatam.

§. 1075.

Cur ejuſdem ſit, quod hominem in mala ruere ſinat.

Juſtitiæ divinæ eſt, quod hominem in mala phyſica & moralia ruere ſinat. Neque enim repugnat bonitati divinæ, quod hominem in mala tam phyſica, quam moralia ruere ſinat (§. 725), nec ſapientia ſua ſalva id impedire poteſt (§. 726). Sapientiæ igitur bonitatem attemperat, dum eum in mala phyſica atque moralia ruere ſinit. Quoniam itaque juſtus eſt, dum bonitatem ſapientiæ attemperat (§. 1067); ideo juſte hominem in mala phyſica & moralia ruere ſinit, ſeu, quod perinde eſt, juſtitiæ divinæ eſt, quod hominem in mala phyſica & moralia ruere ſinat.

Quodſi animum advertere lubet ad exempla, quotidie ubivis obvia, rationes ſpeciales juſtitiæ divinæ patebunt. Sed noſtrum non eſt ad ea jam deſcendere. Sufficit enim tradidiſſe principia, quæ notionum directricium munere funguntur.

§. 1076.

Permiſſio mali moralis cur ſit juſtitiæ divinæ.

Juſtitiæ divinæ eſt permiſſio mali moralis, ſeu, *Deus malum morale juſte permittit*. Etenim Deus ſalva ſapientia ſua ſumma atque perfectiſſima mala moralia ex hac rerum ſerie tollere nequit (§. 676) & abuſum libertatis, quo malum morale irrepit in actiones liberas (§. 580), permittere ſapientiſſime decrevit (§. 714), nec hæc permiſſio bonitati ipſius repugnat (§. 722). Patet igitur Deum permittere malum morale, quatenus bonitatem ſapientiæ attemperat. Enimvero quatenus bonitatem ſapientiæ attemperat, juſtus

eſt (§. 1067). Juſtus igitur eſt, dum malum morale permittit, ſeu malum morale juſte permittit.

Cum jam ſæpe de permiſſione mali egerimus, & terminus etiam vulgo uſitatus ſit; neminem puto fore adeo temerarium, ne quid gravius dicam, ut inde inferat, nos malas actiones facere juris permiſſivi, ita ut Deus homini integrum reliquerit, utrum malum committere, an omittere velit. Superius enim jam oſtendimus, malum a Deo eſſe prohibitum (§. 990). Permiſſio igitur mali, de qua hic loquimur, phiſica eſt; minime autem moralis, quæ a lege oritur. Magnam inter utramque intercedere differentiam, clarius conſtabit, ubi in Philoſophia practica univerſali de jure permiſſivo acturi ſumus. Etenim permiſſio phyſica tollit tantummodo coactionem externam, ne quis invitus omittere cogatur, quod vult facere: aſt moralis, quæ dicitur, homini confert jus aliquid vel committendi, vel omittendi, & tertium obligat ad non impediendum agentem, qui ſuo jure utitur.

§. 1077.

Pœna quid dicatur.

Malum phyſicum ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet, ob malum morale eidem immiſſum *Pœna* dicitur.

Notio pœnæ ad philoſophiam practicam ſpectat, & ibidem evolvitur: ubi etiam patebit, cur non modo jus pœnarum competat ei, qui jus quoddam univerſale alterum obligandi habet, verum etiam cui jus iſtiuſmodi nonniſi particulare in caſu quoddam dato convenit. Conſultius videri poterat eam hic prorſus omitti, niſi de juſtitia vindicativa quædam tradenda fuiſſent, ne quæ alii loco reſervantur, a nobis negari dicantur. Id autem per ſe intelligitur, jus exigendi pœnam tam late patere, quam jus iſtud obligandi, unde oritur; ſed hæc omnia ſuo loco explicabuntur diſertius.

§. 1078.

Deum homines punire ob male facta.

Deus hominem ob male facta punit. Conſtat experientia, ex malo morali ſequi mala phyſica, alia quidem neceſſario, alia contingenter. Quoniam ea conſequuntur vi nexus rerum in hoc univerſo, vi cujus ratio ſequentium ſufficiens in antecedentibus continetur (§. 10 *Coſmol.*), adeoque poſitis antecedentibus conſequentia ponuntur (§. 118 *Ontol.*), nexus vero rerum ab abſoluta neceſſitate liber voluntate Dei liberrima conſtitutus eſt (§. 667); quin Deus velit ex malo morali ſequi illa mala phyſica, quæ quomodocunque inde ſequuntur, dubitandum non eſt. Et quoniam idem nexus rerum ſapientia divina conſtitutus (§. 666), vi cujus unum fit propter alterum (§. 689 *Pſychol. rat.*); quin Deus ideo mali phyſici participem eſſe velit eum, qui malum morale commiſit, ſimiliter dubitandum non eſt. Qui malum phyſicum alteri immittit ob malum morale jure ſuo alterum obligandi uſus, eundem pœna afficit (§. 1077). Quamobrem cum Deo competat jus obligandi homines ad actiones juxta voluntatem divinam componendas (§. 986), mala vero phyſica ob moralia hominibus immittat *per demonſtrata*; Deum punire hominem ob male facta patet.

Probe notandum eſt pœnarum numero eſſe, quæ inſunt rerum nexui. Qui enim juſtitiam Dei vindicativam negant, hoc minime agnoſcunt. Vociferationes illorum, qui per nexum rerum, & experientiæ, & rationi ſatis probatum, & in anterioribus a fatali & abſolute neceſſaria rerum concatenatione, quæ nomine *Fati Stoici* vulgo traducitur, ſatis diſcrevimus, pœnas omnes tolli clamant, merito contemnendæ, cum contrarium oſtenderimus, ex ipſo nimirum rerum nexu pœnas a Deo exigi ſolitas derivantes. Etſi autem ex principiis rationis demonſtrari minime poſſit præter eas pœnas, quæ inſunt nexui rerum, aliis etiam locum eſſe in altera præſertim vita, quæ a morte corporis initium capit, non tamen ideo negantur, cum juxta canonem vulgarem unius poſitio non ſit alterius excluſio. Sane qui prætendit omnia, quorum mentionem facit Sacra Scriptura, ex principiis rationis demonſtrari debere,

bere; is negare tenetur revelationem rationi impervia ſuperaddere, aut quæ rationi pervia ſunt, cum iis confundi jubet, quæ ſola revelatione innoteſcunt.

§. 1079.

Irrogatio pœnarum eſt juſtitiæ divinæ, ſeu Deus juſte punit male facientes. Ex demonſtratione propoſitionis præcedentis patet, pœnas, quibus Deus afficit homines ob male facta, ineſſe nexui rerum ſapientia divina conſtituto (§. 666). Enimvero Deus gubernat hoc univerſum, dum omnia inter ſe connectit (§. 901), adeoque quod puniat homines ob male facta (§. 1078), ad gubernationem hujus univerſi pertinet. Quamobrem cum juſtum ſit, quicquid Deus in gubernatione hujus univerſi facit (§. 1072); juſte quoque male facientes punit, ſeu pœnarum irrogatio juſta eſt.

Juſtitia Dei in puniendo.

Qui hebetiores ſunt, quam ut de Deo divino, non humano modo cogitare poſſint, pro pœnis non agnoſcunt mala phyſica, quæ in nexu rerum continentur, conſequenter reipſa omnes pœnas temporales tollunt, etſi ipſimet quid faciant non intelligant. Sed condonanda eſt ἀβλεψία ab impietate remota. Ceterum hic repetenda ſunt, quæ ſupra (*not.* §. 901) annotavimus, ubi demonſtravimus gubernationem divinam in ipſo rerum nexu contineri. Nemo non largitur, pœnarum irrogationem ad gubernationem univerſi pertinere. Quamobrem ſi abſurdum non eſt, ſed potius attributis divinis conforme, quod in rerum nexu contineatur gubernatio, imo omnis providentia divina; nec abſurdum videri debet, quod in eodem nexu pœnæ corporales, tam naturales, quæ ex actionibus neceſſario conſequuntur, quam poſitivæ, quæ ob circumſtantias contingentes inde reſultant, etiam contineantur. Quæ vero Sacra Scriptura de pœnis æternis docet, ea non ſunt hujus loci, cum ad ea pertineant, quæ rationi impervia revelatio ſuperaddit Theologiæ naturali.

§. 1080.

Juſtitia vindicativa dicitur, qua pœnæ decernuntur & irrogantur male facientibus.

Ita ad juſtitiam vindicativam in civitate refertur ſanctio pœnalis, quæ legibus prohibitivis adjungi ſolet, ut a delictis pœnarum metu abducantur ad ea committenda proclives.

Juſtitia vindicativa quid ſit.

§. 1081.

Deo competit juſtitia vindicativa. Etenim Deus punit homines ob male facta (§. 1078) & quatenus hoc facit, juſtum ſe probat (§. 1079), adeoque punit malum, quia juſtus eſt. Enimvero pœnas decernere & in delinquentes ſtatutas exequi juſtitiæ vindicativæ eſt (§. 1080). Patet itaque Deo convenire juſtitiam vindicativam.

Juſtitia vindicativa Deo competit.

Vides ergo juſtitiam Dei vindicativam ex definitione juſtitiæ, quam dedimus (§. 1067), fluere, modo demonſtrationes in ſua principia remota reſolvere didiceris, ut adeo vanus ac irritus ſit eorum conatus, qui ob ἀβλεψίαν, qua laborant, ſibi & aliis perſuadere conantur, per eam tolli juſtitiam vindicativam. Diſcant igitur poſthac cautius mercari homines ἀφιλόσοφοι, nec ſibi judicium ſumant de iis, quæ horizontem ipſorum tranſcendunt, ne in veritatem fiant injurii, etſi leve videatur quavis per malitiam injuria afficere philoſophos. Salutaria monita nullibi cenſenda intempeſtiva.

§. 1082.

Juſtitia vindicativa Deum decet. Malum morale Deo placere nequit (§. 588), adeoque diſplicet. Enimvero cum juſtitia vindicativa, quæ ipſi competit (§. 1081), male facientibus pœnas decernat, eaſque exequatur (§. 1080), malum vero morale, quod actionibus liberis inhæret (§. 374), in imperfectione accidentali conſiſtat (§. 577) & perfectioni eſ-

Juſtitia vindicativa cur Deum deceat.

Digitized by Google

ſentiali contrarietur (§. 578); ex juſtitia vindicativa intelligitur, Deum ex actionibus malis tædium percipere (§. 518 *Pſychol. empir.*), adeoque malum morale, ob quod eædem malæ dicuntur (§. 374), eidem diſplicere (§. 542 *Pſychol. empir.*). Manifeſtat igitur juſtitia vindicativa mali moralis diſplicentiam, fini ultimo, quem per exiſtentiam hujus univerſi intendit (§. 629), conſequenter ſapientiæ, qua gaudet (§. 640), ſummæ convenientet (§. 689 *Pſychol. rat.*). Quoniam itaque Deum decet, cujus ratio continetur in iis, quæ ipſi inſunt, cur id potius velle debeat, quam aliud (§. 332); juſtitiam vindicativam Deum decere patet.

Qui ſibi imaginantur, quaſi dedeceat Deum juſtitia vindicativa; eam bonitati divinæ adverſam judicant, vel cum cupidine vindictæ vitioſis hominum affectibus debita inopportune comparant, obliti ſapientiæ ſummæ, ac intellectus & voluntatis ſummæ perfectionis, unde eam pendere ſatis ſuperque ex ſuperioribus conſtat, modo nexum veritatum ex demonſtrationibus conſpicuum intime perſpexeris. Quæ igitur ſapientia ſumma ſuadet, etſi animum ab eadem non ſufficienter intellecta avertenti videantur dura, dura non ſunt, nec bonitati ſummæ quicquam derogant. Lenitas in Principe non laudatur, qui furta & latrocinia impune graſſari permittit, ut, qui ſecuritatis gratia in civitatem coiverant, ab aliorum injuriis ſecuri non ſint. Defectu ſapientiæ cenſuram incurrit, qua quicquid facit ad finem civitatis dirigere debebat. Mutat bonitas ſpeciem, niſi cum ſapientia in concordiam redeat, ut juſtitiæ locus ſit (§. 1067).

§. 1083.

Convenientia juſtitiæ vindicativæ cum ſanctitate Dei. *Juſtitia vindicativa convenit ſanctitati divinæ*, ſeu *Deo tribuenda*, *quia ſanctiſſimus eſt*. Etenim cum Deum deceat (§. 1082); cur male facientes punire potius velit, quam impunitos relinquere, in iis, quæ ipſi inſunt, ſeu in eſſentia & attributis ejuſdem ratio continetur (§. 332. 1080). Quamobrem cum actio recta ſit, quæ rationem ſufficientem in eſſentia & attributis agentis habet (§. 950); dum Deus punit male facientes juſtitiæ vindicativæ locum faciens, quod rectum eſt, facit. Quamobrem cum ſanctiſſimus ſit (§. 1065), quatenus nunquam facete vult, niſi quod rectum eſt, nec unquam ſe a propoſito ſuo dimoveri patitur, ut, quod rectum non eſt, faciat (§ 1064); juſtitia vindicativa ipſi tribuenda, quia ſanctiſſimus eſt, adeoque ſanctitati ejus ſummæ convenit.

Propoſitio hæc probe notanda, ut ſanctitatem Dei in juſtitia vindicativa tremebundi veneremur, quemadmodum ſuo loco clarius docebitur. Multa adhuc de juſtitia vindicativa Dei demonſtrari poterant; ſed cum ea pateant per theoriam hujus juſtitiæ generalem alibi tradendam, prolixiores jamjam eſſe nolumus.

§. 1084.

Summa, qua Deus perenniter fruitur, voluptas. *Deus maxima fruitur voluptate, qua major concipi nequit, & quæ nulli creaturæ communicari poteſt, & quidem perenniter*. Etenim Deus ſpiritus perfectiſſimus eſt (§. 387), & ſemetipſum cognoſcit atque poſſibilia omnia (§. 141), tam in ſe ſpectata, quam in certa ſyſtemata redacta (§. 155), & quidem prorſus diſtincte, nihil confuſe (§. 156), ac intuitive (§. 207), cum veritatibus omnibus univerſalibus (§. 162). Omnem adeo perfectionem poſſibilem, non modo ſummam ſui ipſius, verum etiam rerum ceterarum omnium quarumcunque ſimul intuetur. Quamobrem cum intuitiva perfe-

perfectionis cognitio fit voluptas (§. 511 *Pſychol. empir.*), & gradus voluptatis pendeat partim a gradu perfectionis (§. 516 *Pſychol. empir.*), partim a certitudine cognitionis (§. 517 *Pſychol. empir.*); Deus fruitur voluptate maxima, qua major concipi nequit, & quæ creaturæ nulli communicari poteſt.

Eſt vero Deus immutabilis (§. 1009), conſequenter & intuitus perfectionis ſuæ ſummæ ac reliquæ omnis poſſibilis perennis eſt. Unde patet, ſummam iſtam, qua fruitur, voluptatem perennem itidem eſſe.

Voluptas illa, qua Deus fruitur, ab ea, cujus nos participes fieri poſſumus, prorſus diverſa eſt. Hujus enim perceptionem nonniſi confuſam habemus, quemadmodum plerarumque qualitatum ſenſibilium, ita ut nominali quadam definitione eam explicare nequeamus. Aſt in Deo nulla perceptio confuſa locum habet, ut adeo voluptas ejus nobis ſit prorſus ineffabilis. Quatenus tamen in nobis ex intuitu perfectionis voluptas oritur, & Deo denegari nequit intuitus omnis perfectionis poſſibilis, præſertim ſummæ perfectionis, quæ ipſi propria eſt ac enti nulli communicari poteſt, quin ei per eminentiam tribuamus voluptatem fieri haud quaquam poteſt, etſi eandem explicare minime valeamus.

§. 1085.

Beatitudo eſt non impeditus progreſſus ad majores in diem perfectiones. *Beatitudo quid ſit.*

Nemo non beatum appellat, qui omni bonorum genere affluit, ita ut bona apparentia cum veris confundentes beatum prædicent, qui multarum opum ac honoris multi ſit particeps. Oſtendemus ſuo loco & ex alibi dictis (§. 554 & ſeqq. *Pſychol. empir.*) jam intelligitur, vera bona hominis non conſiſtere niſi in perfectionibus præſertim animæ, ita ut fortunæ bona, quæ dicuntur, in eorum cenſum non veniant, niſi quatenus ad perfectiones animæ atque corporis, vel conſequendas, vel conſervandas, vel augendas conducunt. Quamobrem ſi ex veritate de beatitudine, qualis in hominem cadit, ſtatuendum, eam concipere non licet niſi per progreſſum minime impeditum ad majores in diem perfectiones. Unde Ethica, quæ media præſcribere debet ad beatitudinem perveniendi, docet, quomodo animæ ac corporis & utriuſque gratia ſtatum quoque noſtrum externum perficere debeamus, & quomodo eandem operam pro virili etiam aliis præſtare queamus. Nulli igitur dubitamus, qui ad notionem beatitudinis uſui loquendi non minus, quam veritati conſentaneam inveſtigandum diligentiam acumini junctam attulerint, facile nobiſcum in ea definienda conſenſuros.

§. 1086.

Quoniam beatitudo in non impedito progreſſu ad majores in diem perfectiones conſiſtit (§. 1085); *Beatitudo tanto major eſt, quanto majores ſunt perfectiones, ad quas progreſſus non impeditur.* Et quia ubi duo ad eundem progrediuntur perfectionis gradum, differentia non contemnenda, ſi unius progreſſus minus impeditur, quam alterius; *Beatitudo* quoque *major dicenda, ſi progreſſus ad majores in diem perfectiones minus impeditur, quam ſi magis impeditur*: ſit ita, quod beatitudini videatur extrinſecum. *Beatitudinis gradus.*

Ea hiſce principiis ſuo loco in philoſophia practica univerſali deducentur, quæ de beatitudine humana cognitu neceſſaria atque utilia, & in philoſophia morali derivabuntur, quæ ad beatitudinem conſequendam conducunt. Ad ea vero hic animum adverti oportet, ut beatitudinem ſummam concipiamus.

§. 1087.

Summa beatitudo conſiſtit in non impedita poſſeſſione ac fruitione perfectionum abſolute ſummarum. Etenim gradus beatitudinis tanto ſunt majores, quan- *Summa beatitudo in quo conſiſtat.*

ro majores ſunt perfectiones, ad quas non impeditur progreſſus (§. 1086). Quamobrem ſi quod ens perfectiones poſſidet abſolute ſummas, quibus majores concipi repugnat, non datur ultra progreſſus, adeoque beatitudo eum terminum attigit, quo ulterior non datur. Quoniam itaque ulterius progredi non licet, beatitudo in progreſſu ad majores perfectiones conſiſtere amplius nequit: quia tamen minus beatus foret, qui ad minores perfectiones regreditur, neceſſe eſt ut conſtanter conſervetur ſumma perfectio. Unde liquet beatitudinem ſummam, qua ſcilicet majorem concipi repugnat, non poſſe conſiſtere niſi in poſſeſſione ac fruitione non impedita perfectionis ſummæ.

Nulla difficultas eſt, quod beatitudo ſumma videatur mutare genus, cum ea conſiſtat in poſſeſſione perfectionis, quæ vero ſumma non eſt, in progreſſu ad perfectionem; id enim obtinet in omnibus, quæ enti finito & infinito quaſi communia ſunt, prædicatis. Sane intellectus finitus facultas eſt, quia operationes ipſius ſucceſſivæ ſunt per naturam entis finiti (§. 835 *Ontol.*): aſt intellectus abſolute maximus, qualis eſt divinus (§. 169), actus eſt, non facultas (§. 163), quia operationes ipſius ſimultaneæ ſunt (§. 160) per naturam entis infiniti (§. 838 *Ontol.*). Unde Scholaſtici jam dudum annotarunt, Deum non eſſe in prædicamentis, ſed ſupra prædicamenta, ne confundatur differentia inter ens finitum atque infinitum. Ea autem vis eſt infinitudinis, ut in prædicatis, quæ ab ente finito ad infinitum ſalva differentia inter utrumque intercedente transferuntur, mutet genus. Mua clarius hæc patebunt per ea, quæ de modo perveniendi ad notiones perfectionum divinarum docebuntur.

§. 1088.

Beatiſſimus quinam ſit.

Beatiſſimus dicitur, cui competit beatitudo abſolute ſumma. Quamobrem cum beatitudo abſolute ſumma in non impedita poſſeſſione ac fruitione perfectionis abſolute ſummæ conſiſtat (§. 1087); *qui beatiſſimus eſt, perfectionem ſummam ita poſſidet atque eadem fruitur, ut in poſſeſſione ac fruitione ejuſdem nullo modo impediri poſſit.*

§. 1089.

Summa Dei beatitudo.

Deus beatiſſimus eſt. Eſt enim Spiritus perfectiſſimus (§. 387), ideoque prorſus immutabilis (§. 1009), adeoque ſummam perfectionem ita poſſidet, ut nihil quicquam eidem unquam decedere poſſit (§. 291 *Ontol.*). Præterea maxima fruitur voluptate, qua major concipi nequit (§. 1084), conſequenter cum voluptas ſit intuitus perfectionis (§. 511 *Pſychol. empir.*), ac ideo tanquam ex perfectione proveniens pro fructu ejus recte habeatur (§. 956), beatitudine ſumma conſtanter fruitur. Et quoniam nulla re extra ſe voluptatis percipiendæ gratia indiget (§. 426), conſequenter beatitudine ſumma fruitur independenter ab omni re extra ſe exiſtente *per demonſtrata*, ac præterea independenter ab omni alio ente exiſtit (§. 70); nihil quoque datur, quod ipſum in poſſeſſione ac fruitione perfectionis ſummæ quomodocunque impedire poſſit. Enimvero beatiſſimus eſt, qui perfectionem ſummam ita poſſidet ac eadem ita fruitur, ut neque in poſſeſſione, neque in fruitione ejuſdem ullo modo impediri queat (§. 1088). Patet igitur Deum eſſe beatiſſimum.

Digitized by Google

Beatitudinem Dei eſſe abſolute ſummam, ita ut majorem ea concipi repugnet, ex demonſtratione ſatis patet. Vidimus (§. 1086) beatitudinis gradus potiſſimum æſtimari ex gradu perfectionis, quæ poſſidetur; ſimul tamen rationem haberi libertatis ab impedimentis in progreſſu ad perfectionem, vel in poſſeſſione ac fruitione ejuſdem. Perfectio Dei ſumma eſt, qua major concipi nequit. Summus adeo eſſe debet beatitudinis ipſius gradus. Nil quicquam datur, quod Deum in poſſeſſione ac fruitione perfectionis ſuæ quomodocunque turbare poſſit. Liber igitur eſt ab omni impedimento, quod beatitudinem aliquo modo diminuere poterat. Quamobrem nec ex hoc capite beatitudine ejuſdem major quædam concipi poteſt. Certiſſimum igitur eſt, beatitudine divina majorem concipi haud quaquam poſſe.

§. 1090.

Incommunicabilitas beatitudinis divinæ.

Beatitudo divina nulli enti finito communicabilis. Cum enim Deus ſit beatiſſimus (§. 1089), beatiſſimus vero ſit, cui beatitudo abſolute ſumma competit (§. 1088); Deo competit beatitudo abſolute ſumma. Quamobrem cum in poſſeſſione ac fruitione non impedita perfectionis ſummæ conſiſtat (§. 1087); cadere non poteſt niſi in ens, quod perfectionis abſolute ſummæ particeps fieri poteſt. Enimvero perfectio ſumma Deo, tanquam ſpiritui perfectiſſimo (§. 387) & infinito, convenit (§. 1007). Quamobrem cum enti nulli attributa alterius entis communicari poſſint (§. 45 *Pſychol. rat.*); nec enti cuidam finito ſumma perfectio, qua majorem concipi repugnat, communicari poteſt. Patet itaque beatitudinem Dei nulli enti finito communicari poſſe.

Qui prætendunt Deum, cum ſit ſumme bonus, creaturas rationales ejus beatitudinis, qua ipſe gaudet, compotes facere debere, nimirum ut ejuſdem gradus cum divina ſit ipſarum beatitudo; bonitatem divinam ad impoſſibilia extendunt. Volunt enim creaturam, ens finitum, converti in infinitum, ſeu Deificari: quam vero ſit abſurda Deificatio creaturæ cujuſdam ſatis intelligunt, qui primas philoſophiæ primæ notiones de eſſentiis rerum animo comprehenderunt. Ens finitum converti nequit in infinitum, nec ſpiritus perfectionum limitatarum in perfectiſſimum. Ergo nec beatitudo, quæ per eſſentiam & naturam ſuam infinito propria, in infinitum cadit.

§. 1091.

Cur ea in hominem non cadat.

Quoniam homo quilibet ens finitum eſt (§. 837 *Ontol.*), *beatitudo* autem *divina* nulli enti finito communicari poteſt (§. 1090); *nec* ea *homini ulli communicari poteſt.*

Beatitudo divina a beatitudine humana tanto intervallo diſtat, quanto ſumma Dei perfectio ab ea, quæ in hominem cadit, removetur, hoc eſt, quanto admodum finitum diſtat ab infinito. Innumeri adeo gradus beatitudinis intermedii inter divinam & eam, quæ in hac vita in hominem cadit, interjacent, quorum ens finitum particeps fieri poteſt, & qui nec naturæ humanæ repugnant.

§. 1092.

Similitudo Dei & animæ.

Datur quædam ſimilitudo eſſentialis inter Deum & animam, quantam admittit differentia inter ens infinitum & finitum. Etenim anima ſibi repræſentat hoc univerſum (§. 62 *Pſychol. rat.*), per eſſentiam (§. 66 *Pſychol. rat.*) & naturam ſuam (§. 67 *Pſychol. rat.*), producens continuo ideam totius univerſi non modo quoad ſtatum præſentem; verum etiam quoad omnes præteritos atque futuros, ſed pro diverſa dependentia ſtatus præſentis a præteritis, & futurorum a præſente continuo diverſam (§. 190 *Pſychol. rat.*). Et ex hac vi repræſentativa ratio reddi poteſt ceterorum omnium, quæ de anima ob-

Digitized by Google

ma obſervantur (§. 520 *Pſychol. rat.*). In Deo itidem continuo exiſtit idea non modo hujus, qui exiſtit, mundi, ſed ceterorum quoque omnium poſſibilium (§. 181), vi cujus Deus ſibi non modo repræſentat hoc univerſum, verum etiam cetera omnia quoad omnes ſtatus poſſibiles (§. 121). Et hæ ideæ omnium mundorum poſſibilium Deo eſſentiales ſunt (§. 188), ac per anteriora patet, ex eo, quod Deus ſibi omnes mundos poſſibiles repræſentare poſſit, derivatam eſſe rationem ceterorum, quæ ipſi inſunt. Patet adeo vim, quæ Deo tanquam ſubſtantiæ ſimplici (§. 83. 1005) ineſt, perinde eſſe univerſi repræſentativam, quemadmodum ea eſt, quæ animabus noſtris tanquam ſubſtantiis ſimplicibus (§. 48 *Pſychol. rat.*) ineſſe deprehenditur. Quamobrem cum ſubſtantiæ ſimplices diſtinguantur per vires ipſis inexiſtentes; ideo liquet inter Deum atque animam ſimilitudinem quandam eſſentialem intercedere.

Enimvero in Deo intuitus ideæ univerſi illimitatus eſt, in anima valde limitatus (§. 184), ita ut Deus omnia cognoſcat diſtincte, nihil confuſe (§. 156) & omnia ſimul (§. 160); anima vero nonniſi clare ac diſtincte ſibi repræſentet ea, quæ per mutationes in organis ſenſoriis corporis explicari poſſunt (§. 62 *Pſychol. rat.*), conſequenter ſucceſſivæ ſunt claræ ac diſtinctæ perceptiones. Quoniam in ente infinito omnia ſunt ſimul, quæ eidem actu ineſſe poſſunt (§. 838 *Ontol.*), finitum autem non ſimul eſt, quod eſſe poteſt (§. 837 *Ontol.*), ſitque finitum limitatum (§. 173), adeoque infinitum illimitatum; ea inter Deum atque animam intercedit ſimilitudo eſſentialis, quam admittit differentia inter finitum & infinitum.

Qui particularia, quæ in Pſychologia rationali de anima traduntur, conferre voluerit ac potuerit cum iis, quæ de Deo demonſtrantur in Theologia naturali; is de ſimilitudine eſſentiali inter Deum & animam intercedente plenius convincetur, & quomodo ubivis obtineat differentia, quæ entis finiti ac infiniti eſt, clariſſime perſpiciet. Conſtabit autem hac collatione, animæ ineſſe, quæ Deo inſunt, infinito ad finitudinem depreſſo, & Deo ineſſe, quæ animæ inſunt, finito ad infinitudinem elevato. Imo per hoc ipſum intelligent acutiores, cur eorum, quæ Deo inſunt, ad finitudinem depreſſione, ſubſtantia ſimplex fiat anima ad unionem cum corpore quodam organico propendens; aſt elevatione eorum, quæ animabus inſunt, ad infinitudinem, prodeat ſubſtantia ſimplex, quæ anima eſſe nequit, infinitudine quemadmodum in ceteris mutante genus. Inde eſt, quod Deus, quemadmodum ſuperius demonſtravimus, anima mundi eſſe nequeat (§. 159). Atque ita demum intelligent, qui cum acumine veritatis jungunt amorem, non eſſe ſteriles ac inanes tricas, quibus tuto carere poſſimus in philoſophia, quæ in Pſychologia rationali de anima paradoxa, quia hactenus non expenſa, videntur. Faciunt enim tum ad attributa divina clarius intelligenda, tum ad differentiam inter Deum & animam intimius inſpiciendam. Quamobrem qui in Pſychologia rationali probe fuerint verſati, ii luce quadam fruentur in Theologia naturali, qua carent ceteri quotquot dogmatum Pſychologiæ rationalis vel prorſus imperiti ſunt, vel ea nondum ſatis familiaria experiuntur.

§. 1093.

Definitio Dei. *Deus definiri poteſt per ſubſtantiam, quæ omnes mundos poſſibiles ſibi maxime diſtincte atque ſimul repræſentat.* Etenim Deus omnes mundos poſſibiles (§. 141) quoad omnia, quæ ipſis inſunt, prorſus diſtincte (§. 156) atque ſimul ſibi repræſentat (§. 160), eſtque ſubſtantia per eminentiam (§. 1005).

Quæ

Quæ igitur hic ſummuntur, veritati conſentanea ſunt. Conſtat vero ex anterioribus, ex hac ipſa mundorum poſſibilium omnium repræſentatione diſtincta & ſimultanea rationem reddi tandem ceterorum omnium, quæ ipſi inſunt, & acutiores facile perſpicient, ex iiſdem ſervato demonſtrandi rigore deduci cetera, quæ de Deo a nobis demonſtrata fuere. Quamobrem cum definitionem ingredi non debeant, quæ per ea, quæ ſimul definito inſunt, determinantur (§. 730 *Log.*), adeoque rationem ſufficientem in iiſdem agnoſcunt (§. 116 *Ontol.*); quin vis repræſentativa omnium mundorum poſſibilium, qua iidem diſtincte prorſus & ſimul repræſentantur, Deo definiendo ſufficiat, dubitari nequit, niſi ab eo, qui Logicæ & methodi prorſus imperitus eſt.

Definitionem hanc Dei in Metaphyſica idiomate patrio ſub titulo: *Vernünfftige Gedancken von Gott, der Welt und Seele des Menſchen, auch allen Dingen überhaupt*, edita propoſueramus non alio fine, niſi ut ſimilitudinem eſſentialem inter Deum atque animam intercedentem tanto clarius perſpicere liceret, atque adeo via perveniendi ad notiones attributorum divinorum mox demonſtranda magis clara & acceſſibilis redderetur. Sed dici non poteſt, quantam inde calumniandi & criminandi anſam deſumſerit infenſiſſimus quidam ſcientiæ hoſtis, qui plusquam Vatiniano in me odio laborat, quaſi per eam omnis religio & naturalis, & chriſtiana everteretur, & impio conſilio atheiſmi fundamentum ſtrueretur. Equidem rident periti imperitiam, damnant probi malum animum, ut adeo iſtis criminationibus nihil opponi neceſſe ſit; ne tamen per fraudulentiam ſibi familiarem novis criminationibus anſam darem, quaſi animum lectoris a periculo dogmatum meorum avertendi ſtudio definitionem iſtam omitterem, eam conveniente hoc loco apponere viſum fuit.

§. 1094.

Eſſentia divina conſiſtit in vi repræſentativa omnium mundorum poſſibilium diſtincta prorſus & ſimultanea. Etenim per demonſtrationes anteriores omnes patet, ex repræſentatione omnium mundorum poſſibilium diſtincta prorſus, ut nihil confuſe perceptum in eadem admittatur, atque ſimultanea rationem reddi poſſe ceterorum omnium, quæ de Deo cognoſcuntur. Hæc ipſa vero repræſentatio cum ſit neceſſaria (§. 189), neceſſarii vero oppoſitum impoſſibile eſſe conſtet (§. 279 *Ontol.*); cur Deo inſit rationem nullam habet (§. 56 *Ontol.*), conſequenter primum eſt, quod de Deo concipitur. Enimvero primum, quod de ente aliquo concipitur, & in quo ratio continetur ſufficiens, cur cetera vel actu inſint, vel ineſſe poſſint, eſt eſſentia ejus (§. 168 *Ontol.*). Patet itaque eſſentiam divinam conſiſtere in vi repræſentativa omnium mundorum poſſibilium prorſus diſtincta & ſimultanea. *Eſſentia divina.*

Quoniam entia per eſſentiam a ſe invicem diſtinguuntur; per hanc ipſam vim repræſentativam mundorum omnium poſſibilium diſtinctam prorſus & ſimultaneam Deus a ſubſtantiis ceteris omnibus diſtinguitur: neque enim præter ipſum datur ſubſtantia, cui eadem vis competat. Equidem animabus noſtris competit quoque vis repræſentativa univerſi, & in ea eſſentia ejuſdem conſiſtit (§. 66 *Pſychol. rat.*), ſed a divina prorſus diverſa, quippe quæ materialiter ſitu corporis organici in univerſo, formaliter autem conſtitutione organorum ſenſoriorum limitatur, cum divina prorſus illimitata ſit. Non eſt quod excipias voluntatem liberam & potentiam creatricem exinde deduci minime poſſe. Id enim inde eſt, quod vim iſtam non intuitive cognoſcamus, qualis in ſe eſt, ſed ejus notionem formemus duce idea vi repræſentativæ univerſi nobis inexiſtentis. Quamobrem cum neceſſe ſit ejus realitatem a poſteriori demonſtrari, nimirum per contingentem exiſtentiam hujus univerſi; mirum

ſane

Digitized by Google

ſane non eſt, quod nonniſi ſuppoſita hujus univerſi exiſtentia contingente voluntatem liberam & potentiam creatricem ex illa deducere valeamus, quemadmodum a nobis factum. Si quis cum *Carteſio* Deum per ens perfectiſſimum definit, exiſtentiam ejus a priori demonſtraturus (quod quomodo rite procedat, parte ſecunda docemus); ex notione ſummæ perfectionis potentiam creatricem non deducere poteſt, niſi ſuppoſita contingente hujus mundi exiſtentia, imo nec ſine hac ſuppoſita libertatem voluntatis divinæ demonſtrabit. Potentiam enim creatricem & liberrimam voluntatem eſſe poſſibilem nonniſi a poſteriori patet. Sermo nobis jam eſt de eo, quod in poteſtate eſt. Neque enim poſteris præſcribimus limites, ultra quos progredi non debeant, quos noſtris intellectis & ulterius progredi poſſe certi ſumus, & progreſſuros ulterius confidimus. Ceterum non ſine ratione propoſitionem præſentem adjicimus: etenim hoc pacto doctrina pſychologica redditur utilior, cum eo, quem mox explicaturi ſumus, modo ex ea tota doctrina Theologiæ naturalis derivetur, & Pſychologia rationalis atque Theologia naturalis lucem ſibi mutuo affundant. Qui terminum eſſentiæ non intelligunt, & omnia attributa divina cum eadem identificari audiunt; eſſentiam divinam per complexum omnium attributorum explicant, adeoque propoſitione præſente facile offenduntur, quaſi minus de Deo dici videatur, quam debebat. Sed his conſulere non licet aliter, niſi ut methodi demonſtrativæ leges cognoſcant, quibus perſpectis nullæ amplius nebulæ intellectum obſuſcabunt.

§. 1095.

Quomodo ad notiones perfectionum divinarũ perveniatur.

Si notiones diſtinctas eorum, quæ animæ noſtræ per eſſentiam & naturam ejus inſunt, a limitationibus liberemus; notiones habemus perfectionum divinarum, ſeu attributorum Dei. Etenim inter Deum atque animam datur ſimilitudo quædam eſſentialis, quantam admittit differentia inter ens infinitum atque finitum (§. 1092). Quoniam itaque ſimilitudo in identitate eorum conſiſtit, per quæ entia a ſe invicem diſcerni debebant (§. 195 *Ontol.*) & quidem ſi eſſentialis ſit, ſimilitudinem eſſentialium & eorum, quæ per ea determinantur, ſupponit (§. 210 *Ontol.*); neceſſe eſt ut, quæ animæ per eſſentiam & naturam ſuam inſunt, eadem ſint cum iis, quæ inſunt Deo per eſſentiam & naturam ipſius, quatenus identitas quædam, ſalva differentia inter ens infinitum atque finitum, ſubſiſtere poteſt. Quodſi ergo eorum, quæ animæ noſtræ per eſſentiam atque naturam ipſius inſunt, notiones diſtinctas quæſiveris; eum determinationes, quæ eas ingrediuntur, a ſe invicem diſtinguere (§. 88 *Log.*), imo ſi terminos quoque noveris, quibus illæ exprimuntur, alteri enumerare valeas, limitationes eorum, quæ animæ noſtræ per naturam & eſſentiam ipſam inſunt, perſpicies. Quamobrem ſi inde tollas limitationes omnes, quæ adſunt; prodibunt notiones earundem rerum, quatenus conveniunt enti infinito, conſequenter notiones eorum, quæ inſunt Deo, atque adeo patet, nos habere notiones attributorum divinorum, ſi notiones diſtinctas eorum, quæ animæ inſunt per eſſentiam & naturam ejus, a limitationibus liberemus.

Deum intuitive non cognoſcimus, cum rerum a nobis diverſarum cognitio intuitiva ad ſenſus reſtringatur & imaginandi facultatem, quæ a ſenſu pendet (§. 117 *Pſychol. empir.*). Deus igitur inviſibilis (§. 89), intuitive a nobis pro præſente cognoſcendi modo cognoſci nequit. Cognoſci ideo debet, per creaturas, quatenus ex iis, quæ ipſis inſunt, colligimus, quæ Deo ineſſe debent, quemadmodum a nobis factum in anterioribus, ubi omnes demonſtrationes doctrinæ generali de mundo hoc adſpectabili ſuperſtruximus. Enimvero ſi a rebus materialibus ad Deum argumentari volueris, notiones attributorum habere debes: neque enim eæ abſtrahi poſſunt a rebus, unde fit argumentatio, cum iiſdem non inſint. Formandæ igitur ſunt eo, quem in propoſitione præſente inſinuavimus, modo. Atque hoc

pacto

pacto patet cognitionem Dei, qualis jam in nos cadit, nobis eſſe poſſibilem propter animæ cum Deo ſimilitudinem eſſentialem, quam paulo ante evicimus (§. 1092). Sane ſi iſta ſimilitudine deſtitueremur, nec cognitionis Numinis capaces eſſemus. Præſens igitur propoſitio utilitatis maximæ eſt, & utilitatem ſpondet tanto majorem, quanto accuratior nobis eſt animæ cognitio. Quamobrem utiliſſimam operam ſumit, qui Pſychologiæ tam empiricæ, quam rationalis addiſcendæ gratia lapidem omnem movet. Sed ne in applicanda propoſitione præſente aberremus, exemplo aliquo doceri debet, quomodo rite applicetur. Intellectus noſter eſt facultas res diſtincte repræſentandi (§. 275 *Pſychol. empir.*). Limitatur autem duplici modo tum quoad objectum, tum quoad modum repræſentandi objecta (§. 279 *Pſychol. empir.*). Quod enim objectum attinet, nemo non novit, ſe quædam ſaltem ſibi repræſentare poſſe, non vero omnia: quod modum repræſentandi concernit, non minus unicuique perſpicuum eſt, ſe non aliter ſibi diſtincte quid repræſentare poſſe, quam ut acquieſcat in confuſe perceptis, & quantum a perceptione prorſus diſtincta ſeu adæquata abſimus, Pſychologiæ rationalis peritus intimius perſpicit; & plane obvium eſt, nos nonniſi ſucceſſive ea, quæ ſub cognitionem noſtram cadunt, nobis repræſentare valere. Remove igitur limitationes, quæ inſunt intellectui noſtro. Extende eum ad poſſibilia omnia quomodocunque ſpectata, adeoque non tantummodo in ſe conſiderata, verum etiam ad ſe invicem omni poſſibili modo relata. Arce quicquid confuſe percipitur & non admitte niſi diſtincte repræſentata. Tolle in repræſentando ſucceſſionem, ut, quæ vi entis intelligentis repræſentari poſſunt, repræſententur ſimul. Cum hoc pacto prodeat repræſentatio prorſus diſtincta & ſimultanea omnium poſſibilium tam in ſe ſpectatorum, quam ad ſe invicem relatorum, facultate repræſentandi in actum purum degenerante, in hoc ipſo autem actu conſiſtat intellectus divinus (§. 164); exemplo hoc clariſſime docemur, quomodo per ea, quorum nobis ſumus conſcii de anima noſtra, ad notiones eorum, quæ Deo inſunt, perveniatur. Cautione tamen non una opus eſt, ne in applicatione principii heuriſtici Theologiæ naturalis in anthropomorphiſmum incidas, vel etiam notiones incompletas pro completis amplectaris. Quibus ea ſatis cognita atque perſpecta ſunt, quæ de uſu facultatum animæ in veritate cognoſcenda in *Logica*, de notionibus entis qua talis vere directricibus in omni veritatum inveſtigatione in Ontologia, & de anima ejuſque affectionibus in Pſychologia utraque docuimus; is facile ſibi cavebit, ne a vera via aberret. Qui vero inopportune per ſe ſapere volunt, cum per alios ſapere debeant, intempeſtive ſeſe Inventorum numero ingerentes; ii ſibi imputent, ſi quod audent, ex voto minime cedat, & alii eorum temeritatem accuſent, non principium heuriſticum damnent, quo vel inſcii utuntur ipſimet. Ceterum qui ad hactenus dicta animum advertit, abunde perſpiciet utilitatem definitionis Dei paulo ante datæ (§. 1094), vi præſentis propoſitionis juxta definitionem animæ noſtræ eſſentialem factæ (§. 66 *Pſychol. rat.*), quippe cum per eam Pſychologia rationalis ad ſingularem uſum, qui merito maximi habendus, reducatur, alias non facile a quovis obſervandum.

§. 1096.

Deo tribui poſſunt ſenſus per eminentiam. Deus ſenſu caret (§. 157), adeoque eo modo tribui ipſi nequit ſenſus ullus, quo nobis ineſt. Ibi vero, ubi res omnes Deo per eminentiam præſentes evicimus (§. 1053), jam oſtendimus, Deum per eminentiam ſenſu percipere omnia præſentia in toto hoc univerſo. Patet igitur eidem per eminentiam ſenſus tribui poſſe.

Senſus Deo per eminentiam tribuendi.

Quænam Deo per eminentiam tribuantur, hic loci doceri debet, ne principio illo heuriſtico inveſtigandi notiones eorum, quæ Deo tribui debent, abutamur & ejus abuſu in Anthropomorphitarum & Anthropomorphiſtarum errores incidamus, de quibus apertius dicemus in parte ſecunda.

§. 1097.

Quoniam viſus & auditus ſunt in numero ſenſuum (§. 68 *Pſychol. empir.*), ſenſus vero tribui *Deo* poſſunt per eminentiam (§. 1096); ipſi etiam *viſus & auditus per eminentiam tribui poſſunt.*

Viſus & auditus per eminentiam Deo inexiſtens.

Hinc etiam Deo per eminentiam, ſed hieroglyphico quodam ſenſu tribui poſſunt organa ſenſoria, veluti oculus & auris. Nimirum ſenſus, quatenus facultas animæ eſt (§. 67 *Pſychol.*

Pſychol. empir.), Deo ſimilitudinem quandam eſſentialem cum anima habenti (§. 1092), per eminentiam ineſt (§. 1096). Sed cum nullum poſſibile ſit corpus, cui tanquam anima uniri poſſit (§. 158), nec organis ſenſoriis habet opus, neque adeo ſenſoria organa ipſi tribui poſſunt, ne per eminentiam quidem. Reſtat igitur, ut ipſi tribuantur hieroglyphico quodam ſenſu, qui in ſenſuum per eminentiam inexiſtentia fundamentum habet (§. 151 *Pſychol. empir.*). Quid vero denotent ſenſus, ac in ſpecie viſus & auditus, per eminentiam ita dictus, quid organa ſenſoria, veluti oculus & auris, in ſignificatu hieroglyphico de ſenſu per eminentiam accepto uſurpata; ex hiſce facile perſpicitur, & exemplo ſupra (*not.* §. 91) allato illuſtratur. Conferenda hic ſunt, quæ de metaphorico Deo in Sacra Scriptura attributorum membrorum corporis humani ſignificatu evicimus (§. 103).

§. 1098.

Imaginatio per eminentiã Deo tribuitur.

Deo per eminentiam ineſt imaginatio. Caret Deus imaginatione (§. 157), atque adeo ſenſu proprio eidem tribui nequit. Enimvero imaginatio facultas eſt producendi perceptiones rerum ſenſibilium abſentium (§. 92 *Pſychol. empir.*), adeoque ſibi repræſentandi præterita non modo atque futura (§. 228), verum etiam ea, quæ cum poſſibilia ſint, nunquam tamen exiſtunt. Jam conſtat Deum ſibi repræſentare omnia poſſibilia tum abſolute ſpectata, tum in ſyſtemata redacta (§. 155), diſtincte prorſus (§. 156) atque ſimul (§. 160), eaque intuitive cognoſcere (§. 207), ipſa vi intellectus (§. 164). Et in earum ſerie, in qua continentur ea, quæ ad actum perducenda, ſeu certo quodam tempore exiſtentia, præterita tanquam præterita ſibi repræſentat per dependentiam præſentium, quæ a ceteris eidem ſeriei inexiſtentibus per concurſum ſuum diſtinguit (§. 939), & futura tanquam futura per dependentiam eorundem a præſentibus (§. 940). Vis igitur repræſentativa mundorum omnium poſſibilium Deo eſſentialis (§. 1094), & potentia conſervatrix, qua ad omnes creaturarum actiones concurrit (§. 874), ſupplet vicem imaginationis illimitatæ, ſi talem fingere licet. Quamobrem cum per eminentiam dicatur ineſſe, quod proprie loquendo non ineſt, ejus tamen loco enti ineſt aliud, quod vicem ejus ſupplet, quod proprie eidem repugnat (§. 845 *Ontol.*); quin Deo per eminentiam inſit imaginatio dubitari nequit.

Phantaſmata, quæ vi imaginationis ab hominibus finguntur, ſed cum contradictionem involvant diſtincte intellecta, exiſtere nequeunt, imperfectioni facultatis cognoſcendi, quæ animæ humanæ competit, tribuenda ſunt, conſequenter a Deo ab omni errore prorſus immuni (§. 294) removenda ſunt. Et abſonum foret quærere, num facultas fingendi Deo per eminentiam inſit. Quatenus tamen omnia impoſſibilia cognoſcit (§. 308) atque novit, quænam eorum ens unumquodque finitum intelligens pro poſſibilibus amplectatur (§. 309), neque ipſum fugiunt omnes errores, qui ab intellectu finito admitti poſſunt (§. 310); iſtiuſmodi phantaſmata tanquam aberrationes in ideis rerum intelligentium finitorum perſpicit, non vero per ſe inſunt intellectui divino.

§. 1099.

Memoria per eminentiã Deo tribuenda.

Deo competit memoria per eminentiam. Memoria conſiſtit in facultate ideas reproductas recognoſcendi (§. 175 *Pſychol. empir.*), adeoque cum vi imaginationis reproducantur (§. 92 *Pſychol. empir.*); imaginationem ſupponit, nec ſine ea in ente aliquo datur. Quamobrem cum Deus imaginatione careat (§. 157), nec memoria ipſi, proprie loquendo, hoc eſt, eo ſenſu, quo

nobis

nobis tribuitur, tribui poteſt. Enimvero conſtat Deum integram rerum ſeriem, quæ actum conſequuntur, ſibi ſimul repræſentare (§. 155. 160), & in ea præſentia a ceteris per concurſum ſuum diſtinguere (§. 939), præterita autem tanquam præterita ſibi repræſentare per dependentiam præſentium ab iiſdem (§. 940). Quoniam itaque vi memoriæ res per ideas reproductas repræſentatæ tanquam præteritæ agnoſcuntur (§. 175 *Pſychol. empir.*); vis repræſentativa huius univerſi ſimultanea atque diſtincta Deo eſſentialis eſt (§. 1094) & potentia conſervatrix, qua ad actiones creaturarum concurrit (§. 874), memoriæ vicem ſupplet. Memoria igitur Deo per eminentiam tribuenda (§. 845 *Ontol.*).

Recte igitur Deo tribuitur memoria omnium præteritorum perfectiſſima: etenim non modo præterita omnia ſibi repræſentat, ita ut ipſi continuo idealiter præſentia ſint, eorundemque ſibi optime conſcius eſt, ita ut nihil effugiat conſpectum ipſius; verum etiam novit, quod aliquando fuerint præſentia. Quoniam magnitudo memoriæ æſtimatur ex numero rerum, quarum ideas reproducere & reproductas recognoſcere valemus, tum diverſo tempore ſigillatim perceptarum, tum eodem tempore in continua ſerie ſimul perceptarum (§. 194 *Pſychol. empir.*); memoria autem, quæ Deo per eminentiam tribuitur, ad omnia præterita ſimul extenditur: memoria divina majorem concipi minime poſſe patet. Eſt adeo abſolute maxima.

§. 1100.

Oblivio rei nullius in Deum cadit. Deus omnia poſſibilia ſive abſolute ſpectata, ſive in ſyſtemata redacta ſibi repræſentat (§. 155), diſtincte (§. 156) atque ſimul (§. 160) & quidem intuitive (§. 207) & omnia præterita a præſentibus continuo diſtinguit (§. 940). Quoniam oblivio conſiſtit in impotentia ideas reproductas, conſequenter res per eas repræſentatas recognoſcendi (§. 215 *Pſychol. empir.*); facile patet eam Deo prorſus repugnare, conſequenter nullius prorſus rei oblivio in eundem cadit. *Oblivio cur in Deum non cadat.*

Mirum videri non debet, oblivionem non perinde ac memoriam Deo per eminentiam tribui poſſe: quæ enim Deo per eminentiam tribuuntur, ea ipſi non repugnant ſimpliciter, ſed tantummodo quatenus quid imperfectionis admixtum habent. Aſt quæ ab imperfectione aliqua tota pendent, quemadmodum oblivio, ea Deo nullatenus tribui poſſunt; ſed ſimpliciter repugnant.

§. 1101.

Deo appetitus ſenſitivus nullo modo convenire poteſt. Appetitus ſenſitivus oritur ex repræſentatione boni confuſa (§. 580 *Pſychol. empir.*). Enimvero Deus omnia cognoſcit diſtincte nihil prorſus confuſe (§. 156). Quamobrem appetitus ſenſitivus proprie loquendo ipſi convenire nequit. Sed ex diſtincta boni repræſentatione naſcitur appetitus rationalis, ſive voluntas (§. 880 *Pſychol. empir.*), adeoque appetitus ſenſitivus nonniſi imperfecta quædam voluntatis ſpecies eſt. Quoniam itaque Deo competit voluntas abſolute perfectiſſima (§. 386); non alio quodam opus eſt, quod vicem appetitus ſenſitivi in eodem ſuppleat, conſequenter appetitus ſenſitivus in Deo nec per eminentiam datur (§. 845 *Ontol.*). Nullo igitur modo eidem convenire poteſt. *Appetitus ſenſitivus cur Deo nullo modo conveniri queat.*

Repetenda hic ſunt, quæ modo de oblivione annotavimus (*not.* §. 1100), ad appetitum ſenſitivum mutatis mutandis applicanda.

§. 1102.

Cur nec averſatio ſenſitiva.

Deo averſatio ſenſitiva nullo modo convenire poteſt. Averſatio ſenſitiva oritur ex repræſentatione mali confuſa (§. 582 *Pſychol. empir.*). Quoniam itaque Deus omnia diſtincte, uihil confuſe cognoſcit (§.156); averſatio ſenſitiva in ſenſu proprio eidem convenire nequit. Et quia ex diſtincta mali repræſentatione uoluntas oritur (§. 881 *Pſychol. empir.*); nec alio quodam opus eſt, quod averſationis ſenſitivæ vicem ſuppleat. Quamobrem nec averſatio ſenſitiva per eminentiam Deo convenire poteſt (§. 845 *Ontol.*). Convenit igitur nullo prorſus modo.

Noluntatem in ſpecie Deo convenire non demonſtravimus, propterea quod cum ſumme perfecta voluntate connectatur, quæ cum ad optimum tendat (§. 383), omnis mali averſationem infert. Sane ea de cauſa vulgo actus nolitionis ad voluntatem ſimul refertur, etſi nobis conſultius viſum ab appetitu averſationem, a voluntate noluntatem diſtingui.

§. 1103.

Cur affectibus careat Deus.

Deus affectibus caret. Affectus ſunt actus vehementiores appetitus ſenſitivi, & averſationis ſenſitivæ (§. 603 *Pſychol. empir.*). Enimvero Deus caret appetitu ſenſitivo (§.1101), caret etiam averſatione ſenſitiva (§.1102). Ergo etiam caret affectibus.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Affectus ex confuſa boni & mali repræſentatione oriuntur (§. 605 *Pſychol. empir.*). Enimvero cum Deus omnia diſtincte, nihil confuſe cognoſcat (§. 156); nec boni malique repræſentatio confuſa in eodem locum habet. Quamobrem nec ulli affectuum locus eſſe poteſt, adeoque affectibus caret.

Facile patet, affectus omnes in ſpecie de Deo negandos eſſe, quocunque demum nomine veniant, nempe ut Deo repugnare cenſeantur ea ſpecie, quam in hominibus habent. Cum in corpore ſanguis ac fluidum nerveum motu extraordinario agitetur, quando anima affectibus commovetur (§. 611 *Pſychol. empir.*), & cum hiſce motibus harmonica mutatio in anima reſpondeat (§. 511 & ſeqq. *Pſychol. rat.*); in affectibus animæ mutatio quædam ineſt, quæ a corpore pendet, ſeu per motus in eodem contingentes explicabilis. Hujus mutationis nobis conſcii ſumus, ſed nonniſi confuſe perceptæ, dum paſſiones animæ percipimus. Imo hæc ipſa mutatio eſt proprie id, quod affectus ſeu paſſionis animi nomine inſignimus. Aſt hanc in Deum cadere non poſſe, nulli corpori per modum animæ uniendum (§. 158), nemo non videt. Hinc *D. Thomas*: Actus, inquit, voluntatis, ut habent mutationem ex parte corporis, non ponuntur in Deo: quo ipſo appetitus ſenſitivus cum paſſionibus animæ ſeu affectibus, quales dantur in nobis, a Deo removeatur.

§. 1104.

Affectus Deo per eminentiam tribuendi.

Affectus Deo inſunt per eminentiam. Quoniam Deus affectibus caret (§. 1103); eo quoque ſenſu iidem tribui nequeunt, quo eos nobis ineſſe deprehendimus. Deus omne bonum & malum diſtincte cognoſcit (§.156), & voluntas ipſius tendit ad id, quod tam in ſe (§. 383), quam in relatione ad ſeipſum optimum eſt (§. 385), malum vero morale velle nequit (§. 581), nec id ipſi placere poteſt (§. 588). Quoniam itaque affectus ex confuſa boni & mali repræſentatione oriuntur (§. 605 *Pſychol. empir.*) & in actibus vehementioribus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ conſiſtunt (§. 603 *Pſychol. empir.*); Deo utique conveniunt actus volitionis ac nolitio-

nolitionis ex diſtincta boni & mali repræſentatione, qui eodem tendunt, quo tendunt affectus, ſed cum Dei actiones omnes nonniſi rectæ ſint (§.1059), quatenus non tendunt niſi ad id, quod rectum eſt. Actus adeo voluntatis divinæ ſupplent vicem affectuum, conſequenter affectus Deo inſunt per eminentiam (§. 845 *Ontol.*).

Patet hinc, quomodo explicandi ſint affectus, quando de Deo uſurpantur. E. gr. Deo tribuitur amor, quatenus is concipitur velle felicitatem creaturarum intelligentium, cum amor denotet diſpoſitionem animi ad voluptatem ex alterius felicitate percipiendam (§. 633 *Pſychol. empir.*) & eodem impellitur amans ad voluptatem amanti creandam, ac tædium ab eo avertendum (§. 652 *Pſychol. empir.*). De ſingulis adeo affectibus, quorum theoriam tradidimus in Pſychologia empirica integro capite (§.603 & ſeqq.), demonſtrari poterat, quomodo per eminentiam inſint Deo: id quod inprimis uſui eſſe poterat in interpretanda Sacra Scriptura, in qua affectus Deo tribuuntur, utique non eo ſenſu, quo nobis inſunt; ſed per eminentiam. Enimvero cum ſpecialia nonnulla tradituri ſimus in parte altera Theologiæ naturalis; hanc quoque explicationem eo differimus. Ceterum quemadmodum in anthropomorphiſmum incidunt, qui Deo affectus tribuunt, quales in ſe obſervant, Deum imaginantes quoad facultates inferiores ſibi ſimilem; ita ex adverſo ab uno extremo in alterum delabuntur, qui nec per eminentiam affectus Deo tribuunt: unde inferunt, quæ ab errore noxio non diſtant. Atque adeo intelligitur, quam ſit neceſſaria cognitu entis per eminentiam notio, & quod perperam inter ſteriles nugas & inanes tricas ab iis referatur, quibus ſolenne eſt contemnere ac traducere, quæ non intelligunt. Sane citra notionem entis per eminentiam, quam in philoſophia prima explicavimus (§. 845 *Ontol.*), non ſatis diſtincte intelligitur, quomodo Deo quædam citra errorem tribui poſſint, quæ eidem non convenire deprehenduntur: id quod inprimis uſui eſt in interpretanda Sacra Scriptura, ubi multa Deo tribuuntur, quæ nonniſi per eminentiam eidem inſunt, nec bene conſulitur auctoritati ejus, ſi ad captum vulgi humano more de Deo loqui dicatur.

§. 1105.

Præſentia localis per eminentiam Deo tribuenda, ſeu Deus localiter præſens eſt, aut in loco præſens eſt per eminentiam. Cum Deus localiter præſens eſſe nequeat (§. 1042); nec proprie loquendo, hoc eſt, eo ſenſu, quo corporibus tribuitur (§. 1043), præſentia localis ſeu exiſtentia in loco eidem tribui poteſt. Enimvero Deus totus præſens eſt ſingulis corporibus (§.1048) in loco exiſtentibus (§. 1033). Quamobrem cum corpus totum ſit in eo loco, in quo exiſtit, ac ideo in eodem loco præſens dicatur, quia locum iſtum ſubſtantia ſua implet (§. 1039): patet præſentiam divinam, qua totus præſens eſt corpori cuicunque in loco exiſtenti, ſupplere vicem præſentiæ localis, cum perinde ſit, ac ſi in iſto loco exiſteret (§.1037). Patet itaque Deum per eminentiam localiter præſentem eſſe (§. 845 *Ontol.*), adeoque præſentiam localem per eminentiam Deo tribui poſſe.

Præſentia localis per eminentiã Deo tribuenda.

Atque ita clariſſime intelligitur, præſentiam divinam ut in loco, seu loquitur *D. Thomas*, eſſe præſentiam localem per eminentiam. Quæcunque igitur a præſentia locali corporum pendent, ea quoque ob præſentiam localem per eminentiam Deo tribuuntur, veluti quod videat omnia, quæ in loco iſto contingunt, & quod agat in ea, quæ in eodem exiſtunt.

§. 1106.

Unus eſt Deus creator, conſervator & gubernator univerſi. Ex demonſtrationibus anterioribus patet, mundum a Deo uno pendere quoad creationem, conſervationem ac gubernationem. Quamobrem cum plures Dii præter rationem

Dependentia mũdi ab uno Deo.

tionem

tionem admitterentur, uno mundi creationi, conſervationi ac gubernationi ſufficiente; unus tantummodo Deus eſt creator, conſervator & gubernator univerſi.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Mundus, qui exiſtit, ens unum eſt (§. 60 *Coſmol.*) & totum aliquod (§. 61 *Coſmol.*), ac ideo vi demonſtrationum anteriorum rationem ſufficientem, quam in ſeipſo minime habet (§. 90 *Coſmol.*), in uno ente a ſe, cui intellectus prorſus illimitatus & potentia creatrix ac illimitata competit, rationem actualitatis ſive exiſtentiæ ſuæ ſufficientem agnoſcit. Quamobrem cum non admittatur Deus, niſi quatenus admittitur ens a ſe, in quo ſufficiens ratio exiſtentiæ contingentis hujus univerſi continetur (§. 67); unus quoque tantummodo datur Deus. Hic vero ipſe Deus mundum creavit (§. 760), conſervat (§. 847) atque gubernat (§. 900). Unus igitur eſt Deus, creator, conſervator & gubernator hujus univerſi.

Per Deum non intelligimus niſi ens a ſe, quod mundum hunc creavit, adhuc conſervat atque gubernat. Ea communis omnibus Dei notio eſt, nec qui quærunt, an ſit Deus, nec qui affirmant dari Deum, aliud ens intelligunt. Et qui demonſtrat, dari ens a ſe, quod mundum hunc, qui a ſe eſſe nequit, potentia ſua ad actum perduxit, ac hodie conſervat atque gubernat, omnium judicio Dei exiſtentiam demonſtraſſe cenſetur. Quamobrem cum per omnes Theologiæ naturalis demonſtrationes liquido conſtet, unum tantummodo eſſe ens, a quo mundus creatus fuit, ac hodie conſervatur & gubernatur; hoc ipſo unitatem Dei evictam eſſe negari haudquaquam poteſt. Quodſi ponas entia plura Deo creatori, conſervatori ac gubernatori hujus univerſi ſimilia, ſed a quibus quoad eſſentiam & exiſtentiam nullatenus dependeat hoc univerſum, nullatenus dependeant omnia, quæ in eodem ſunt: non modo ſumis, quod probari minime poteſt, ſola mentis fictione, cum nulla adſit ratio ſufficiens, cur eorum exiſtentia admittatur; verum etiam quod abſque omni utilitate fingitur, cum iſtiuſmodi ens, a quo mundus hic nullatenus dependet, ad nos minime pertineat. Enimvero ne quis in fictione inutili ſibi reperiſſe videatur non quod pueri in faba, propoſitionem ſequentem addere lubet.

§. 1107.

Cur Deus ſit unicus.

Præter Deum unum mundi creatorem, conſervatorem & gubernatorem non datur alius Deus. Eſt enim Deus ſpiritus perfectiſſimus (§. 387), & qui ipſi competit intellectus (§. 166), quæ voluntas (§. 388), quæ potentia, nullo modo limitatur (§. 354), unde & cetera ipſius attributa, veluti ſapientia (§. 640) & bonitas (§. 699), eo gradu ipſi tribuuntur, quo major concipi non poteſt. Quodſi ergo alius adhuc poneretur Deus, unus non differret ab altero. Cum igitur inter plures Deos nulla concipi poſſit differentia ſpecifica, unus non niſi Deus poſſibilis (§. 181 *Ontol.*). Eſt vero Deus ens a ſe (§. 67), conſequenter ideo exiſtit, quia poſſibilis (§. 34). Unus adeo tantummodo Deus exiſtit, adeoque præter unum iſtum Deum mundi creatorem, conſervatorem & gubernatorem (§. 1106), non datur alius, qui ſit Deus.

Hoc argumento ad unitatem Dei probandam jam uſus eſt *D. Thomas*, & notionum ontologicarum gnari robur ejus perſpiciunt. Ne tamen in re tanti momenti, qualis præſens propoſitio eſt, quæ præter Deum, quem nos veneramur, mundi creatorem, conſervatorem & gubernatorem non dari alium, qui ſit Deus, pronuntiat, quicquam lucis deſit; unum alterumque illuſtrationis gratia addere lubet. Si res in ſtatu puræ poſſibilitatis conſiderantur,

rantur, non admittuntur tanquam plura, niſi quæ differunt: alias enim idem bis tantummodo poneretur, quod an fieri poſſit, demum quæritur, ubi de exiſtentia quæſtio incidit. Ita in ſerie numerorum non admittitur niſi unus binarius, cum inter duos binarios nulla intercedat differentia, & in ſerie naturali, quæ tantummodo omnes numeros poſſibiles exhibet, nulla datur ratio, cur binarius vel alius quicunque numerus bis poni debeat. Jam ei, quod poſſibile, exiſtentia non repugnat (§. 133 *Ontol.*); ut vero exiſtat, ratio ſufficiens detur neceſſe eſt, cur exiſtat potius, quam non (§. 70 *Ontol.*). Quodſi jam ens ideo exiſtit, quia poſſibile, quemadmodum de ente a ſe oſtendimus (§. 34), conſequenter de Deo (§. 67), & unum tantummodo ejusmodi ens poſſibile concipitur, quemadmodum ſpiritus perfectiſſimus, qui eſt Deus (§. 387); cur unum exiſtat ratio ſufficiens datur, utpote in poſſibilitate ipſius contenta: ſed nulla datur, imo dari nequit ratio ſufficiens, cur idem ens bis ponatur, propterea quod eadem intrinſeca eſſe debet. Et hoc modo impoſſibile eſt, ut ſpiritus perfectiſſimus in ſerie entium actualium bis ponatur, quemadmodum binarius in aliqua numerorum ſerie, ubi ratio cur actu ponatur non in ipſo binario, ſed extra ipſum datur, conſequenter per eſſentiam binarii non repugnat, ut in ſerie aliqua bis poni poſſit. Cum vero entia contingenter exiſtentia rationem exiſtentiæ ſuæ non habent in ſeipſis, ſed extra ſe in alio (§. 310 *Ontol.*); per ſe non implicat ens idem in ſingulari poni bis, ſed ne bis ponatur ſapientiæ divinæ repugnat. Unde jam patet, *principium indiſcernibilium*, quod excludit exiſtentiam duorum individuorum ſimilium, per omnem rerum actualium ſeriem regnare, ita ut Deus, cui tanquam cauſæ primæ ſubſtant omnia, non habeat ſui ſimilem per ipſam eſſentiam ſuam; cetera vero non agnoſcant ſui ſimilia individua ſeu in ſingulari per voluntatem ipſius, quæ ſumma ſapientia regitur. Ceterum hinc intelligitur, quomodo principium rationis ſufficientis influat in demonſtrationem unitatis divinæ, ita ut abſque eo firmiter non demonſtretur, nonniſi unum exiſtere Deum, ac impoſſibile eſſe ut plures exiſtant; quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis liquet, quomodo una cum principio rationis ſufficientis nexus rerum in hoc univerſo influat in demonſtrationem, qua evincitur, nonniſi unum Deum eſſe creatorem, conſervatorem ac gubernatorem hujus univerſi.

§. 1108.

Vita Dei conſiſtit in continuo intellectus ac voluntatis actu. Deus eſt ſpiritus (§. 124). Quamobrem cum ſpiritus intellectu & voluntate libera gaudeat (§. 643 *Pſychol. rat.*), adeoque actuoſus ſit, quatenus actu intelligit atque vult (§. 108); Deus quoque actuoſus eſt, quatenus intelligit & vult. Enimvero intellectus divinus (§. 163), perinde ac voluntas, actus eſt, non facultas (§. 356), iſque unicus (§. 160. 355), æternus (§. 319) atque immutabilis (§. 160. 368). In unico igitur, æterno & immutabili, ideoque continuo intellectus & voluntatis actu (§ 554 *Ontol.*) actuoſitas ejus conſiſtit. Quamobrem cum vita entis cujuſcunque in continua actuoſitate ejuſdem conſiſtat (§. 108); vitam Dei in continuo intellectus & voluntatis actu conſiſtit.

Vita Dei in quo conſiſtat.

Deus nimirum ſpiritus vitam ſpiritus vivit, & ſpiritus infiniti vitam infiniti vivit ſpiritus. *Carteſiani* actum intellectus & voluntatis communi nomine cogitationem appellant, ac ideo vitam Dei in cogitatione conſiſtere affirmant, conſentientes in re, etſi in verbis diſſentire videantur. Actiones Dei ad extra, quales ſunt creatio, conſervatio & gubernatio hujus univerſi, ſunt Dei vivi, ſed non vita ipſa in actu omnipotentiæ extra ſe operantis conſiſtit; cum enim liberrime mundum aliquem produxerit (§. 431), adeoque nullum producere potuiſſet, ſi libuiſſet (§. 430); non minus vivus fuiſſet, quam ubi mundum creavit creaturamque conſervat ac gubernat. Ceterum dum actum voluntatis & intellectus divinum continuum appellamus, notio continuitatis, proprie nonniſi in compoſito locum habentis, per analogiam ad illum transfertur, quemadmodum fert uſus loquendi...

§. 1109.

Creaturæ viventes omnes vitam a Deo habent. Etenim creatura nulla ſeipſam conſervare poteſt, ſed a Deo conſervetur neceſſe eſt (§. 843), adeo-

Dependentia vitæ

que

creaturarum a Deo.

que etiam viventes a Deo conſervantur. Jam cum creatura nulla ſine conſervatione divina quicquam agere poſſit (§. 870) & ad ſingulas ejus actiones per ejuſdem conſervationem concurrens (§. 874) vires agendi ei largiatur (§. 876); viventes quoque vires, quas habent agendi, a Deo habent, conſequenter cum vivum ſit, quod vi activa prædirum (§. 107), & in continua actuoſitate, qua vi intrinſeca in vivente actuantur, quæ per eſſentiam in eodem poſſibilia, vita conſiſtat (§. 108), quin creaturæ viventes omnes vitam a Deo habeant, dubitari nequit.

Hæc propoſitio uſui eſt in philoſophia practica, ubi agitur de jure hominis in vitam ſuam & aliorum. Patet autem ex demonſtratione, hominem non vivere niſi dependenter a Deo ipſiuſque vita, modo eandem in ſua principia reſolvere noveris. Vita igitur creaturæ nulla eſt ſine vita Dei, etſi Deus vivat independenter a re omni alia (§. 113). Unde patet differentia vitæ creaturarum a vita Dei: hæc enim prorſus independens eſt, illa autem tota dependens.

§. 1110.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad immutabilitatē.

Juxta Sacram Scripturam Deus prorſus immutabilis. Emphaticus eſt locus *Jac.* I. 17, quo idem aſſeritur. Etenim Apoſtolus ait, apud Deum, quem Patrem luminum vocat, non eſſe tranſmutationem, nec viciſſitudinis obumbrationem. Ex contextu liquet, Apoſtolum inculcare, quod boni agendi vires homo accipiat a Deo, qui quicquid bonum ac perfectum dare debeat. Et ut Deum boni conſtantem datorem agnoſcamus, addit, quod nulla tranſmutatio, imo ne quod umbram quidem alicujus viciſſitudinis referre poſſit, penes Deum locum habeat. Cum Deum Patrem luminum vocet, facile colligitur, hoc ipſo nos moneri, ne, quæ de immutabilitate Dei dicuntur, ad ſolam voluntatem; verum etiam ad intellectum referamus. Et quia de datione boni ſermo eſt, ad potentiam quoque extendenda ſunt. Ne vero quis exiſtimet, ex accidente fieri poſſe, ut quædam mutatio accidat; emphatice admodum affirmat, ne umbram quidem viciſſitudinis penes Deum locum habere. Atque adeo patet, Apoſtolum docere Deum prorſus immutabilem eſſe, ita ut nihil in eo concipi poſſit, quod non ſemper ſit idem.

Quodſi quis demonſtrationem pleniorem immutabilitatis divinæ, quam ſupra dedimus (§. 1009), perpenderit; is perſpiciet, Apoſtolum eodem modo omnimodam Dei immutabilitatem probare, quo eandem evicimus. Unde demonſtratio iſta verbis Apoſtoli lucem affundit, quatenus attentionem excitat, ne quid facile eidem ſeſe ſubducat, quod in contextu latet.

§. 1111.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad negationem exiſtentiæ

Deus juxta Sacram Scripturam non eſt in tempore. Juxta *Jacobum* loc. cit. penes Deum nulla eſt viciſſitudinis obumbratio, hoc eſt, nihil in Deo datur, quod vel minimam viciſſitudinis, adeoque ſucceſſionis (§. 569 *Ontol.*) ſpeciem mentiatur, quemadmodum umbra quoad terminos ſuos aſſimilatur corpori, a quo projicitur. Quamobrem cum tempori locus non ſit abſque exiſtentibus ſucceſſivis in continua ſerie (§. 574 *Ontol.*); juxta *Jacobum* nullum in

lum in Deo locum habet tempus, imo ne habere quidem videtur, conſequenter Deus in tempore non eſt. *in tempore.*

Hinc & nullum quoad Deum temporis diſcrimen eſt. Ita *Pſalm.* XC. 4, mille anni ante oculos Dei dicuntur eſſe tanquam dies heſterna, quæ præterit. Et *Petrus* II. c. 1. 3 affirmat, unum diem apud Dominum eſſe ſicut mille annos, & mille annos ſicut diem, ut adeo quoad Deum inter diem unum & annos mille nulla intercedat differentia.

§. 1112.

Consenſus Sacræ Scripturæ quoad identitatem eorum, quæ Deo inſunt, conſtantem.

Deus juxta Sacram Scripturam ſemper idem manet ab æterno in æternum. Diſertis verbis hoc docetur *Pſalm.* CII. 27. Etenim de cælis & terra, hoc eſt, phraſi Hebræorum, de toto mundo dicitur, quod periturus ſit, quod Deus mutaturus ſit eundem: aſt de ipſo Deo ex adverſo aſſeveratur, quod permaneat, quod idem ipſe ſit, nec anni ejus unquam finiantur. Ex oppoſitione Dei ac mundi clariſſime elucet, ex mente Scriptoris ſacri, Deum ſemper eſſe eundem & quidem ab æterno in æternum, quemadmodum evicimus ſupra (§. 1013), ita ut probatione non ſit opus.

§. 1113.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad omnipræſentiã Dei.

Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda omnipræſentia, quæ locali per eminentiam reſpondet, ita ut in loco quidem non ſit proprie loquendo, ſit tamen ut in loco. Deus *Actor.* XVII. 27 οὐ μακρὰν non procul eſſe dicitur ab unoquoque noſtrum, idque ex eo probatur *verſ.* 28, quod in eo vivamus, moveamur & ſimus, ſeu ut ante legitur *verſ.* 25, quod omnibus det vitam, inſpirationem & omnia. Uberius explicata hæc leguntur *Pſalm.* CXXXVIII. 7 & ſeqq. ubi *David*: Quo ibo, inquit, a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me & tenebit dextera tua. Ipſe denique Deus apud *Jeremiam* c. XXIII. 23. Putaſne, inquit, Deus e vicino ego ſum & non Deus de longe? Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum? Numquid non cælum & terram ego impleo? Conſtat per cælum & terram ſtylo Hebræorum intelligi mundum (§. 68), & non procul eſſe ſeu vicinum aut propinquum eſſe idem omnino eſt ac præſentem eſſe phraſi noſtra: de quo cum nulla ſit dubitatio, ut prolixe probetur opus non eſt. Ex verbis adeo Davidis liquet, nullum neque in tota terræ ſuperficie, neque intra eandem, neque in cælis, adeoque in univerſo mundo reperiri poſſe locum, ubi rei in eodem exiſtenti præſens non ſit Deus. Juxta Sacram Scripturam itaque præſentia Dei extendenda eſt ad omnia, quæ in hoc univerſo exiſtunt, ubicunque extiterint. Quamobrem cum omnipræſentia ſit præſentia ad entia omnia a ſe diverſa extenſa (§. 1054); Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda eſt omnipræſentia. Præſentia Dei ab Apoſtolo probatur ex eo, quod Deus nobis exiſtentiam continuo largiatur, & vires agendi impertiatur, conſequenter eodem prorſus modo, quo ſupra (§. 1046) demonſtravimus, Deum eſſe præſentem rebus omnibus in toto univerſo. Quamobrem cum

demonſtratio noſtra reſolvatur in notionem præſentiæ ſupra explicatam (§. 1018), quin ea ſit menti Sacræ Scripturæ conformis dubitari nequit. Juxta Sacram Scripturam Deus ens ſimplex eſt (§. 100) atque inextenſus (§. 102), & incorporeus (§. 103). Quamobrem cum omne corpus ſit in loco (§. 1033), adeoque extenſione ſua partem quandam ſpatii impleat (§. 1032), ſubſtantia vero ſimplex in loco eſſe nequeat (§. 1033); nec juxtà Sacram Scripturam dici poteſt, Deum eſſe in loco, & rebus præſentem ſubſtantiæ ſuæ diffuſione. Ipſe tamen Deus affirmat, ſe cælum atque terram, hoc eſt, totum mundum implere. Quamobrem cum id fieri nequeat ſubſtantiæ ſuæ diffuſione, quippe quæ ſimplicitati repugnat *per demonſtrata*; proprie loquendo in loco non eſt: eſt tamen ut in loco ex mente Sacræ Scripturæ, atque adeo juxta Sacram Scripturam Deo tribuenda præſentia localis per eminentiam, qualem ipſi vindicavimus (§. 1105): & cum ex mente Sacræ Scripturæ Deus præſens ſit rebus omnibus in quibuſcunque hujus univerſi locis exiſtentibus; præſentia localis per eminentiam, explicanda eſt per exiſtentiam ut in loco (§. 1044), quemadmodum & a nobis factum eſt (*not.* §. 1105).

Ex demonſtratione propoſitionis præſentis manifeſtus eſt pleniſſimus notionis præſentiæ ac omnipræſentiæ divinæ, quam dedimus, cum Sacra Scriptura conſenſus. Unde porro liquet, quicquid in ſuperioribus de præſentia rerum & omnipræſentia divina demonſtratum fuit, in interpretatione illorum Sacræ Scripturæ locorum uſum habere, in quibus de præſentia Dei agitur.

§. 1114.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad actionum rectitudinem & ſanctitatem.

Juxta Sacram Scripturam actiones Dei omnes rectæ ſunt, & ſanctus dicitur eodem ſenſu, quo actionum rectitudinem & ſanctitatem eidem vindicavimus in ſuperioribus. Deus dicitur rectus, ישר, *Pſalm.* XXIV. 8, ac ideo docere deerrantes in via, quemadmodum fert litera textus Hebræi, ſeu, ut vertit vulgatus interpres, legem dare delinquentibus in via. Facile apparet rectitudinem de Deo prædicari reſpectu actionum, ſeu eum dici rectum ob rectitudinem actionum. Deus ſuperiorem ſe non habet, adeoque actiones ejus rectæ dici nequeunt, quatenus conveniunt voluntati alterius, quemadmodum recte facere dicitur ſervus, quia facit quod vult Dominus. Relinquitur itaque actionem divinam eſſe rectam, quatenus convenit ejus attributis, ſeu nulli attributo contradicunt, quemadmodum ſupra actionum liberarum rectitudinem explicavimus (§. 950) & eandem Deo vindicavimus (§. 1061).

Deus etiam in Sacra Scriptura dicitur ſanctus. Ita enim Angelorum unus clamat ad alterum *Jeſ.* VI. 3, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Et *Lev.* XIX. 2 Deus Judæos ſanctos eſſe jubet, quia ipſe ſanctus eſt. Quoniam 1. Theſ. c. IV. 3 Apoſtolus affirmat, hanc eſſe voluntatem Dei, ſanctificationem noſtram, ut abſtineamus a fornicatione, fornicatio vero in illarum actionum numero eſt, quæ rectæ non ſunt; ſanctitatem referri ad

ri ad actiones rectas liquet. Sanctitas tribuitur adeo agenti ob actiones rectas, conſequenter denotare nequit niſi voluntatem conſtantem & perpetuam faciendi, quod rectum eſt, & non faciendi, quod rectum non eſt, quemadmodum ſupra explicavimus (§. 1063). Juxta Sacram Scripturam igitur Deus dicendus eſt ſanctus, quia nunquam vult, niſi quod rectum eſt, velle autem nequit, quod rectum non eſt; quo ſenſu ſupra ſanctitatem ipſi vindicavimus (§. 1065).

Quando itaque Deus nos ſanctos eſſe jubet, quia ipſe ſanctus eſt; non aliud præcipit, quam ut ſemper velimus quod rectum eſt, & ab hac voluntate nunquam ulla ratione nos dimoveri patiamur, quemadmodum ipſe ſemper vult, quod rectum eſt, & ſe ab hac voluntate nulla unquam ratione dimoveri patitur, & quia ipſe non vult niſi quod rectum eſt, & ſe ab ea voluntate nunquam dimoveri patitur. Cum enim ipſemet velle nequeat, niſi quod rectum eſt; ideo nec placere poteſt, niſi quod rectum eſt. Hinc ſanctificari dicimur, quatenus voluntas dirigitur in id, quod rectum, conſequenter quod Dei voluntati conforme eſt. Unde ſanctificatio conſiſtit in directione voluntatis ad id, quod rectum eſt, ſeu voluntati divinæ conforme. Et ſanctum ſe probat, qui rectus eſt judicio Dei, rectis actionibus ex ſanctitate provenientibus.

§. 1115.

Qualis Dei ſanctitas juxta Sacram Scripturam.

Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda ſanctitas abſolute ſumma. Cum Hebræi careant ſuperlativo, nec in textu Hebræo occurrere poteſt vocabulum, quod Latinorum ſuperlativo reſpondeat. Dicitur autem ſanctus κατ' ἐξοχὴν, ita ut adjectivum ſanctus ſumatur ſubſtántive tanquam ſynonymon Dei veri, veluti *Jeſ.* XL. 25, & Deus dicatur Sanctus Iſraelis *Jeſ.* XXXVII. 23, & Sanctus Jacobi *Jeſ.* XXIX. 23, quemadmodum ibidem dicitur Deus Jacobi. Juxta Sacram Scripturam itaque ea Dei ſanctitas eſt, qua major enti cuidam alteri, imo cui æqualis alteri convenire nequit. Non igitur dubitari poteſt, quin ex ejus mente Deo tribuenda ſit abſolute ſumma.

§. 1116.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad juſtitiã.

Juxta Sacram Scripturam Deus juſtus eſt eodem ſenſu, quo ſupra eundem juſtum eſſe evicimus, & juſtitia etiam vindicativa eidem tribuenda. Deus *Pſ.* CXLIV. 17, juſtus dicitur in omnibus viis ſuis & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Deus ſanctus eſt (§. 1065), quatenus non vult niſi quod rectum eſt (§. 1064), conſequenter in operibus ſuis ſanctum ſe probat, quatenus nil facit, niſi quod rectum eſt. Enimvero rectitudo actionum ſpectatur in earundem ad agentem relatione (§. 950), adeoque ſanctitas in relatione operum divinorum, hoc eſt, omnium quæ Deus facit, ad ipſummet ſeu voluntatem ipſius. Quoniam itaque juſtitia ſanctitati contradiſtinguitur, ea ſpectari nequit in relatione actionum ad voluntatem ipſius, quatenus nempe ea non dirigitur niſi in id, quod rectum eſt, ſeu attributis divinis convenit. Neceſſe igitur eſt, ut juſtitia ſpectetur in actionibus divinis, quatenus extra ipſum referuntur ad entia alia ab ipſo diverſa, conſequenter ad creaturas, quoniam ex anterioribus ſatis patet, nihil præter Deum exiſtere, quod non ſit creatura: id quod brevitatis gratia prolixa demonſtratione evincere ſuperſedemus, cum a nemine, qui mundi dependentiam a Deo uno ad-

 mittit,

Digitized by Google

mittit, in dubium vocetur. Et ſane ubi in Sacris homines Deo juſtitiæ laudem tribuunt; eum juſtum pronunciant, quatenus in rectitudine actionis divinæ nihil reprehendi poteſt quoad ipſos. Exemplo eſto Pharao *Exod.* IX. 27. Etenim cum Hebræos dimittere nollet, & Deus poſt alias plagas, quibus Pharao ad mutandum propoſitum adduci minime poterat, univerſam terram Ægypti grandine prægrandi percuteret inter tonitrua & fulgura, non ſine maximo damno hominum & pecudum, frugum inprimis ac arborum; Pharao Deum hoc facientem juſtum appellat. Deus plagis, quibus afficiebat Ægyptum, utebatur tanquam medio, quo id obtineret, ut Hebræi ſalvi ac incolumes ex terra Ægypti emigrarent, Pharaone Rege non reſiſtente. Pertinet igitur hæc actio ad ſapientiam divinam (§. 678 *Pſychol. rat.*), Deo juxta Sacram Scripturam eodem ſenſu tribuendam, quo nos eam ſumimus (§. 686). Durum videbatur tot plagis affici Ægyptum, propterea quod Rex dimittere nollet ſubditos, ut pro lubitu emigrarent & ſeſe imperio ejus ſubducerent, adeoque plagæ iſtæ repugnare videbantur bonitati divinæ, quam ſummam eſſe ſupra demonſtravimus. Pharao tamen non accuſat bonitatem divinam, nec conqueritur de nimia Numinis ſeveritate, ſed factum Dei ad ſe referens & agnoſcens, quod ſit ad voluntatem ſuam flectendam neceſſarium, per ſapientiam divinam rectum agnoſcit, quod per bonitatem minus rectum dici poſſe videbatur, ac ideo Deum juſtum appellat. Vocat igitur juſtum, quatenus bonitatem ſapientiæ attemperat, adeoque eadem ipſi fuit juſtitiæ notio, quam ſupra propoſuimus (§. 1067) & cui convenienter evicimus Deum eſſe juſtiſſimum (§. 1070). Judicium Pharaonis de facto Dei, quemadmodum ex contextu liquet, non alio fine recenſetur, quam ut malignus ejus animus pateat, quod plaga ceſſante populum dimittendi voluntatem denuo mutaverit, ac ut extra omnem dubitationem ponatur, recte feciſſe Deum, quod plagas duriores præcedentibus adderet. Probatur igitur ab Hiſtorico ſacro judicium Pharaonis: ſed non probaretur, niſi termini acciperentur eo ſenſu, quo ſumſit Pharao. Ex auctorum itaque Sacræ Scripturæ mente dicendum eſt, juſtitiam eſſe temperamentum bonitatis divinæ per ſapientiam ſummam factum. Juſtitiam vindicativam in Sacra Scriptura tribui Deo, adeo exploratum eſt omnibus, qui eandem vel obiter legerunt, ut ſupervacaneum videatur id probare velle. Etenim ea decernuntur pœnæ, & decretæ irrogantur male facientibus (§. 1080). Deus autem in Sacra Scriptura non modo pœnas ſtatuere legitur in male facientes; verum etiam ideo juſtus appellatur. Unicum adduxiſſe ſufficiat locum, quo idem probatur. David *Pſalm.* VII. 12 Deum vocat judicem juſtum & eum quotidie minari aſſeverat: quales vero ſint illæ minæ, & quomodo Deus exequatur, quod minatus eſt, ipſemet docet *Exod.* XX. 5, ubi ſe perſequi affirmat iniquitatem parentum in liberos vel ad tertiam uſque & quartam oſorum ſui generationem. Et Chriſtus inprimis

Matth.

Matth. XXV. 41 & ſeqq. ſupplicio afficiendos æterno docet eos, qui male fecerint in hac vita.

Juſtitiæ notionem, quam ſupra ſtabilivimus (§. 1067), menti Sacræ Scripturæ conformem eſſe, forſan dubitari poterat ab iis, qui animum ad probationem allatam advertunt. Vix enim credibile videbitur, Pharaonem, dum Deum probante Scriptore Sacro juſtum appellavit, animo perpendiſſe, quod plagis horrendis Ægyptum afficiens non agat quidpiam bonitati ſummæ adverſum, quia eaidem exigit ſapientia ſumma. Enimvero facilis eſt reſponſio. Non nobis quæſtio eſt de eo, quod diſtincte expendit Pharao; ſed quod continetur in perceptionibus ejus confuſis, quodque adeo diſtincte perpendiſſet, ſiquidem notiones confuſas ad diſtinctas revocaſſet. Quod igitur facta notionum confuſarum evolutione in iis deprehenditur, id omnino in diſtincta notione ponendum, ne diſtincta diverſa ſit a confuſa. Quid vero inſit notionibus confuſis, ex circumſtantiis præſentibus colligendum, obſervatis legibus animæ in uſu facultatum inviolabilibus, quas in Pſychologia expoſuimus. Totum vero ſtudium philoſophi in eo collocatur, ut notiones confuſæ revocentur ad diſtinctas, oſtendendo quid hiſce inſit.

§. 1117.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad beatitudinem Dei.

Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda eſt beatitudo eodem ſenſu, quo eam ipſi vindicavimus. Deus beatus dicitur 1. *Tim.* VI. 15. Videndum vero, quonam ſenſu. Vocabulo Græco μακάριος reſpondere Hebraicum אשרי nemo linguæ utriuſque vel mediocriter gnarus novit. Quamobrem ad indagandam notionem beatitudinis, juxta Sacram Scripturam Deo tribuendæ, uſui ſunt tum loca veteris Teſtamenti, in quibus vocabulum אשרי occurrit; tum loca novi, in quibus Græcum μακάριος extat. Virum beatum dicit David *Pſalm.* I. 1 & ſeqq. qui nec impiorum conſiliis aurem præbet benignam, nec eorum male facta imitatur; ſed cui conſtans & perpetua voluntas non faciendi, niſi quæ legi divinæ conveniunt, conſequenter quæ vult Deus, ac qui ideo in lege divina die ac nocte meditatur, conſequenter nihil induſtriæ ſuæ in eo deſiderari patitur, ut quid voluntati divinæ conveniat, in dies magis magiſque cognoſcat. Comparat autem virum beatum cum arbore ad aquæ rivum ſata & fructum ſuum ſuo tempore ferente, quo ipſo innuit, eundem in cognitione veritatis ad actiones recte dirigendas utilium continuo proficere & actiones ſuas ad rectitudinem componere, quippe actiones rectæ fructibus comparantur, quos edit arbor. Perficitur intellectus, dum in veritatis ad rectam actionum directionem utilis cognitione proficit. Perficitur voluntas & homo integer, quatenus actiones liberæ ſpectantur quoad animam & corpus, dum promptitudinem actiones ad rectitudinem componendi eaſque exequendi conſequimur. Atque adeo liquet Davidem vocare hominem beatum ob continuum eumque non impeditum progreſſum ad majores in dies perfectiones, conſequenter menti Sacræ Scripturæ conformem eſſe notionem beatitudinis, quam dedimus ſupra (§. 1086). Jam cum Deus juxta Sacram Scripturam ſit prorſus immutabilis (§. 1110); continuo progredi nequit ad majores perfectiones, conſequenter ejus beatitudo conſiſtere nequit ex mente Sacræ Scripturæ niſi in non impedita poſſeſſione ac fruitione perfectionum, quas habet, conſequenter in Sacra Scriptura beatus dicitur eodem ſenſu, quo nos eum beatiſſimum eſſe evicimus (§. 1089).

Notio-

Notionem beatitudinis per multa alia Sacræ Scripturæ loca ſtabilire poteramus niſi dicta pro inſtituto noſtro ſufficerent. Sane beatitudo æterna a Chriſto fidelibus promiſſa, in progreſſu ad majores in dies perfectiones conſiſtit, quemadmodum facile intelliget, qui quæ in promiſſis divinis contineantur, intelligit. Sed hæc Theologis evolvenda relinquimus.

§. 1118.

Conſenſus Sacræ Scripturæ quoad unitatem.

Deus juxta Sacram Scripturam nonniſi unus eſt, nec datur præter ipſum alius, qui ſit Deus. Unitatem Dei maxime urget Sacra Scriptura. Ita Moſes *Deuter.* VI.4, Audi, inquit, Iſrael, Dominus Deus noſter Deus unus eſt. Quoniam Moſes Hebræos ad attentionem excitat, dum unitatem Dei iiſdem inculcat; eandem tanquam dogma maximi momenti proponit. Atque adeo liquet Sacra Scriptura maxime urgere unitatem Dei. Unitatem Dei in novo Teſtamento urgent quoque Apoſtoli. Ita Paulus *Epheſ.* IV. 6 & 1.*Tim.*II. 5, unus eſt, inquit, Deus. Quod vero præter hunc Deum, quem cæli terræque creatorem colimus, non ſit alius, diſertis verbis docet Moſes *Deuter.* IV. 35, non alium eſſe Deum præter unum, qui Hebræos eduxerat ex Ægypto, pronuntians. Et Deus ipſe *Jeſ.* XLIV. 6 & c.XLV. 21. 22 repetita vice affirmat, præter ſe non eſſe alium, qui ſit Deus. Similiter Apoſtolus 1.*Corinth.* VIII.4, nullum eſſe Deum niſi unum docet.

Quæ de Trinitate revelantur in Sacra Scriptura, ea rationi impervia ſunt & in illorum numerum referenda, quæ rationi ſuperaddit revelatio, conſequenter hujus loci non ſunt.

§. 1119.

Qualis ſubſtantia ſit Deus.

Deus eſt ſubſtantia prima & increata. Eſt enim ſubſtantia per eminentiam (§. 1005) atque ens omnium primum (§. 92). Eſt ergo ſubſtantia prima. *Quod erat primum.*

Ortus vero non eſt (§. 79), adeoque ex ſtatu poſſibilitatis in ſtatum actualitatis perductus non eſt (§. 541 *Ontol.*), conſequenter nec ex nihilo productus (§. 690 *Ontol.*). Quamobrem cum ex nihilo productum ſit, quicquid creatum eſt (§. 697 *Pſychol. rat.*); Deus ſubſtantia increata eſt. *Quod erat alterum.*

§. 1120.

Qualis cauſa ſit Deus.

Deus omnium rerum cauſa prima eſt, creaturæ ſunt cauſæ ſecundæ, dependenter a prima operantes. Etenim contingentia in mundo non habent rationem ſufficientem actualitatis ſuæ in ſerie ſucceſſivorum, ſed in ente alio extra ſeriem iſtam conſtituto, eoque neceſſario (§.90 *Coſmol.*). Quamobrem cum ens iſtud neceſſarium, in quo ratio ultima eorum, quæ in hoc mundo adſpectabili ſunt atque fiunt, continetur, Deus ſit (§.67.71), cauſa vero prima ſit, in qua ratio actualitatis eorum, quæ in hoc mundo adſpectabili ſunt atque fiunt, continetur (§.866. 881 *Ontol.*); Deus utique eſt rerum omnium cauſa prima.

Cum adeo creaturæ, utpote a Deo creatæ (§. 777), adeoque productæ (§.697 *Pſychol.rat.*), non ſint cauſæ primæ *per demonſtrata*, cauſa vero ſecunda dicitur, quæ primæ ſubeſt, ſeu prima nonniſi exiſtente datur; creaturæ non ſunt niſi cauſæ ſecundæ.

Enim-

Enimvero creaturæ in agendo a Deo dependent (§. 879). Quamobrem cum ſint cauſæ ſecundæ, prima autem Deus ſit *per demonſtrata*; cauſæ ſecundæ non agunt ſive operantur niſi dependenter a prima.

Quoniam cauſæ primæ ac ſecundarum frequens mentio fieri ſolet tum a philoſophis, tum a Theologis; propoſitionem præſentem addere conſultum duximus coronidis loco.

F I N I S

Partis Primæ Theologiæ Naturalis.

Digitized by Google

INDEX

CAPITUM, CONSPECTUM TOTIUS OPERIS EXHIBENS.

Theologiæ naturalis Prolegomena, pag. 1

PARS I.

Qua exiſtentia & attributa divina a poſteriori demonſtrantur.

CAPUT I.

De Exiſtentia Dei & Attributis inde pendentibus, 13

CAPUT II.

De Intellectu Dei, & Attributis inde pendentibus, 62

CAPUT III.

De Potentia & Voluntate Dei, 163

CAPUT IV.

De Sapientia & Bonitate Dei, 301

CAPUT V.

De Creatione & Providentia divina, 389

CAPUT VI.

De Jure Dei in creaturas, 493

CAPUT VII.

De Attributis Divinis, quæ per anteriora demonſtrantur, 519

Finis Conſpectus totius Operis.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

In quo Numeri Paragraphos denotant.

A

Abuſus, Definitio, 646
Abutendi libertate potentia num ab homine tolli poſſit, 718
Abuſus libertatis cauſa mali moralis, 580. in ſe præſcibilis & ab æterno præſcitus a Deo, 713. cur a Deo permittatur, 714. cur non obſtet perfectioni mundi, 715. num a Deo impediri potuerit, 715. quomodo impediri poſſit, 716. an eum impedire Deum deceat, 717. an ſit neceſſarius, 720
Abuſus libertatis permiſſio num bonitati divinæ repugnet, 722
Accidentia a natura ad actum perducuntur, 854
Actio quo ſenſu Deo tribuatur, 1008. infert præſentiam reſpectu patientis, 1020
Actiones, ad quas homo obligatur, 975. & ſeqq.
Actiones creaturarum quantum a Deo dependeant, 881
Actiones Dei rectæ, 1059. juſtæ, 1075
Actiones externæ quænam dicantur, 567. quomodo phyſice & moraliter ſpectentur, 568
Actiones humanæ. Diviſio in externas & internas, 567. Dependentia a Deo, 882. directio voluntati divinæ conformis, 905. 906. 910. directio voluntati divinæ contraria, 921. directio ad imperfectionem univerſi, cur non impediat ſummam mundi perfectionem, 921. reſpectus ad alios directus & indirectus, 1068
Actiones internæ quænam dicantur, 567. quomodo phyſice & moraliter ſpectentur, 568. ordo earum naturalis, 570
Actiones liberæ quænam dicantur, 913. quomodo inficiantur malo morali, 580. cur ſecundum voluntatem Dei determinandæ, 970
Actiones malæ num turbent ordinem naturalem modificationum animæ, 578
Actiones malæ externæ quomodo actuentur, quatenus phyſice ſpectantur, 572. quomodo ſeſe habeant in conſuetis ſyſtematis explicandi commercium animæ ac corporis, 573. quomodo ſe habeant ad corpus & ſtatum externum, 575
Actiones malæ internæ quomodo actuentur, quatenus phyſice ſpectantur, 569. quales ſint quoad animam, 574
Actiones naturales quænam dicantur, 913. cur liberæ cum iiſdem eodem modo determinandæ, 914. 915. non diverſo, 916
Actio recta & minus recta quænam dicatur, 950
Actionum ſpecificatio undenam ſit, 878
Actualitas rerum unde pendeat, 433
Actualitatis contingentium ratio ultima, 438. juxta Sacram Scripturam, 440
Actuoſitas quid ſit, 108
Adverſarii auctoris vociferationes abſurdas continuant, 68. confunduntur, 993
Æternitas. Definitio 39. quomodo Scholaſticorum definitio intelligenda, 39. quomodo differat a tempore infinito, 42. 1016. cur tempori incommenſurabilis, 40. immenſitas evicta, 42. & imaginabilis effecta, 43
Æternitas Dei evicta, 74. conſenſus Sacræ Scripturæ, 76. ejus incommunicabilitas, 1017
Æternitas cognitionis divinæ, 319
volitionis ac nolitionis divinæ, 319
Æternitas decretorum divinorum, 504
juxta Sacram Scripturam, 593
eſſentiarum, 195
Æternum quid dicatur, 39
Affectus cur in Deum proprie non cadant, 1103. quomodo inſint per eminentiam, 1104. in quos errores hic facilis eſt prolapſus, 1104
Amoris Dei univerſalitas, 746. objectum, 704.
Amoris rerum inanimatarum & brutorum ſignum, 703
Animæ cur non ſint entia a ſe, 59. quale ſint ens, 559. quid ſint reſpectu Dei, 786. quando a Deo creatæ, 780. 783. exiſtentia non in loco, 1043, ſed ut in loco, 1045. illocalitas, 1034. præſentia mediata & immediata in corpore, 1029. præſentia illocalis, 1042. quomodo ſint præſentes ſuis corporibus & partibus quibuslibet, 1028. vita qualis ſit, 109
Anima humana qualis ſit ſpiritus, 139. in quo ente exiſtentiæ ſuæ rationem ſufficientem habeat, 64. a Deo conſervatur, 851. ſine concurſu Dei agere non poteſt, 871. ſeipſam annihilare, 865. & deſtruere nequit, 866. ſimilitudo cum Deo, 182
Animæ brutorum a Deo conſervantur, 858
Animæ natura per naturam Dei illuſtratur, 184

Anima mundi cur non ſit Deus, 559. error unde profluxerit, 559
Animalium Dominus quinam ſit, 966
Annihilatio cur in mundo non detur, 836. cur ſit miraculum, 869. quomodo fieret, 859. cur actionem poſitivam non requirat, 860. cuinam poſſibilis, 861. unde pendeat, 862
Annihilatio entis a ſe cur impoſſibilis, 38
Apertum quid dicatur, 579
Apperceptio continua in Deo, 187
Appetitus ſenſitivus cur Deo nullo modo convenire queat, 1101
Arenarius Archimedis quid ſibi velit, 43
Aſeitas quid ſit, 29. cur animæ repugnet, 59. cur mundo repugnet, 50. cur elementis rerum materialium competere nequeat, 52. cur atomis materialibus repugnet, 53. cur materiæ uniformi ac indiviſæ, & ſpatio imaginario contradicat, 54. non fluit ex ſimplicitate, 60
Athei quomodo optime refutentur, 12
Atomi materiales cur non ſint entia a ſe, 53
Attributa Dei unde in Theologia naturali deducenda, 6. unde fluant, 69. quo ſenſu indigitentur in Sacra Scriptura, 16. qualia Deo tribuenda, 115. quomodo caute demonſtrentur, 135. 137. quomodo eorum notiones acquirantur, 1095
Auditus Deo per eminentiam tribuitur, 1097
Averſatio ſenſitiva cur Deo competere nequeat, 1102
Auctor ordinis naturæ quinam dicatur, 762. quinam ſit, 763

B

B*Eatiſſimus* quinam ſit, 1088
Beatitudo. Definitio, 1085. gradus, 1086.
Beatitudo ſumma in quo conſiſtat, 1087. Deo vindicata, 1089
Beatitudo Dei juxta Sacram Scripturam, 11. cur incommunicabilis, 1090. 1091
Beneficia hominum quantum tribuenda bonitati divinæ, 742. etiam juxta Sacram Scripturam, 755
Bonitas. Definitio, 695. fons, 701
Bonitas erga bruta & res inanimatas, 702
Bonitas ſumma Deo vindicata, 699. etiam juxta Sacram Scripturam, 744. defenſa, 709. quomodo dijudicanda, 727. 728. cur homini dijudicatu impoſſibilis, 729. quinam eam agnoſcant, 908. ejus effectus, 733. & ſeqq. imperſcrutabilitas, 731. 732. incomprehenſibilitas, 730. immutabilitas, 1010. extenſio, 738. juxta Sacram Scripturam, 753
Bonitas Dei circa mala moralia, 727. in permiſſione abuſus libertatis, 722. in directione malorum, 733. quoad rerum uſum, 739. in directione actionum humanarum præſcribenda, 907. in præceptis & prohibitionibus, 992. in gubernatione univerſi, 903. in providentia divina, 928. in beneficiis hominum ſpectanda, 742
Bona in mundo quomodo pendeant a malo, 689. omnia Deo accepta ferenda juxta Sacram Scripturam, 752
Bona phyſica & moralia quomodo bonitati Dei adſcribenda, 737
Bonum, 370. in relatione ad aliud, 370. in relatione ad Deum quid dicatur, 394. quantum Deus conferat in creaturas, 698
Boni alieni a proprio inſeparabilitas ex voluntate Dei, 911
Bonus erga alios qui ſit, 696. quænam faciat, 696. ejus character, 697. ſignum, 700
Breviſſima via a Deo electa cur in caſu particulari cognitu difficillima, 637

C

C*Atalepſis* quid ſit, 475
Cauſa mali moralis, 580
Cauſa rerum qualis ſit Deus, qualis creatura, 1120
Certitudo executionis decretorum divinorum juxta Sacram Scripturam. 597
Chriſtianæ religionis hoſtes in quo eam impugnando peccent, 457
Coactio voluntatis divinæ cur impoſſibilis, 328
Cogitationum præſcibilitas, 235. præſcientia, 527. recordabilitas, 243. recordatio, 941. e longinquo prævíſio juxta Sacram Scripturam, 598
Cognitio conditionata Deo aſſerta, 304. etiam juxta Sacram Scripturam, 305. quando ad ſimplicem intelligentiam referatur, 306
Cognitionis eorum omnium, quæ rebus actu ineſſe poſſunt, poſſibilitas, 145
Cognitio Deo quo ſenſu tribuenda, 141. quænam juxta Sacram Scripturam tribuenda, 295
Cognitio diſtincta poſſibilium Deo vindicata, 156
Cognitionis divinæ neceſſitas, 318. univerſalitas, 154. etiam juxta Sacram Scripturam, 309. objectum, 141
Cognitio hiſtorica. Definitio, 252. Deo univerſaliter vindicata, 253. etiam juxta Sacram Scripturam, 256
Cognitio Numinis qualis ex Theologia naturali hauriatur, 3
Cognitio intuitiva Deo vindicata, 207
Cognitionis intuitivæ mundi rationalis umbra in homine, 269
Cognitio philoſophica Deo univerſaliter aſſerta, 266
Cognitionis philoſophicæ objectum, 265
Cognitio rerum abſtractarum Deo tribuenda, etiam juxta Sacram Scripturam, 209

Cognitio

Digitized by Google

Cognitio ſimultanea Deo vindicata, 160. etiam juxta Sacram Scripturam, 216
Cognitio ſingulorum cum cognitione omnium in Deo connexa, 261
Cognitio ſui intuitiva Deo juxta Sacram Scripturam tribuenda, 220
Cognitio ſymbolica omnia quod & quomodo Deo perſpecta ſit, 271. 277. 299. etiam juxta Sacram Scripturam, 299
Cognitio univerſalium Deo vindicata, 264. quomodo ex cognitione ſingularium reſultet, 147. qualis ſit in Deo, 270. qualis in homine, 276
Cognoſcibilia omnia in quonam contineantur, 153. quod Deo perſpecta, 554
Comprehenſibile quid dicatur, 171
Concurſus. Definitio, 872
Concurſus Dei ad actiones creaturarum, 874. juxta Sacram Scripturam, 944. ad quaſnam extendatur, 875. quo non extendendus, 889. quomodo fiat, 874. in quo conſiſtat, 876. ad actiones bonas qua tales, 994. ad actiones malas, 883. 884. 893. juxta Sacram Scripturam, 945. ad abuſum libertatis, 885. ad imperfectionem hominis num detur, 886
Congelatio quid dicatur Medicis, 475
Connubii Sacræ Scripturæ & rationis utilitas, 218
Conſenſus Sacræ Scripturæ cum philoſophia quomodo evincatur, 99
Conſervatio quid ſit, 842. 845. Deo vindicata, 843. etiam juxta Sacram Scripturam, 943. circa quid verſetur, 448. quomodo fiat, 449. 844. num mutationem in Deo inferat, 1009. cur ſit miraculum, 868. cur ad actiones animarum neceſſaria, 871
Conſervatio per cauſas ſecundas cur ſit providentiæ divinæ, 936
Conſequentiarii præcipitantiæ ſuæ admonentur, 570
Conſequentiariorum mos pervertendi dicta auctorum notatur, 549
Conſilium quid ſit, 983
Conſilium quo ſenſu juxta Sacram Scripturam Deo tribuatur, 590
Conſtantia voluntatis. Definitio, 1062
Conſultatio. Definitio, 498. cur decretum præcedat, 499. quando neceſſaria, 500. quomodo Deo tribuenda, 501. cur ea non habeat opus, 501
Conſultatio Dei quid ſit, 502. etiam juxta Sacram Scripturam, 590
Contingentia ab exiſtentia ſeparanda, 800
Contingentia animæ, 61
elementorum materialium, 56
mundi adſpectabilis, 55
Contingentium actus ratio ultima, 438. juxta Sacram Scripturam, 440
Contingentium veritas quomodo ante & poſt decretum ſpectetur, 538
Contingentium veritas determinata quomodo ſeſe habeat ad præſcientiam, 539. quomodo ſpectetur ante & poſt decretum, 538
Contradictiones cur non habeant locum in revelatione divina, 453
Contradictio apparens quando in revelatione divina locum habeat, 466
Contradictoria cur Deus velle & facere nequeat, 345
Contra rationem quid ſit, 455
Corpora quid ſint reſpectu Dei, 786. per eſſentiam exiſtunt in loco, 2043. quomodo voluntatem Dei exequantur, 969. hodie genita cur ſint creaturæ, 779. etiam juxta Sacram Scripturam, 790. quatenus conſervatione indigeant, 844. quomodo agant propter finem, 661
Corporis Deo per modum animæ uniendi impoſſibilitas, 158
Corporis cujuſvis idea in Deo qualis, 200
in *Corporum* ortu quid conſervetur, 831. in interitu quid conſervetur, 831. in corruptione num quid annihiletur, 830
Corpus omne cur ſit in loco, 1033
Corpus mortuum an animæ præſens eſſe poſſit, 1025
Coſmologiæ num ſit uſus in Theologia naturali, 15
Creatio mundi demonſtrata, 760. etiam juxta Sacram Scripturam, 782. quo ſenſu locum habeat in ſyſtemate auctoris contra obtrectatores, 760. in quo conſiſtat, 766. cur ſit unicus actus, 765. cur ſit miraculum, 768. quale ſit miraculum, 773. quod in conſervatione continuetur, 844. cur non inferat mutationem in Deo, 1009. an hodie obtineat, 834
Creator mundi. Definitio, 762. quinam ſit, 763. quinam juxta Sacram Scripturam, 788
Creaturæ quæ dicantur, 777. juxta Sacram Scripturam, 789. 790. quænam ſint, 778. & ſeqq. 781. & ſeqq. quid ſint reſpectu Dei, 785. juxta Sacram Scripturam, 791. cur malo metaphyſico carere nequeant, 786. cur ſine conſervatione divina agere non poſſint, 870. quomodo ſint ſpecula perfectionum divinarum, 799. quomodo annihilari poſſint, 833. num propria virtute exiſtentiam continuare poſſint, 840. num exiſtant virtute Dei, 841. cur nulla ſeipſam conſervare poſſit, 843. cur in agendo dependeant a Deo, 879. quales ſint cauſæ, 1120. quales cauſæ miraculorum, 473
Creaturarum a Deo dependentia qualis ſit, 881. cur accurate cognoſcenda, 800
Criteria revelationis divinæ, 451. & ſeqq.
Curſus naturæ conſtantia, 828

D

Decere ens liberum quid dicatur, 332

Decretum. Definitio, 497. quod Deo tribuendum etiam juxta Sacram Scripturam, 590

Decretorum liberorum animæ præſcibilitas, 233. recordabilitas, 241

Decretum Dei æternum, 504. juxta Sacram Scripturam, 591. liberrimum, 506. juxta Sacram Scripturam, 593. immutabile, 509. juxta Sacram Scripturam, 594. incomprehenſibile, 512. imperſcrutabile, 513. juxta Sacram Scripturam, 592. Deo dignum, 517. juxta Sacram Scripturam, 596. unicum, 520. in ſe intelligibile, 508. Deo penitus perſpectum, 511. Deum decens, 516. captum hominum tranſcendens, 514. ſapiens, 641. 642. univerſale, 926. cur non ſit caſus purus, 507. quale habeat objectum, 515. quales effectus, 522. ad quæ non extendendum, 518. quomodo tanquam multiplex ſpectetur, 521. quomodo influat in præſcientiam, 523. an contingentiam & libertatem tollat, 527. an in re decreta quid mutet, 526. quomodo verſetur circa fortunam, 545. quomodo quoad malum metaphyſicum, 546. 547, & phyſicum, 566. atque morale, 585. quomodo ſe habeat quoad melius, 551. quomodo influat in determinationem veritatis contingentium ab æterno, 538. quomodo referatur ad potentiam Dei, 555. cur ejus executio certa, 525. juxta Sacram Scripturam, 597

Decreta temporaria Dei nulla, 505

Demonſtratio quomodo rite perpendatur, 698

Demonſtrationes cur locum habere debeant in Theologia naturali, 2

Dependentia actionis creaturarum a Deo, 881. actionum humanarum a Deo, 882. creaturarum a Deo cur accurate cognoſcenda, 800

Deus. Definitiones, 125. 1093. definitio nominalis in uſum ſyſtematis, 67. ejus conſenſus cum Sacra Scriptura & criminationes inanes, 68. falſa notio, 73

Dei definitio nominalis cur in Theologia naturali neceſſaria, 5. qualis eligenda, 5. 7. quænam eidem inferenda, 7

Dei exiſtentia demonſtratur, 69. quomodo ex creatione mundi demonſtretur, 757. quando inſufficienter probetur, 8. cur in Theologia naturali non pluribus argumentis evincenda, 10. qualis ſit, 70. & ſeqq.

Deus non exiſtit in tempore, 1054. juxta Sacram Scripturam, 1115. non exiſtit in loco, 1043. ſed ut in loco, 1052

Dei eſſentia, 5. eſt ſpiritus, 124. independens, 125. & perfectiſſimus, 307. atque infinitus, 1007. intellectu, 122. etiam juxta Sacram Scripturam, 130. & voluntate libera, 123. etiam juxta Sacram Scripturam, 131 præditus. Naturæ ejus & animæ differentia, 186

Dei attributa. Eſt a ſe, 67. æternus, 74. juxta Sacram Scripturam, 76. ſempiternus, 75. juxta Sacram Scripturam, 77. incorporeus, juxta Sacram Scripturam, 102. 133. 134. inviſibilis, 89. juxta Sacram Scripturam, 96. inſenſibilis, 88. non imaginabilis, 88. incorruptibilis, 93. juxta Sacram Scripturam, 95. interitus expers, 94. non extenſus, 85. juxta Sacram Scripturam, 101. actuoſus, 105. juxta Sacram Scripturam, 106. ratione præditus, 140. ſenſu & imaginatione, 157. atque affectibus carens, 1103. vivus, 111. juxta Sacram Scripturam, 112. omniſcius, 302. ab errore immunis, 294. omnium eorum, quæ ſibi repræſentat, conſcius, 187. penitus intelligit quicquid vult, 316. auctor omnis veritatis, 190. ſolus inventor, 293. ſapientiſſimus, 640. juxta Sacram Scripturam, 686. hiſtoricus abſolute ſummus, 255. philoſophus abſolute ſummus, 268. omnipotens, 349. juxta Sacram Scripturam, 415. non niſi optimum volens, 407. juxta Sacram Scripturam, 406. ſumme bonus, 699. juxta Sacram Scripturam, 744. juſtiſſimus, 1070. juxta Sacram Scripturam omnipræſens, 1055. juxta Sacram Scripturam, 1113. ſibi ſufficientiſſimus, 428. juxta Sacram Scripturam, 429. voluptatis percipiendæ gratia nulla re indigens, 426. non alia re indigens ad ſui conſervationem, 424. omnium creator, 763. conſervator, 843. & gubernator, 900. ac Dominus, 997. ſemper idem ab æterno in æternum, 1053. juxta Sacram Scripturam, 912

Dei actiones. Omnes mundos poſſibiles ſibi repræſentat, 121. quænam cognoſcat, 151. 154. 155. 307. quomodo cognoſcat modum per ratiocinia perveniendi ad veritates univerſales ab intuitu remotas, 274. cur aliter judicet quam nos de perfectione rerum, 396. & de uſu earum, 447. quænam velit, 411. 385. juxta Sacram Scripturam, 412. quid velit reſpectu ſui, 335. quomodo omnia velit, 355. quod malum morale velle nequeat, 581. quod velit felicitatem creaturarum, 706. 707. quomodo ſe gerat in electione mundi, 334. mundum & elementa rerum materialium creavit, 758. 760, nec non animas hominum, 780, & brutorum, 783. omnia conſervat, 843. & gubernat, 900. ad actiones creaturarum concurrit, 874. ſervos ſuos amat, 998.

Digitized by Google

998. malos punit, 1078. nihil facit fruſtra, 663. ſolus quid annihilare poteſt, 861

Deus cur ſemper vigilet, nunquam dormiat, 185. juxta Sacram Scripturam, 215. hieroglyphice repræſentari poteſt, 95. qua in re a rebus materialibus diſtinguatur, 98. cur tanquam anima corpori uniri nequeat, 558. mundum facere nequit abſque malo metaphyſico, 377. quomodo mundum gubernet, 902. 903. quod non indigeat aliena informatione, nec alieno auxilio, 425. cur fortunæ non ſubſit, 542. quomodo verſetur circa actiones malas, qua tales, 890. cur non feneſcat, 1013

Dei animus erga homines, 705. cognitio qualis ſit, 156

Deo quænam tribui nequeant, 136. 137. cur aperta omnia, 180. quid maxime placeat, 330

Deum quinam imaginari velint, 89. quid deceat, 382

Dictum Sacræ Scripturæ quomodo extra ſcopum primarium ad probandum veritates alias transferatur, 210. num extra ſcopum primarium claſſicum eſſe poſſit, 210

Dictum Sacræ Scripturæ claſſicum in quo a ceteris differat, 96. ejus uſus, 96

Directio actionum quænam voluntati divinæ conformis, 605. 909. 910. quænam a Deo præcepta juxta Sacram Scripturam, 1000

Directio actionum ad alienam perfectionem cur Deus velit, 991

Directio actionum ad gloriam Dei quomodo contineatur ſub directione ad ſui perfectionem, 977. cur voluntati divinæ conformis, 918

Directio mali ad bonum finem quomodo faciat ad perfectionem, eamque majorem univerſi, 682. 683. quod ſit bonitatis, 733. juxta Sacram Scripturam, 749. & juſtitiæ divinæ, 1074. quod pertineat ad gubernationem univerſi, 904

Diſſuaſio quid ſit, 985

Divinitas in quo conſiſtat juxta Sacram Scripturam, 422

Dogmatum philoſophicorum cum Sacra Scriptura conſenſus & diſſenſus cur ſubinde æſtimatu difficilis, 422

Dogmata Theologiæ naturalis quænam ſint, 4

Dominium quid ſit, 959. quænam jura complectatur, 968. in quonam ejus uſus & abuſus conſiſtat, 976

Dominium plenum quodnam dicatur, 961

Dominium minus plenum quodnam dicatur, 962

Dominium plenum mundi ac naturæ Deo vindicatum, 963

Dominium in creaturas Deo competens juxta Sacram Scripturam. 999

Dominium rerum homini Deo conceſſum, 995. juxta Sacram Scripturam, 1003

Dominium generi humano toti competens quale ſit, 995

Dominus quinam dicatur, 964

Dominus creaturarum quinam ſit, 965. 966

Doni miraculoſi collatio in quo conſiſtat, 472. juxta Sacram Scripturam, 474

E

Ecſtaſis. Definitio, 475. exemplum ſingulare, 475

Effectus fortunæ finibus particularibus ſubordinati, 654

Effectus naturæ quomodo ſint præſcibiles, 232. quomodo fines a Deo intenti, 645. quomodo a miraculo pendeant, 774

Electio mundi libera a coactione interna, 351. quamnam habeat rationem objectivam, 325. quamnam ſubjectivam, 337

Electio mundi perfectiſſimi qualis intellectus ſit ſignum, 328. qualis voluntatis ſignum, 400

Electio mundi non perfectiſſimi cur ſignum intellectus perfectiſſimi eſſe nequeat, 329

Elementa rerum materialium cur non exiſtere potuerint, 57. cur non ſint a ſe, 52. ſed ab alio, 58. 756. facta a Deo, 758. in quonam rationem ſufficientem exiſtentiæ habeant, 64. quænam producenda, ut hic exiſtat mundus, 755. cur nullum in ortu corporum oriatur, 832. nullum in corporum interitu intereat, 830. cur in Theologiam naturalem ab Auctore introducta, 244

Elementa eadem quamdiu ſubliſtant, 835

Elementorum rerum materialium non exiſtentia in loco, 1043. illocalitas, 1035. præſentia, 1030. præſentia illocalis, 1041. vita, 510

Elementorum ſtatus præſcibilitas, 236. recordabilitas, 244. veritas determinata ab æterno, 531

per *Eminentiam* quomodo Deo competat ſcientia ſingularium & univerſalium, 300. quænam præterea per eminentiam ipſi competant, 1005. 1006. 1008. 1099. 1104. 1105

Ens omne quomodo Deum repræſentet, 818. quomodo eum repræſentet in ſyſtemate cum aliis, 819. quomodo a Deo dependeat, 817

Entia in mundo qualia ſint, 248

Ens a ſe. Definitio, 27. a quibus ſit diverſum, 62. ubi rationem exiſtentiæ habeat, 31. quomodo diſtinguatur ab entibus, quæ ſunt ab alio, 31. cur exiſtat, 34. an oriri & interire poſſit, 37. 46. cur annihilari nequeat, 38. cur compoſitum eſſe nequeat, 47. cur

non

Digitized by Google

non ſit extenſum, 48. qualia habeat prædicata, 65. quas proprietates, 30.& ſeqq. quando non niſi unum admittendum, 66
Entis a ſe exiſtentia, 29. qualis ea ſit, 32. 35. 36. privilegium in exiſtendo, 34. ſimplicitas, 49
Ens ab alio. Definitio, 28. in quonam rationem exiſtentiæ ſuæ habeat, 63
Entia ab alio quænam ſint, 58. 61
Ens compoſitum cur non ſit a ſe, 47
Ens finitum nullas mutationes ſubiens num ſit poſſibile, 1015
Ens limitatum cur ſit finitum, 573
Ens neceſſarium quale ſit ens, 33. cur vi propria exiſtat, 26. nec aliena indigeat, 26
Entis neceſſarii exiſtentia, 24.cur in ex demonſtranda cauſe ſit procedendum, 24
Ens primum. Definitio, 44. quale ſit, 45
Ens ſimplex cur non ſit a ſe, 60
Ens ultimum. Definitio, 44. quale ſit, 45
Entia univerſalia in ſyſtema referri poſſunt, 257
Entium univerſalium nexus expenditur, 257
Error cur non cadat in Deum, 294
Error circa mali metaphyſici inexiſtentiam notatur, 546
Erroris intrinſeca & extrinſeca poſſibilitas, 309
Errorum cognitio cur non dedeceat Deum, 310. falſa imputatio quæ culpa inficiator, 155
Errores ab hominibus committendos quomodo cognoſcat Deus, 310
Eſſentia divina in quo conſiſtat, 1094
Eſſentiæ divinæ infinitudo, 1004
Eſſentiæ rerum quomodo ſint ideæ Dei, 645
Eſſentiarum conſecutiones neceſſariæ, quomodo ſint fines, 645. quomodo ſubordinentur ſibi invicem & fini ultimo, 658
Eſſentiarum æternitas aſſerta, 195. unde ſit, 195. neceſſitas unde, 194
Eſſentiarum neceſſitas non temerarie in philoſophiam & Theologiam olim introducta, 678
Eſſe ut in loco quid ſignificet, 1044
Etymologia num præbeat argumenta realia, 268
Eventus in mundo materiali cur veritatem determinatam habeant ab æterno, 537. cur ſint præſcibiles, 237. cur recordabiles, 239
Evidentia unde naſcatur, 247
Exceſſus quid dicatur, 475
Exiſtentiæ cur detur ratio, 32
Exiſtentia Dei cur firmiter non concludatur niſi a contingentia rerum, 799
Exiſtentia Deo eſſentialis, 72.etiam juxta Sacram Scripturam, 78
Exiſtentia hominis quidnam involvat, 92
Exiſtentia in loco cuinam conveniat, 1043. cui repugnet, 1043
Exiſtentia in ubi quid ſignificet, 1044
Exiſtentia neceſſaria Dei quomodo repræſentetur per mundum, 799
Exiſtere vi propria quid ſit, 26
Exiſtibile quomodo Deus cognoſcat, 225
Exiſtibilitatis principium, 223.224
Extenſum ens cur a ſe eſſe nequeat, 48

F

Facta quænam dicantur, 249
Factorum omnium cognitio Deo vindicata, 251
Fallibile quid dicatur, 546
Facultas agendi moralis quid ſit, 953
Facultas agendi phyſica quid ſit, 953
Fanaticorum ſomnia quomodo detegantur, 450
Fata ſiniſtra hominum quod ſubſint providentiæ divinæ, 911
Felicitas creaturarum a Deo intenta, 706. juxta Sacram Scripturam, 747
Fines quales Deus ſibi conſtituat, 618. cur a Carteſio ex Phyſica eliminati, 691.cur negentur a Spinoſa, 665. quomodo Deus eos conſequatur, 621
Finis electio Deo liberrima, 620
Finium ſubordinatio definitur, 630.Deo vindicatur, 631. 632. 633. quomodo fiat, 634. quomodo a Deo facta, 635
Finis creationis qualis ſit, 618.quod detur, 603
Finis creationis ultimus quod detur, 628.qualis ſit, 629. juxta Sacram Scripturam, 687
Finis decreti divini exiſtentia, 604
Finis univerſi quinam ſit, 608
Finium in univerſo multitudo, 658. in eorum numero quænam ſint, 645.648.& ſeqq.
Finitum ens cur ſit in tempore, 1015
Fortuna. Definitio, 540. diviſio in ſecundam & adverſam, 540. ſignificatus receptus vocabuli, 541. quomodo in caſo particulari detegatur, 541. cur ex parte Dei nulla, ſed tantum hominum, 542. cur præſcita ab æterno, 543. quod ſubſit providentiæ divinæ, 932. quod gloriam divinam manifeſtet, 653. quomodo a Deo decreta, 554.& quod Deum deceat, 638.639
Fortunæ effectus ſunt fines Dei, 651. ſubordinantur fini ultimo, 652. conſequenter gloriæ divinæ, 653
Fortunæ præſcibilitas, 544. futuritio, 544
Fructus quid ſit, 956
Fruſtra quid facere quid ſignificet, 662. num Deus faciat, 663. num natura faciat, 664
Futuritio rerum unde prodeat, 522. juxta Sacram Scripturam, 595
Futurum. Definitio, 228
Futurum adhuc, qua tale, quomodo Deus agnoſcat, 940

Futuro-

Futurorum cognitio cur quoad nos arctis limitibus contineatur, 240
Futurorum præſcientia unde pendeat, 523

G

G*Enera rerum* quomodo cognoſcantur, 247
Gloria Dei quid ſit, 610. quomodo per actionum liberarum determinationem manifeſtetur, 919. quomodo per uſus rerum, 656. quomodo per rerum naturam & eſſentias, 657
Gloriæ divinæ manifeſtatio finis decreti, 611
Grammaticæ univerſalis uſus præclarus, 495
Grammatici a philoſophia arcendi, 268
Gubernatio univerſi definitur, 899. Deo vindicatur, 900. ea Sacra Scriptura, 948. in quo conſiſtat, 901. quomodo poſſibilis, 901. quænam ad eam referenda, 904
Gubernationis univerſi dependentia a ſapientia Dei, 902. a bonitate Dei, 903

H

H*Armoniæ præſtabilitæ* utilitas in demonſtranda aſeitatis animæ impoſſibilitate, 59
Hebetiores infirmitatis ſuæ admoniti, 550. 624. 683. 924
Hieroglyphica repræſentatio Dei cur poſſibilis, 91. Sacræ Scripturæ conformis, 98. exemplo illuſtratur, 91. quomodo ab imaginibus differat, 71
Hiſtoricus. Definitio, 254. cur Deus ſit ſummus, 255
Hiſtorici nomen num Deum dedeceat, 255
Homo num illabilis creari potuerit, 718. 898. quomodo in agendo a Deo dependeat, 880. cur Dei potentiam metiri nequeat, 361. cur fortunæ ſubſit, 542. ſervus Dei, 968
Hominum Dominus quinam ſit, 966
Hypotheſes philoſophicæ cur ad interpretationem Sacræ Scripturæ non adhibendæ, 787

I

I*Deæ rerum* Deo eſſentiales, 188. juxta Sacram Scripturam, 219. neceſſariæ, 189. immutabiles, 190. cur per errorem a potentia Dei deriventur, 224
Idearum conditio in cerebro, 478. diverſitas, 189
Ideæ arbitrariæ evertuntur, 191. detecto erroris fonte, 191
Idea corporis cujuſvis in Deo qualis ſit, 200
Idea mundi qualis ſit in Deo, 200. mutabilis in anima, 183. quomodo a Deo producatur, 201. quomodo divina differat a noſtra, 205
Idea mundorum omnium in Deo continuo exiſtens, 181. immutabilis, 183
Idea mundi rationalis quomodo detur in Deo, 261
Idea mundi ſenſibilis quomodo cognoſcatur a Deo, 206
Ideæ ſenſibilium quales ſint in Deo, 196. quomodo differant a noſtris, 196. quomodo noſtræ manifeſtæ Deo, 198. 199
Idem cur ſemper ſit Deus, 1013
Illocalitas animarum, 1034
Dei, 1036. unde fluat, 1036
Imaginabile quid dicatur, 87
Imaginatio Deo non competens, 157. juxta Sacram Scripturam, 217. niſi per eminentiam, 1098
Imago Dei cur pingi & ſculpi nequeat, 90. juxta Sacram Scripturam, 97
Immaterialitas Dei evicta, 83. non ſufficit probandæ carentiæ ſenſuum & imaginationis, 157
Immenſitas definitur. 41
Immenſitas intellectus divini, 176. juxta Sacram Scripturam, 213. ſapientiæ divinæ, 693. juxta Sacram Scripturam, 694. rationis divinæ, 285
Immenſum quid dicatur, 41
Immutabilitas Dei, 1009. juxta Sacram Scripturam, 1110. bonitatis divinæ, 1010. ideæ mundi in Deo, 183. idearum in Deo, 190. naturæ rerum, 837
Imperfectio qualis ſit malum morale, 377
Imperfectio accidentalis hominis undenam ſit, 887. quantum a Deo pendeat, 888
Imperſcrutabilitas bonitatis divinæ, 713. 732. decreti divini, 518. ſapientiæ divinæ, 690. 691. voluntatis divinæ, 398. 442
Impoſſibilia quomodo cognoſcat Deus, 308. num velle poſſit, 313. cur facere nequeat, 344. quænam homo pro poſſibilibus habeat, quomodo cognoſcat Deus, 309
Impoſſibilium abſolutorum & hypotheticorum cognitio cur Deo tribuenda, 307
Impoſſibilitas faciendi quænam defectum potentiæ arguat, 547
Impoſſibilitas faciendi mundum abſque malo metaphyſico cur non ſit defectus potentiæ, 378
Impoſſibilitas faciendi impoſſibilia num ſit defectus potentiæ, 346
Impoſſibilitas phyſica & moralis quomodo differant, 952
Incommunicabilitas æternitatis divinæ, 1017
Incomprehenſibile quid dicatur, 170
Incomprehenſibilitas intellectus divini, 172. 174. decreti divini, 512. bonitatis divinæ, 740. magnitudinis bonitatis divinæ, 743. rationis divinæ, 282. 283
Independentia Dei, 70. entis a ſe, 30
Inexiſtentia eorum, quæ de Deo prædicantur, diverſitas, 1012. cur ea perſpecta eſſe debeat. 1012

Infiei-

Infelicitatem creaturarum cur Deus velle nequeat, 707

Infelicitas hominum unde ſit, 708. juxta Sacram Scripturam, 748

Infinitudo eſſentiæ divinæ, 1004. intellectus divini, 167. juxta Sacram Scripturam, 215. rationis divinæ, 281

Influxus phyſicus animæ in corpus qualitas occulta, 436

In loco eſſe quid ſignificet, 1034. quænam poſſint & non poſſint, 1033. & ſeqq.

Inſenſibile quid dicatur, 87

Invisibile quid dicatur, not. 87

Intellectus num in viſionibus operari poſſit, 486. Deo vindicatus, 522. juxta Sacram Scripturam, 130

Intellectus finiti & infiniti differentia quomodo intimius perſpiciatur, 206

Intellectus divinus definitur, 164. num ſit actus, an facultas, 163. quomodo differat ab humano, 165. quod careat limitibus, 166. juxta Sacram Scripturam, 215. ejus infinitudo, 167. perfectio ſumma, 168. juxta Sacram Scripturam, 218. magnitudo, 169. incomprehenſibilitas, 171. 174. immenſitas, 176. puritas, 178. juxta Sacram Scripturam, 214. magnitudo, 169. fons omnis poſſibilitatis, 192

Intellectus divini incomprehenſibilitas quomodo intelligibilis fiat, 177

immenſitas quomodo inſufficienter probetur, 176

magnitudo quomodo intelligibilis fiat, 177

Intellectus perfectiſſimi ſignum naturale, 328

Intelligentia eorum, quæ Deus vult, 316

Interitus cur enti a ſe repugnet, 46

Interminabilitas quid ſit, 39

Interpretatio Sacræ Scripturæ ex contextu, 106

Interpretatio extenſiva Sacræ Scripturæ, 296

Interpretum Sacræ Scripturæ officium quoad ſtylum, 496

Intuitus ideæ mundi in Deo qualis, 184. in anima qualis, 184

Inventores cum quibuſnam comparari poſſint, 292

Inventoribus quid tribuendum circa veritatem, 292

Jus quid ſit, 954

Jus fruendi quid ſit, 958

Jus naturæ cur ad certitudinem evehendum, 467. quantum dependeat a Theologia naturali, 21

Jus obligandi Deo competens, 986

Jus utendi quid ſit, 957

Juſtus quid ſit, 983

Juſtitiæ definitio, 1067

Juſtitia Dei in omnibus, quæ facit, 1070. 1072. 1703. juxta Sacram Scripturam, 1116. in puniendo, 1079

Juſtitia vindicativa definitur, 1080. Deo vindicatur, 1081. ex Sacra Scriptura, 1116. an Deum deceat, 1082. an ſanctitati conveniat, 1083

Juſtus quinam dicatur, 1067

L

L*Abilitas* homini eſſentialis, 898

Libertas cur in hominibus influat in cognitionem, 312

Libertas Dei in eligendo fine, 620

Libertas voluntatis divinæ ſumma, 431

Libertas voluntatis divinæ a coactione interna, 351

Legi naturæ adverſa revelatio divina num præcipere poſſit, 472

Limites rerum num creentur & conſerventur, 851. quod a natura mutentur, 852

Limitum abſentia ab intellectu divino, 166. juxta Sacram Scripturam, 215

Limitationes originariæ quænam dicantur, 894. num a Deo auferri poſſint, 379. 896. num ſint ſeparabiles a ſubjecto, 895

Localis præſentia quænam, 1037. cuinam conveniat, 1048

Localis præſentia in ee quænam, 1038

Locus quomodo diſtincte cognoſcatur, 146

Loci claſſici Sacræ Scripturæ notio fructuoſa, 95. 96

Lubentia voluntatis divinæ, 341

M

M*Agnitudo* quænam detur, 150

Magnitudo quomodo cognoſcatur, 192. intellectus divini, 169. bonitatis divinæ, 743. juxta Sacram Scripturam, 745. potentiæ divinæ, 350. juxta Sacram Scripturam, 416

Mala quomodo implicentur bonis, 675. quomodo dirigantur ad gloriam Dei, 681

Malum in ſe quid ſit, 371

in relatione ad aliud quid dicatur, 371

Malorum averſatio quomodo pendeat a bonitate divina, 736

Malorum in bonum finem directio definitur, 679. Deo vindicatur, 680. ex Sacra Scriptura, 688 quomodo fiat, 688

Malum metaphyſicum definitur, 372. neceſſario ingreditur omnem mundum, 376. num per miraculum ab ente tolli poſſit, 381. num a decreto dependeat, 546. num in decretum influat, 547. quamnam perfectionem ex ente excludat, 548. an ſit verum malum, 548. num tanquam finis intendatur, 669

Malum morale. Definitio, 374. ratio determinans,

nans, 579. dependentia a ſapientia Dei, 676. præſcientia æterna, 587 juxta Sacram Scripturam, 600. poſſibilitas, 897. in quo conſiſtat, 577. cui perfectioni contrarietur, 578. cur ſapientiæ Dei non repugnet, 677. cur nexum rerum eidem non ſubducat, 678. mundo optimo inexiſtit, 549. quomodo ſeriei rerum implicetur, 552. 556. juxta Sacram Scripturam, 601. num tolli poſſit per miracula, 553. num ſit verum malum, 576. cur non obſtiterit decreto creationis, 583. num in decretum per ſe influat, 582. cur Deo placere nequeat, 588. juxta Sacram Scripturam, 599. cur Deus id velle nequeat, 581. quomodo irrepat in actiones liberas, 580. quomodo ſeſe habeat ad finem mundi, 617. quomodo finibus a Deo intentis implicetur, 674. num per ſe a Deo intendatur, 668. quænam ſit ejus cauſa, 883. quomodo ex nexu rerum reſultet, 554. quomodo in caſu particulari auferri poſſit, 555. cur non repugnet providentiæ divinæ, 935

Mali moralis permiſſio quem habeat finem, 608. quod faciat ad manifeſtationem gloriæ divinæ, 613. juxta Sacram Scripturam, 614. quod Deum non dedeceat, 568. juxta Sacram Scripturam, 602

Malum phyſicum. Definitio, 373. dependentia a ſapientia Dei, 676. neceſſitas, 557. 554. præſcientia æterna, 562. mundo optimo inexiſtit, 549. ex nexu rerum reſultat, 554. quomodo ex morali conſequatur, 723. quomodo ſeriei rerum implicetur, 552. 556. quomodo tolli poſſit, 553. 555. quomodo eveniat, 558. an ſit contra naturæ ordinem, 559. num tollatur contra naturæ ordinem, 561. cur non repugnet majori perfectioni univerſi, 550. cur non repugnet ſapientiæ Dei, 677. cur nexum rerum eidem non ſubducat, 678. quo reſpectu a Deo decretum, 566. quo reſpectu non ſit malum, 563. cur non repugnet perfectioni mundi, 564. quo reſpectu ſit malum, 565. quomodo ſeſe habeat ad finem mundi, 617. num a Deo intendatur tanquam finis, 670. quomodo finibus a Deo intentis implicetur, 674. quomodo pendeat a bonitate Dei, 734. 735

Manifeſtatio gloriæ quid ſit, 610

Matæologi conſequentiarii notantur, 156

Materia indiviſa & uniformis cur a ſe eſſe nequeat, 54

Matheſeos uſus in Metaphyſicis commendatur, 275

Media quibus Deus utitur, 607. 624. 625. 636. 645

Melius quomodo ſpectetur in decreto divino, 551

Membra corporis humani quo ſenſu tribuantur Deo in Sacra Scriptura, 103

Memoria quomodo per eminentiam Deo tribuatur, 1099

Miracula Deo poſſibilia, 363. juxta Sacram Scripturam, 418. cur ſint opus ſolius Dei, 470. quodnam rationi cognitum, 768. quale detur in mundo rationali, 455. quænam tollendis malis phyſicis & moralibus ſufficiant, 553. cur Deus non patret ſuperflua, 489

Miraculum primigenium. Definitio, 772. cur ab aliis diſtinguendum, 773

Miraculi primigenii effectus quomodo differant a miraculoſo, 773

Modi quomodo Deo tribuantur, 1006

Modificationum animæ præſcibilitas, 234. recordabilitas, 242

Moralitas actionum quid ſit, 951

Moraliter impoſſibile quid ſit, 952. quo ſenſu infactibile dicatur, 722

Moraliter poſſibile quid ſit, 952

Motiva voluntatis divinæ unde deſumta, 340. juxta Sacram Scripturam, 408

Motiva ab attributis divinis deſumta cur homo in determinandis actionibus omittere non debeat, 985

Motus legibus motus adverſi a Deo produci poſſunt, 365

Motus localis cur Deo repugnet, 1058

Motus tranſcreatio Carteſiana qualitas occulta, 436

Mundus quomodo Hebræis dicatur, 406. qualium entium ſit complexus, 248. quod nonniſi facta contineat, 250. quomodo unus ab altero differat, 324. cur non ſit ens a ſe, 57. cur non exiſtere potuerit, 50. cur ſit ens contingens, 55. cur ſit ab alio, 51. cur nullus a malo metaphyſico liber eſſe poſſit, 376. cur abſque malo metaphyſico a Deo fieri nequeat, 337. cur non ſit ens a ſe, ſed ab alio, 58. quod ſine poſſibilium nexu non conceptibilis, 252. quod omnis in Deo repræſentetur, 521. juxta Sacram Scripturam, 208. quinam fini a Deo intento maxime conveniat, 615. 616. quinam ad manifeſtandam gloriam divinam maxime faciat, 622. quomodo immutatio ejus Deo poſſibilis, 367. cujusnam electio Deum deceat, 333. an majus ſpatium occupare potuerit, 794

Mundi unius exiſtentia probatur, 527. quoad Deum non neceſſaria, 430. ſed libere decreta, 351. & ſapientiſſime, 641. 642. cur Deus eam decreverit, 611. 623. juxta Sacram

cram

cram Scripturam, 612. num detur ratio ejus objectiva, 119. quænam ſit ratio, 615. quod in tempore exiſtat, 1015. quomodo interire poſſit, 829. quod ejus annihilatio Deo poſſibilis, 863

Mundi productio ex nihilo, 759. quod is factus ſit ab alio, 757. nempe Deo, 758. quomodo Deus eum produxerit, 764. an citius eum creare potuerit, 793. quod Deus quemcunque alium producere potuerit, 342. quomodo a Deo conſervetur, 847

Mundi creatio a creatione elementorum pendens, 754

dominus quinam ſit, 965

ſtatus primus qualis ſit, 769. cur per eſſentiam & naturam rerum inexplicabilis, 771

Mundus adſpectabilis in quo rationem ſufficientem exiſtentiæ habeat, 64. quantæ ſit perfectionis, 326. quod omnium optimus, 382. totus bonitatis divinæ plenus, 738. juxta Sacram Scripturam, 753. num abſque hiſce hominibus condi potuerit, 721. num Deo magis placeat ceteris, 331. num placeat ob malum morale, 589. an ob idem præ ceteris electus, 582

Mundi adſpectabilis dependentia ab uno Deo, 1106. ab exiſtentia Dei neceſſaria, 800. ab æternitate, 814. ab intellectu, 801. & omniſcientia, 810. a libera voluntate Dei, 803. a ratione divina, 812. a ſapientia, 805. a bonitate, 807. 808. a potentia, 803

Mundus adſpectabilis quomodo *repræſentet Deum*, 820. quomodo exiſtentiam neceſſariam, 799. æternitatem, 815. 816. intellectum, 802. & liberrimam voluntatem, 804. omniſcientiam, 811. ſapientiam, 806. bonitatem, 809. & potentiam Dei, 804

Mundus intelligibilis quinam dicatur, 202. qualis ſit, 203. quomodo a ſenſibili differat, 204

Mundus optimus quod exiſtat, 382. juxta Sacram Scripturam, 406. quinam ejus exiſtentiam docuerint, 406. quales ſint adverſarii ejus, 616. quod ejus electio non pugnet cum libertate, 622. quod hæc ſit ſignum ſpiritus perfectiſſimi, 402. quoad intellectum, 328. voluntatem, 400. & potentiam, 403. 404. & ſignum Dei veri & & omnipotentis juxta Sacram Scripturam, 420. 423. quomodo gloriam Dei manifeſtet, 622

Mundus perfectiſſimus cur non ſit ens omnium perfectiſſimum, 327. cur Deum deceat, 333. cujuſnam intellectus, 328. & potentiæ ſignum, 403. 404

Mundus rationalis. Definitio, 258. differentia ab intelligibili, 258. amplitudo, 263. quomodo ſenſibili & intelligibili immergatur, 260. cur non contineat, quæ ſunt ſupra rationem, 455. cur Deo cognitus, 262. qualis ejus ſit in Deo cognitio, 269

Mundus ſenſibilis quinam dicatur, 202. qualis ſit, 203. differentia ab intelligibili, 204. quomodo conſervetur, 450

Myopia adverſariorum nexus rerum, not. 665

Myſterium. Definitio, 458. quod ex principiis rationis non ſit demonſtrabile, 459. quod ſit poſſibile, 460. quod non contradicat rationi, 462. quod ſit miraculum in mundo rationali, 458. quod in revelatione divina locum habeat, 463

Mythologia quid ſit, 1

N

N*Atura* num ſit diverſa ab omnipotentia Dei, 824. an ſit a Deo creata, 822. quomodo in creatione facta, 823. quomodo ſe habeat ad ſubſtantiale corporum, 869. quomodo agat, 664. an ſine conſervatione divina agere poſſit, 869. quænam producat, 854. num fruſtra quid faciat, 664. quomodo agat propter finem, 661. quomodo ſecundum leges a Deo præſcriptas, 825. cur haſce obſervare teneatur, 827. quod voluntatem Dei exequatur, 969. quod mundum annihilare nequeat, 864

Naturæ dominus quinam ſit, 965

Naturæ leges quomodo a Deo præſcribi potuerint, 761. 825. 826

Naturæ potentia qualis ſit, 853. 855

Naturæ vires an Deus reficere teneatur, 839. an natura ſenio langueſcat, 838

Natura naturans. Definitio, 822

naturata. Definitio, 822

Naturæ animæ repugnantia num revelatio præcipere poſſit, 477

Naturalia cur fiant ſecundum providentiam, 930

Naturaliſtæ quomodo confutandi, 20

Neceſſitas cognitionis divinæ, 311

mali phyſici & moralis, 554. 375

agendi ſecundum voluntatem Dei qualis ſit, 972

Nexus rerum in univerſo in quonam conſiſtat, 665. ab abſoluta neceſſitate immunis, 667. ſapientia & bonitate Dei conſtitutus, 666. 740. 741. quomodo ſit fundamentum præſcibilitatis, 232. quod ſine eo gubernatio divina non ſubſiſtat, 901. qualem defenderit Spinoſa, 665. quomodo in Deum injurii ejus adverſarii, 805

Nexus entium univerſalium expenditur, 157

Notiones quales Theologiæ naturali conveniant, 13. quænam in revelatione divina præ-

præſupponantur, 494. quomodo ad eas perveniatur, 495
Nolitionis actus quomodo oriatur, 318
Nullibi eſſe non dici poſſit Deus, 1036. vel alia ſubſtantia ſimplex, 1042
Numeri quomodo cognoſcantur, 543

O

O*Bjectiones* quales contemnendæ, 1035
Obligandi jus Deo competens, 986
Obligatio activa quid ſit, 973
paſſiva quid ſit, 973
negativa quænam ſit, 979. ejus principia, 979.980. 981.982
Obligatio divina adſtructa, 987. juxta Sacram Scripturam, 1002. cur non exactius exponatur, 987. quo tendat, 988
Obligatio Chriſtianorum peculiaris, 981
Obligatio hominis ad agendum ſecundum voluntatem Dei, 974. & ſeqq. ad actiones liberas naturalibus conformiter determinandas, 976. ad actiones omittendas, 978. ad non committendas & non omittendas, ad manifeſtationem gloriæ divinæ, 977
Oblivio cur in Deum non cadat, 941.1100
Oculus quo caſu Deo tribuatur, 93
Oeconomia gratiæ num faciat ad majorem perfectionem univerſi, 556
Officia erga Deum unde demonſtrentur, 77
Omniſcientia. Definitio, 301. explicata uberius, 301. Deo vindicata, 302. juxta Sacram Scripturam, 303
Omnipotentia. Definitio, 347. qualis ſit, 348. Deo vindicata, 349. ex Sacra Scriptura, 415. quanta, 350. juxta Sacram Scripturam, 416. ſignum ejus naturale, 403.404. juxta Sacram Scripturam, 423
Omnipræſentia. Definitio, 1054. Deo aſſerta, 1055. ex Sacra Scriptura, 1113
Omniſufficientia Dei, 428
Ontologiæ uſus in Theologia naturali, 55. in Sacra Scriptura interpretanda, 219
Opera artis Deo rectius, quam artificibus perſpecta, 650
Optimum in ſe quid Deus judicet, 393. cur homo eodem modo æſtimare nequeat, 396. num ſit optimum in relatione ad Deum, 405
Optimum in relatione ad Deum quid Deus judicet, 395. aut homo eodem modo æſtimare nequeat, 396
Optimi electio num Deum deceat, 384.385
Ordo alius quomodo hiſce rebus imponi potuerit, 825
Ordo naturalis actionum internarum, 570. modificationum animæ qualis, 571. num per malas actiones turbetur, 575
Ordo naturæ quomodo a Deo conſtitutus, 761. quomodo ab eo conſervetur, 847. qualis conſervetur, 893. qualis ſit in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, 573. quod ſit contingens, 761. quod conſtans, 818. quod pertineat ad gubernationem univerſi, 904. quod ad providentiam divinam, 929. quod a Deo turbari poſſit, 366. num turbetur per mala phyſica, 559. 561. num his ſublatis ſubſiſtere poſſit, 560
Ordinis naturæ conſtitutio cur ſit miraculum, 770. quale ſit, 773
Organa ſenſoria quo ſenſu Deo tribuantur, 1097
Ortus cur enti a ſe repugnet, 46

P

P*Ædagogia* Theologiæ naturalis ad revelatam, 59
Particularia quomodo Deus velit, 441. quomodo decernat, 519. cur decreta fuerint, 606
Particulares fines quomodo Deus conſtituerit, 626. quales ſint, 627
Perfectio, ad quam dirigendæ actiones humanæ, qualis ſit, 912
Perfectio Dei abſolute ſumma quoad intellectum, 168. quoad voluntatem, 386. juxta Sacram Scripturam, 423. quod ejus patefactio ſit finis univerſi, 608. juxta Sacram Scripturam, 609. cur eidem convenientia Deus velit, 443
Perfectio eſſentialis cum malo morali pugnat, 578
Perfectio hominis accidentalis in quo conſiſtat, 917. quomodo ſe habeat ad ſummam perfectionem mundi & finem a Deo intentum, 892
Perfectio mundi unde naſcatur, 671. in quo conſiſtat, 672.673. num ſubſiſtat malo phyſico & morali omni ſublato, 556. quod ſit medium, quo Deus finem ſuum conſequitur, 607. cur mala phyſica eidem non repugnent, 564
Perfectio rerum quomodo a Deo æſtimetur, 391. cur hominibus divino more æſtimari nequeat, 396. cur eidem convenientia Deus velit, cur repugnantia nolit, 443
Perfectiſſimum in ſuo genere quid judicet Deus, 392. cur eidem maxime placeat, 330
Permiſſio. Definitio, 584. diviſio in voluntariam & involuntariam, 584
Permiſſio abuſus libertatis quomodo facta, 714
Permiſſio mali a Deo ſapienter decreta, 644. pertinet ad providentiam Dei, 929
Permiſſio mali moralis a Deo decreta, 585. juxta Sacram Scripturam, 600. cur Deum non dedeceat, 586. quod ſit juſta, 1076
Permiſſio, ut homo ruat in mala, juſta, 1075
Perpetuitas voluntatis quid ſit, 1062

Philoſophia num Sacræ Scripturæ interpres, 22. quem habeat uſum in probandis veritatibus ex Sacra Scriptura, 944. num damnetur in Sacra Scriptura, 268
Philoſophus. Definitio, 267. cur Deus ſit ſummus, 268. an ejus nomen Deum dedeceat, 268
Phyſice impoſſibile quid ſit, 952
impoſſibile quid ſit, 952
Pœna. Definitio, 1077. quod ea Deus juſte homines afficiat, 1079
Pœnitentia decreti in Deum non cadit, 510
facti in Deum non cadit, 369. juxta Sacram Scripturam, 414
Poſſibile quidnam falſo aſſumatur, 435. quod ſit objectum generale voluntatis divinæ, 314
Poſſibilia omnia in quonam contineantur, 152. quod a Deo cognoſcantur, 155. quomodo ſeſe habeant ante & poſt decretum ad intellectum divinum, 528. quomodo in ſe ſpectentur, 142. quomodo ut in ſyſtemata redacta ſpectentur, 142. quænam ex ſpectatis in ſe cognoſcantur, 143. quæ cognoſcantur, ſi ſpectantur in ſyſtemata redacta, 144
Poſſibilia abſolute talia quomodo Deus cognoſcat, 225
Poſſibilitas cuinam enti ad exiſtendum ſufficiat, 34. cur non ſit ſufficiens ratio voluntatis divinæ, 315
Poſſibilitas eorum, quæ ſunt ſupra rationem, 456. 457
Poſſibilitas phyſica & moralis quomodo differant, 652
Poſſibilitas rerum unde ſit, 192. a voluntate Dei independens, 434
Poſſibilitas agendi proxima cur inferat præſentiam, 1020
Poſterorum progreſſus in ſcientiis modulo noſtro non æſtimandi, 444
Potentia abutendi libertate quale ſit malum, 710. an tolli poſſit, 711. 718. quomodo ſpectetur in decreto divino, 712. non infert actum abuſus, 719. eſt abſolute neceſſaria, 720. num bonitati Dei repugnet, 722
Potentia conſervatrix Deo propria & creaturæ incommunicabilis, 846. directa & indirecta quomodo differant, 855
Potentia creatrix Deo propria, 767. incommunicabilis, 767. 775. cur Deo tribuatur, 767
Potentia Dei. Definitio, 222. objectum, 224. 341. ad voluntatem relatio, 352. juxta Sacram Scripturam, 413. cur latius pateat voluntate, 353. quomodo differat a potentia creaturarum, 776. cur ad eam ab hac non valeat argumentatio, 776. quod ſit illimitata, 314. immenſa, 360. quod captum humanum tranſcendat, 362. juxta Sacram Scripturam, 417. quod vim naturæ ſuperet, 364
Potentia miraculoſa enti finito incommunicabilis, 471
Potentia naturæ cur corpora oriantur & conſerventur, 856
Præceptum quid ſit, 984
Præcepta Dei num ſint conſilia, 993
Præceptorum divinorum fons, 992. ſumma, 989
Præcipitantia judicandi in philoſophia evitatu difficilis, 262
Prædicanda de Deo quomodo ipſi inſint, 1011
Prædicata abſoluta & hypothetica generum & ſpecierum quomodo cognoſcantur, 147
Præſcibile. Definitio, 231
Præſcibilitas clariſſime explicatur, 242. quo fundamento nitatur, 231. per omnes mundos poſſibiles diffunditur, 232. a nexu rerum pendet, 232. ad ſcientiam viſionis ſpectat, 246
Præſcibilitas abuſus libertatis, 713. cogitationum, 235. ſtatus elementorum, 236. & dependentiæ ſtatuum a ſe invicem in omnibus, 237. ſtatuum mundi, 236. mali metaphyſici, 562
Præſcientia. Definitio, 231
Præſcientia divina demonſtratur, 524. ex Sacra Scriptura, 598. æterna, 534. infallibilis, 532. quodnam habeat objectum, 535. dependet a decreto, 528. an contingentiam & libertatem tollat, 530. præſupponit præſcibilitatem, 528. concipitur per determinatam veritatem contingentium, 529. cur præſcibilitas non ſit ſufficiens ejus ratio, 234
Præſens. Definitio, 228. quomodo Deus a præteritis & futuris diſtinguat, 939
Præſentia ſenſui quænam ſint, 1021. 1022
Præſens intime quid dicatur, 1050
Præſentia quid ſit, 1018
Præſentia in loco quid ſignificet, 1039. cuinam conveniat, 1040
Præſentia animarum illocalis, 1041.
animæ & corporis mutua, 1023.
quamdiu duret, 1024
animæ in corpore mediata & immediata, 1029. quomodo ſe habeat in corpore toto, 1028. quomodo in qualibet parte, 1028
Præſentia Dei intima, 1051. ſucceſſionis expers, 1057. illocalis, 1042. per eminentiam localis, 1105. quo uſque extendenda, 1046. 1047
Præſentia divinæ modus, 1048. 1049. magnitudo, 1056
Præſentia elementorum, 1030. quod ſit illocalis, 1041
patientis & agentis, 1019

Præte-

Præteritum. Definitio, 228
Præterita qua talia quomodo Deus agnoſcat, 940
Præteritorum cognitio humana arctis limitibus conſtringitur, 240
Præviſio cogitationum e longinquo juxta Sacram Scripturam, 598
Primitas Dei, 92. juxta Sacram Scripturam, 99
Primitas entis quid excludat, 45
Principium actualitatis, 433
poſſibilitatis, 193
præſentiam colligendi, 1020
Principii indiſcernibilium univerſalitas evicta, 1107
Principiorum Philoſophiæ utilitas in conſequentiis ex Sacra Scriptura inferendis, 212
Principiorum Logicæ utilitas in Sacra Scriptura interpretanda, 219
Probatio per conſequentiam ex Sacra Scriptura quando habeat locum, 212
Productio creaturæ abſque malo metaphyſico impoſſibilis, 380
Prohibitio quid ſit, 985
Prohibitiones Dei num ſint nuda conſilia, 993
Prohibitionum divinarum fons, 992. ſumma, 991. juxta Sacram Sripturam, 1005
Promotio gloriæ divinæ quid ſit, 610
Proprietarius quid ſit, 955
Proprietas quid ſit, 955
Propoſitum quid ſit, 503. Deo tribuitur in Sacra Scriptura, 590
Providentia divina. Definitio, 922. exiſtentia, 923. juxta Sacram Scripturam, 949. æternitas & immutabilitas, 924. quomodo executioni detur, 927. quomodo ſeſe habeat, 928. quænam ad eam pertineant, 929. & ſeqq. quouſque ſeſe extendat, 925. juxta Sacram Scripturam, 946. quomodo creaturis conſulat, 933. 934. cur captu difficilis, 938
Providentiæ divinæ modus, 938
leges quomodo ex obſervationibus deriventur, 447
Pſeudoprophetæ noſtri temporis, 468
Pſychologiæ uſus in Theologia naturali, 21
Puritas intellectus divini, 288
rationis divinæ, 288
Puritas cur rationi limitatæ repugnet, 278

Q

Qualitates occultæ quænam ſint, 436
Quantitatis finitæ & infinitæ heterogeneitas, 375

R

Rationis & fidei connubium quid ſit, 455
Ratio quando ſit pura, 286
contra *Rationem* quid ſit, 455
ſupra *Rationem* quid ſit, 455. cur quæ ſunt ſupra rationem non ſint impoſſibilia, 456. 457. cur non contra rationem, 465
Ratione cur bruta melius hominem videantur, 661
Ratio, cur Deus hunc mundum elegerit, 615
Ratio Deo vindicata, 140. ex Sacra Scriptura, 296
Ratio divina num ſit actus an facultas, 284. limitum expers, 280. juxta Sacram Scripturam, 298. abſolute ſumma, 279. infinita, 281. juxta Sacram Scripturam, 298. incomprehenſibilis, 282. 283. immenſa, 285. pura, 288
Rationis divinæ magnitudo juxta Sacram Scripturam, 297
Ratio limitata cur pura eſſe nequeat, 287
Ratio objectiva quænam dicatur, 118
Ratio objectiva exiſtentiæ mundi unde deſumenda, 1120
Ratio proxima & remota quænam dicatur, 437
Ratio ſubjectiva quænam dicatur, 336
Ratio ultima quænam dicatur, 437
Ratio ſufficiens voluntatis divinæ quænam ſit, 339
Rationis ſphæram tranſcendere quid dicatur, 455
Ratiocinatio cur non cadat in Deum, 274
Recordabile quid dicatur, 238
Recordabilitas clarius explicatur, 239. 242. ſpectat ad ſcientiam viſionis, 246
Recordabilitas cogitationum, 243
præteritorum in anima per libera decreta, 240
eventuum in mundo materiali, 239
Recordatio quomodo de Deo intelligatur, 238
Recordatio præteritorum quomodo Deo tribuenda, 945
Rectitudo actionum definitur, 950
Rectitudo actionum divinarum demonſtrata, 1059. ex Sacra Scriptura, 1114. unde naſcatur, 1059. quomodo æſtimanda, 1060. cur judicium de ea difficile, 1061
Regularitas actionum malarum quatenus a Deo pendeat, 570
Rerum immutabilitas per decretum, 526. per præſcientiam, 529
Res omnes in univerſo ſapienter decretæ, 643. quomodo Deo præſentes, 1053
Res aliter eſſentialiter, quam ſunt, num facere potuerit Deus, 557
Relationes rerum quomodo cognoſcantur, 149
Religionis Chriſtianæ defendendæ principia, 456. 463
Reſpectus actionum ad alios *directus & indirectus* quid ſit, 1068
Revelatio divina quod ſit poſſibilis, 489. quod ſit miraculoſa, 450. quod rationi & experientiæ

Digitized by Google

rientiæ contradicere nequeat, 464. quomodo per viſionem fiat, 487. quomodo per ſomnium facta dignoſcatur, 469
Revelationis divinæ criteria, 45. & ſeqq.
criterium deſumtum ab objecto, 452
a Deo revelante, 452
a modo perveniendi ad cognitionem, 468
a veritatibus, 464
ab agendis, 477
a ſtylo, 495
Revelationis divinæ criteriis cur ſit opus, 448
Revelationis modus quando actus mixtus, 490
Rhetoricæ rationalis uſus præclarus, 495
Ruere in mala quando dicatur homo, 724. an Deus id permittere poſſit, 725. 726

S

Sanctitas Dei quid ſit, 1063. demoſtrata, 1065. juxta Sacram Scripturam, 1114. quanta juxta Sacram Scripturam, 1115
Sanctus qualis ſit, 1064
Sanctus Deus in omnibus actionibus, 1066
Sapientia Dei. Quomodo in ea demonſtranda ſit procedendum, 603. demonſtrata, 640. ex Sacra Scriptura, 686. ſumma, 640. immenſa, 693. juxta Sacram Scripturam, 694. immutabilis, 1010. imperſerutabilis, 691. juxta Sacram Scripturam, 692 quomodo verſetur circa malum phyſicum & morale, 726. 676. & ſeqq. ſpectetur in directione mali phyſici & moralis, 624. in permiſſione abuſus libertatis, 714. 715. in gubernatione mundi, 902. in providentia divina, 918. quomodo manifeſtetur per mala phyſica & moralia, 685
Scientiæ naturalis immutabilitas unde pendeat, 827
Scientia ſimplicis intelligentiæ quænam dicatur, 221. Deo vindicata, 226. quid per eam cognoſcatur, 227. quomodo res in eadem ſpectentur, 229. objectum, 221
Scientia viſionis. Definitio, 230. intrinſeca poſſibilitas, 246. Deo vindicata, 942
Scriptura Sacra quomodo juvet Theologiam naturalem, 22
Scripturæ Sacræ per Scripturam interpretatio, 96
verſio quoad ſenſum literalem cur accurata eſſe debeat, 95
Sempiternitas cur peculiari nomine indigitanda, 77. quid ſit, 75. Deo vindicata, 75. juxta Sacram Scripturam, 77
Senſui quænam præſentia, 1020
Senſus Deo denegantur, 157. juxta Sacram Scripturam, 217. per eminentiam tribuendi, 1096
Servus quinam dicatur, 967
Servus Dei cur ſit homo, 968
Similitudo animæ cum Deo, 182. 1092. cur cognitu utilis, 1092
Simplicitas entis a ſe, 49
Dei, 83. juxta Sacram Scripturam, 100
Singularium cognitio univerſalis Deo vindicata, 247
ſcientia quomodo Deo inſit, 300
Situs quomodo diſtincte cognoſcatur, 146
Sociniani quomodo præſcibilitatem futurorum tollant, 233
Somnium ſupernaturale quale ſit, 482
Spatium quomodo diſtincte cognoſcatur, 146. unde notioni ejus lux affulgeat, 146. 148. quando cœperit, 792. quomodo a Deo factum, 796. num creatum fuerit, 796. an extra mundum detur, 795. cur organum ſenſorium Dei eſſe nequeat, 159
Spatium imaginarium cur a ſe concipi nequeat, 54
Species rerum quomodo cognoſcantur, 147
Specificatio actionum undenam ſit, 878
Speculum rei alterius quomodo ſit ens unum, 784
Speculum perfectionum divinarum creatura, 785
Spiritualitas Dei aſſerta, 124. juxta Sacram Scripturam, 132. qualis ſit, 1007
Spiritus qualis ſit Deus, 125. 138. 387
Spiritus contingens poſſibilis, 139
Spiritus independens quale ſit ens, 256. quænam ejus attributa, 127. & ſeqq.
Spiritus perfectiſſimus Deus eſt, 387. juxta Sacram Scripturam, 422. ejus ſignum naturale, 402
Statuum alternatio in Deo non datur, 512
Stylus qualis conveniat revelationi divinæ, 491. & ſeqq. 496
Suaſio quid ſit, 983
Subſtantia qualis ſit Deus, 119
Subſtantia agentis a Deo conſervatur, 876
Subſtantialitas Dei qualis, 1005
Sublationis mali phyſici & moralis effectus, 555. 556
Subſtantia ſimplex in loco eſſe nequit, 1033. tota præſens enti alteri, 1027
Subſtantiarum ſimplicium præſentia inter ſe, 1031
Subſtantiale in corporum ortu & interitu conſervatur, 831. 833
Subtilitas nimia quando non accuſanda, 46
Sufficientiſſimus ſibi ipſi quinam dicatur, 457
Supra rationem quid ſit, 454. num quod ſupra rationem ſit contra eandem, 461
Syſtematis cauſarum occaſionalium uſus ſingularis, 472

Syſtematis coſmologici auctoris prærogativa inſignis, 760

T

T*Eſtum* quid dicatur reſpectu intellectus, 179
Tempus quomodo diſtincte cognoſcatur, 146. unde notioni ejus lux affulgeat, 146. 148. quando cœperit, 792. quomodo fecerit Deus, 797
Termini ἄγραφοι ſeu in Sacra Scriptura non extantes num de Deo uſurpandi, 77
Theologi quinam dicantur Gentilibus, 2
Theologiæ diviſio apud Gentiles, 1
Theologia civilis quænam olim dicta, 1
Theologia fabuloſa quænam olim dicta, 1
Theologia naturalis definitur, 1. cur naturalis appelletur, 1. qua methodo tractanda, 2. & ſeqq. quodnam habeat objectum, 4. quibus utatur principiis, 8. num detur, 23. quorum cauſa tradatur, 3. cur per ſcientiam definiatur, 3. cur ſatiet animum ſciendi cupidum, 17. cur non negligenda Chriſtianis, 18. quaſnam philoſophiæ partes præſupponat, 11. an cedat in præjudicium revelatæ, 20. unde auxilium expectet, 22
Theologiæ naturalis uſus in Jure naturæ, 21. in refutandis atheis, 12. in confutandis Naturaliſtis, 20. in interpretanda Sacra Scriptura quoad articulos mixtos, 600
Theologia naturalis ſyſtemata communia qua laborent imperfectione, 6
Theologia revelata cur non indigeat definitione nominali Dei, 9
Theologiæ revelatæ & naturalis quoad modum tractandi differentia, 9
D. Thomas laudatur, 546. 683. 799. non omnia argumenta pro exiſtentia Dei allata tanquam genuina admiſit, 799

V

V*Entus impetuoſus* quo ſenſu dicatur malus, 565
Verba quomodo ſeſe habeant in revelatione divina quoad numerum, 492. quoad qualitatem, 493
Veri Dei ſignum naturale, 402. juxta Sacram Scripturam, 423
Veritas omnis unde, 190. quando ei pretium recte ſtatuatur ex utilitate, 292. quomodo dependeat ab inventore, 292. quænam neceſſaria, quænam arbitraria, 536
Veritates contingentes. Definitio, 465. quomodo in earum determinationem ab æterno influat decretum, 538. cur iis revelatio contradicere poſſit, 466
Veritas determinata futurorum undenam ſit, 536
Veritatum levium & ſterilium inventio an Deum dedeceat, 893
Veritates neceſſariæ. Definitio, 465. cur revelatio iis contradicere nequeat, 466
Veritates univerſales quod a Deo cognoſcantur, 162. quomodo cognoſcantur, 270. quod cognoſcantur ab æterno, 291
Veritatum univerſalium nexus in quo conſiſtat, 271. quomodo a Deo cognoſcatur, 272. 273
Vetatio quid ſit, 985
Vires agendi Deus largitur, 876. quomodo largiatur, 877
Vires primitivæ ſcholaſticorum qualitates occultæ, 436
Vis qualis Deo tribuenda, 116
Vis activa Dei, 104. juxta Sacram Scripturam, 106
Viſio, *Viſum*. Definitio, 476. ſtatus cerebri in eadem, 478. 485. cur in ecſtaſi vel quaſi ecſtaſi contingat, 479. quando apparitio habeatur, 488. num intellectus in ea operari poſſit, 486. quantum cum ſomnio conveniat & diſconveniat, 481
Viſio naturalis. Definitio, 480. quænam ſit, 483
Viſio ſupernaturalis. Definitio, 480. quænam ſit, 484
Viſus Deo per eminentiam tribuendus, 1097
Vita quid ſit, 107. 108. quomodo Deo conveniat, 113. juxta Sacram Scripturam, 114
Vita creaturarum a Deo dependet, 1109
Vita Dei in quo conſiſtat, 1108
Vita elementorum rerum materialium, 1100
Vivum quid dicatur, 107
Ultimatio Dei, 92. juxta Sacram Scripturam, 99
Ultimatio entis quid excludat, 45
Unitas Dei evicta, 1106. 1107. juxta Sacram Scripturam, 1108
Univerſalitas propoſitionum ex Sacra Scriptura deductarum quomodo cuſtodienda, 600
Univerſalium cognitio Deo vindicata, 289. quomodo in eodem habeat locum, 275. cur non ſit ſymbolica, 276
Univerſalium cognitio intuitiva explicata & illuſtrata, 275
Univerſalium dependentia mediata & immediata a ſe invicem, 257
Univerſalium ſcientia Deo quomodo inſit, 303
Vocabula quo ſenſu accipienda in Theologia naturali, 14. 15
Volitionis actus quomodo oriatur, 318
Volitio temporaria cur non cadat in Deum, 320
Voluntas imperſcrutabilis quando dicatur, 397
Voluntas libera Deo vindicata, 431. juxta Sacram Scripturam, 123
Voluntas divina num ſit actus, an facultas, 356. quod ſit actus unicus, 355. quod non ſit caſus purus, 432. an admittat rationem

subje-

Digitized by Google

ſubjectivam, 338. num habeat motiva, 312. quo tendat, 383. in quod feratur juxta Sacram Scripturam, 411. cur nullo modo feratur in incognitum, 317. quando tanquam ratio ultima allegari poſſit, 439

Voluntas divina qualis ſit. Nimirum libera a coactione externa, 321. juxta Sacram Scripturam, 410. & interna, 430. cogi neſcia, 321. independens a rebus volitis, 340. juxta Sacram Scripturam, 410. æterna, 319. juxta Sacram Scripturam, 409. illimitata, 388. infinita, 357. incomprehenſibilis, 358. 359. captum hominis tranſcendens, 399. immutabilis, 368. imperſcrutabilis, 398. 442. juxta Sacram Scripturam, 419. perfectiſſima, 386. ſpontanea, 322. 323. qualis ſit in particulari, 441

Voluntatis divinæ lex, 390
motivum, 389. juxta Sacram Scripturam, 407

Voluntas divina de actionum humanarum directione, 905. 906. 909. 910. 914. 915. 916. 921

Voluntatis divinæ cognoſcendæ modus a priori, 443. 445. cur difficilis, 444. 446. quando utilis, 446 quando tutior, 444. quando probabilis, 446

Voluntatis divinæ cognoſcendæ modus a poſteriori, 447

Voluntatis divinæ cognoſcendæ modus per revelationem, 448

Voluntatis divinæ explicandæ principium, 446

Voluntas humana cur feratur in incognitum, dum fertur in cognitum, 317. cur mutabilis, 368

Voluntatis propriæ abnegatio, 971

Voluntatis perfectiſſimæ ſignum naturale, 400. 401

Voluptate quanta fruatur Deus, 1084

Uſus rei quid ſit, 646. quod fini ultimo ſubordinetur, 655. quomodo ſubordinetur, 656. quando in finem abeat, 647. quando optime comprehendatur, 21

Uſus exigui noſtro judicio cur non ſint tales judicio Dei, 447

Uſus dominii in quo conſiſtat, 996

Uſus rerum artificialium cur ſint fines Dei, 649

Uſus rerum naturalium quod ſint fines Dei, 648. quod aliis finibus ſubordinentur, 657. quantum tribuendi bonitati divinæ, 799. juxta Sacram Scripturam, 751

Uſus rerum naturalium mutui ſunt providentiæ divinæ, 937

FINIS INDICIS.

INDEX

LOCORUM SCRIPTURÆ SACRÆ,

Quæ in hoc Opere citantur & explicantur.

Vet. Teſt.

	Cap.	Verſ.	Paragr.
Gen.	I.	1.	68.76
			99.208
			408.787
			790
	I.	8.	215
		16.& ſeqq.	948
		28.29	1003
		31.	406.744
	III.	8.	103
	IV.	14.16	103
	VI.	5.	299
		6.	414
		14.& ſeqq.	299
	VII.	1.	299
	XII.	1.	299
	XIII.	16.	210.299
	XV.	5.	210.299
	XVI.	10.	210
	XVII.	1.	299.415
	XXI.	30.	76
	XXII.	17.	210.299
	XXIV.	12. 14. 49.	758
	XXVI.	2.& ſeqq.	299
	XXX.	1.	299
	XXXI.	6.	416
	XXXVII.	5. & ſeqq.	688
	XXXIX.	2.& ſeqq.	688
	XL.		688
	XLI.		688
	XLV.	4.& ſeqq.	688
		5.	749.752
			751.945
		7.	751
		8.	751.948
			945
Exod.	III.	1.& ſeqq.	481
		4.& ſeqq.	299
		14.	299
	IV. & ſeqq.		418
	IX.	27.	1116
	XX.	4.	97
		5.	97.1002
			1116
		6.	1002
	XXXV.	10. & ſeqq.	299
Levit.	XIX.	2.	1114

	Cap.	Verſ.	Paragr.
Levit.	XXVI.	1.	97
Num.	XXIII.	19.	594.597
			414
		20.	414
Deut.	IV.	15. & ſeqq.	97
	VI.	4. 35.	1118
	XI.	26.	748
	XXXI.	19.	748
Joſ.	III.	10.	112
	X.	12. 13.	418
		14.	474
1.Sam.	I.	35.	414
	VIII.	22.	299
	X.	9.	948
	XXIII.	10. & ſeqq.	305
	XXVI.	7.	211
2.Sam.	VII.	4.	299
	XVII.	7.	594
1.Reg.	III.	16.& ſeqq.	686
		28.	686
	IV.	30.34	686.694
	V.	12.	686
2.Reg.	XIX.	16.	112
Job	V.	10.	943.948
	XXXVIII.	25.& ſeqq.	943.948
Pſalm.	I.	1.& ſeqq.	1117
	V.	5.	599
	XXV.	6.	103
		8.	1114
	XXXIII.	11.	594
		18.	103
	LVII.	11.	753
	XC.	2.3	76
	XCIV.	9.	217
	CII.	27.	1112
	CIV.	12.	440
		13.14	948
		19.& ſeqq.	948
	CV.	25.	948
	CVI.	1.	744
	CVII.	1.	744
	CXIV.	9.	295
	CXV.	3.	413
	CXVIII.	1.	744
	CXIX.	64.	753
	CXXI.	4.	211
	CXXXIX.	3.	598

Pſalm.

Digitized by Google

	Cap.	Verſ.	Paragr.
Pſalm.	CXXXIX.	7.& ſeqq.	1113
	CXLV.	9.	746
		17.	1116
	CXLVI.	8.9	744
	CXLV.	4.	210
		5.	213
		7.& ſeqq:	948
		17.	1116
Prov.	XVI.	4.	687
		33.	948
Eccl.	I.	4.	948
	XI.	1.	790
Jeſ.	VI.	1.	98
		3.	1114
	XIV.	27.	594.595
	XXIII.	24.	101
	XXIX.	23.	1115
	XL.	21.25	1115
		28.	76
	XLII.	8.	598
	XLIII.	6.	99
	XLIV.	7.	598
		24.	99
		6.	1118
		10.	97
	XLV.	21.22	1118
		18.	948
	XLVI.	5.& ſeqq.	97
		9.	218
			219.220
			299
		10.	218.219
			220.299
			595
	XLVIII.	3.4.5	598
	LX.	13.14	103
Jerem.	XVIII.	3.& ſeqq.	999
	XXIII.	23.	1113
	XXXII.	17.	410
	XLV.	12.	299
Ezech.	I.	25.& ſeqq.	98
	III.	23.	98
	VIII.	4.	98
	XXXIII.	11.	747
Dan.	IV.	32.	410
Amos	IX.	3.	103
Bar.	II.	20.32.35	76
1.Mac.	I.	25.	76
		Nov. Teſt.	
Matth.	III.	16.	98
		17.	411
	V.	39.	492
		41.& ſeqq.	750
		44.	749.1000
		45.	745.948
		48.	745.1000

	Cap.	Verſ.	Paragr.
Matth.	VI.	20.& ſeqq.	946
	VII.	12.21	131
	X.	16.	98
		29.& ſeqq.	946
		30.	209
	XI.	26.	411
		29.	98
	XIII.	24.& ſeqq.	601
	XIX.	16.17	745
		19.	1000
	XXV.	26.	76
		31.& ſeqq.	599
	XXVI.	42.	131
Marc.	XV.	17.18.20	418
	XVI.	17.& ſeqq.	474
Luc.	I.	37.	416
Joan.	III.	16.	408.746
	IV.	24.	102.132
			133
	V.	17.	106
		26.	114
		30.	131
	VI.	38.	131
	VII.	17.	132
	XV.	26.	98
	XXIV.	30.	102
		39.	132.133
Act.	II.	23.	600
	VIII.	18.& ſeqq.	474
	XI.	5.	476
	XIV.	15:	112
	XV.	18.	130.208
			215
	XVII.	24.	130.943
		25.	429.943
		27.	1113
		28.	1003
Rom.	I.	13.	95
		20.	420.422
			423.689
			791
		21.22.23	97
		25.	97.788
			789.790
	VIII.	16.	98.132
	IX.	18.	593
		19.	131
		22.23	596
	XI.	13.	592
		22.23	412
		33.	419.692
			694
		34.	130
	XV.	24.	749
		26.	76
1.Cor.	I.	1.	130

1.Cor.

	Cap.	*Verſ.*	*Paragr.*		*Cap.*	*Verſ.*	*Paragr.*
1.Cor.	I.	21.	411	*Hebr.*	VI.	17.	594
	IV.	7.	752		VII.	24.	95
	VIII.	4.	1118		XI.	4.	787
	XV.	53.	95	*Jac.*	I.	17.	1110
2.Cor.	VI.	18.	415			18.	593
Epheſ.	I.	4.	408.409		II.	26.	132
		5.	131.411	*1.Petr.*	II.	23.	98
	III.	11.	591		III.	12.	103
		20.	417		IV.	19.	788
	IV.	6.	1118		V.	6.	103
Col.	I.	15.	96	*2.Petr.*	III.	16.	749
	II.	8.	268	*1.Joan.*	I.	5.	214
1.Tim.	I.	17.	95.96		III.	1.	746
			686.694		IV.	19.	746
	II.	5.	1118	*Jud.*		25.	686.694
	IV.	4.	790	*Apoc.*	I.	8.	99
	VI.	15.16.17.	96			18.	78
			1112.1117		IV.	2. & ſeqq.	98
2.Tim.	I.	9.	409		V.	6.	98
Hebr.	I.	12.	76		XVII.	17.	948
	IV.	13.	208.215				

F I N I S.

	Errata	ita Corrigenda		Errata	ita Corrigenda
§.35.in lem.	*caveat*	*careat*	§.469.l.26.	immaginationis	imaginationis
141.*not.*l.21	exanimandis	examinandis	445.*not.*l.5	divi is	divinis
153.l.16	quæ	quas	492.*not.*l.3	impertitiæ	imperitiæ
194.l.1	intrinſeca	in intrinſeca	598.in lem.	*Deo tribuenda*	*tribuenda*
200.l 3	ita coordinata	ita coordinatas	623.l.8. & 9	munifeſtat	manifeſtat
206.in lem.	*ſognoecat*	*cognoſcat*	659.l.4	cumfinis	cum finis
299.*not.*l.4	omnibus	omnium	885.l.20	ſub rationi	ſub ratione
340.l.6	ob objecto	ab objecto	923.l.12.13	Pa-ret	Pa-tet
372.l.1	Methaphyſicum	Metaphyſicum	933.in lem.	*quomode*	*quomodo*

NOI

N O I
RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione dal *P. F. Lauro Maria Piccinelli Inquiſitor di Verona*, nel Libro intitolato: *Theologia Naturalis methodo ſcientifica pertractata*, *Pars Prior*, *Auctore Chriſtiano Wolfio*, non eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni Coſtumi; concediamo Licenza a *Dionigio Ramanzini* Stampatore in *Verona*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 5. Maggio 1737.

{ Gio: Franceſco Moroſini Cav. Rif.
{ Giovanni Emo Proc. Rif.
{

Agoſtino Gadaldini Segretario.

Digitized by Google

Digitized by Google